CLEMENTIS SCHRADER S. J.

DE

UNITATE ROMANA

COMMENTARIUS.

LIBER I. *διδακτικός.*

FRIBURGI BRISGOVIAE.

SUMTIBUS HERDER.

MDCCCLXII.

Dr. Lieber
1866.

CLEMENTIS SCHRADER S. J.

DE

UNITATE ROMANA

COMMENTARIUS.

LIBER I. διδακτικός.

FRIBURGI BRISGOVIAE.
SUMTIBUS HERDER.
MDCCCLXII.

Typis HERDERIANIS Friburgi Brisgoviae.

Facultas R. P. Provincialis Societatis Jesu in Provincia Austriae.

Ego infra scriptus per Provinciam Austriae Societatis Jesu Praepositus Provincialis, potestate ad id mihi facta ab admodum Reverendo Patre Nostro Petro Beckx, Praeposito Generali, Facultatem concedo, ut liber, cui titulus: *De unitate Romana Commentarius a P. Clemente Schrader*, nostrae Societatis Sacerdote, conscriptus, et a Revisoribus ejusdem Societatis lectus et approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu mea subscriptas, et officii mei sigillo munitas dedi.

Lincii die 18. Junii 1862.

L. S. ***Georgius Patiss S. J.***

SEDI SAPIENTIAE

VIRGINI MATRI

AB ORTU PRIMO DEI FILIAE

PATRONAE CLEMENTISSIMAE

CLEMENS SCHRADER

SODALIS E SOCIETATE JESU

SUORUM FRUCTUS LABORUM

DEDICABAT.

PROLOGUS.

---

1. Veteri proverbio est prohibitum, post Homerum Iliadem scribere atque in silvam ligna conferre.

Argumenti ratio. Sed quid frequentius ac prolixius, accuratius diligentiusque disputatum est, quam quidquid ad rationem auctoritatemque romani Pontificis attinet? Post Bellarminos [1], post Bianchios [2], Ballerinios [3], Muzzarellios [4], Zacharias [5] totque alia [6] illustria nomina: quid ad rem novi afferri, quid de ea frugi melioris dici, quid exponi dilucidius, probari firmius et majori doctrinae eruditionisque splendore stabiliri poterit?

A Benettis. 2. Hieremias a Benettis clarum ordinis Capuccinorum lumen, quum „instarent [7] viri docti insisterentque, ut publici opus iuris faceret,„ quod post priores etiam tractatores absque summa utilitate nemo qui sapit manu volverit, pressus „censura insussurantis ipsi cuiusdam νεοσόφου, siquidem a tot tantisque claris scriptoribus provincia ista praeoccupata iam sit, multorumque manu res

---

1 De rom. pontif. ll. 5.

2 Bianchi della potestá e della polizia della chiesa.

3 De vi ac ratione primatus.

4 In opusculis theolog.

5 Antifebronius.

6 Vide sis Georg. Phillips iur. eccles. tom. I. p. I. l. 1.

7 Ita ipse in praefatione operis: Privilegiorum in persona sancti Petri romano Pontifici a Christo Domino collatorum vindiciae p. I. t. I. praefat. p. XVII.

multumque versata et reversata, quid tu ex promiscua infimaque litteratorum hominum plebe rem actam agere, atque, velut aiunt, labore supervacaneo lapides in acervum congerere adgrederis?„ non unam sed variam ac multiplicem collocatae a se operae rationem adducit, quam equidem pro omnibus quibus constat partibus, iis solum demptis quae insignis viri meritis innituntur, citra omnem immodestiae causam mihi vindicare meamque facere eo minus vereor, quod diversitas adiunctorum valorem illi non detraxerit, sed potius adjecerit.

Scribendi causae.

3. Quodsi enim „acceptum [1] a seraphico sui instituti patriarcha
1, mandatum de summo Pontifice summisse colendo ipsiusque honori impense studendo„ movere illum valuit; non minori equidem officio obstringor, sed ex instituto Patris mei vel ipso voti sacramento me Christi Vicario sempiternum obligavi. Neque alia modo
2, ac tum „argumenti gravitas eiusdemque digne pertractandi difficultas, adeo ut laudabile obtingat et optabile, multos ad id operis experiri, multam locari operam multasque ingredi vias, ut, si superis placet, tandem multam post operam multorumque ope per-
3, ficiatur.„ Verum alia omnino, sed immensum prope aucta „ea [2] iam est ingeniorum aetatis improbae nostrae intemperies, effraenisque in licentiam omnem effusa libertas, ut sibi per fas et nefas de re quantacumque vel sanctiore vel ad religionem spectante intendendi litem et iniiciendi suspicionem arrogent facultatem, (quodque pessimi facinoris genus est) ita frequenter et iccirco faciant, ut disruptis quibus cohiberi impatientissime ferunt, legum fraenis, quae emergentibus quotidie opinionibus disciplinae quam morum absonis, tam temporum accommodis, iniici a Pontificibus summis solent, habenas laxare eoque impetu ferri et prorumpere quo velint, impune possint. Indicio sane evidentissimo sunt librorum ac libel-

---

[1] Ibidem p XVIII.
[2] Ibidem pp. XIII sq.

lorum ingentes fasces quotidie in publicum erumpentes, quam ex ingeniorum tristitia et libidine excogitati et conficti ad iniuriam pontificiae dignitati inferendam divinisque ipsius privilegiis conflandam invidiam, tam ex industria atque proposito ad conciliandum opinionibus laxis profligatisque saporem et scalpuriginem elaborati et instructi. Eo tandem maxime, quod ad causae afflictae cumulum eidem clivo incumbentes heterodoxi non modo, sed ex orthodoxis iam multi eorumque imo non pauci, qui ceteroqui s. romanae ecclesiae filiorum singulari se haberi nomine et honore gloriantur et gestiunt, nescio quo aestu perciti si is non sit, qui *συκοφαντῶν* proprius, impudentiae hoc est humana et divina velitandi et vellicandi exertis viribus nervoque intento Pontificum iura impetant, atque prout valent oppugnent:„ neque satis, (hoc mihi iuste addere licet) sed ulterius progressi id iam quantum quidem ex ipsis est attentant, ut summo clavigero carne prope et ossibus spoliato animam quoque tollant, vitalem inquam in domo Dei quam totam moderatur ac regit vim, cuius expedita efficacique explicatione Christi corpus continetur conservaturque, crescit, augetur atque perficitur.

4. Itaque „cur (sic rursum [1] ille) in crimen vocor, quod pro *Antiquitas.* viribus quibus valeo totus etsi tantillus erecta in adversum fronte offendam, in partem optimam pugnem contra qui moliuntur amovere lapidem, cui ecclesia universa est innixa, manum attollam meam, utque per me loco subsistat, ut possum, adnitar, atque quidem eadem quotidie reponentibus eadem quoque ego ex adverso reponam?„ Videlicet haec animum addebant, ut tractata frequenter pro facultate retractare susciperem. Nihil enim quod novum sit in medium proferendum, sed „docebo [2] quod didici non a me ipso, id est a praesumptione, pessimo praeceptore, sed ab

[1] Ibidem p. XVIII.
[2] Hieron. in epitaph. Paulae.

illustribus ecclesiae viris.„ Quod accepimus, quod praedicatum quodque antiquum est, id secundum Apostolos [1], secundum Irenaeum [2] ac Tertullianum [3] est catholicum et verum. Hinc antiqua Stephani [4] lege cautum est: „Nihil innovetur nisi quod traditum est.„

Novitas. 5. Haud ignoro equidem, opposita illis huius temporis studia cuncta, quibus progressus omnis non a iusta veterum continuatione, sed ab iniqua eorum destructione captatur. Et captatur quidem, ac si hominum rerumque natura et ordo in se iam alius prorsus foret ac immutatus plane ab eo qui erat, neque eaedem amplius leges germanis suis explicationibus praeessent, pristinis moribus, usibus, methodis, normis inversis eversisque omnibus in universa humana vita tam familiari quam sociali, tam civili quam religiosa cum instituenda tum excolenda exornandaque. Hinc in ordine *θεωρητικῷ* ac intellectuali alia penitus speculandi principia, unde novae *θεωρίαι* novaque systemata: alia in ordine *πρακτικῷ* ac morali *τοῦ καλοκἀγαθοῦ* fundamenta, unde nova morum honestas novumque ius et nova iustitia: — et in ordine *ὀντολογικῷ* ac reali? Is ut primum esset ac porro exsistat neque pendebat neque pendet a secundis humanis licet causis: quare tangere quidem vix aut ne vix quidem semper extremitates rerum, superficiaria opera exstruere vel convellere homines possunt, verum adiicere [5] ad staturam suam cubitum unum, exsistentium substantiarum vim rationemque sive immutare sive delere, ordinatumque illarum cursum vel impedire vel perturbare non valent: quid igitur? Cogitando saltem disputandoque antiquum de rerum originibus *δόγμα* deserere desertumque pessumdare: diversos rerum ordines miscere invicem, discretionem eorum interturbare, ipsamque adeo entium sus deque

---

[1] Paulus I. Cor. XI. 23. Johannes I. ep. 1 sqq.
[2] Adv. haer. l. III. cc. 2 sqq. l. IV. c. 33. l. V. c. 20.
[3] De praescriptt. cc. 13—21.
[4] Decret. con. rebapt.
[5] Matth. VI. 27. Luc. XII. 25.

vertere secundum rata genera fixasque species naturam: e sempiterno videlicet nescio quo *βύθῳ*, ex obducta quadam perpetuis veluti tenebris substantia, qua conclusa involutaque omnia delitescebant, amplioribus iugiter continuisque progressionibus evoluta per gradus in lucem prodiere ac prodeunt singula, „ex invisibilibus nimirum (!) visibilia,„ e tenebris lux, ex infimis summa, ex imis suprema. Haec est nova mundi fabrica, haec nova et suis digna architectis universitatis constructio, in qua sicut hominum genus ultimum occupat fastigium, ita suum stabilitatis fundamentum, ortus sui dignitatem, radicis suaeque potestatis nobilitatem non ab alto repetit, verum ex istius profunditate abyssi, e qua per tenebras nebulasque necessaria explicationis lege sursum erumpit: quae autem inde consectaria in vitam omnem humanam descendant, in privatam ac publicam, civilem ac religiosam qui valent persentiscunt.

6. Atque haec sunt novitatum quaedam monstra, quibus quid- *Effectus.*
quid ratione aeque ac revelatione ab antiquo ratum erat et fixum, non in discrimen tantum adducitur, sed aperta fronte funditus evertitur. Evertitur antiquum illud Jacobi [1] oraculum, vi cuius tenendum, quidquid boni datur et quidquid perfectionis exsistit, id non de imis esse, sed sua desursum primordia ducere „descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio ac vicissitudinis obumbratio.„ Evertitur *δόγμα* Pauli, per quem [2] mutabilis haec substantia, quae coelis continetur et terra, ab omnipotente factore procreata fuit eodemque immutabili Domino, qui dum fluxa illa veterascunt nutuque suo transeunt idem ipse semper

---

[1] I. 17. *Πᾶσα δόσις ἀγαθὴ καὶ πᾶν δώρημα τέλειον ἄνωθέν ἐστι καταβαῖνον ἀπὸ τοῦ πατρὸς τῶν φώτων παρ᾽ ᾧ οὐκ ἔνι παραλλαγὴ ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα.*

[2] Hebr. I. 10 sqq. *Σὺ κατ᾽ ἀρχὰς* (coll. Gen. I. 1.), *κύριε, τὴν γῆν ἐθεμελίωσας καὶ ἔργα τῶν χειρῶν σου εἰσὶν οἱ οὐρανοί* (iuxta Ps. c. I. 26.). *αὐτοὶ ἀπολοῦνται, σὺ δὲ διαμενεῖς. Καὶ πάντες ὡς ἱμάτιον παλαιωθήσονται καὶ ὡσεὶ περιβόλαιον ἑλίξεις αὐτοὺς καὶ ἀλλαγήσονται· σὺ δὲ ὁ αὐτὸς εἶ, καὶ τὰ ἔτη σου οὐκ ἐκλείψονται.*

permanet immortalis Deus atque aeternus. Et illud evertitur eiusdem gentium doctoris mandatum quo [1] praecipit, „devitandas esse profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt.„ Is nimirum genuinus est novitatum foetus, fructus et finis, ut deseratur ocius tardius fides!

Impedimentum.

7. Quem tamen *σκόπον* ne apud omnium animos novatores consequantur „columna [2] impedit et firmamentum veritatis:„ impedit scilicet „domus Dei, quae est ecclesia Dei vivi,„ quam [3] „Christus Filius Dei vivi supra petram aedificavit.„ Sed hinc dirum illud bellum, quod non est [4] adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in coelestibus:„ bellum, inquam, quod instruitur a potestatibus istis inferique portis contra illam petram, quam ipse antiquus dierum posuit, quae antiquitate sola stat, cuius norma sentiendi, loquendi agendique non est nisi antiquitas, quaeque ipsa suae immobilis antiquitatis forma ac specie haud secus piis omnibus inspirat venerationem atque fiduciam, quam impiis profanarum novitatum molitoribus pavorem incutit perniciemque praesagit. Inde tot in illam irae tantique concitantur furores.

Praesens bellum.

8. Nunc autem eo iam atrocius bellum esse deprehenditur,

---

[1] I. Tim. VI. 20 sq. *Ὦ Τιμόθεε, τὴν παρακαταθήκην φύλαξον, ἐκτρεπόμενος τὰς βεβήλους κενοφωνίας καὶ ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως:* (Quibus duo Paulus docet 1) fidei depositum non una absolvi idearum conceptuumque sacra antiquitate, sed etiam sacram flagitare antiquitatem verborum: 2) ad profanam loquendi novitatem conducere falsam sciendi speciem) *ἥν τινὲς ἐπαγγελλόμενοι περὶ τὴν πίστιν ἠστόχησαν.*

[2] I. Tim. III. 15. *Ἵνα εἰδῇς, πῶς δεῖ ἐν οἴκῳ θεοῦ ἀναστρέφεσθαι, ἥτις ἐστὶν ἐκκλησία θεοῦ ζῶντος, στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας.*

[3] Matth. XVI. 18.

[4] Ephes. VI. 12. *Ὅτι οὐκ ἔστιν ἡμῖν ἡ πάλη πρὸς αἷμα καὶ σάρκα* (non solum erga haec), *ἀλλὰ* (*μάλιστα*, potissimum) *πρὸς τὰς ἀρχὰς, πρὸς τὰς ἐξουσίας, πρὸς τοὺς κοσμοκράτορας τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου, πρὸς τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις.*

quod non amplius uni vel alteri indicitur domus Dei parti, sed toti intentatur ecclesiae, immo vero directe immediateque ipsam aggrediuntur petram fundamentalem cui illa tota incumbit. Furentis consilium hostis si spectaveris, propemodum diceres, quemadmodum Apostolorum princeps Petrus divinitus excitus e centro romani imperii veteri gentilitati universae bellum indixit, et in ipsa Urbe omnis superstitionis principe arce antichristum satanam [1], congrediendo cum praecursore suo Simone, debellavit, atque romana fundata episcopali sede, fidei petra, universitatem christianam devinxit et in eam unitatem coniunxit, quae a romano principatu determinata unitatem romanam efficeret: ita vicissim ac repensa prope vice Dei hominumque inimicus impetu facto in centrum totius visibilis regni Christi bellum christiano nomini universo infert, et apud romanam ipsam cathedram totius pietatis arcem per suos ministros cum Petri successore congrediendo Christum debellare in eius vicario attentat, atque romana eversa pontificia sede opus Christi pessumdare, a pastore gregem, a doctore ac magistro discipulos omnesque docendos, a capite membra, a fonte rivulos, radios a sole atque ab ecclesia matrice filias abstrahere ac avellere romanamque unitatem radicitus dissipare praesumit!

---

[1] In commentario de ss. Petro et Paulo quem Bollandiani die 29. Jun. ex Ms. medic. graeco reg. christ. et Jac. Sirleti interpret. Ms. in Bib. vatic. habent c. II. n. 7. haec leguntur: *Ὤφθη δὲ αὐτῷ ὁ Κύριος ἐν ὁράματι τῆς νυκτὸς λέγων· ἀναστὰς, Πέτρε, τὴν ἑσπέραν κατάλαβε. χρήζει γάρ σου τῆς δαδουχίας, καὶ ἐγὼ μετά σου ἔσομαι. Ὁ γὰρ Σίμων παρὰ τῶν ἐπιζητούντων αὐτὸν, ὡς φθάσαντες ἐξεθέμεθα, μίκρον ὕστερον ἁλοὺς ἐπὶ τὴν Ῥώμην ἄγεται, δίκας τῶν τετολμημένων εἰσαράξασθαι. ἐν ᾗ γενόμενος καὶ πολλοὺς ταῖς μαγείαις ἐκστήσας, οὐ μόνον δίκην οὐκ ἔτισεν, ἀλλὰ καὶ θεὸς τοῖς πολλοῖς ἐνομίσθη. τοσοῦτον γὰρ ὁ τοῦ σατανᾶ πρόδρομος τοὺς ῥωμαίους ταῖς μαγείαις ἐξέπληξεν κ. τ. λ.* „Apparuit autem illi Dominus nocte per visum: Surgens Petre, inquit, occidentem (orientem iam ex praecedentibus occuparat), occupa: eget enim te luminis facem praemonstrante, et ego tecum ero. Simon enim ille ab iis, a quibus inquirebatur, ut supra diximus, mox captus Romam ducitur, ut eorum quae ausus fuerat poenam iudicibus exolveret. Quo quum venisset praestigiisque multos decepisset atque in stuporem adegisset, non modo poenam non dedit, sed etiam a multis pro Deo est habitus, adeo enim satanae praecursor Romanos suis praestigiis perculsit„ etc.

Exitus. 9. „Et portae inferi non praevalebunt adversus eam.„ Qui in Simone Joannis filio romanam olim unitatem fundavit veteremque gentilium ἀσέβειαν superavit: idem Petrus in nono Pio novam τῶν ἀσεβῶν gentilitatem superabit romanamque unitatem sartam tectam habebit, et idem porro illam ad finem usque saeculi sartam tectam tuebitur.

Propositio. De hac igitur unitate, quam propterea dixi romanam, quod determinans eiusdem principium ipsa est romana Apostolorum principis sedes, a qua summa rei pendet, quaeque tantum valet quantum universa Christi oeconomia, adeoque ipsa valet christiana veritas, auspice Petro, qui in romana ecclesia iugiter vivit et regnat, disputare constitui.

CAPUT I.

De ratione et amplitudine romanae unitatis.

I. *Ecclesia catholica — appositi catholicae vis et antiquitas.*

1. Divinam erga humanum genus oeconomiam enarrans Irenaeus [1] tempore ac duratione illam perpetuam constantemque fuisse declarat, praestantia vero ita jugiter crescentem, ut vineam suam quam curaverat olim Deus per patres atque prophetas, eam in plenitudine temporis administrandam perficiendamque ipsi commiserit Filio. Inde porro ad illius incrementum extensionemque veniens pergit: „Quapropter tradidit eam Dominus Deus non jam circumvallatam, sed expansam in universum mundum aliis colonis reddentibus fructus temporibus suis turre electionis exaltata ubique et speciosa. Ubique enim praeclara est ecclesia et ubique circumfossum torcular; ubique enim sunt qui suscipiunt Spiritum." Quibus profecto ecclesia non conspicua minus ac visibilis, quam universalis atque catholica describitur. Et sane, quemadmodum πίστις καθολικὴ ea est [2] ac dicitur, quae annuntiatur in universo mundo, quaeque omni creaturae [3] ubivis terrarum et qua late coelum patet praedicatur: ita collectus credentium coetus primum et per se ecclesia catholica nuncupatur [4], quod ab oriente usque in occidentem diffunditur, quod [5] καθ' ὅλης τῆς οἰκουμένης ἕως περάτων τῆς γῆς διεσπαρμένη, quod [6] πανταχοῦ κρατεῖ, πανταχοῦ ἕστηκε, quodque [7] plenum est corpus et solidum et toto jam orbe propa-

Ecclesia catholica.

Irenaeus.

---

[1] Con. haer. l. IV. c. 36. n. 2.
[2] Rom. I. 8.
[3] Marc. XVI. 15. coll. Coloss. I. 23. I. Cor. I. 23. IX. 16 sqq.
[4] In act. s. Fructuos. n. 3. qui martyrium subiit anno 259.
[5] Iren. l. c. l. I. c. 10. n. 1.
[6] Chrysost. in ep. ad Coloss. h. I. n. 2.
[7] Pacian. ep. III. n. 4. ad Sympron.

Augustinus. gatum. Quae complectitur omnia b. Augustinus Petiliano donatistae obiicienti: „Si vos tenere catholicam [1] dicitis, catholicos illud est quod graece dicitur unicum sive totum. Ecce in toto non estis, quia in partem cessistis„, ita [2] respondens: „Et ego quidem graecae linguae perparum assecutus sum et prope nihil: non tamen impudenter dico, me nosse *ὅλον* non esse unum sed totum; et *καθ' ὅλον* secundum totum; unde catholica nomen accepit, dicente ipso Domino [3]: non est vestrum scire tempora quae Pater posuit in sua potestate; sed accipietis virtutem Spiritus sancti supervenientem in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem et in totam Judaeam et Samariam et usque in totam terram. Ecce unde catholica vocatur. Sed ita clausis oculis offenditis in montem [4] qui ex parvo lapide secundum prophetiam Danielis crevit et implevit universam terram, ut nobis dicatis, quod in partem cesserimus et in toto non simus, quorum communio [5] universo orbe diffunditur.„

Nomen catholicae. Valesius. Joh. Gerard. Vossius. Ignatius.

2. Hinc mirum non est, inde ab ipsa prima Apostolorum successione, ut observat Valesius [6], inditum ecclesiae cognomen catholicae invaluisse, adeoque falluntur, qui cum Joanne Gerardo Vossio [7] arbitrati sunt, ante novatianum schisma hoc titulo ecclesiam minime insignitam fuisse. Eo enim illam insignivit b. Ignatius M. [8] scribens: „Ubi comparuerit episcopus, ibi et multitudo sit; quemadmodum ubi fuerit Christus Jesus, ibi catholica est ecclesia.„ Eodemque rursum titulo illam ipse insignivit Smyrnensium fidelium coetus ab initio litterarum, quas [9] de s. Polycarpi

---

[1] Nota quam catholicitatis vocant in controversia cum donatistis maxime utebantur Patres ad veram ecclesiam a factionibus sectisque distinguendam.

[2] Con. litt. Petil. l. II. c. 38. n. 91.

[3] Act. I. 7.

[4] Dan. II. 35.

[5] Duo ergo dicit catholicae appositum quod ecclesiae fit: a) in recto ut aiunt significatur diffusio universalis; b) in obliquo adsignificatur unio et communio.

[6] Euseb. H. E. l. VII. c. 10.

[7] De trib. symbolis diss. I. thes. 39.

[8] Ep. ad Smyrn. n. 8. *Ὅπου ἂν φανῇ ὁ ἐπίσκοπος ἐκεῖ τὸ πλῆθος ἔστω ὥσπερ ὅπου ἂν ᾖ Χριστὸς Ἰησοῦς, ἐκεῖ ἡ καθολικὴ ἐκκλησία.*

[9] Ap. Euseb. H. E. l. IV. c. 15. et ap. Hefele Pat. ap. op. ed. III. p. 274. *Ἡ ἐκκλησία τοῦ θεοῦ ἡ παροικοῦσα Σμύρναν τῇ παροικούσῃ ἐν Φιλομελίῳ, καὶ πάσαις ταῖς κατὰ πάντα τόπον τῆς ἁγίας καθολικῆς ἐκκλησίας παροικίαις· ἔλεος, εἰρήνη καὶ ἀγάπη ἀπὸ θεοῦ πατρὸς καὶ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ πληθυνθείη.*

martyrio dedit ad omnes per orbem credentes his verbis: „Ecclesia Dei, quae est Smyrnae, ecclesiae Dei apud Philomelium et omnibus ubicunque terrarum sanctae et catholicae ecclesiae populis, misericordia, pax, et caritas Dei Patris et Domini nostri Jesu Christi multiplicetur.„ Et rursum [1] in ipsa martyrii enarratione: „Per tolerantiam devicto injusto praeside sicque immortalitatis corona recepta cum Apostolis omnibusque justis exsultans (b. Martyr) Deum ac Patrem glorificat, atque benedicit Dominum nostrum, animarum nostrarum salvatorem et corporum nostrorum gubernatorem, nec non pastorem catholicae per orbem ecclesiae.„ Quibus praeclare consonant, quae ipse precatus perhibetur [2] s. Polycarpus: „Recordatus omnium, qui aliquando cum ipso congressi fuerant, parvorum aeque ac magnorum, clarorum et obscurorum, totiusque per orbem terrarum catholicae ecclesiae.„ Non alia ergo est ecclesia Dei una [3], non alia sancta [4], neque apostolica alia ab ecclesia catholica, quae universum terrarum orbem sua amplitudine occupat: et ideo est, quod in sym-

Smyrnensis ecclesia. ***Polycarpus.*** ***Symbola.***

---

[1] Ibid. n. 19. *Διὰ τῆς ὑπομονῆς γὰρ καταγωνισάμενος τὸν ἄδικον ἄρχοντα καὶ οὕτως τὸν τῆς ἀφθαρσίας στέφανον ἀπολαβὼν σὺν τοῖς ἀποστόλοις καὶ πᾶσι δικαίοις ἀγαλλιώμενος δοξάζει τὸν θεὸν καὶ πατέρα καὶ εὐλογεῖ τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν σωτῆρα τῶν ψυχῶν ἡμῶν καὶ κυβερνήτην τῶν σωμάτων ἡμῶν καὶ ποιμένα τῆς κατὰ τὴν οἰκουμένην καθολικῆς ἐκκλησίας* (in vindob. cod. additur: *καὶ τὸ πανάγιον καὶ ζωοποιὸν πνεῦμα*: et in vet. int. „et spiritum sanctum, per quem cuncta cognoscimus.„)

[2] Ibid. n. 8. *Μνημονεύσας ἁπάντων καὶ τῶν πώποτε* (al. *ποτὲ*) *συμβεβηκότων αὐτῷ, μικρῶν τε καὶ μεγάλων, ἐνδόξων τε καὶ ἀδόξων, καὶ ἁπάσης τῆς κατὰ τὴν οἰκουμένην καθολικῆς ἐκκλησίας.*

[3] Ad rem Theodoretus in Ps. XLVII. 4: *Μία μὲν οὖν ἐστι κατὰ πᾶσαν γῆν καὶ θάλασσαν ἐκκλησία· διὸ προσευχόμενοι λέγομεν ὑπὲρ ἁγίας καὶ μόνης καθολικῆς ἐκκλησίας τῆς ἀπὸ περάτων ἕως περάτων τῆς οἰκουμένης.* Tum haec Alexandri alex. ap. Athan. t. I. p. 2. ed. Montfauc. p. 313. *Ἓν σῶμα ὂν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας.*

Theodoretus. ***Alexander alex.***

[4] Hanc ecclesiam sanctam praeclare describit ap. Mai N. PP. Bib. t. I. p. 54. S. XXV. n. 1. b. Augustinus his verbis: „Ecclesia Dei ecclesia sancta, cui est ille caput. Si enim ille caput, nos corpus; si tamen tales ut pressuram a turbis patiamur, non pressuram Domino faciamus. Magna multitudo confluit ad ecclesiam diffusa per omnes terras: Credunt omnes gentes; et in omnibus gentibus alia pars premit, alia premitur: quae pars premitur ipsa tolerat: quae tolerat, ipsa percipiet mercedem, perveniens ad fructum tolerantiae, de quo dicit Dominus in Evangelio (Luc. VIII. 15.): Fructum affert cum tolerantia. Ipsa est enim pars sanctorum ubique diffusa; quia frumentum est, et oportebat frumentum per totum agrum seminari i. e. per totum mundum. Dominus enim agrum mundum dixit.„

Augustinus.

bolis [1] credimus in catholicam vel in unam sanctamque catholicam ecclesiam.

II. *Ecclesia catholica ipsa est ecclesia romanae unitatis.*

3. Atqui ecclesia catholica, quae est una, sancta, apostolica eadem est quae ecclesia romana, et sicut fides romana a fide catholica nomine tenus dumtaxat apud antiquos differt; ita appellatio cathedrae ecclesiaeque romanae apud eosdem *συνώνυμος* est cum appellatione catholicae ecclesiae.

Cyprianus. 4. Profecto sancto Cypriano idem est, cum Cornelio [2] et cum catholica ecclesia communicare, idemque illi est [3], communionem cum romanis romanaque cathedra habere, atque alienum esse a *Ambrosius.* schismaticis ac profanis. Apud Ambrosium [4] convenire cum episcopis catholicis idem valet ac convenire cum sede romana. Et *Augustinus.* apud Augustinum [5] ipse Pelagius fidem Ambrosii laudans, romanam eam appellavit, ut catholicam eandem esse significaret. Cum *Fulgentius. Hormisda.* Fulgentio [6] exponit papa Hormisda [7] romanae sedis „apostolicam i. e. catholicam sententiam.„ Et rursum [8]: „Qui inquit, cum sede apostolica, hoc est ecclesia catholica non communicant.„ Unde

---

[1] Ap. Denzing. enchir. forma symboli gallicana coll. hispanica, alexandrina, hierosolymitana et q. sqq.

[2] Ep. 48. al. 45. Cornelium adloquens curam se habuisse dicit, ut „te collegae nostri et communionem tuam i. e. catholicae ecclesiae, unitatem pariter ac caritatem probarent firmiter et tenerent.„ Ad Antonianum vero scribens ep. 55. al. 52. haec uti synonyma habet „communicare cum Cornelio, hoc est, cum catholica ecclesia communicare.„

[3] Ep. 48. al. 45. „Scimus nos, inquit, hortatos eos esse, ut ecclesiae catholicae radicem et matricem agnoscerent ac tenerent.„ Et iterum ep. 59. al. 55. „Ad Petri cathedram, atque ad ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, a schismaticis et profanis litteras ferre (audent), nec cogitare eos esse romanos, quorum fides Apostolo praedicante (Rom. I. 8.) laudata est, ad quos perfidia non possit habere accessum.„

[4] Ser. de obit. Satyri frat. n. 47. Quae conferenda sunt verbis Irenaei adv. haer. l. III. c. 3.

[5] De gratia Christ. c. XLIII. Idem porro suo nomine suaque auctoritate confirmat Augustinus c. ep. fund. c. 4.

[6] Ad Joannem et Venerium ep. quam nomine epp. Africae in Sardinia exulum scripsit.

[7] Ad Avit. vienn. ep. 10. coll. ad Possess. ep. 70. ap. Mansi conc. coll. t. VIII., ubi illud inquiri vult circa doctrinam de gratia et l. arbitrio „quod romana hoc est catholica sequatur et asseveret ecclesia.„

[8] Ad Ennod. et Peregrin. ep. 18.

Hieronymus [1] „fidem suam quam vocat? eamne qua romana pollet ecclesia, an illam quae in Origenis voluminibus continetur? Si romanam responderit, ergo catholici sumus.„ Quae quidem sententia adeo vulgo innotuerat, ut Theodosius junior [2] religionem catholicam dixerit romanam religionem. *Hieronymus.* *Theodosius iun.*

5. Sane huc pertinet formula a romanis praesulibus Hormisda [3] et Hadriano I. proposita [4] et ab orientalibus episcopis recepta atque [5] subscripta, quae ita incipit: „Prima salus est rectae fidei regulam custodire, et a Patrum traditione nullatenus deviare, quia non potest Domini nostri Jesu Christi praetermitti sententia dicentis: Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Haec quae dicta sunt rerum probantur effectibus, quia in sede apostolica inviolabilis semper catholica custoditur religio. De hac ergo fide non cadere cupientes et Patrum sequentes in omnibus constituta, anathematizamus omnes haereses.„ Et iterum paulo post: „Suscipimus autem et probamus epistolas beati Leonis papae universas, quas de religione christiana conscripsit, sicut praediximus, sequentes in omnibus apostolicam sedem, et praedicantes ejus omnia constituta. Et per omnia spero, ut in una communione vobiscum, quam sedes apostolica praedicat, esse merear, in qua est integra et vera christianae religionis et perfecta soliditas: promittens in sequenti tempore sequestratos a communione ecclesiae catholicae i. e. non consentientes sedi apostolicae, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria.„ A quibus postremo non discrepant illa Gregorii II. quibus [6] episcopis ducibusque Germaniae significavit, commisisse se Bonifacio moguntino, ut populos ex apostolicae huius sedis doctrina informet, et in eadem catholica fide permanere instituat.„ Una igitur eademque censebatur communio cum romana sede [7] ac cum catholica ecclesia eademque ecclesia apostolica. *Hormisda.* *Hadrianus I.* *Gregorius II.*

---

[1] Adv. Rufin. l. I. n. 4.

[2] Ep. ad Acac. aliosque episcopos et anachoretas recitata in ephes. conc.

[3] Libelli sui meminit epp. 8. 9. ad epp. Epiri vet. et ad Joannem. Refertur vero in ep. Joannis constantin. ad Hormisdam et in ep. LI. Hormisdae ad universos Hispaniae episcopos ap. Mansi l. c.

[4] Videsis Concil. oecumen. VIII.

[5] Cf. Muzzarelli opusc. de auct. rom. pont.

[6] In litt. ad epp. et duces German.

[7] Ita Bruno astens. tr. de sacr. azym. „Absit hoc a catholica atque apostolica et romana ecclesia.„ *Bruno astens.*

Haeretici. 6. Quae quidem persuasio tantas in animis vetustatis radices egerat, ut vel hostes ipsi suffragium illi praestiterint. Sane praeter pelagianos, de quibus Augustinum loquentem induximus, Victor uticensis [1] ista a Jocundo ariano homine ad Theodoricum arianorum regem dicta refert: „Poteris eum diversis afflictionibus interficere, nam si gladio peremeris, incipient romani martyrem praedicare.„ Et Gregorius turonensis [2] ex arianorum persona: „Quid putatis, dicebat unus ex illis, quod nunc isti romani dicant.„ Et iterum [3] de ariano principe: „Cogitavit intra se dicens, quia ingenium est romanorum (romanos enim vocitant [4] homines nostrae religionis) ut ita accidat, et non sit virtus Dei.„ Quin plura, quod pronum esset, congeramus, satis perspici ex his potest, ipsorum haereticorum sententia cadere illos e causa, qui romanae communionis exsortes sese catholicos iactitant.

Liturgia. 7. Quam persuasionem ac fidem manifestant ipsa antiquissimae liturgiae [5] monumenta, quae die natali Apostolorum Petri et Pauli hanc praeferunt orationem: „Deus qui secundum promissionis tuae inviolabile constitutum apostolicae confessioni superna dignatione largiris, ut in veritatis tuae fundamine solidatae nulla mortiferae falsitatis jura praevaleant . . . ipsaque sit sacri corporis ubique vera compago, quae te dispensante devota subsequitur, quidquid sedes illa censuerit, quam tenere voluisti totius ecclesiae principatum.„ Et rursum [6] haec: „ex jure apostolici principatus repetendum, ut quae ex Petri cathedra fides permanasset, eam christianae devotionis sequeretur universitas, salubrique compendio [7] et hi, qui ab illorum tramite deviassent haberentur externi [8] et

---

[1] De persecut. vandal. l. I.

[2] De gloria martyr. c. 7.

[3] Ibid. c. 25.

Agnomen romani. [4] Sectantur ergo veterum haereticorum morem, qui rei romanae sequacibus cognomen indunt „romani" vel „romanensis" illudque in probrum conviciumque convertunt. At vero et sic manifestant veritatem.

[5] Cf. vetustissimum romanae ecclesiae sacramentarium editum a Blanchinio recusum a Muratori et illustratum a Balleriniis in praef. Miss. XIV.

[6] Praef. Miss. X.

[7] Quae cum his Cyprian. de unit. eccles. p. 76. conveniunt: „Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis, loquitur Dominus ad Petrum: Ego dico tibi, tu es Petrus„ et q. sqq.

[8] Hi ap. Paulum Gal. VI. 10. *τοῖς οἰκείοις τῆς πίστεως* opponuntur, et I. Cor. V. 12. *οἱ ἔξω* vocantur.

tantummodo filii veritatis exsisterent, qui a principali [1] nullatenus traditione discederent."

III. *Fides catholica est fides romana.*

8. E quibus omnibus liquet, fidem ecclesiae romanae fidem esse totius Christi ecclesiae, neque fidem ecclesiae catholicae et apostolicae a fide differre ecclesiae romanae. De qua re insignis prostat maximi doctoris Augustini [2] sententia atque professio, quam *Augustinus.* integram excepisse plurimum confert: „Respondeant tibi, mater, ita *προσωποποιῶς* ecclesiam alloquitur, omnes qui tecum pariter genuerint (forte gemuerint?) filii tui et consolationis: persecutiones patimur, sed non derelinquimur, deicimur (sic) sed non peribimus; semper mortificationem Jesu Christi in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu in corporibus nostris manifestetur. Audiat te ipse dicentem: semper tolera, semper tamquam fidelis sponsa tolera, dicit sponsus tuus, iuxta viam meam, ut pervenire possis ad sempiternam laetitiam meam: quoniam digne iusteque et ut decet acrius castigantur mali filii tui. Idcirco putas quia oblitus sum tui? Si oblitus fuero tui Hierusalem, obliviscatur me dextera mea. Si parum credes, et iuro (cod. viro). Adhaereat lingua mea faucibus meis, si tui non meminero. Si non proposuero Hierusalem in principio iocunditatis meae, ut confusionem in aeternum oblivisceris. Haec fidelis promissio capita erigit filiorum, cervices inclinat inimicorum. Non iam te perversa et tortuosa cavea, haeresis arriana, in aliqua formidat nostra coelestis regina; quoniam tu es filia Babylonis misera, quae ad hoc te cotidie male componis, ut a casto sponso veraciter despiciaris. Ad hoc cotidie invadis aliena, ut cum omnibus simul perdas et propria. Cognosceris iam quae sis, omnibus palam facta es qualis sis. *Non crederis veram fidem tenere catholicae, quae fidem non doces esse servandam romanam.* Quaeris enim quantum in te

---

[1] Principalis cathedra est romana, quia ex ea ut Innocent. de causa pelag. ad synod. carthag. scribit, veluti de natali suo fonte aquae cunctae procedunt, et per diversas totius mundi regiones puri latices capitis incorrupti dimanant. Et ita sane illam ut principalem spectarunt Iren. l. IV. c. 43. coll. l. III. c. 3. Optat. milev. l. II. Aug. ep. XLIII n. 7. ad Generos. auctor quaest. in V. et N. T. q. 110.

[2] Ap. Mai N. PP. Bib. t. I. p. 273. s. CXX. n. 13. de accedentib. ad gratiam.

est, etiam ipsius fidei catholica fundamenta subvertere." Sed nihil inde magis perspicuum exsistit, quam quod praestituimus, ambitum ecclesiae unius sanctae catholicae et apostolicae, amplitudinem efficere unitatis romanae.

IV. *Romanae appositum antiquum est, essentiale, necessarium.*

Romanae nomen antiquum. 9. Jamvero plura hinc consequuntur corollaria quae nefas esset silentio praeterire. Ac initio sequitur:

Corollarium I. Eos falli, qui ex graecorum schismate factum esse docent, ut fides catholica haberetur diceretur que romana.

10. Deinceps sequitur:

Launoius. Corollarium II. Falli cum Launoio eos, qui ad ecclesiae *Romanae nomen ac res ad naturam ecclesiae spectat.* naturam spectare negant summi Pontificis regimen. Etenim essentiale est ecclesiae catholicae ut romana [1] sit; est igitur eidem quoque essentiale, ut a romano gubernetur pontifice.

11. Sequitur porro:

Corollarium III. Discindere et conculcare ecclesiam catholicam, qui proscindere et conculcare non verentur romanam ecclesiam.

12. Hinc sequitur:

Corollarium IV. Ad catholicam non pertinere unitatem, qui *Ambrosius.* non spectat ad unitatem romanam. Atque huc faciunt ista Ambrosii [2]: „Ipse est Petrus, cui dixit Christus, tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Ubi ergo Petrus, ibi ecclesia." Quae plane expressa diceres ad illa [3] Ignatii M.: „Ubi fuerit Christus Jesus, ibi catholica est ecclesia."

Optatus. Huc ista Optati [4], quibus asserit, primam de dotibus ecclesiae esse unitatem cathedrae, quatenus omnes, qui nolint esse schismatici et peccatores, debeant in una communionis societate concordare.

Baader. [1] Apparet ergo quo pertineant, quae scripsit Baader de vi potestateque nominis romanae quo ecclesia catholica distinguitur, deque separabilitate romani primatus ab ecclesia catholica: cf. plures eius hac de re dissertatt. quae leguntur ap. Kerz, kathol. Litteraturzeit. an. 1824. evangel. Kirchenzeit. an. 1838. tum de possib. separat. catholic. a dictat. rom. an. 1839. et de catholic. orient. et occident.

[2] In Ps. L. n. 30.

[3] Ep. ad Smyrn. n. 8. *Ὅπου ἂν ᾖ Χριστὸς Ἰησοῦς, ἐκεῖ ἡ καθολικὴ ἐκκλησία.*

[4] Adv. Parm. lib. II. c. 2. coll. Hieron. ad Damas. ep. XV. n. 2.

Huc ista Augustini [1] quibus Donatistas, ab ecclesia exclusos demonstrat: „Venite, fratres, si vultis ut inseramini in vite. Dolor est, cum vos videmus praecisos ita jacere. Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede, et in ordine illo patrum, quis cui successit videte. Ipsa est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae.„ *Augustinus.*

Huc ista [2] Prudentii: *Prudentius.*

„Fugite o miseri execranda Novati
Schismata, catholicis reddite vos populis,
Una fides vigeat, prisco quae condita templo est,
Quam tenet cathedra Petri.„

Huc tandem ista [3] Cypriani, quibus ecclesiam unam definiens ejusque unitatem describens ait: „Plebs sacerdoti coadunata, et pastori suo grex adhaerens.„ Unde sicut unitas particularis cujusque ecclesiae efformatur in singulis earumdem pastoribus; ita unitas ecclesiae catholicae exinde efflorescit, quod singulae plebes glutino suorum sacerdotum copulantur et cohaerent radici atque origini unitatis, quae in Petro sita est ejusque successoribus. Sed de his quam primum uberius. *Cyprianus.*

V. *Orientalium consensio et dissidium.*

Scholion. 13. Rationes ob quas eruditus vir Macarius, vinnicensis [4] in Russia episcopus nomen „catholicae“ ecclesiae factum praeclare docet, romanae unitati non modo non desunt, verum unice in ea ac per eam modo plane singulari fulgent. Revocantur namque illae ad has tres, ut catholica vocetur ecclesia a) ob extensionem, b) ob durationem, c) ob oeconomiam dispensationemque suam iuxta haec [5] Cyrilli hierosolymitani, qui easdem illas ad quatuor *Macarius vinnicensis.*

[1] In Psalmo con. partem Donati.

[2] Hymn. s. Hippolyti.

[3] Epist. LXIX.

[4] Theol. dogmat. orthod. t. II. §. 180. pp. 283 sqq. vers. gall. Paris. 1860.

[5] Catech. XVIII. n. 23. *Καθολικὴ μὲν οὖν καλεῖται διὰ τὸ κατὰ πάσης ειναι τῆς οἰκουμένης, ἀπὸ περάτων γῆς ἕως περάτων. καὶ διὰ τὸ διδάσκειν καθολικῶς καὶ ἀνελλειπῶς ἅπαντα τὰ εἰς γνῶσιν ἀνθρώπων ἐλθεῖν ὀφείλοντα δόγματα, περί τε ὁρατῶν καὶ ἀοράτων πραγμάτων, ἐπουρανίων τε καὶ ἐπιγείων. καὶ διὰ τὸ πᾶν γένος ἀνθρώπων εἰς εὐσέβειαν ὑποτάσσειν ἀρχόντων τε καὶ ἀρχομένων, λογίων τε ἰδιωτῶν. καὶ διὰ τὸ καθολικῶς ἰατρεύειν μὲν καὶ θεραπεύειν ἅπαν τὸ τῶν ἁμαρτιῶν εἶδος, τῶν διὰ ψυχῆς καὶ σώματος ἐπιτελουμένων. κεκτῆσθαι δὲ ἐν αὐτῇ πᾶσαν ἰδέαν ὀνομαζομένης ἀρετῆς ἐν ἔργοις τε καὶ λόγοις καὶ πνευματικοῖς παντοίοις χαρίσμασιν.*

titulos reducit: „Catholica vocatur (seu universalis ecclesia), eo quod per totum orbem ab extremis terrae finibus ad extremos usque fines diffusa est. Et quia universe et absque defectu docet omnia, quae in hominum notitiam venire debent dogmata, sive de visibilibus et invisibilibus, sive de coelestibus et terrestribus rebus. Tum etiam eo quod omne hominum genus recto cultui subiiciat, principes et privatos, doctos et imperitos. Ac denique quia generaliter quidem omne peccatorum genus quae per animam et corpus perpetrantur, curat et sanat; eadem vero omne possidet, quovis nomine significetur, virtutis genus in factis et verbis et spiritalibus cuiusvis speciei donis.„ Sicut enim antiquitus ecclesia Dei catholica nulla nominaretur, nisi quae romana [1] cognominaretur; ita profecto de hac unitate romana laudatos characteres antiqui praedicabant: et sicuti catholica ecclesia eo ipso quod talis est duratione iugiter eadem manet atque sibi semper similis persistit; ita etiamnum non alia ecclesia catholicae nomine et re iure meritoque excellit praeter ecclesiam insignem cognomine romanae: tandem sicuti revera ecclesia quae unitate romana continetur ornamentis, decoribus dotibusque illis topologico, chronologico, oeconomico et ethico egregie omnino distinguitur; ita reliquae communiones omnes quae ecclesiae nomen praeferunt, iisdem manifeste destituuntur, neque proinde catholicae nomen merentur. Quod vero a Macario, qui in describenda ecclesia, ut par est, veterum utitur auctoritate, ubi [2] ecclesiae partitiones variasque particularium ecclesiarum appellationes recenset, neque nominis romanae neque partitionis in occidentalem et orientalem plagam, e qua utraque universalis ecclesia eademque apostolico-romana efflorescere ab antiquis frequenter perhibetur, mentionem ullam iniecerit, mirum videri possit neque ab omni partium studio alienum.

CAPUT II.

De natura ac indole romanae unitatis.

I. *Ecclesia romana societas est necessaria-legalis-inaequalis.*

Indoles romanae unitatis.

14. Explorata romanae unitatis amplitudine et extensione pronum est, de charactere illius inquirere atque statuere. Is porro

[1] Cui *ἐκ παραλλήλου* dictum illud Paciani respondet: Christianus mihi nomen, Catholicus cognomen.

[2] Ibidem p. 286.

alius esse nequit, quam est ipsius ecclesiasticae societatis natura ac indoles.

Modo autem nostrum non est, singulas illius proprietates et dotes, quas compertissimas omnibus [1] sumimus, sive illustrare pluribus sive argumentis probatas asserere. Eo satius spectamus, ut quae illi conveniunt, paritate rationis de romana unitate paucis enarremus.

15. Itaque I. suo *spectato fine* ecclesiastica societas a Christo aedificata [2] ac condita societas est non voluntaria, sed necessaria tam necessitate praecepti [3] quam necessitate medii [4]. Videlicet hominibus quibus evangelium innotuerit, integrum non est, vel propositam religionem rejicere penitus vel insuper eam habere et negligere: coetus enimvero illa est ab auctore Christo ad salutem consequendam factus, ideoque omnibus necessarius. Talis ergo indolis est pariter [5] romana unitas: non est res in libera potestate sita, sed a quovis ineunda nec deserenda ab ullo, qui compertam illam habuerit. *Societas est necessaria.*

Hinc s. Cyprianus [6]: „Qui cathedram Petri, supra quam fundata est ecclesia deserit, in ecclesia esse confidit?„ Et praeclarius etiam Hieronymus [7]: „Ego nullum primum nisi Christum sequens Beatitudini tuae, i. e. cathedrae Petri, communione consocior. Super illam petram aedificatam ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Noë arca non fuerit, peribit... non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicunque tecum non colligit, spargit: hoc est, qui Christi non est, antichristi est.„ *Cyprianus.* *Hieronymus.*

16. Est porro II. Christi ecclesia *considerata origine* societas *Legalis societas est.*

---

[1] Videsis quae in I. et II. volumine de ecclesia Christi disputavimus una cum Car. Passaglia quum sodalis adhuc esset Soc. Jesu.

[2] Ephes. II. 20 sq.

[3] Math. XXVIII. 19. Joh. X. 16. Marc. XVI. 15. 19.

[4] Tanta est ecclesiae necessitas, quanta est necessitas cohaerendi cum Christo novaque vita renascendi.

[5] Hinc tanta sollicitudine commendatur unitas et vetatur scissio: I. Cor. I. 10. XI. 18. sqq. Gal. V. 20. II. Pet. II. I.

[6] De unit. eccl.

[7] Ad Damas. ep. XV. n. 2.

legalis nimirum [1] determinata legitimi superioris ac domini [2] voluntate imperioque tam quoad exsistentiam, quam quoad suum exsistendi modum. Hujusmodi igitur est romana quoque unitas; adeoque non aliter neque alibi praetendenda ea est, quam qua lege, quo pacto et modo quoque coetu definitam auctor et caput [3] ipse Christus eam praescripsit.

Cyprianus. Unde rursum [4] Cyprianus: „Quodsi una est ecclesia, quae a Christo diligitur et lavacro ejus sola purgatur: quomodo qui in ecclesia (i. e. externa communione non gaudet) non est, aut diligi a Christo, aut ablui et purgari lavacro ejus potest? Propter quod quum sola ecclesia habeat aquam vitalem et baptizandi atque abluendi homines potestatem, qui dicit apud Novatianum baptizari et sanctificari aliquem posse, prius ostendat et doceat, Novatianum in ecclesia esse, aut ecclesiae [5] praesidere. Ecclesia enim una est, quae una et intus esse et foris non potest. Si enim apud Novatianum est, apud Cornelium non fuit. Si autem apud Cornelium fuit, qui episcopo Fabiano legitima ordinatione successit, et quem praeter sacerdotii honorem [6] martyrio quoque

---

[1] Legalis societatis institutio referri potest tam ad obiectum, praefinitis normis omnibus quae ad efficiendam, conservandam propagandamque illam conducunt, quam ad subiectum, selectis designatisque iis qui pariter non ex arbitrio sed ex voluntate auctoris illam moderantur et administrant. Jamvero utroque pacto instituta a Christo ecclesia fuit legaliter. Statutus enim ab illo fuit a) aggregationis modus, baptismus: praescripta b) principalis conditio, fides: c) propositum credendi agendique obiectum, quaecunque mandavi vobis: d) institutum magisterium aeque ac tribunal authenticum, penes quod esset doctrinae integritas, leges ferendi, iudicandi puniendique summa potestas: docete — ego vobiscum sum — collatae solvendi ligandique claves — et nisi ecclesiam audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus: porro e) vocati selectique duodecim, quibus omnis inesset potestas docendi regendique ecclesiam, et a quibus porro determinata hierarchica forma continuandum iugiter ministerium in sequentes doctores atque pastores perenniter dimanaret ac propagaretur. Recolantur verba Domini Matth. XVI. 18. XVIII. 17. XXVIII. 18 sqq. coll. Marc. XVI. 15., tum aliis omissis Act. XX. 28 sqq. quaeque Apostoli in litteris pastoralibus continuo exponunt.

[2] Act. XX. 28.

[3] Eph. IV. 15.

[4] Ad Magn. ep. LXIX.

[5] Dixit se Novatianus successorem Petri: quare patet, Cypriano auctore eum in ecclesia esse, qui vel successor Petri ipse legitimus sit vel cum successore Petri communione legitima junctus sit.

[6] Sacerdotii honor, qui Petri inest successoribus. Est vero sacerdotium heic episcopatus, uti sacerdos κατ᾽ ἐξοχὴν apud Veteres est episcopus, scilicet sacerdos ordinis primi.

Dominus glorificavit, Novatianus in ecclesia non est.„ Nullibi ergo et apud neminem quaeri haberique romana unitas potest, quam in coetu cohaerente cum legitimo Petri successore. Quod doctrinae caput iterum iterumque inculcare idem S. Martyr tantae necessitatis duxit, ut ad universam plebem de eo litteras [1] dederit, in quibus praeter eximia multa haec leguntur: „Deus unus est, et Christus unus et una ecclesia, et cathedra una supra Petrum (al. supra Petram) Domini voce fundata.... Quisquis alibi collegerit, spargit. Adulterum est, impium est, sacrilegum est, quodcunque humano furore instituitur, ut dispositio divina violetur.„ Quibus ad unitatem romanam ostendendam legalem jurisque inviolabilis, requiri nihil insignius poterit.

17. Sed enimvero III. quaenam est prima ac potissima christianae ecclesiae lex, si ad ejus oeconomicam constitutionem respexeris? Non alia, quam qua formam praeferat societatis inaequalis [2] quae nullum cum democratia commercium habeat. Eo ergo romana etiam unitas pertineat necesse est. Immo vero inaequalitas illa ecclesiae vel ipso romanae ecclesiae romanaeque unitatis titulo potissimum indicatur. Eo enim significatur, voluisse Christum, ut ecclesiae suae regimen ad unum supremumque caput revocaretur, idque aliud non esset a Petro suisque in romana sede successoribus. Praeclare Gelasius [3] de Salvatoris nostri ad Petrum verbis [4] ita commentatus est: „Quare igitur ad Petrum tam frequens Domini sermo dirigitur? Num quidnam reliqui sancti et beati Apostoli non erant simili virtute succincti? Quis hoc audeat affirmare? Sed ut capite constituto schismatis tolleretur occasio et una monstraretur compago corporis Christi, quae ad unum caput gloriosissima dilectionis (oppositae schismati) societate con-

Societas est inaequalis.

Gelasius P.

---

[1] Ep. XL. al. XLIII.

[2] Eo differt ab aequali inaequalis societas, quod in illa possideantur ab omnibus eadem iura, licet idem non sit apud omnes omnium iurium exercitium; contra vero in societate inaequali non modo diversum apud diversos est exercitium iurium, verum ipsa quoque iura apud alios alia sunt atque diversa. Atqui non eadem esse in ecclesia Dei membrorum omnium iura probant omnia quibus probatur tum pastorum atque doctorum institutio, tum clericorum a laicis distinctio, tum sacra inter clericos ipsos hierarchia, tum probant solemnes imagines, similitudines ac comparationes ecclesiae cum familia, regno humanoque corpore.

[3] Ep. XIV.

[4] Apud. Matth. XVI. 18. Luc. XXII. 31 sq. Joh. XXI. 15.

currerет, et una esset ecclesia, cui fideliter crederetur.„ Hinc idem [1] docet: „Petri gubernationem principalem esse, universoque gregi in orbe terrarum debitam.„ — Et hinc alius Petri successor, *Felix P.* Felix [2] affirmat, „auctoritate Petri, qui summus est Apostolorum, petra fidei, coelestisque dispensator mysterii, omnium solidari dignitatem sacerdotum.„

Cyprianus. Atque hinc rursum Cyprianus [3]: „Hoc erant utique et caeteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio praediti et honoris et potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur, ut ecclesia una monstretur.„ In qua proinde una universalique ecclesia praesidet *Gregorius naz.* theologo ac doctore summo nazianzeno Gregorio [4] „Roma antiqua, ubi tota sancte custoditur divinae veritatis concordia.„

II. *Ecclesia romana societas est unitatis visibilis.*

18. Cum his autem nexum vinctumque IV. hoc est, quod quum Christus Dominus voluerit [5], ut sua ecclesia visibilem faciem praeferret, ejusdem quoque unitatem conspicuam velle ac facere debuerit. Haec autem quam Christus voluit ac instituit conspicua [6]

---

[1] Ep. XII.

[2] Ad Flavitam constantin. ep. XIII.

[3] De unit. eccl.

[4] De vita sua carmen XI. vv. 570 sqq. ed. Par. 1842. t. II. p. 704.

Τούτων δὲ πίστις ἡ μὲν (Roma occidentis)
ἦν ἐκ πλείονος
Καὶ νῦν ἔτ᾽ ἔστιν εὔδρομος, τὴν
ἑσπέραν
Πᾶσαν δέουσα τῷ σωτηρίῳ
λόγῳ
Καθὼς δίκαιον τὴν πρόεδρον
τῶν ὅλων,
Ὅλην σέβουσαν τὴν θεοῦ
συμφωνίαν.

[5] In re explorata non displicebit explicata nondum auctoritate uti, quam suppeditatim. Mai, apud quem in nova PP. Bib. t. V. p. 197. ita habet *Nicephorus.* s. Nicephorus pro sanctis imaginibus disputans: „Mons ergo Domini conspicuus existimandus est, ut summatim dicam, sacrae ecclesiae nobilitas, nitor atque majestas, et quae eam inaurat atque ornat hilariter admodum splendideque, evangelicarum doctrinarum puritas, dogmatumque altitudo ac sublimitas, omnia inquam humanos fines excedentia, excelsa et summa: quorum sonitus et praedicationes diserte clamant, et omnium auribus clarissime intonant, divini mysterii manifestationem facientes, aeternis temporibus silentio pressi, a sanctis demum Scripturis notificati.„

[6] Quum de ecclesiae visibilitate agitur, non quaeritur profecto, utrum

ecclesiae unitas splendet et emicat maxime, si unitas ipsa romana, qua cum illa una eademque est oculis objiciatur. Unius enim visibilis gregis pastor adest [1] conspicuus, qui toti praesideat ovili, omnesque oves in unitate contineat. Unum praesto est visibile centrum, ex quo in omnes partes radii veritatis dimanent.

19. Quod quidem diserte Cyprianus [2] docet: „Ut unitatem manifestaret (i. e. conspicuam faceret), unam cathedram constituit, et unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit: Primatus Petro datur, ut una Christi ecclesia et cathedra una monstretur.„ Quocum Augustinus [3] plane conspirat: „In ipso, inquit, Petro unitatem [4] commendavit. Multi erant Apostoli, et uni dicitur, pasce oves meas.„ Et cum utroque consentit [5] Bernardus: „Et forte, ait, praesentes ceteri condiscipuli erant, quum committens uni unitatem commendaret in uno grege et in uno pastore.„

Cyprianus. *Augustinus.* *Bernardus.*

---

visibilis sit materialiter, ut dicunt, spectatis scilicet membris e quibus conflatur, ea enim pro stadio terrestri hominibus visibilibus constituuntur: quod itaque in quaestionem adducitur hoc est, sit ecclesia necne visibilis formaliter, quatenus legaliter instituta ecclesia promissionum est. Atqui hoc sensu visibilem esse ecclesiam ostendunt, quae de iuridica eius constitutione ac continuatione ex sententia Christi, e mente Apostolorum Patrumque traditione historice, exegetice atque dogmatice constant.

[1] Joh. X. 1 sqq.

[2] De unit. eccl.

[3] Ser. XLVI. n. 13.

[4] Unitatem profecto visibilem, quae conspicuae convenit ecclesiae de qua eximie ipse Augustinus ita disserit apud Mai N. PP. Bib. t. I. p. 167. s. LXXXVI. in pasch. n. 2: „Ecce discipuli et Christum viderunt post resurrectionem, et hoc futurum fuisse Scripturas sanctas ore ipsius audierunt. Nos Christum praesentem in carne non vidimus; sed Scripturas, quibus et illi firmati sunt, cotidie cum leguntur audimus. Et quid de Scripturis dixit? Praedicari in nomine eius poenitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientes ab Hierusalem. Hoc discipuli non videbant; Christum videbant de futura ecclesia dicentem. Dicente itaque Christo quod non videbant credebant. Caput videbant, corpus nondum videbant. Nos corpus videmus, de capite credimus. Duo sunt, sponsus et sponsa, caput et corpus, Christus et ecclesia. Discipulis seipsum ostendit et ecclesiam promisit. Nobis ecclesiam ostendit, de se ipso credere praecepit. Unum videbant Apostoli, aliud non videbant. Et nos unum videmus, aliud non videmus. Quomodo illi a praesente capite credebant de corpore, sic nos de praesente corpore credamus de capite. An negaturi sumus? Sed negare nos clamans veritas ipsa non sinet. Videmus enim ecclesiam Christi a solis ortu usque ad occasum laudare nomen Domini.„ *Augustinus.*

[5] De consid. l. II. c. 8.

III. *Romana unitas est societas supernaturalis, spiritualis, salutifera.*

1. *Societas supernaturalis.* 20. Licet vero Christi ecclesia faciem gerat visibilem vitamque conspicuam explicet, spectato tamen ordine eadem est V. societas supernaturalis: nimirum est societas cujus origo, media et finis omnem praetergressa humanae naturae exigentiam Deo debentur, qui sicuti sua incitatus bonitate hominum genus ab originibus ad statum provexit indebitum, ita ejusdem lapsum Deus Trinitas [1] sua impulsus misericordia reparare omnino voluit.

2. *Societas spiritalis.* 21. Sed ita pariter spectata ecclesia est societas spiritalis [2], quatenus scilicet ad hoc facta comparataque est divinitus, ut membra sua proxime quidem ex statuta norma sanctificet, tum vero, quod illius fructus est ac corona, ad aeternam beatitatem adducat [3], atque hoc tandem pacto supremam Deo gloriam [4] afferat. Eo ergo unitas quoque romana pertinet, ut quae spiritale exsistat Christi regnum in terris universos homines ad sanctificationem, beatitudinem aeternam, aeternamque Dei gloriam coelesti lumine manifestandam provehat.

22. Ad quae illustranda nihil praeclarius dari potest, quam quod *Leo M.* oratione splendida [5] complexus est Leo cognomine magni: „Deus namque bonus et justus et omnipotens, qui misericordiam suam (en causam incitantem) humano generi numquam negavit, omnesque in commune mortales ad cognitionem sui abundantissimis semper beneficiis (en supernum ordinem) erudivit, voluntariam erran-

---

Scripturae. [1] Haec ex aliis plurimis manifesta sunt omnibus, tum ex iis patent a) quibus ecclesia perhibetur opus Christi θεανθρώπου redemptoris: Act. XX. 28. I. Pet. I. 18 sq. Apoc. I. 5 sq. V. 9 sq. coll. Is. LIII. 10. Heb. IX. 16 sq. b) quibus efficiens illius causa modo ad totam Trinitatem et modo ad singulas Trinitatis personas revocatur: Luc. IV. 18. Matth. X. 40. Joh. V. 23. Matth. IX. 38. et XVII. 5. II. Cor. III. 6. V. 18. Hebr. I. 2. Rom. XV. 8. Joh. III. 2. Marc. XVI. 15. Matth. X. 1. XXVIII. 19. Eph. IV. 11. II. Cor. V. 20. Luc. X. 16. II. Sam. XXIII. 2. II. Pet. I. 21. Ps. XLV. 8. Act. II. 1. I. Cor. XII. 4 sqq. II. Cor. III. 6.

[2] Videsis quae de spirituali Christi regno disputantur ab interpretibus in commentariis ad Joh. XVIII. XIX.

[3] Huc faciunt Marc. XVI. 16. Joh. VIII. 51. X. 9 sq. Act. XVI. 18. I. Cor. III. 15. Act. XI. 14. I. Tim. IV. 16. Eph. IV. 12 sq. I. Cor. I. 21. XV. 1 sq.

[4] Joh. XVII. 4. II. Cor. III. 9. Act. IX. 15. I. Cor. XV. 26 sqq. coll. Deut. XXVI. 19.

[5] Ser. 82. (al. 80.) in nat. apost. Petri et Pauli cc. 2 sq.

tium caecitatem et proclivem in deteriora nequitiam secretiori consilio et altiore pietate (en ordinem reparationis) miseratus est, mittendo Verbum suum aequale sibi atque coaeternum (en redemptorem θεάνθρωπον). Quod caro factum ita divinam naturam naturae univit humanae, ut illius ad infima inclinatio, nostra fieret ad summa provectio (en supernaturalem humanitatis redemptae finem). Ut autem hujus inenarrabilis gratiae per totum mundum diffunderetur effectus (en universalis salutis oeconomiam), romanum regnum divina providentia praeparavit (en providentiam Dei disponentem omnia suaviter), cujus ad eos limites incrementa perducta sunt, quibus cunctarum undique gentium vicina et contigua (al. continua) esset universitas (en societatem καθολικήν). Disposito namque divinitus operi maxime congruebat, ut multa regna uno confoederarentur imperio, et cito pervios haberet populos praedicatio generalis (al. regenerationis), quos unius teneret regimen civitatis (en romanam unitatem). Haec autem civitas ignorans suae provectionis auctorem, quum pene omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus, et magnam sibi videbatur suscepisse religionem, quia nullam respuerat falsitatem. Unde quantum erat per diabolum tenacius illigata, tantum per Christum est mirabilius (en divinae gloriae partem) absoluta. Nam [1] quum duodecim Apostoli accepta per Spiritum s. omnium loquutione linguarum, imbuendum evangelio mundum distributis sibi terrarum partibus suscepissent, beatissimus Petrus princeps apostolici ordinis ad arcem romani destinatur (en divinum providentiae ordinem cum Petro romanaque ecclesia) imperii, ut lux veritatis, quae in omnium gentium revelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet (en romanae cathedrae praerogativam). Cujus autem nationis homines in hac tunc urbe [2] non essent? aut quae usquam gentes ignorarent quod Roma didicisset? Hic conculcandae philosophiae opiniones, hic dissolvendae erant terrenae sapientiae vanitates, hic confutandus daemonum cultus, hic omnium sacrificiorum (al. sacrilegiorum) impietas destruenda, ubi diligentissima superstitione habebatur quidquid usquam fuerat variis erroribus institutum. Ad hanc [3] ergo urbem,

---

[1] Ita ibid. c. 3.

[2] Huc spectat Dölling. opusc. recentissimo: Die Kirche und die Kirchen I. p. 2.

[3] Ibid. c. 4.

ita Apostolorum principem compellat, beatissime Petre Apostole venire non metuis? Enimvero factum inde est, „ut [1] Roma gens sancta, populus electus, civitas sacerdotalis et regia, per sacram beati Petri sedem caput orbis effecta latius praesideret religione divina, quam dominatione terrena.„

3. *Societas salutis.* 22. Scilicet in romana unitate, cui praeest Christi vicarius, sita vis est ecclesiae catholicae, in ea obtinetur vita, ob quam hominibus afferendam Christus ipse [2] venisse se affirmat: in illa obtinetur salus, quam credentibus [3] idem Salvator promisit perque Apostolos universis gentibus annuntiare fecit: atque in eadem omnia praebentur, quae redemptor [4] ad membra suae ecclesiae sanctificanda *Augustinus.* instituit. Hinc ipsa „utique, ut Augustini [5] paraeneticis verbis utamur, gestatorium vel ferculum apud Salomonem [6] dicatur, pro eo quod animas hominum ad aeterni regis gestet vel ferat convivium. Congruenter igitur sportae nomine etiam potest vocari, quae a portando, sicut etiam exportando, vocabulum trahit; quia videlicet sancta ecclesia per sacrae praedicationis studium, per bonorum quotidie exempla virorum, animas fidelium de mundi ereptas iniquitate ad mansura semper coelestis patriae gaudia portare consuevit; quo etiam et nos ferri mereamur! praestante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia saecula saeculorum. Amen.„

IV. *Romana visibilis unitas sociali fide caritateque continetur.*

Actus sociales. 23. Communi societatis fini, qui omnibus atque singulis ejus membris necessario [7] propositus est, VI. respondeat oportet huma-

---

[1] Ib. c. 1.

[2] Joh. X. 10.

[3] Marc. XVI. 16. Hebr. V. 9. Act. IV. 12. Rom. X. 13 sqq. I Tim. IV. 13 sqq.

[4] Matth. XXVIII. 28 sqq.

[5] Ser. CLXIII. n. 6. ap. Mai N. PP. Bib. t. I. p. 367.

[6] Cant. III. 9.

Honestus societatis finis. [7] Societati namque cuivis intrinsecum habetur, ut communis sit civium sociorumve finis. Is vero sicuti honestus sit oportet, ita nullatenus ab omnibus est eadem ratione procurandus. Et quod ad illud spectat, ipso actu quo societas initur, obligatio ad communem finem procurandum contrahitur. Atqui absurda est obligatio ad illud procurandum quod inhonestum est. Unde dig. c. 57. „Pro socio“ dicitur: „Si maleficii societas coita sit, constat nul-

norum communitas actuum, qui propter finem illum eliciuntur, quosque adeo sociales nuncupaveris. His enim sicuti communes societatis obtinentur fines, ita actibus iisdem socii ac cives et constituuntur et distinguuntur tamquam vera ejusdem societatis membra. Sed indubitatum est, societatem ecclesiasticam [1] a suis postulare membris praeter eamdem atque communem omnibus initiationem ac regenerationem baptismi, eamdem communem fidem eamdemque communem caritatem, sed utramque socialem, objectivam nimirum et publicam [2]. Hinc in ecclesia Dei communis fidei, actionis communionisque lex eo pertinens, ut christianae societatis mysticique corporis membra [3] communi vita arctissimaque unitate devinciantur. Atqui non alia est romanae unitatis species ac forma: immo vero in romana apprime unitate et lex illa maxime emicat illaque vita singulariter splendet. *Socialis fides et caritas.*

24. „Ad hanc enim ecclesiam, ita Irenaeus [4], propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea quae est ab Apostolis traditio.„ Est ergo romana cathedra totius ecclesiasticae societatis centrum, et ejus fides est fidei socialis regula ac paradigma. Unde pergit Ire- *Irenaeus.*

---

lam esse societatem. Generaliter enim traditur, rerum inhonestarum nullam esse societatem.„ Quod vero ad hoc attinet, falso aliquis crederet, idem esse communem proponi finem, et eadem illum ratione ab omnibus esse procurandum. Communis est finis societatis coniugalis, communis finis societatis familiaris, et communis finis societatis civilis; neque idcirco tamen ad eius assequutionem eiusdem naturae actibus membra harum societatum connituntur; quemadmodum communis est finis partium omnium corporis animalium eorumdem incolumitas, quin tamen propterea idem actus partibus membrisve omnibus attribuatur.

[1] De his cf. quae disputata fuerunt laudato C. Pass. comment. de ecclesia Christ. vol. II. l. III. c. 35.

[2] Haec non eo pertinent, ut fidem caritatemque internam excludamus, sed potius ut externam utriusque manifestationem tamquam characterem asseramus, quo visibilis ecclesiae membrum conspicue constituatur ac dignoscatur.

[3] Recepta est apud Patres omnes doctrina, quam Tertullianus de praescriptt. c. XX. his omnino verbis complexus est: „Itaque tot et tantae ecclesiae una est illa ab Apostolis prima ex qua omnes. Sic omnes primae et omnes apostolicae, dum unam omnes probant unitatem, dum est illis communicatio pacis et appellatio fraternitatis et contesseratio hospitalitatis, quae jura non alia ratio regit, quam ejusdem sacramenti una traditio.„ *Tertullianus.*

[4] Con. haer. l. III. c. 3.

naeus [1]: „Hac ordinatione et successione ea quae est ab Apostolis in ecclesia traditio et veritatis praeconatio pervenit usque ad nos. Et est plenissima haec ostensio, unam et eamdem vivificatricem fidem esse, quae in ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conservata et tradita in veritate.„ Hac igitur fide, prout interna est, vita ac salus singulorum ecclesiae membrorum obtinetur ac promovetur; eademque fide quatenus externa et socialis est, ecclesiae ostenditur unitas simul ac universalis eiusdem diffusio. Quod egregie rursum Irenaeus [2] edisserit: „Hanc praedicationem, ait, quum acceperit, et hanc fidem quemadmodum praediximus, ecclesia et quidem in universum mundum disseminata, diligenter custodit quasi unam domum inhabitans, et similiter credit iis, videlicet quasi unam animam habens et unum cor, et consonanter haec praedicat et docet et tradit, quasi unum possidens os.„

V. *Romana unitas ipsa est ἐν ἀτόμῳ vera Christi ecclesia.*

Infertur. 25. Ex hac jamvero romanae unitatis [3] indole ac specie, quam ex collatione cum explorata facie ecclesiae Christi descriptam oculis objecimus, non pauca neque levissimi momenti sunt quae consequuntur. Et illud inprimis obvium, romanam unitatem non utcunque converti ac promiscue accipi cum ecclesia Christi, sed illam prae hac, quae universalis est concretam esse ac prope personalem appellationem et rem, quae adeo signanter expresseque denotat et in qua carnem prope habent et ossa, quaecunque de vera Christi ecclesia praedicari solent. Verum juverit alia nonnulla inde pendentia hisce corollariis complecti.

Cyprianus. 26. Corollarium I. Quum ex superius probatis in sola romana unitate ecclesiae veritas collocata fuerit, consequitur tantam illius necessitatem esse, quanta est necessitas verae ecclesiae: hanc porro romanae unitatis necessitatem a pluribus Patribus

---

[1] Ibid. n. 3.

[2] Ib. l. I. c. 10. n. 2. *Τοῦτο τὸ κήρυγμα παρειληφυῖα καὶ ταύτην τὴν πίστιν, ὡς προέφαμεν, ἡ ἐκκλησία, καίπερ ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ διεσπαρμένη, ἐπιμελῶς φυλάσσει ὡς ἕνα οἶκον οἰκοῦσα καὶ ὁμοίως πιστεύει τούτοις, ὡς μίαν ψυχὴν καὶ τὴν αὐτὴν ἔχουσα καρδίαν, καὶ συμφώνως ταῦτα κηρύσσει καὶ διδάσκει καὶ παραδίδωσιν, ὡς ἓν στόμα κεκτημένη.*

[3] Duo addi insuper deberent, quod nimirum societas romana est ex sese et perfecta et independens: quum vero utrumque caput diserte iis adstruatur, quae disputando prosequemur continuo, praetermitti nunc merito poterant.

diserte adstructam vidimus, adeoque vi canonis interpretationis harmonicae colligitur, de ipsa nominatim romana unitate intelligenda esse sive quae alii de necessaria salutis societate scripserunt, sive quae Cyprianus [1] generatim de vera Christi ecclesia praedicavit: „Illius foetu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu ejus animamur. Adulterari non potest sponsa [2] Christi, incorrupta est et pudica. Unam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit. Haec nos Deo servat, haec filios regno quos generavit assignat. Quisquis ab ecclesia segregatus adulterae jungitur, a promissis ecclesiae separatur. Nec perveniet ad Christi praemia, qui relinquit ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est. Habere jam non potest Deum patrem, qui ecclesiam non habet matrem. Si potuit evadere quisquam, qui extra arcam Noë fuit, et qui extra ecclesiam foris fuerit evadit?„

VI. *Orientalium consensio et dissidium.*

27. Corollarium II. De hac salutis societate disserit etiam Macarius, vinnicensis Russiae episcopus, theologiae dogmat. t. II. §. 170. pp. 241 sq. Vers. gall. Paris. 1860, ubi probata ex Act. IV. 12. Joh. III. 36. necessitate fidei, ut quis consequatur salutem, concludit, „veram Christi deque Christo doctrinam nonnisi in ecclesia et per ecclesiam conservari et praedicari, sine qua re veram fidem ne exsistere quidem posse doctore Paulo Rom. X. 17.„ Egregie: sed quum plures religiosae societates titulum ecclesiae sibi vindicent, et inter eas alia dicatur romana et alia semet orthodoxam appellet: quaenam ea est ecclesia, in qua et per quam vera doctrina Christi deque Christo conservata iugiter praedicataque integra fuit? Si orthodoxorum Patrum auctoritati standum sit, non aliam illam esse iudicabimus, quam quae romanae appellatione semper excelluit romanaque quam diximus unitate absolvitur. *Macarius vinnicensis.*

VII. *Romana unitas est societas iuris positivi.*

28. Corollarium III. Ex quo romana unitas legalis est infertur, non esse jus naturae perscrutandum, sed investigandam *Societas iuris positivi.*

---

[1] De unit. eccles.

[2] Ita a s. Bernardo ep. 191. ad Innocent. pontif. romana unitas nuncupatur: „Tibi, inquit, commissa est sponsa Christi, amice sponsi. Tuum est, eamdem uni viro virginem castam exhibere Christo.„

voluntatem Christi, ut de natura ecclesiae ejusque indole, forma et proprietatibus iustum iudicium feratur.

VIII. *Romana unitas est societas iuris naturalis hypothetici.*

1. *Habitus iuris naturalis ad ius ecclesiasticum.*

29. Scholion. Non propterea tamen jus naturae ab jurisprudentia ecclesiastica penitus ablegandum, immo eodem et peropportune utendum censemus. Quod ut intelligatur, explicari paucis debet discrimen inter jus naturae absolutum et hypotheticum [1].

2. *Jus naturae absolutum.*

Duplex itaque in ordine ethico et juris objectorum genus distinguitur, quorum alterum ea complectitur, quae intrinsecus honesta vel inhonesta sunt, seu quae honestatis vel inhonestatis naturam nullo licet supposito hominum facto et induunt et retinent.

3. *Jus naturae hypotheticum.*

30. Alterum ea suo ambitu comprehendit, quae nonnisi supposita libera aliqua determinatione honesta vel inhonesta censeri possunt. Integrum ex rei natura tibi est tua retinere illisque pro arbitrio uti. At si libere paupertatem voveris, utrumque ex hypothesi inhonestum fit, atque ipso jure naturae vetitum. Rursum, servitus jure naturae non inducitur. Sed fac legitimo aliquo titulo inductam illam esse, continuo jure naturae certa quaedam officia heris atque servis praescribuntur. Tandem provincias ac regna certis subdi dominiis, jus naturae neque vetuit neque praescripsit: verum enim vero semel illis legitime possessis, jure naturae retinentur atque servantur.

Juris reductio.

31. Quae prioris sunt generis ad jus naturae absolutum, quae posterioris ad jus naturae hypotheticum referuntur. Videlicet jus naturae non de iis tantum disponit, quae citra liberam determinationem exsistunt; sed de iis etiam, quae liberae determinationis actum consequuntur, et quae propterea directe ex jure naturae non fluunt, sed reductive, ut ajunt, atque ex hypothesi sive suppositione juris naturalis esse censentur.

4. *Ecclesia non est iuris absoluti positive.*

32. Jamvero ecclesiastica societas neque suam debet originem juri naturae, neque in se spectata jure naturae praecipitur. Est enim societas positivae institutionis, atque praeter omnem juris naturae

---

[1] De qua partitione agunt pluribus Hugo Grotius de jure belli et pacis l. I. cap. I. §. 10. n. 4. tum auctor anonymus principiorum juris publici ecclesiastici catholicorum ad statum Germaniae accommodatorum cap. XVII. §. V. coll. Suares. de legib. l. III. c. 4. n. 6. c. 12. nn. 13 sqq.

exigentiam. Non continetur ergo eo objectorum genere, quae ad jus naturae absolutum pertinent. Sed vis nulla, nulla facultas se ultra limites exserit proprii objecti. Ergo ex absoluto jure naturae nulla peti potest saltem positiva determinatio et praescriptio, quae societatem ecclesiasticam attingat.

33. Dixi nullam peti posse saltem positivam determinationem: etenim negative absoluto jure naturali praescribitur, societatem ecclesiasticam neque ejusmodi esse posse (si forte sit), quae fini assequendo sit impar, neque iis qualitatibus instructam, quae certis compertisque hominum juribus atque officiis adversentur. Itaque in quaestione de societate ecclesiastica usus juris naturalis absoluti est negativus. 5. *Societas iuris naturalis absoluti negative.*

34. Sed aliter omnino de usu juris naturalis hypothetici censeri debet. Fac enim certo constet, et libera supremi Domini voluntate societatem ecclesiasticam esse institutam, atque ita esse institutam, ut simul ab eodem suam formam acceperit, qua fiat, ut ea sit societas inaequalis, imperio praedita, a civili independens, atque in suo genere perfecta, et numeris omnibus absoluta: hoc facto semel admisso, plura illico sibi vindicat jus naturae hypotheticum. 6. *Usus iuris naturalis hypothetici.*

35. Eo videlicet praescribitur omnibus, ut huic societati[1] nomen adjungant: eo praescribitur ut relatio superioritatis et obedientiae sarta tecta custodiatur: eo praescribitur, ne quis legitimos impediat actus magistratuum ecclesiasticorum: atque ne singula recenseam, eo praescribitur, ut jura omnia sive immanentia sive transeuntia, quae societatis perfectae ac independentis naturam comitantur, ecclesiasticae societati pro sua natura atque indole tribuantur. Eximius est ergo usus juris naturalis hypothetici in quaestionibus de ecclesiastica societate, cujus institutione factum est, ut illius ambitus maxima accessione amplificaretur. Quanti vero momenti sit hoc animadvertisse, uno id digito indicasse iuverit. Videlicet ubi regnum Christi, ecclesia catholica, romana unitas obtinet, dominatur ac viget, ibi legibus eius infractis violatisque eiusdem iuribus, infringitur violaturque norma iuris divina, norma iuris ecclesiastica, sed et norma iuris naturalis, et qua- 7. *Officia inde sequentia.*

---

[1] Ita etiam statuit laudatus plus semel doctus vir Macarius, vinnicensis episcopus, theol. dogm. t. II. §. 168. p. 228. *Macarius vinnicensis.*

tenus illa civitatis conditione gaudebat, norma iuris humana. Atqui normae iuris cuique sua respondet ratio officii, custodiendi illa atque tuendi. Apparet ergo quantis nominibus ac titulis eiusmodi officia apud eos quibus incumbunt urgeantur. Tum apparet, licet inter iuris officiique titulos exsistant quandoque mutabiles, inter recensitos tamen titulos qui ad ecclesiam spectant, immutabiles ex sese esse semperque urgentes, qualis et is est quem e iure naturae deprompsimus. Atque hinc tandem apparet, iuribus illis officiisque resisti non posse, quin rationali ipsi naturae insitisque eidem iuris principiis repugnetur.

IX. *Romana unitas aliena est a democratia.*

Infertur. 36. Corollarium IV. Ex inaequalitate, quam romana societas sua natura dicit necessario infertur I. vim, praesidium tutelamque ejus commissam non esse communi fidelium coetui sive christianae *δημοκρατίᾳ*, quum credentium populus inferior obnoxiusque exsistat. *Distinctio classium.* Sane Christum noluisse ut sua ecclesia *δημοκρατικῶς* regeretur, omnia probant: verba institutionis, oracula gestaque Apostolorum, disertae Patrum sententiae, atque universa christiani nominis historia. *Eusebius.* Ad rem Eusebius [1]: „Tres in unaquaque ecclesia ordines, primus quidem praepositorum, duo vero eorum qui in Christi ecclesia obnoxii sunt in duos rursum ordines diribentur, in eum scilicet qui fidelium est, et in eorum qui nondum lavacro regenerationis dignati fuerunt.„ Et [2] idem: „Civitas terrae vocabitur una civitas. Ipsa quippe sola in universa terra Deo civitas constituitur, ita ut [3] de illa dicatur, Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. Quinque autem civitates in ecclesia fuerint diversae instituti et officii ratione: quinque enim ordines distinctos

---

[1] Demonstrat. ev. l. VII. c. 1. *Τρία καθ' ἑκάστην ἐκκλησίαν τάγματα, ἓν μὲν τὸ τῶν ἡγουμένων, δύο δὲ τὰ τῶν ὑποβεβηκότων, τοῦ τῆς ἐκκλησίας τοῦ Χριστοῦ λαοῦ εἰς δύο τάγματα διῃρημένου, εἴς τε τὸ μὲν πιστῶν καὶ τῶν μηδέπω τῆς διὰ λουτροῦ παλλιγγενεσίας ἠξιωμένων.*

[2] In Is. XIX. 18. *Πόλις τῆς γῆς κληθήσεται ἡ μία πόλις. Αὕτη γὰρ μόνη καθ' ὅλης γῆς ἵδρυται τῷ θεῷ πόλις, ὡς ἐρεῖσθαι περὶ αὐτῆς, Δεδοξασμένα ἐλαλήθη περὶ σοῦ, ἡ πόλις τοῦ θεοῦ. Πέντε δὲ πόλεις ἐν ἐκκλησίᾳ εἶεν ἂν αἱ διάφοροι πολιτεῖαι. Πέντε δὲ τάγματα διῃρημένα, ἤγουν τρεῖς ἀριθμήσεις, τὸ πρῶτον τῶν προέδρων τάγμα, καὶ τὸ δεύτερον τῶν πρεσβυτέρων, τό τε τῶν διακόνων τὸ τρίτον, καὶ τῶν ἐν Χριστῷ πεφωτισμένων τέταρτον, καὶ ἐπὶ τούτοις τῶν ἐν εἰσαγωγῇ τυγχανόντων.*

[3] Ps. LXXXVI. 3.

vel etiam tres numerari: primus est praesidum ordo, secundus presbyterorum, diaconorum tertius, quartus illuminatorum in Christo, postremus eorum, qui [1] initiantur." Atque hisce aequalis omnium conditio eademque in omnibus iurium officiorumque ratio penitus excluditur. Infertur II. romano Pontificis regimini imperioque resisti non posse, quin Christi corpus dilaceretur ejusque ovile dispergatur.

X. *Romana unitas a potestate civili neque regitur neque avellitur.*

37. Corollarium V. Propterea quod romana unitas indolem praefert societatis supernaturalis, jure quidem I. colligitur, rerum publicarum moderatores, quorum potestas naturae ambitu circumscripta ad naturalem finem ordinatur, ea instructos facultate auctoritateque censeri non posse, quae catholicae eidemque romanae unitati efformandae moderandaeque par sit. Quae quidem potestas et auctoritas quum catholica loco et tempore esse debeat, quemadmodum romanae unitatis praesidibus collata divinitus est [2], ita imperiorum civilium principibus inesse eo vel minus potest, quod illorum dominium varium adstrictumque limitibus sit; unde non tam consequeretur unitas universalis ac constans, quam generalis quaedam scissio atque divisio secundum illud [3] „cujus est regio ejusdem et religio."

Infertur.

Rerum natura.

38. Nullatenus vero inde II. consequitur, exulare excludique ab illa, romana inquam unitate, oportere quaecunque ad naturalem hominum societatem faciunt: quemadmodum ex eo quod Deus institutum voluerit ordinem supernaturalem nemo qui sapit concludet, naturae ordinem penitus sive everti sive in se et *οὐσιωδῶς* immutari; quando e contrario hic ab illo et supponatur primum et porro juvetur, provehatur [4] multoque nobilius perficiatur. Quum

Societas sacra exigit naturalem.

Suares.

---

[1] De postrema classe cf. Car. Pass. de eccles. Christ. l. III. c. 39.

[2] Qua de re egregius theologus Martinus Becanus singularia scripsit opp. vol. III. quibus primatum regis Angliae confutavit, coll. Suares. de legib. l. III. c. 4.

[3] Hoc invaluit axiomatis instar apud reformatores, qui imperium non minus quam inconsutilem Christi vestem in partes distraxere: de quibus luculentissime Döllinger in op. Die Kirche und die Kirchen p. 52 sqq.

[4] Ad rem Suares. de legib. l. III. c. 6. n. 9. „Est ergo summa rationis quod finis civilium legum per se bonus est, et christianis etiam necessarius; ergo etiam leges quae ad illum ordinantur, et magistratus a quibus condi possunt, sunt in ecclesia necessarii. Item hic ordo naturalis est, et gratia

igitur naturalis quoque hominum societas sine religione ejusque cultu [1] neque possit neque exsistere debeat: haec ipsa societatis humanae facies per divinam illam institutionem religiosam immensum provehitur [2], exaltatur, superneque absolvitur. Scilicet quo pacto generatim supernaturalis ordo se habet ad naturalem, quemque in modum ille excipiendus ab isto est; ita speciatim humana societas qua naturaliter religiosa est ad supernam, catholicam eamque romanam religionem unitatemque referatur seseque habeat oportet: adeoque non avulsionis sed copulationis habitus inter utramque intercedat necesse est: qui vero humanam societatem ab ecclesiastica avellere ac separare conantur, ii in ordine sociali idem agere satagunt, quod in ordine theoretico et practico ab illis contenditur, qui a ratione atque natura superrationalia ac supernaturalia excludunt.

XI. *Humana societas iure naturae absoluto religiosa, hypothetico catholico-romana.*

Religionis publicae necessitas.

39. Parergon. Jure sane naturae uti singuli homines, ita hominum societas ad exhibendam Deo religionem publicam obstringitur. Certis argumentis utrumque ab illis conficitur, qui officia juris naturalis [3] enarrant atque demonstrant. Nos de obligatione,

---

non destruit naturam, sed perficit, et Christus non prohibuit hunc modum regiminis; ubi enim est prohibitio? Tandem sine potestate temporali et civili non posset spiritalis ordo et regimen protegi vel conservari, ut ipsa experientia docet: unde egregie dixit Nazianzenus dicta orat. 17. Submittamus nos tum Deo tum aliis tum iis qui imperium in terra gerunt: Deo quidem omnibus de causis, alii autem aliis propter caritatis foedus, principibus denique propter ordinem publicaeque disciplinae rationem.„

[1] De quo in scholio sequenti.

[2] Huc etiam spectat cl. Manning vir doctrina aeque ac pietate insignis in opusc. de antichristo praelect. III. p. 58 sqq. tum Hetting. or. acad. de organism. disciplinar. universit.

[3] Cf. iuris naturae et gentium principia et officia . . explicata doct. exim. Francisco Suarez S. J. digessit notisque perpetuis illustravit Joh. Bapt. Guarini S. J. coll. Becan. opusc. VI. duell. de primat. reg. c. 2. Suares. de relig. tr. I. et de legib. l. III. c. 12. n. 9. de potestate legislativa societatis naturalis itidemque civilis ita habet: „De rebus pertinentibus ad Deum curam habuerunt leges civiles ductu naturae, quia observantiam religionis putarunt semper ad incolumitatem reipublicae maxime pertinere: unde opinor in statu purae naturae, si in illo esset res publica verum Deum naturaliter colens, potuisse leges civiles prohibere et punire docentes cultum falsorum Deorum, aut falsas opiniones de Deo et similia.

cui singuli obnoxii sunt, utpote compertissima, plene silebimus; at perpauca dabimus, quae obligationem totius societatis, quatenus societas est, patefaciant.

Igitur persuaderi a. haec obligatio ex eo potest, quod ex historiae monumentis sit exploratissimum, nullam adhuc exstitisse hominum societatem, quae religionem non publice coluerit, atque colendam a se esse non existimarit. *Historia.*

Nec b. immerito: quandoquidem si collata divinitus beneficia, si singularis providentia, si perennis a divino nutu dependentia exigunt, ut singuli quique religionis officia expleant; ea quoque expleri ab integra societate, cuiuscumque formae regimen eius fuerit necesse est, quippe quae hisce omnibus cum Deo relationibus ac prope nexibus devinciatur. *Officii tituli.*

Praeterea c. fallit neminem, ad ea praestanda societatem teneri, quae si desint, ut ipsa pariter dilabatur, nessario continget. Atqui hujusmodi est religio.

Rursum d. ad ea obstringitur societas, quae hominum natura, quibus ipsa coalescit, efflagitat ac nativo sibi vindicat jure. Sed ii sunt homines, qui neque possint neque debeant non erumpere in publicos actus, quibus suam in Deum religionem faciant testatissimam.

Ad haec e. nequit societas vinculum illud abrumpere, quo ejus membra potissimum continentur, et quo ad exsequenda mutua officia [1] permoventur efficacius. Porro hoc vinculum est ipsa publica religionis professio. *Suares.*

---

[1] Nisi adsint frena et incitamenta interna quae homines contineant, eosque ut plurimum saltem ad sua praestanda officia impellant, solis adhibitis mediis externis diu certe hominum societas regi nequit. Huius rei probationem rerum praebent naturae, testem dat historia, suffragatorem non spernendum habeo Suarem de legibus l. III. c. 12. n. 5: „Quod autem politici dicunt, non posse rempublicam temporalem vel regnum temporale conservari, si in omnibus regulam honestatis aut divinae legis sequatur, omnino falsum est; nam si loquamur de honestate naturali, potius illa necessaria est ad pacem et felicitatem politicam reipublicae humanae, ut etiam ipsa iura civilia fatentur, quae statim referemus. Si vero sit sermo de integritate fidei et religionis, ipsa experientia constat, nulla re melius conservari regna, etiam in temporali felicitate, quam obedientia et conservatione catholicae fidei ac religionis, de quo argumento videri possunt quae copiose scribit Bozius de signis eccles. praecipue ll. 11. et 19. Bellarm. l. IV. de

Insuper f. sedulam omnino operam navare societas debet, ne in membris, quibus constat, haec creetur persuasio, ab ea illud abesse, quo despoticum regimen [1] validius impeditur. Sed publica religionis professione neglecta, non possent cives non descendere in istam opinionem; quandoquidem bene noverint, supremos imperantes semper atque efficaciter una contineri posse religione, ne potestate, qua ad aedificationem pollent ad destructionem abutantur.

Subditorum fides — obedientia — iuramentum.

Tandem g. nequit non vehementissime improbari, quod iis se privet societas, quibus et de subditorum fide firmius redditur certa, et quibus in periculosissimis rei publicae adjunctis animi subditorum erigi dumtaxat confirmarique unice possunt. Ita vero sese gereret societas, quae publicam religionem insuper haberet. Nam et medium, quo certa firmius redditur de subditorum fide, est publicum jusjurandum: et eae quandoque ingruunt in rempublicam tempestates, quibus ne obruantur subditi, unica efficit religio. Animo reputetur romanae reipublicae conditio post cannense excidium: recolatur Senacherib obsidio: recogitetur Holofernis oppugnatio.

---

not. eccl. cc. 17. et 18. et Petr. Ribadeneira l. I. de princ. christ. cc. 13 sq. et fere per totum illud opus prudenter satis ac erudite.„

[1] Hinc videri mirum posset, nisi fraus esset aperta, ab illis hominibus prope furiosorum instar oppugnari vehementius religiosam societatis humanae professionem, qui pariter reges ac principes despotismi accusant. Sed enimvero id propterea, quod norunt tamdiu in tuto esse imperium regis, quousque in hominum societate viget religio unitatis romanae. Egregia sunt quae ad rem Thomas Morus observavit in responsione ad Lutherum c. 10: „Cui sedi (romanae), ut obedienter, inquit, obtemperem, quum illa movent omnia, quae docti sanctique in eam rem collegerunt, tum illud profecto non movet minime, quod toties sumus experti, non modo neminem inimicum fuisse christianae fidei, qui non illi sedi bellum simul indixerit, sed etiam neminem umquam exstitisse, qui se professus sit eius sedis inimicum, quin idem paulo post se declaraverit insigniter Christi et religionis nostrae capitaliter hostem et proditorem esse. Valde me movet et illud, quod si ad istum modum hominum vitia imputentur officiis... omnis magistratus corruet, et erit populus absque rectore, sine lege et ordine. Quae res si aliquando contingat, id quod aliquot Germaniae locis videtur imminere, tum demum magno cum damno sentient, quanto magis intersit mortalium, vel malos habere rectores quam nullos.„

Thom. Morus.

XII. *Officia potestatis civilis erga romanam unitatem, mutuus utriusque societatis habitus.*

40. Corollarium VI. Hinc colligimus I. sicuti jure naturae, quod hypotheticum diximus, singuli quique tenentur, romanae unitati sibi compertae nomen dare datamque fidem servare; ita eodem jure hominum societates pro facultate ac viribus tenentur, illius religionem cultumque profiteri receptumque [1] custodire. *1. Respublica christiano-romana.*

Rursum II. colligimus, quo officio principes satagere tenentur, ut religio [2] adversus Deum in societate custodiatur atque integre *2. Officium christiani principis.*

[1] Idque ex iis omnibus nominibus et titulis, quos superiori scholio adduximus: qui quidem valent pro societate cujusvis formae; romana namque unitas sicut violentas injustasque obtinentis formae immutationes probare nequit: ita cum quavis ceteroquin forma conciliatur: cf. Suares. de legib. III. c. 1 sqq.

[2] Sed nemo inde deducat principum in religioso negotio potestatem: quod enim inde sequitur, hoc unum est, principi quoque commissam curam religionis. Sed quae? Nimirum eatenus principi religionis cura cordi sit, quatenus absque religione civilis societatis finis, qui praesenti felicitate proxime continetur, obtineri nullatenus potest. Ergo illius jura ad ea omnia et sola religionis officia jubenda extenduntur, quae praetermitti absque discrimine socialis felicitatis non possunt. Porro ita jura illa extenduntur eo usque, ut haec officia vere proprieque civili auctoritate juberi intelligantur, non prout homines caros Deo reddunt, sed prout necessaria sunt civibus, ne ipsius civitatis finis pessum eat. Scite b. Thomas (1. 2. q. 99. art. 3.): „Lex divina principaliter instituitur ad ordinandum homines ad Deum; lex autem humana principaliter ad ordinandum homines ad invicem: et ideo leges humanae non curaverunt aliquid instituere de cultu divino, nisi in ordine ad bonum commune hominum.„ Hinc si de publico religionis exercitio totius societatis agitur, quis infitias iret, posse et vero etiam debere principi illius administrationem cordi esse? Istud equidem evincunt, quae nuper in medium protulimus. Duo nihilominus sunt non indigna notatu, quorum alterum est: jure quidem naturae praescribi religionis exercitium ab ipsa societate praestandum, at minime praescribi, quinam debeat religioni praeesse. Unde Suares in opere inscripto: Defensio fidei catholicae contra anglicanae sectae errores, lib. III. cap. 9. docet, ante legem Moysis nonnisi jure gentium vel moribus populorum factum fuisse, ut cura sacrorum principibus crederetur. *Quousque pateat.* *S. Thomas.* *Suares.*

Alterum vero est, quod princeps si consideretur tantum ut civili praeditus auctoritate, atque ex ea agens, non versetur circa sacra, quatenus sacra sunt, et ad assequutionem supremae beatitatis ordinantur, sed quatenus media sunt ad civilem societatis felicitatem tuendam promovendamque necessaria. „Nam, ait Suares (De legibus lib. III. cap. 11. n. 6.), finis proximus et objectum cujusvis potestatis proportionantur inter se et fini ultimo ejusdem potestatis; sed potestas civilis non habet pro fine ultimo felicitatem vitae futurae; ergo non versatur circa sacra, quatenus ad hanc felicitatem capessendam diriguntur.„

exerceatur: eodem illos ὑποθετικῶς adstringi ut in sua cui praesunt societate romanae unitatis jura serventur. Tenentur porro arctissimo [1] eoque etiam naturali.

Martinus Becanus. 41. Nihil desiderari ad rem illustrius poterit, quam quod [2] Martinus Becanus respondet ad quaestionem: „Quod sit ergo officium regis circa ecclesiam?„ Detracta regibus et principibus saecularibus jurisdictione exteriori in ecclesiam pergit: „An igitur regibus in regimine ecclesiastico nihil reliquum est? An plane ab hac cura exclusi et immunes sunt? Dicam paucis, quod res est: et dabo Caesari quae Caesaris sunt, Deo quae Dei. Ac **primum** illud statuendum est contra politicos, reges et principes christianos non ita debere sua regna ac provincias administrare, ut omnem religionis et ecclesiae curam abjiciant, tanquam nihil ad se pertinentem, et usurpent illud donatistarum: Quid imperatori cum ecclesia? quod tantopere reprehendit Augustinus l. II. c. litt. Petil. c. 92. *Augustinus.* Hoc enim et sacris litteris et bonorum regum exemplis, et rationi ipsi contrarium est. Laudantur in sacris litteris David, Ezechias, Josaphat, Asa et Josias, quod cultum ac religionem Dei vel promoverint vel restauraverint. Eorum exemplum in novo Testamento imitati sunt Constantinus M., Theodosius, Honorius, Carolus M., Ludovicus et alii. Contra vero non solum reprehensi, sed etiam puniti sunt, qui religionem et fidem contempserunt, ut Jeroboam, Achab, Achaz, Amon. Et ratio est, quia reges qui in sublimi potestate positi sunt, sicut ipsi ab inferioribus jure honorantur; sic Deum ipsum, a quo potestatem consequuti sunt, et cui jure naturae [3]

---

[1] Cf. Suares. de legib. l. III. c. 11. n. 11. c. 12. n. 5. 9. Becan. vol. III. duell. de primatu regio opusc. VI. l. 3. c. 8. de fide haereticis servanda. l. II. c. 10. Zallinger instit. jur. nat. eccles. pub. l. III. c. 6. et de unica religione stud. cath. princip. in repub. conserv. l. unus auct. Joh. Lennaeo ap. Zachar. thes. t. VI. opusc. 6. Taparelli sag. teor. di dritto nat. vol. I. nn. 869 sqq.

[2] Duell. de primatu regio l. III. c. 8. vol. III.

Doctrinae capita. [3] Est ergo ex hypothesi receptae divinae revelationis officium principis naturale, semet Deo revelanti subiicere. Unde generatim animadvertendum est contra eos qui aliter opinari videntur a) potestatem civilem residere in hominibus aliter licet et aliter pro diversitate formae regiminis: ita vero b) fieri, ut illa consideranda non sit in abstracto ut aiunt, sed in concreto, quemadmodum loqui mos est, quatenus regentibus inest, in subiecto nimirum individuoque illa ornato: hinc c) quod de aliis hominibus tam a philosophis quam a theologis effertur, id de potestate pollentibus similiter valere, videlicet non dari in illis actus quos indifferentes appellant; sed hoc posito d) vix erit qui contenderit, licere superiori potestati christianae eique

subjiciuntur, merito honorare debent, et ipsius gloriam ac majestatem ubique propagare. Unde Agapitus ad Justinianum imperatorem: Honore quolibet sublimiorem cum habeas dignitatem, o imperator, honora super omnes qui haec te dignatus est Deum: quoniam juxta similitudinem coelestis regni tradidit tibi sceptrum terrenae potestatis, ut homines edoceres justi custodiam, et eorum, qui quasi canes adversus ipsam rabiunt, insectareris latratum, tum ipsius obtemperando legibus tum subditos tibi regendo pro jure.„ *Agapitus P.*

Secundo statuendum est, eosdem reges et principes christianos, nullo modo in suis regnis ac provinciis debere admittere libertatem fidei ac religionis, si impedire [1] eam possint. Haec enim libertas plane illicita et christianae doctrinae contraria est. Nam ut alibi dixi, multa in evangelio sunt, ex quibus constat, Christum unam fidem mandasse, variam ac multiplicem prohibuisse. Ac I. voluit unam tantum ecclesiam, unum ovile, unum pastorem, unum baptisma. Haec autem sine unitate fidei consistere non possunt. II. voluit discipulos suos attendere a falsis prophetis: at in multiplici religione necesse est alios esse veros, alios falsos prophetas. Ergo si hi excludendi sunt, fides una retinenda est varia ex- 3. *Libertas religionis.*

---

catholico — romanae in muneris sui exercitio semet penitus ἀδιαφόρως erga ordinem Dei revelantis habere: hinc e) quod in ordine morali ac religioso apud alios homines usuvenit, ut nisi progrediantur regredi soleant, idem apud pollentes potestate contingit historiaque teste contigit, ut nisi ecclesiae prodesse velint obesse incipiant. Cf. Taparelli sag. teor. di dritt. nat. vol. I. ad not. CX.

[1] His significatur quidem, civilem societatis catholicae potestatem officio teneri, quantum ex se est variarum sectarum cultum impedire, adsignificatur vero, contingere posse, ut impedire illud nequeat. Sed aliud est, non posse impedire, et aliud penitus esse indifferentem: aliud pati ut inducatur inductumque tolerare, et aliud sinere, efficere, suadere, juvare ut inducatur, inductumque protegere, promovere juribusque ac privilegiis cohonestare: aliud denique est prudenti erga illum oeconomia uti, et aliud aequali erga illum officio affici quo erga veram agnitamque Christi ecclesiam. Quodsi vero eo ventum sit, ut plena cultibus quibuslibet, dummodo christiani audiant neque opponantur bonis moribus, concedatur a civili potestate ubique libertas, tum enimvero, quae est opusc. de antichristo egregii Dr. Maning sententia, civilium quos vocant statuum universalis obtinet apostasia, et societas qua talis non est amplius christiana ac catholica: tum restituta rursum est lex imperii romani alia licet forma, dum apud illos, veteres inquam romanos, omnibus toleratis gentilium, ut Leo M. ait, superstitionibus una premeretur veritas christiana; apud nos vero omnibus christianorum erroribus permissis una prematur veritas catholica eaque romana. Valet enimvero et heic generalissimum sapientiae aeternae effatum: „Qui non est mecum contra me est.„ *Tolerantia.*

plodenda. III. voluit ecclesiam suam perpetuam, cui omnes inferorum potestates resistere non possint. At perpetua esse non potest, si una omnium fides non sit: quod ipse testatur Luc. XI. 17. Apostoli disertis verbis idem confirmant Rom. XVI. 17. Gal. I. 8. I. Cor. I. 10. XIV. 33. Ephes. IV. 5. Hebr. XIII. 9. Vides quam serio, quam sollicite et graviter hortetur Apostolus, ut unitatem fidei retineamus. Quod non faceret, si libertas indulgeri possit. Plura in hanc sententiam dicta sunt in disputatione, De *Augustinus.* fide haereticis servanda. [1] Nunc illud solum addo ex Augustino (ep. 66.): Quae est pejor mors animae, quam libertas erroris?„

---

[1] C. 10. ubi de hac re ita statuendum esse censet: 1) „Libertatem religionis omnino esse illicitam et divino praecepto repugnantem. 2) Reipublicae esse perniciosam. 3) Non debere praecipi, approbari aut introduci ab ullo principe aut magistratu; sed potius omnibus modis, si commode fieri potest, impediri et profligari. 4) Si autem commode impediri non possit, nisi cum majori damno aut malo reipublicae, aliquo tempore tolerari posse. 5) Et si hoc modo toleretur, et in pactum deducatur fidem servandam esse.„ Quod porro affirmat tertio loco, id cum ex prioribus duobus capitibus, tum ex imperatorum legibus, tum e mente Patrum occidentalium aeque ac orientalium comprobat. Et ex illis quidem eximio utitur specimine *Ambrosius.* Ambrosii, cui „mandabat imperator Valentinianus, a Justina matre femina ariana persuasus, ut templum permitteret arianis, asserens tunc pacem et tranquillitatem fore in imperio, si illis etiam, qui diversae sunt religionis (ita pariter hodiedum qui τῇ πολιτείᾳ inserviunt argumentari solent) certus locus, in quo habeant exercitia, concedatur. Quid porro Ambrosius? Audi quid ipse de se scribat in ep. 33. al. 20. ad Marcellinam sororem: „.... Convenerunt me primo principes virtutum viri comites consistoriani, ut et basilicam traderem, et procurarem, ne quid populus turbarum moveret. Respondi, quod erat ordinis, templum Dei a sacerdote tradi non posse... Convenior ipse a comitibus et tribunis, ut basilicae fieret matura traditio, dicentibus *Fortitudo apostolica.* imperatorem jure suo uti, eo quod in potestate ejus essent omnia (en statum quem vocant omnipotentem!). Respondi si a me peteret quod meum esset, i. e. fundum meum, argentum meum, me non refragaturum; verum ea quae sunt divina, imperatoriae potestati non esse subjecta.... Allegatur, imperatori licere omnia: ipsius esse universa. Respondeo. Noli te gravare, imperator, ut putes te in ea quae divina sunt, imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere, sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus. Scriptum est: Quae Dei Deo, quae Caesaris Caesari. Ad imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem ecclesiae. Publicorum tibi moenium jus commissum est, non sacrorum. Iterum dicitur mandasse imperatorem: Debeo et ego unam basilicam habere. Respondi. Non tibi licet illam habere. Quid tibi cum adultera? Adultera est enim quae non est legitimo Christi conjugio copulata„ (sit ergo princeps a sectis protegendis haud secus quam ab adulteris alienus!). Et in fine epistolae: „Denique etiam speciali expressione Calligonus praepositus cubiculi mandare mihi ausus est: Me vivo tu contemnis Valentinianum? Caput tibi tollo. Respondi: Deus permittat tibi, ut impleas quod minaris.

42. Post haec, quae negantia potius sunt, quaerit Becanus, quod sit officium principum positivum ad ecclesiam quod attinet: „Quid ergo facient reges circa ecclesiam ac religionem, si neque curam illius omnino rejicere, nec etiam libertatem indulgere possunt?„ Dicam verbo. Debent illam tueri ac defendere: non ut Domini, sed ut ministri: neque ut judices, sed ut exsequutores. Hoc olim fecerunt christiani principes: hoc verbo testati sunt. Carolus M., *Carolus M.* ut alios omittam apud Sigonium l. IV. de regno Italiae sic ait: „Si ecclesiarum Dei servis magnificentiam nostram impertimus, eorumque studiis libenter obsequimur, id nobis ad augustalis excellentiae culmen proficere credimus.„... Idem Carolus cum a Leone Papa coronam imperii accepit, hac formula jurisjurandi usus est: „In nomine Christi spondeo atque polliceor ego N. imperator coram Deo et b. Petro Apostolo, me protectorem ac defensorem fore hujus sanctae romanae ecclesiae in omnibus, quatenus divino fultus sum adjutorio, prout sciero poteroque.„ (Refert Sigon. l. c.) Etiam pridem usu receptum est in Francia, Hispania, Anglia, Polonia, Hungaria, ut simili juramento obstringant se reges, et nominatim promittant, defensuros se ecclesiam ac religionem, eiusque praelatis debitam reverentiam et subjectionem praestituros. Neque hoc quidquam derogat ipsorum majestati, imo perhonorificum est. Recte Ambrosius (ep. 32.) ad Valentinianum *Ambrosius.* juniorem: „Quid est, inquit, honorificentius, quam ut imperator dicatur filius ecclesiae? Imperator enim bonus intra ecclesiam non supra ecclesiam est.„ Et Theodoricus Italiae rex ad Joannem *Theodoricus.* Pontificem: „Sum quidem judex palatinus, sed vester non desinam esse discipulus. Nam tunc ista recte gerimus, si a vestris regulis minime discedamus.„ Non ibo longius in hoc genere: ita Becanus concludit; nec nos diu longius ibimus: foret tamen piaculum praeteriisse quae graecorum theologorum maximus Gre-

---

Ego enim patiar quod episcopi: tu facies quod spadones.„ Digna Ambrosio responsio. Sed illa non minus digna, quam in geminis plane adjunctis Gainae duci dedit Chrysostomus. „Rem gestam (ita ibidem Becanus) scribit *Chrysostomus.* Theodoretus l. V. c. 33. Iste (Gainas) labe aspersus ariana postulabat ab imperatore unum ex sacris templis sibi dari.... Orat (imperator Joannem Chrysostomum) ut templo donato furentem illius animam placet. Cui nobilis ille vir: Ne, inquit, istud illi polliceare, neque sanctum dare canibus mandes. Nam nunquam equidem patiar, ut qui Deum verum sancte et auguste laudibus et hymnis celebrant, expellantur e sacro templo idemque tribuatur his, qui contra eum loquuntur blasphemias ...„ Ita illi.

Gregorius naz. gorius nazianzenus ad rem egregie plane [1] disseruit. Et postquam ad cives timore perculsos „partim monendi partim consolandi gratia tamquam pastor gregis dixit, ad principes et praefectos„ conversus pergit: „Ad vos enim iam nostra se convertit oratio: ne alioqui inique omnino facere videamur, atque his quidem quae in rem futura sunt suadere, vestrae autem dignitati potentiaeque cedere (quasi vel pudore vel metu, christianam nostram libertatem demittentes) aut illorum quidem commodis consulere, vos autem negligere, quorum curam eo maiorem gerere par est, quod ea res plus in utramque partem momenti habeat, maiorque inde utilitas promanet, si negocium prospere successerit. Contrarium enim tum a nobis absit tum ab oratione nostra. Quid igitur dicitis? aut quid inter nos convenit? An me libere loquentem aequo animo feretis? Nam vos quoque imperio meo ac throno lex Christi subiecit. Imperium enim nos quoque gerimus; addo etiam praestantius ac perfectius: nisi vero aequum sit spiritum carni, et coelestia terrenis cedere. Hanc dicendi libertatem in optimam partem accipies, certo scio, utpote sacra sacri mei gregis ovis [2] magnique pastoris alumna, recteque iam olim a Spiritu ducta et instituta sanctaeque et beatae Trinitatis lumine aeque ac nos ipsi collustrata. Proinde brevis mihi ad te erit oratio.„ His delineat christiani principis formam: tum [3] ad eius officium progreditur:

---

[1] Or. XVII. n. 8. ed. Par. 1609. t. I. p. 271. A. — D. *Τί δὲ ὑμεῖς οἱ δυνάσται καὶ ἄρχοντες; Ἤδη γὰρ πρὸς ὑμᾶς ὁ λόγος μέτεισιν, ἵνα μὴ δόξωμεν πάντη τυγχάνειν ἄνισοι, καὶ τοῖς μὲν τὰ εἰκότα παραινεῖν* (persuadere quae officii sunt), *ὑμῶν δὲ τῇ δυναστείᾳ παραχωρεῖν, ὥσπερ αἰδοῖ τὴν κατὰ Χριστὸν ἡμῶν ἐλευθερίαν, ἢ δέει ἐκκλίνοντες· ἢ τῶν μὲν κήδεσθαι μᾶλλον, ὑμῶν δ' ἀμελεῖν, ὧν καὶ μᾶλλον φροντίζειν ἄξιον, ὅσῳ καὶ εἰς μείζω φέρουσα ἡ ῥοπὴ ὁποτέρως ἂν ἔχῃ, καὶ πλεῖον τὸ κατορθούμενον· τὸ γὰρ ἐναντίον ἀπείη* (coisl. *ἀπίει*) *καὶ ἡμῶν καὶ τοῦ λόγου. Τί οὖν φατε; καὶ τί διομολογούμεθα πρὸς ἀλλήλους; Ἆρα δέξεσθε οὖν παῤῥησίᾳ τὸν λόγον; Καὶ ὁ τοῦ Χριστοῦ νόμος ὑποτίθησιν ὑμᾶς τῇ ἐμῇ δυναστείᾳ καὶ τῷ ἐμῷ βήματι. Ἄρχομεν γὰρ καὶ αὐτοί· προσθήσω δὲ, ὅτι καὶ τὴν μείζονα καὶ τελεωτέραν ἀρχήν· ἢ δεῖ τὸ πνεῦμα* (coisl. *εἰ δεῖ τῷ πνεύματι ὑποχωρῆσαι τὴν σάρκα, καὶ τὰ γήινα τοῖς ἐπουρανίοις*) *ὑποχωρῆσαι τῇ σαρκὶ, καὶ τοῖς γηίνοις τὰ ἐπουράνια. Δέξῃ τὴν παῤῥησίαν, οἶδ', ὅτι πρόβατον εἶ* (al. deest) *τῆς ἐμῆς ποίμνης τῆς ἱερᾶς ἱερὸν, καὶ θρέμμα τοῦ μεγάλου ποιμένος καὶ καλῶς ἄνωθεν ἠγμένον ὑπὸ τοῦ πνεύματος καὶ τῷ φωτὶ τῆς ἁγίας καὶ μακαρίας* (al. desunt) *Τριάδος ὁμοίως ἡμῖν ἐλλαμπόμενον. Διὰ τοῦτό μοι καὶ βραχὺς ὁ πρὸς σὲ λόγος καὶ σύντομος.*

[2] Describitur veri principis christiani forma.

[3] Ibidem. *Χριστῷ συνάρχεις, Χριστῷ καὶ* (al. deest) *συνδιοικεῖς· παρ' ἐκείνου. σοι τὸ ξίφος, οὐκ εἰς ἔργον, ἀλλ' εἰς ἀπειλήν· ὃ καθαρὸν ἀνάθημα*

„Cum Christo imperium geris, cum Christo munus hoc administras. Ab illo gladium accepisti, non tam ut eo utaris, quam ut mineris et terreas. Quare tibi videndum est, ut illum tamquam donarium quoddam purum et integrum ei qui dedit serves. Imago Dei es: verum Dei quoque imagini [1] imperas; quae quidem hic certa dispensatione gubernatur, ad aliam autem vitam [2] migrat, ad quam omnes quoque concedemus postea quam in hoc vitae carcere vel stadio vel praesignatione vel adumbratione aliquantisper luserimus.„

43. Verum abunde iam patet, quonam ex sese pertineat christiani principis officium, quoque animo idem affectus esse debeat erga Christi ecclesiam romanamque unitatem. Illud tamen ex eodem sapiente theologo Becano repetere jubemur, quod de adjecta superius conditione docet [3], qua princeps sive quaevis alia civilis potestas, liberum aliarum sectarum cultum impedire non valeat. Haec autem statuit: „Tametsi princeps aut magistratus catholicus omnibus modis impedire debeat libertatem religionis, ut dictum est; si tamen id facere non possit sine graviori incommodo boni publici, potest eam tolerare, quam minus malum ad evitandum majus, quod alioqui sequeretur. Haec conclusio fundatur in illo axiomate: Ex duobus malis minus eligendum est, scilicet si utrumque evitare non possumus. Et ratio est, quia in tali casu illud minus malum non eligitur praecise ut malum quoddam est, sed ut medium utile ad evitandum majus malum, ac proinde eligitur sub ratione boni utilis. Ita sentiunt gravissimi authores: D. Thomas. 2. 2. q. 10. a. 11. ubi ex hoc principio probat, ritus gentilium et haereticorum tolerari posse ad majus evitandum: Cajetan. ibidem, Gregorius de Valentia tom. III. disp. 1. q. 10. p. 7. Molina tr. II. de jure et justitia disp. 335. et alii plures. Consentit D. Augustinus l. II. de ordine c. 4. D. Gregorius apud Gratianum dist. 13. c. Nervi. Idem confirmatur ex parabola zizaniorum Matth. XIII.... de qua re pulchre disputat Maldonatus in illum locum.„

44. Et haec hactenus ex Becano. Maldonatus vero, ad quem iste *Maldonatus.*

τῷ δεδωκότι φυλάσσοιτο. Εἰκὼν εἶ τοῦ (al. deest) *θεοῦ· καὶ εἰκόνα διὰ χειρὸς ἄγεις, ἐνταῦθα οἰκονομουμένην καὶ πρὸς βίον ἄλλον μεθισταμένην, εἰς ὃν πάντες μεταβησόμεθα, μίκρα παίξαντες ἐν τῷ τῆς ζωῆς τούτῳ εἴτε δεσμωτηρίῳ, εἴτε σταδίῳ, εἴτε προχαραγματι, εἴτε σκιάσματι.*

[1] Haec valent contra potestatis abusum.

[2] Finem alterius vitae princeps saecularis non debet quidem sua auctoritate procurare, sed neque eum impedire debet.

[3] Ibidem n. 14.

appellat, ad excludendum verborum Christi [1] abusum „principes aut qui principes monere possunt admonet, non licere illis [2] istas quas vocant conscientiae libertates nimium nostro tempore usitatas haereticis dare, nisi prius Ecclesia [3] aut is qui Ecclesiae caput est Romanus Pontifex Christi persona et tamquam pater familias judicaverit, non posse evelli zizania, nisi simul et triticum evellatur; et e re Ecclesiae esse, ut usque ad messem permittantur utraque crescere. Hujus enim rei non principes qui patris familias servi sunt, sed ipsius patris familias, idest Ecclesiae gubernatoris judicium esse debet. Nec debent principes patrem familias rogare, ut sinat utraque crescere usque ad messem: sed an velit ut eant, et evellant zizania. Ita eos affectos atque paratos esse oportet, ut a patrefamilias coërceri potius opus sit, quam incitari.„

4. *Discrimen potestatum.* 45. Colligimus deinde III. si civilis atque religiosa potestas in ordine naturae confundi [4] non debeant; confundendum multo

[1] Matth. XIII. Vide de h. l. Maldonat.

Taparelli. [2] Vide de his praeclare disserentem P. L. Taparelli sag. teor. di dritto nat. vol. I. nn. 880 sqq. ubi exponit a) obligationem regimini impositam religionis rationem habendi: b) religionis veritatem a societate adoptatam esse societatis legem: c) distinctionem inter libertatem dogmaticam, religiosam, politicam: d) discrimen hac in re intercedens inter principem catholicum principemque a veritate alienum: e) differentiam inter protectionem veritati praestitam a fideli principe persequutionemque veritatis catholicae ab infideli profectam: f) systema utilitariorum religione ad fines politicos abutentium: g) omnis religionis tolerantiam, quam vocant, necessariam facere vim potentiamque physicam ac in tyrannidem migrare: tandem h) illam proinde in societate quae vere christiana sit neque posse neque debere exsistere.

[3] „Ecclesiae hac in re auctoritati magis standum esse quam auctoritati vel Augustini vel Hieronymi vel cujuscunque doctoris„ praecipit Th. 2. 2. q. 10. a. 12.

[4] Nemo enim diffitebitur, divinam gubernationem circa homines duplici distinctoque modo versari. Nimirum versatur circa homines, quatenus illos ordinat et dirigit ad hujus vitae felicitatem: sed longe nobilius circa homines versatur, quatenus illos ordinat et dirigit ad perennem alterius vitae beatitatem. Jamvero cum ea sit divini regiminis indoles, ut omnia suaviter juxta et fortiter administret, intuitu praesentis felicitatis, ad quam homines dirigit, vult ut sint qui hujus assequutioni efficaciter advigilent, proindeque confert supremam temporalem potestatem, cujus exercitio atque legitimo usu illa procuretur. Sed intuitu felicitatis sempiternae et custodiae officiorum ad eum finem necessariae, vult ne desint, qui utrumque efficaciter promoveant, proindeque confert supremam sacram potestatem, cujus exercitio atque legitimo usu utrumque, quoad ejus fieri potest, in tuto collocetur. Ergo non unus idemque, sed duplex est respectus, quem sapientia Dei conferentis potestatem utramque, temporalem et sacram, ob oculos habet. Atqui ex identitate aut varietate horum respectuum identitas pendet aut distinc-

minus esse principum regimen regimenque unitatis romanae quae est ordinis superni.

46. Non propterea tamen IV. colligi poterit, unum ab altero avellendum separandumque [1] ita esse, ut amico nullo foedere jun- 5. *Copulatio utriusque societatis.*

tio tituli, propter quem utraque potestas hominibus inesse intelligitur; non ergo eodem titulo sacris profanisque rebus homines praesident.

Quae quidem veritas illustrior evadet, si consideretur, ideo a Deo temporalem concedi potestatem, quod hominem iis exornaverit proprietatibus, quae eum ostendunt ad felicitatem hujus vitae in societate assequendam natura comparatum: ideo vero sacram tribui, quod eam condiderit hominis naturam, cui insitum sit per officia religionis adversus Deum persoluta adipisci tandem beatitatem, quae Dei possessione constet et absolvatur. Ex his enim consequitur, non modo utrique potestati diversum proponi finem, sed praeterea distinctum esse titulum, cujus ergo conferuntur: sicuti distinctae sunt nativae hominum proprietates, quibus ad societatem et quibus ad Deum ordinantur: et sicuti distinguuntur ex sese officia socialia ab officiis religionis. Videsis Suares. de legib. l. III. cc. 1 sqq. et c. 11. tum defens. fid. cathol. adv. anglic. sect. error. l. III. cc. 1—7. Becan. vol. III. opusc. VI. duell. primat. reg. l. III. c. 1. Taparelli saggio teor. di dritto nat. vol. I. ll. cc.

[1] Sane aliud est distingui et discrepare, pugnare aliud. Neque enim illa quae distincta diversaque sunt illico etiam secum pugnant, sibique adversantur. Alioquin oppositionis distinctionisque conceptus, quos nemo sanus confundat, turpiter commiscerentur. Pugnant secum temperantia et ingluvies, distinguuntur ab invicem prudentia et fortitudo. Illa ut uni eidemque simul insint, fieri non potest: haec amico sociantur foedere in iis omnibus, qui prudentia aeque ac fortitudine clarent.

Atqui si in sua prope elementa conceptus resolvas, quibus utraque continetur potestas, invenies quidem alia atque alia ea esse, sed pugnantia esse non invenies. Invenies objectum potestatis sacrae contineri interno externoque Dei cultu; ejus finem esse sempiternam felicitatem heic inchoandam, in altera vita perficiendam; media vero, quibus instruitur, partim institutione, partim legibus earumque sanctione absolvi. Hinc invenies statum reipublicae rite ordinandum civili potestati veluti objectum proponi, circa quod versetur; ejusdem finem esse tranquillitatem felicitatemque societatis; veluti media autem eidem suppetere cum alia, tum leges ferendi, sanciendi exsequendique potestatem. Praeclare: sed cui haec ita videri distincta possunt, ut simul infensa atque hostilia videantur?

Immovero facile componi eadem ad invicem posse, et ita quidem ut in una convenerint persona veterum memoriae testantur. Nonne Melchisedech sacerdos erat Dei altissimi? atqui erat et rex Salem. (Gen. 14, 18.)

Moyses dux Israel jura ferebat populo, dirimebat lites, legum sanctionem exsequebatur. (Exod. 18, 13.) Atqui virgae imperanti thuribulum jungens ante Aaronis sacerdotium ipse sacerdos adolebat incensum Domino. (Exod. 29, 18.)

Jojada sacerdos, uncto licet jam rege, in Athaliam mortis sententiam dixit. (4. Reg. 11, 15.)

Samuel quemadmodum fideliter ministrabat coram Domino, ita populum sancte moderabatur.

gantur. Neque enim hominum societatisque eorum fines temporales atque praesentes avellendi sejungendique sunt ab aeternis atque futuris, sed ita invicem consociandi, ut per bona temporalia ac transeuntia humanum genus ad aeterna ac manentia perducatur.

Necessitas ac utilitas. 47. Efficiendum itaque, ne officia societatis humanae officiis obsint [1] societatis divinae; connitendum contra, ut quemadmo-

---

Judas Machabaeus, Jonathas, Simon, Joannes Hircanus, Aristobulus, Alexander Jannaeus, aliique bene multi utraque potestate claruerunt. Ergo utraque jurisdictio non ita distinguitur, ut coire simul neque possit neque umquam debeat. Legi hac de re potest Christofori Müller dissertatio inscripta: „De pedi et gladii . . connubio„ edita Bambergae anno 1764. Becan. vol. III. opusc. VI. duell. de primat. reg. l. III. c. 1—4. Suares. de legib. l. IV. c. 11.

[1] Id vero nullatenus efficitur, si in societatibus maxime iis, in quibus romana unitas jure ut ajunt possessionis gaudet, dum ipsa leges reipublicae servandas praedicat ac praecipit, haec contra illius jura non tuetur verum dissolvit, et dum illa contra omnes temporis fluctus uni quae obtinet auctoritati legitimae obediendum esse inculcat, haec e contrario ventis cedens sinistris cuilibet ecclesiam solam veram invadendi aggrediendique jus faciat. Quod si durum est quum contigerit, consultum profecto admodum non est, quod veluti principium statuitur agendique norma, moderatoribus rei publicae abstinendum plane ab omni religionis tutela, immovero nihil illis consulendum opportunius, quam ut diversis omnibus religionis christianae factionibus aequalia concedantur jura. Fas hoc sit nec ne, ubi romana ecclesia quae semet solam veram Christi ecclesiam habet ut talis habetur ac viget, superius proposita patefaciunt. Quare vix serio a viris ceteroquin claris (ap. Dölling. Kirche und Kirchen pp. 90 sq.) exceptum fuisse putaveris, quod defensores tutelae a statu religioni praestandae rationabiles fines assignare nesciant, quousque semet ejusmodi tutela porrigere debeat. Suprema enim tam negantia quam affirmantia quae eo faciunt principia explorata apprime sunt. Sed quum eadem ad πρᾶξιν referantur, aptandaque sint diversissimis rerum personarumque adjunctis, id hac in causa usuvenit quod in re morali haud raro contingere compertissimum est: generales scilicet normas ac principia suprema omnibus evidentia sua constare, applicationem tamen eorum in certis speciebus casuum ita impeditam evadere atque difficultatibus plenam, ut aqua haereat non imperitis tantum, sed ut ne ipsi quidem rei doctores plane conveniant. Verum quis propterea rationabiles agendi normas infitiaretur? Obscuritas ex indole repetenda actionis humanae, quae ut honesta sit, justa ac prudens, a pluribus et a complicatissimis plus semel pendet circumstantiis temporis ac loci, personarum et rerum. Sed multo minus propterea fas est in dubium generatim sive jura sive officia vocare, quae titulis innituntur indubiis. At enim vero judicium justum de mensura tutelae pro adjunctorum varietate regno Dei praestandae, si dubia oriantur, penes eos potissimum esse existimari debet, qui illi loco Domini in terris praesunt, quique in omnibus, quae sunt ad Deum sive ea theoretica sive practica fuerint, nati judices sunt. Inde autem intelligitur, haec quae diximus de iis nominatim societatibus valere quae catholicae audiunt, quaeque promiscue

modum haec priorum officiorum impletionem praescribit, ita illa impletioni posteriorum ubi possit consulat. Quod si fiat, pax et tranquillitas efflorescens et ecclesiam juvabit et societatem civilem. Ne vero de avellenda una ab altera catholicorum cuipiam cogitare fas sit, haec prohibent Gregorii XVI. [1] efficacissima verba: „Neque laetiora et religioni et principatui ominari possemus ex eorum votis, qui ecclesiam a regno separari, mutuamque imperii cum sacerdotio concordiam abrumpi discupiunt. Constat quippe, pertimesci ab impudentissimae libertatis amatoribus concordiam illam, quae semper rei et sacrae et civili fausta exstitit ac salutaris....„ *Gregorius XVI.*

48. Et V. tandem colligimus, quinam inter supernaturalem societatem eamque romanam et inter naturalem eamque civilem intercedere ordinis habitus neque possit neque debeat, quique contra pro viribus ob oculos semper habendus perfectiusque jugiter exprimendus sit. Videlicet praefert illa necessitatem ac legem, a qua deflectere non licet, neque umquam divina ipsa providentia patietur. Praefert vero ipsam Christi normam ac formam, regulam atque παράδειγμα, ad quod semet necessario ac jugiter exigere nititur atque contendit. Quod cum facit arcta quaerit cum societate humana vincula, neque ut ejus commodis obsit, sed ut ejusdem consulat fundamentis quibus innixa tutissima consistat: neque ut membra ejusdem divellat ac distrahat, sed ut illam cum omnibus quae bona eidem et jura debentur ac insunt, sartam tectam servatam devinciat cum Deo humanitatis auctore, salvatore [2] et sanctificatore. *6. Societatis romanae erga civilem officia.*

---

cum heterodoxis haberi neque possunt neque debent. Ceterum divina providentia plura permittit quae non probat, sed improbat: hinc ex eo quod aliquid multum ac diu ab hominibus fit factumque est, licet quidem inferre, Deum sua illud providentia permisisse, sed non licet inferre illico, Deum provisorem illud voluisse. Dei provisoris est, ex malis quoque sive commissionis sive omissionis humanae eruere bona; ideoque ordinem permissionis hujusmodi sequi solet ex parte Dei ordo punitionis, quemadmodum ordinem mali vel omissione vel comissione patrati ex parte hominum ordo poenitentiae sequi deberet. Quid porro contigisset vel contingeret, si ut par est sua omnes explerent munera, soli constat provisori altissimo, qui scrutatur etiam futura a conditione pendentia; sicut ejus solius est, quum humana res secundarum opera causarum perdita est, eamdem pro sua potentia vel in integrum restituere vel multo etiam instaurare splendidius, sive ut praestitutos sibi consequatur fines sive ut suis promissionibus fidelis persistat.

[1] Encyclic. d. 18. Sept. 1832 con. indifferentistas quos vocant et Lamenais.

[2] Profecto 1) Christus salvator et sanctificator fuit et est hominis totius: fuit ergo salvator et sanctificator quoque ejus quatenus socialis est: *Societatis provectio.*

49. Sane fundamentum a quo humana civilisque societas pendet, situm est in obedientia subditorum, quam hi principibus praestant. Atqui obediendum esse principibus romana societas non uni relinquit naturali juri, sed veluti legem positivam statuit ac normam generalem, cui contrariam opponere sententiam perinde habet atque haeresim. Ad normam legemque illam quod attinet, de qua tamen nemo serio dubitarit, Hieronymus, insignis romanae ecclesiae doctor, dignus profecto est, qui interpres [1]

Hieronymus. mentis ac sententiae romanae unitatis audiatur: „Admone illos, inquit, principibus et potestatibus subditos esse, obedire: ad omne opus bonum paratos esse: neminem blasphemare, non litigiosos esse: esse modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines. Tale quid et ad Romanos scribitur: Omnis anima potestatibus superioribus subdita sit. Non est enim potestas [2] nisi a Deo. Quod quidem praeceptum et hic et ibi propterea puto

Judas galilaeus. editum, quia Judae Galilaei per illud tempus dogma adhuc vigebat, et habebat plurimos sectatores, cujus et in actibus Apostolorum [3] fit mentio, Scriptura referente: „Ante hos enim dies surrexit Theodas dicens, quemdam se esse magnum, cui appositi sunt viri quasi tria millia„ et „post hunc surrexit in diebus census Judas Galilaeus„ qui inter cetera hoc quasi probabile proferebat ex lege, nullum debere dominum nisi solum Deum vocari: et eos qui ad templum decimas deferrent, Caesari tributa non reddere. Quae haeresis in tantum creverat, ut etiam pharisaeorum et mul-

---

2) Christus salvator et sanctificator fuit et est non singulorum tantum hominum seorsum, verum salvator et sanctificator fuit et est humanitatis totius quatenus unam efficit familiam; fuit ergo et est salvator quoque ac sanctificator societatis humanae, quae familiae unitatem repraesentat: 3) Christi doctrina et operatio ad totum spectat hominem, totum veluti pervadit ac penetrat, omnia quae ejus sunt afficit, et ad omnia se extendit, quae ad illius vitam sive internam sive externam spectant. Fieri ergo nequit, quin oeconomia Christi ad illa quoque semet porrigat, quae propria dicuntur societatis profanae sive civilis: fieri nequit, ut sive locus sive tempus sive humana detur actio, quo vel quando vel quam suscipientes homines christiani a christiana lege et oeconomia possint aut debeant simpliciter praescindere ac penitus supersedere. „Ordo servandus„ est princeps juris naturalis lex: sed ordo institutus, qui historice exsistit, quemque homo christianus amplexus est, non est alius quam ordo Christi Domini, ordo christianus; is ergo servandus semper, et nuspiam ac nunquam seponendus vel oblitterandus.

[1] Com. in ep. ad Tit. lib. c. III. vv. 1. 2. ed. Migne t. VII. p. 590 col. 2.

[2] Rom. XIII. 1.

[3] Act. V. 36.

tam partem populi conturbaret, ita ut ad Dominum [1] quoque nostrum referretur haec quaestio: Licet Caesari dare tributum, an non? Quibus Dominus prudenter cauteque respondens ait: Reddite quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo. Cui responsioni Paulus Apostolus congruens docet, principatibus et potestatibus credentes debere esse subjectos. Ἀρχαὶ quippe quae leguntur in graeco, magis principatus quam principes sonant: et ipsam significant potestatem, non eos qui in potestate sunt homines. Sed quia dixerat, Admone illos, principatibus et potestatibus subditos esse, poterat his, qui tormenta formidant, occasio ad negandum dari: juxta Apostoli dictum se assererent principatibus et potestatibus esse subjectos, et facere quod juberent, propterea subjecit: Obedire ad omne opus bonum. Si bonum est quod praecipit imperator et praeses, jubentis obsequere voluntati. Sin vero malum et contra Deum sapit, responde ei illud de Actibus Apostolorum [2]: Obedire oportet Deo magis quam hominibus.

50. Verum custodito per statutam legem ac normam fundamento, ut hominum societas esse humana possit, ab unitate catholica eaque romana simul etiam praestituitur forma atque exemplar, ὁ θεάνθρωπος, ut perfectius illa et nobilius, ut christiana [3] societas sit. Si enim naturalis hominum societas humani corporis animati φυσικῶς, humanique adeo compositi ἀναλογίαν sequitur: nihil

7. Copulationis exemplar ὁ θεάνθρωπος.

---

[1] Matth. XXII. 17.

[2] Act. V. 29.

[3] Hinc rursum apparet quo sacro fervore vel potius furore in Christum illos animatos esse oporteat, qui quum innexi romanae unitati penitus sint uti praeclarum aliquid commendant ecclesiam liberam in societate sive statu civili, ut dicunt, libero. Quasi vero I. ecclesia vera i. e. romana unitas tyrannide invecta libertatem auferret: licentiam illa utique pati nequit, sed libertatem tuetur et teste historia ejusdem semper exstitit vindex. De quo cf. Döllinger, Kirche und Kirchen n. 3. pp. 93 sqq. II. Quasi vero status vel societas civilis ut talis liber solutusque a religione consistere posset: sed justitia regnorum fundamentum; verum absque religione justitia nulla. Scilicet III. impii in Christum, et iniqui sunt in homines ipsamque eorum societatem, qui forma christiana abjecta et abstracta coloribus ut ita dicam nullismi religiosi humanam familiam deturpant, depravant, pessumdant. Sed enimvero IV. dubitares utrum forte ejusmodi phrasi perniciosa non minus quam deceptrice nefandum ac prope infernum illud tegatur ac lateat consilium universalis non libertatis, verum licentiae; universalis nimirum demagogiae, quae excutiat auctoritatem utramque pariter tam religiosam quam civilem? Videlicet etiamnum repetitur historia de qua Gen. III. 6 sqq.: „Vidit igitur mulier . . .„: neque successu minus felici repetitur.

Licentia religiosa.

manifestius est, quam societatem christianam [1] ad ἀναλογίαν hominis Christi in quo habitabat [2] omnis plenitudo divinitatis corporaliter, adeoque ad ἀναλογίαν compositae illius hypostaseos esse exigendam, ut vere sit quae vocatur. Sed tum consociatio hu-

---

Errores οἰκονομικοὶ et πολιτικοί.

[1] Sane si dispicere placeret miram deprehenderes analogiam inter errores errantesque circa τὴν οἰκονομίαν interque eos qui circa τὴν πολιτείαν versantur. Ut enim quod ad Christum redemptorem, τὸν θεάνθρωπον, attinet errando alii 1) negabant divinam assumentem hypostasim (gentiles cum impiis Judaeis); alii 2) negabant humanam assumptam naturam (docetae-phantasiastae); 3) alii vero habitum intercedentem inter Deum assumentem humanitatemque assumptam evertebant a) vel separatione (nestoriani); vel b) confusione (eutychiani), qua humanitatem a deitate absorptam diversimode comminiscerentur; vel contra c) corruptione, qua assumptam humanitatem modo hac modo illa naturali perfectione proprietateque privarent, vel assumentis Verbi Dei naturam partes illas explentem absorberi prope conditione humana contenderent (apollinariani, ariani, monophysitae, monotheletae); sicut tandem 4) alii universam Christi oeconomiam inter fabulas mythosque rejiciunt: ita similiter ad humanitatem redemptam in christianorum societatem collectam colligendamque quod attinet, ab aliis 1) negatur salutaris auctoritas ecclesiae Christi, cui omnis hominum societas atque potestas in negotio salutis (Cf. Suares. de legib. l. III. c. 6. n. 3. l. IV. cc. 8. 9.) subjecta ac subdita sit (ita paganismus gentilium veterum et qui in eum relabuntur infideles ac impii christiani); ab aliis excluditur 2) ipsa hominum societas respondente illi potestate civili eversa: a credentibus, inquiunt, uni Deo obediendum (ita Judas galilaeus apud Suares. de legib. l. III. c. 5. et ita ab initio reformatores); ab aliis 3) evertitur inter Christi ecclesiam civilemque societatem intercedens habitus copulationis (de quo apud Suares. de legib. l. IV. c. 9. n. 3.) sive invecta a) separatione juxta adagium donatianum: Quid ad ecclesiam imperator? (huc spectat Machiavellismus de quo apud Suares. de legib. l. III. c. 12. sanciens societatem neque religionem neque etiam mores, sed solam suam felicitatem adeoque justitiam curare; hinc meri juris quam vocant societas prodit, in qua lex statuitur athea); sive b) inducta potestatum confusione, qua vel a spirituali temporalem absorptam existimant (de quibus Suares. l. c. l. III. cc. 6. 11.), vel spiritualem temporali immiscent (ita territorialismus quem vocant cum caesareopapismo (ad quem spectant Suares. l. c. l. IV. cc. 8. 9. defens. fid. orthod. cont. anglic. sect. error. l. III. et Becan. vol. III. de prim. reg.); sive c) corruptione illata modo potestati civili, quam absque pietate superna nullam declarant (ita Waldenses, Wickleffitae, Hussitae, sequentesque phantasiastae ac mystici, de quibus Suares. de leg. l. III. c. 10.) modo auctoritati ecclesiasticae, quam praerogativis juribusque suis in subditos spoliant ac privant (quo faciunt systemata febronianismi, gallicanismi, josephinismi atque multiplicis aulicismi ac libertinismi): ab aliis tandem 4) christianae societatis tota ratio et explicatio veluti summa habetur felicitatis humanae calamitas ac prope pestis, quam adeo ad recuperandam humanitatem funditus exstirpare conniti et salutaribus undis abluti et illoti omni vi debeant (et haec est aetas τοῦ φιλοσοφισμοῦ, τοῦ φωτὸς καὶ τῆς ἐπιστήμης!).

[2] Coloss. II. 9.

manae societatis cum romana unitate non minus illi nocebit, quam humanae naturae nocuit, ut a Verbo aeterno in intimum divinitatis consortium attraheretur.

XIII. *Romana unitas bonis aeternis consulit, temporalibus destitui nequit.*

51. Corollarium VII. Cum priori hoc alterum intime nexum *Finis.* consertumque est consectarium rursum multiplex, quod ad romanae unitatis attinet naturam, qua est diciturque societas spiritalis. Videlicet I. ex declarata hac illius ratione ac indole consequitur quidem, eo illam ex sese spectare, ut spiritualibus i. e. supremis iisdemque aeternis hominum bonis consulat curamque gerat; sed inde II. nullatenus infertur, ad hunc consequendum finem eidem neque materialia atque temporalia media aut necessaria aut etiam *Media.* opportuna atque [1] utilia esse, neque adeo ad haec illam posse vel debere sollicitudinem suam suamque potestatem extendere. Est

---

[1] Praeclare, ut solet Suares de legib. l. IV. c. 10. n. 2. „Alius error *Suares.* inventus etiam a novatoribus est, potestatem civilem omnino repugnare Pontificibus seu personis in sacerdotali dignitate constitutis.„ Et allatis novatorum argumentis (quae ab iis non admodum differunt quibus etiamnum in ecclesiam rebelles utuntur) reponit n. 3. „Nihilominus veritas catholica est, potestates has nec necessario esse coniunctas, nec necessario separatas, quia neutrum est divino iure praeceptum aut prohibitum. Prior pars satis patet ipso usu et experientia.„ Quibus declaratis multo concinnius quam nunc fieri ab iis contingit, qui rationibus illis contra romanam unitatem eiusque caput abutuntur, n. 4. pergit: „Quod autem hae duae potestates in eadem persona coniunctae esse possint, similiter probatur ex usu Ecclesiae: nam summus Pontifex simul etiam rex est temporalis in suis terris, quarum est dominus, quod a sanctis Pontificibus inchoatum et conservatum est, unde cogitari non potest, esse illicitum. Imo speciali Dei providentia factum esse affirmat D. Thomas in 2. Sentent. in fine. Similiter multi episcopi simul habent civilem potestatem et dominium, ut constat praesertim in Germania, et Hispania et in Conimbricensi hoc episcopatu. Ratio vero est, quia hoc non est per se malum, neque est aliqua positiva lege prohibitum, et aliunde potest multas rationes congruentiae habere: ergo. (Sed congruentiae rationibus posthabitis licet multae et gravissimae essent et sint, quod tum in Ecclesia Dei christianaque societate obtinuit, postea deletum fuit ac porro impie deletur.) Tandem n. 5. absolvit: „Princeps autem ecclesiasticus non ad hunc finem (ob lucra temporalia) accipit temporalem principatum, sed ut Ecclesiae utilitati et fidelium commodis magis inserviat; et ideo illud temporale ita coniunctum spirituali non est saeculare omnino, sed aliquo modo sacrum: habere igitur talem potestatem civilem simul cum spirituali contra nullam legem divinam est, vel positivam vel naturalem. Quod vero contra humanam non sit, per se notum est nec indiget probatione.„

profecto homo rationalis: sed enimvero quis inde intulerit ad obtinendos rationales hominis fines neque necessaria plus semel opportunave esse media corporalia? Immovero quis negaverit, ad invitandum, excitandum, commovendum compellendumque hominem, ad prosecutionem finium rationalium haud raro valere plurimum plurimumque debita, legitima et rationabilia censeri et usurpari media a pure rationalibus plane diversa?

Rei natura. 52. Enimvero huc pertinet quae probe[1] tenenda hominis ex anima rationali et corpore naturalis synthesis in ordine naturae atque creationis: in ordine vero elevationis itemque reparationis non quidem *φυσικὴ* sed *ὑπερφυσικὴ* ejusdem ex naturalibus bonis donisque supernaturalibus prope conflatio: atque huc deinceps spectat sapiens mediorum ad fines ordinatio ac dispositio, tum accuratus et diligens illorum[2] ad hos consequendos usus. Sed quod in homine singulari ac individuo usuvenit, idem *κατ᾽ ἀναλογίαν* ad humanam societatem transferatur oportet.

XIV. *Romanae unitatis subiectum non meri sunt spiritus.*

53. Unde colligitur III. Christi ecclesiam, hoc est romanam unitatem, non eo sensu spiritualem esse, quasi ejusdem auctoritas vel solis spiritibus praesit, vel suum nonnisi in coelis sortiatur effectum. Sane gravissimi errores, atque detrimenta omnium maxima suam plus semel debent originem abusui vocum, quae nihil nisi innocuum, atque consuetudine receptum praeferre videntur. Innocua vox est *Christiparae*, sed ea abusus Nestorius unitatem personae Christi negavit. Innocua vox *consubstantialis*, sed illius abusu factum est, ut divina Trinitas everteretur. Innocua vox *libertatis* humanae, sed ex ea tumultuantes collegerunt, homines nulli obnoxios esse superiori potestati. Innocua est vox *spiritualis* cum ad ecclesiam refertur, sed ea hominibus male sanis occasionem praebuit vel disseminandae haereseos, quod ecclesia sit invisibilis, vel ejus discriminis inter civilem et ecclesiasticam societatem constituendi, quod et sit falsissimum, et ad absurda quaeque consectaria deducat. Sunt itaque, qui ex hac denominatione societatis *spiritualis*, quae ecclesiae tribuitur, inprimis

1. Verborum confusio.

---

[1] De hac similitudine cf. Suares. l. c. l. IV. c. 9. n. 3. Taparelli l. c. vol. II. adnott. CIX. CX.

[2] Videsis Taparelli l. c. adnott. LXXIII. et LXXIV.

eruant, imperium in hominem ita a Deo esse divisum civilem inter atque ecclesiasticam potestatem, ut haec tantum animis, illa vero tantum corporibus [1] imperet.

54. Huic errori alterum ex eodem fonte petitum illi adjiciunt, qui cum Petro Jannonio [2] statuunt: eo potestatem ecclesiae ab imperii potestate differre, quod illa principem suum effectum in coelis sortiatur, haec in terris. *2. Jannonius.*

55. Adversus errorem priori commemoratum loco, ista initio opponimus non scriptoris alicujus catholici, sed anglicani presbyteri Guilielmi Beveregii [3]: „Etiamsi ecclesia in imperio sit [4], reipsa nihilominus ab eo distinguitur, non secus atque anima a corpore; hoc enim medici, illa theologi curae committitur: proinde homo ex duabus istis conflatus partibus, commune est utriusque regiminis subjectum, sub diverso tamen respectu. Imperio quidem, quatenus ζῶον πολιτικὸν est, ecclesiae autem quatenus ζῶον ἀθανατὸν, sempiternae scilicet felicitatis vel miseriae capax. Enimvero homo convenientis sibi societatis ex natura [5] appetens, istiusmodi *3. Beveregius.*

---

[1] Hujus erroris, cujus meminerunt cl. Bianchi (Dell' esteriore polizia della Chiesa. lib. I. cap. I. §. III. n. VII.) Hermannus Dominicus Christianopulus (Diatrib. de eccl. potest. cap. I. §. I. n. 3. Romae 1774) et Joannes Devoti (Proleg. in Jus can. cap. VIII. §. 1.), assertor fuit ac vindex.... Rolandus Vayer de Butigny Neapoli an. 1768. *de regia auctoritate in aetatem nuncupandae religiosae professionis necessariam.*

[2] Apud cl. Bianchi l. c. n. VIII.

[3] Proleg. in Pandectas Canonum. §. I.

[4] Sed quonam pacto id temperandum accipiendumque sit, qui christiano modo ac more cogitat et loquitur facile intelligit; nonne enim vere et apte fas est dicere, in ecclesia esse imperium? Ita profecto si ecclesiae spectaveris amplitudinem, quae ad orbem terraqueum semet extendit: ita si ecclesiae spectaveris excellentiam quae imperii conditionem superat: ita si ecclesiae spectaveris necessitatem ac finem qui omnes gentes ecclesiam ingredi compellit: ita si spectaveris humanitatis παράδειγμα, τὸν θεάνθρωπον, in quo Verbi hypostasis naturam humanam ad se attraxit. *Ecclesia in imperio.*

[5] Quum potestas civilis naturalibus iisque externis humanae societatis necessitatibus consulat, indole sua naturalis est. Propterea autem nullatenus sequitur, non ordinari illam ad supernaturalem finem debere. Quod quum meis supra verbis edixerim, idem praestantissimi theologi, Suaris inquam, auctoritate confirmasse iuverit. Itaque 1) de legibus l. III. c. 11. n. 4. ubi Fortunium refellit qui civili potestati vim naturali superiorem asseruerat concludit: „Dico ergo potestatem civilem per relationem extrinsecam vel Dei vel hominis habentis illam posse ordinari ad supernaturalem felicitatem ut ad finem ultimum... nam ex parte Dei verum est omnia bona data hominibus etiam naturalia data esse propter felicitatem supernaturalem *Societatis provectio.*

necesse est subjiciatur legibus, quibus talis societas conservetur; ad eam autem integre conservandam nihil amplius requiritur, quam ut caveatur, ne unus alteri noceat, sed singuli sibi invicem prospiciant, et suum cuique tribuatur. Huic itaque rei ab imperio consultum est: quod propterea externis tantum hominum actionibus, per corporea scilicet exertis organa, advigilat, ut eae nimirum suos intra limites ita coerceantur, ut nihil ex iis mali, sed quantum fieri potest boni commodique, et aliis singulis et toti communitati [1] emergat, ita ut quisque se et suis et aliorum etiam societate quiete et tranquille gaudeat? Verum enimvero homo non hominum tantum, sed ipsius etiam Dei creatoris summique boni

---

adipiscendam, et hoc modo etiam haec potestas data est propter illum finem.„ Rursum 2) ibidem n. 10. contendit, „illa vitia et peccata quae dicuntur mixti fori, eatenus puniri et cohiberi per leges civiles, quatenus supposito hoc statu reipublicae christianae illam perturbant, et magna nocumenta illi afferunt etiam quoad suam pacem et externam felicitatem ac conservationem: hunc enim finem semper intendit ipsa potestas quatenus talis

Leo M. est, licet utens illa possit perfectius operari: et hoc modo Leo Papa ep. 7. laudat Theodosium, quod fide sua praesidium afferret ecclesiae, et non solum regium animum sed etiam sacerdotalem ostenderet, et quod curam haberet avertendi haereses et schismata: Quia tunc (inquit) est optimus regni vestri status, quando sempiternae Trinitati unius Deitatis confessione servitur.„ Tandem 3) n. 11. ita argumentatur: „Legislatio civilis de se et suo genere actio honesta est, licet ordinis naturalis et prudentiae acquisitae ac rationi naturali consentanea; ergo est de se apta referri ad finem supernaturalem; ergo princeps christianus facile potest in eum finem illam referre, et optime

Augustinus. facit illam referendo iuxta illud Augustini l. V. de civit. Dei c. 24. ubi de regibus christianis ait: „Felices eos dicimus, si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum, maiestati eius famulam faciunt:„ et quod in Con-

Concilium moguntin. cilium moguntin. sub Stephano c. 2. de rege dicitur: „Meminerit se prae omnibus ita sanctae matris Ecclesiae esse filium, ut ejus paci et tranquillitati per universum mundum suum prodesse faciat imperium.„ Est autem observandum hanc relationem posse dupliciter fieri, primo per positivam ordinationem, et sic regulariter erit in consilio, nisi ubi speciale praeceptum vel

Leo M. necessitas ad illud obligaverit. Sic enim Leo Papa ep. 75. ad Leonem Augustum inquit: „Debes incunctanter advertere regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam„ etc. Secundo intelligi potest per negationem tantum, seu per circumspectionem nihil statuendi per hanc potestatem, quod sit contrarium fini supernaturali vel eius consequutionem impedire possit, quae observantia et prudens cautio ex fide procedit, et virtualis quaedam relatio in ultimum finem dici potest. Estque non tantum in consilio, sed etiam in praecepto maxime proprio christiani ac catholici principis, ut constat.„

[1] De his sapienter abundanterque disputat Suares. de legibus l. III. et defens. fid. cathol. adv. anglic. sect. error. l. III. Becan. de primat. reg. opusc. VI. vol. III.

communione frui, eumque colere et ad summam, quae in creaturam conferri potest, felicitatem evehi ex natura comparatus est. Cum is autem et veram erga Deum pietatem, et suam in eo beatitudinem neglectui habere plus nimio propensus sit; inprimis necessarium est, ut harum etiam rerum cura ei habeatur. Haec autem ecclesiae concreditur: cui propterea, quoad ejus fieri potest, cavere incumbit, ut et debitus Deo omnipotenti honor a singulis exhibeatur, et ipsi suprema illa quibus nati apti sunt gaudia consequantur. Imperium igitur externis tantum hominum erga se invicem actionibus, ecclesia omnibus eorum erga ipsum etiam Deum gestibus intenta est: illud corpora, haec animas administrat. Christiani, fateor, cives utrique subjiciuntur, sed ei quatenus cives, huic quatenus christiani: ac illud proinde praesentia tantum mala ab iis propulsare, haec perpetua iis bona conciliare studet. Vel ut summatim dicam, imperium publicae tantum in terris hominum quieti, ecclesia [1] aeternae etiam in coelis eorum saluti consulit.„

56. Itaque ratio discriminis inter potestatem civitatis et ecclesiae non ex *subjecto* obnoxio, sed ex fine atque *effectibus* [2] repetitur. 4. *Subiectum obnoxium homo.*

---

[1] Quae ad supernaturalem ecclesiae potestatem maxime legiferam eiusque habitum quo cum potestate legislativa civili vincitur spectant, diligenter pertractat Suares. de legib. l. IV. cc. 8 sqq.

[2] Ad rem Suares (de legibus lib. III. cap. 11. n. 7.) hanc proponit thesim: potestas civilis . . . in pura natura spectata non habet pro fine intrinseco, et per se intento felicitatem naturalem vitae futurae, imo nec propriam felicitatem vitae praesentis, quatenus ad singulos homines, ut particulares personae sunt, pertinere potest; sed ejus finis est felicitas naturalis communitatis humanae perfectae, cujus curam gerit, et singulorum hominum ut sunt membra talis communitatis, ut in ea scilicet in pace et justitia vivant, et cum sufficientia bonorum, quae ad vitae corporalis conservationem et commoditatem spectant, et cum ea probitate morum, quae ad hanc externam pacem et felicitatem reipublicae, et continentem humanae naturae conservationem, necessaria est.„ Huic autem thesi fidem conciliat pluribus b. Thomae testimoniis (1. 2. q. 90. art. 2. q. 95. art. 1—4. q. 96. art. 2—3. q. 99. art. 3.), quibus docet, finem humanarum legum esse commune bonum civitatis, humanisque legibus ea duntaxat prohiberi ac praecipi, quae huic fini consentanea videantur. Tum rationem addit ex ipsa rei natura petitam, quae est hujusmodi. Civilis potestas ideo a Deo confertur, quia exigitur ab humana natura, quatenus socialis est, atque ex nativis proprietatibus ad societatem ordinatur. Sed potestas extendi latius non potest exigentia ipsa, cujus gratia tribuitur: haec enim illius veluti causa haberi potest. Ergo

Suares. *S. Thomas.* *Civilis potestatis origo.*

Subjectum obnoxium est commune utrique potestati, scilicet est homo anima constans et corpore; et homo utraque potestate ad finem dirigitur, quod bono continetur animi proprio.

5. *Potestatum discrimen.* 57. Potestas imperii hominem dirigit ad assequutionem civilis felicitatis: potestas ecclesiae eumdem dirigit ad assequutionem beatitatis sempiternae. Potestas imperii pro fine sibi proposito et ea jubet, quae assequutioni civilis felicitatis necessaria sunt, et ea vetat, quae ejusdem assequutioni adversantur.

Potestas ecclesiae pro fine, quem pariter propositum habet, praecipit, quae sempiternae beatitati comparandae conducunt, et prohibet, quae illius assequutionem vel retardant, vel prorsus impediunt. Atqui nemo eo usque desipiat, ut internis dumtaxat actibus promoveri vel impediri assequutionem sempiternae beatitatis affirmet. Rerum ergo adversatur naturis, ex eo discrimen utriusque potestatis petere, quod corporibus altera, altera animis praesit.

6. *Administratio cultus.* 58. Rursum, cuinam nisi ecclesiae credita est cura illius partis

---

civilis potestas commensuratur bono communi humanae societatis, ejusque felicitati. Atqui bonum naturale humanae societatis vitae praesentis limitibus circumscribitur; ergo fieri nequit ut amplior sit civilis potestatis extensio. Eandem ob causam civilis potestas non respicit bonum singulorum, nisi respectu habito ad bonum totius communitatis, quod est adaequatum ejusdem objectum. Ergo quod ita spectat ad privatam felicitatem, ut non refluat in bonum communitatis, non continetur objecto civilis potestatis.

Eiusdem extensio.

Triplex gubernatio. Ad haec: triplex distinguitur moralis hominum gubernatio, alia politica quae spectat ad regimen civitatis et communitatis perfectae: alia oeconomica, quae ad regimen ordinatur unius familiae atque domus: et alia propria uniuscujusque, quae monastica audit, quasi ad unius coarctata regimen. Jamvero civilem potestatem referri ad politicam gubernationem, ex ejusdem definitione innotescit. Itaque per se non refertur ad oeconomicum regimen nisi in iis, quae in commune bonum aut detrimentum civitatis redundant: reliqua enim, quae ad privatam familiam attinent, non civilibus legibus, sed patris familias nutu gubernantur. Ergo, servata proportionis ratione, non est civilis potestatis monastica directio, seu privata honestas singulorum, quatenus sunt hujusmodi: sed utique ad eam spectat per leges edicere illam morum honestatem, quae aut necessaria, vel apprime est utilis, ut quis bonus civis censeatur et sit. Sed ut singuli homines felicitatem naturalem assequantur, non sufficit ut hanc civilem honestatem excolant; sed necessaria eisdem est omnimoda morum integritas, et actuum directio ad Deum, quatenus indito naturae lumine cognoscitur. Ergo privata singulorum felicitas non concluditur finibus civilis potestatis.

cultus, qui externis actibus administratur? ergo absurde ad solos animos ecclesiae imperium adstringitur.

Ad haec, nonne externis etiam vinculis praecepit Christus ut in unum veluti corpus singuli quique fideles coalescerent? profecto externa sunt vincula unius ejusdemque fidei professio: externa sunt vincula eorumdem sacramentorum participatio: et externa sunt vincula legitimis pastoribus praestanda obedientia. Sed cujusnam erit nisi ecclesiae efficere, ne hujusmodi abrumpantur nexus, ex quibus ipsius ecclesiae incolumitas pendet? *Ecclesiae corpus.*

Praeterea, conferantur evangelia, legantur actus et litterae Apostolorum: ad omnem prope paginam dicta factaque occurrent, quibus hujus opinionis monstrum evertitur. Evertitur, dum ecclesiae tribunal asseritur, in quo, auditis testibus, sententia feratur: evertitur, dum proponuntur Apostoli, qui aut publicos peccatores excommunicatione, vel haereticos feriunt anathemate: evertitur, dum fideles a custodia legalium exempti legi subjiciuntur, qua usus sanguinis et suffocati eisdem interdicitur: evertitur, dum fidelibus negatur facultas participandi mensae idolorum: et evertitur, dum viri boni testimonii probatique eliguntur, qui mensis ministrent, et res ecclesiae procurent. *Scripturae.*

Quamquam argumentis opus haud est, ut error absurdissimus disjiciatur. Fac enim probes, imperium corporibus, ecclesiam solam animis praeesse. Homo, qui unus est ex animo et corpore constans discerpetur atque ita distrahetur, ut neutra potestas in veram hominum societatem imperium exerceat. *Praepostera.*

Nam hoc modo ecclesia societas esset animorum, essetque invisibilis, quales animi sunt: quo quidem nihil infensum magis Scripturis.

Civilis autem respublica societas esset corporum, quae sine animo non legibus parere, non coerceri poenis, non moveri loco, non agere quidquam possunt. Ergo inutiles essent omnes civiles leges [1], quoniam imperant corporibus, quae cum sunt animorum expertia, neque voluntatem habent parendi neque facultatem. *Suares.*

---

[1] Docet Suares. de legib. l. III. c. 12. 1) Legem civilem solum versari in materia honesta: 2) aliud esse praecipere iniquum, aliud permittere: 3) leges civiles posse praecipere recta in omnibus virtutibus et opposita *Lex civilis.*

Et codex ecclesiae quo tandem recideret? nullae forent synodorum et Pontificum sanctiones, quibus vel de ritibus sacramentorum, vel de coetibus habendis, vel de electionibus celebrandis, vel de bonis diribendis, vel de forma in judiciis servanda disponitur; atque ideo nullae essent, quod haec omnia et singula externis actibus administrantur. Quae cum ita sint, concludemus: nihil confingi absurdius potuisse, quam quod imperium corporibus, ecclesia nonnisi animis moderetur: utriusque potestas toti praeest homini, sed non totaliter, ut aiunt, non secundum omnia, verum pro suo quaeque fine.

XV. *Romanae potestatis effectus non sunt mere aeterni.*

Potestas ecclesiae suos in terris quoque effectus habet.

59. Ad alterum, quod spectat errorem, quo [1] ecclesiasticae potestatis effectus ad coelum reservantur: dicimus adversari illum disertis Scripturae verbis, christianae traditioni, et rationi ipsi, qua homines sumus.

Scripturae.

60. Adversatur Scripturae, nam Matth. XVI. et XVIII. dicitur, fore ut ligatum vel solutum sit in coelis, quod potestate divinitus accepta legitimi praesules ligaverint vel solverint in terris. Ergo in coelis ratihabetur quod in terra peragitur; ergo potestas ecclesiastica suos effectus in terris primum exserit.

Quid vero illud, quod Matth. XVIII. additur, veluti ethnicum

---

illis vetare: 4) potestatem legislativam non posse assequi suum finem, nisi in materia omnium virtutum praecipiat: 5) leges civiles intendere cives facere bonos viros, quia non possunt aliter facere bonos cives: 6) omnes virtutes morales aut esse ad alterum hominem, aut ad se, aut ad Deum, et secundum omnes hos respectus posse praecipere leges civiles: et 7) leges civiles non posse ferri de omnibus actibus omnium et singularum virtutum. Atqui haec mente concipi nequeunt, nisi legis civilis subiectum homo sit quatenus tota rationis suae vi pollet.

[1] Cum utroque hoc errore cohaerere eorum sentiendi loquendique modum diceres, quo ministros Christi eorumque ministeria, qui pro Christo legatione funguntur ab externis, visibilibus, sensibus obnoxiis, ut verbo dicam, a socialibus omnibus hominum placitis, usibus ac moribus exclusa volunt ac significant, idque praetendunt, spectare illos et illa ad interna dumtaxat, ad mere spiritalia, ad coelestia ac divina, operationisque eorum adeo campum sacrorum prope templorum muris circumscribendum esse. Nimirum Christum suamque ecclesiam ab humana societate et generatim ab hac visibili rerum universitate expulsum vellent atque extorrem! Sed „qui habitat in coelis irridebit eos, et Dominus subsannabit eos!„

et publicanum habendum illum esse, qui ecclesiae imperanti morem non gesserit? an in coelo primum, qui ecclesiae non acquieverint, e fidelium coetu excludentur?

Rursum, nihil ne in terris egit Paulus, cum Hymenaeum et Philetum, homines haereticos, satanae tradidit? nihil, cum incestuosum Corinthium e fratrum societate praecidit? nihil, cum ad Thessalonicenses [1] scripsit: „Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et ne commisceamini cum illo, ut confundatur?„

61. Sed ipsam consulamus traditionem, imo non ipsam, qua late patet, traditionem, sed unum ejusdem caput, quo docemur qui essent effectus publicae poenitentiae ecclesiastica auctoritate indictae. *Traditio.*

Jam inde a saeculo IV. eam obtinuisse disciplinam, qua poenitentiae stadium ab iis decurrendum qui certis se obstrinxissent flagitiis, in quatuor veluti stationes distingueretur, quae a graecis *τόποι τῶν ἐπιτιμιῶν* dicebantur, et quarum prior *πρόσκλαυσις*, sive *ὁ τοῦ προσκλαίοντος τόπος*, altera *ἀκρόασις* sive *ὁ τοῦ ἀκροωμένου*, tertia *ὑπόπτωσις* sive *ὁ τοῦ ὑποπίπτοντος*, et quarta *σύστασις* sive *ὁ τοῦ συνεστῶτος βαθμὸς* erat, innumeris constat testimoniis, quae apud plures diligentes rerum ecclesiasticarum tractatores [2] collecta videri possunt. *Poenitentia publica.*

Sed nemo ambigit, hanc disciplinam inductam primum fuisse, tum vero perenniter administratam clavium auctoritate. Ergo si hujus disciplinae effectus in terra conspicui maxime fuerint, nullo argumenti genere defendi poterit, ecclesiasticae potestatis eam esse naturam, ut quos parit effectus, iidem ad coelum reserventur.

XVI. *Romanae unitatis de civili societate cura.*

62. Neque eo etiam sensu ecclesia Christi spiritualis est societas, quod neque intendat, neque *procuret temporalem* [3] *status*

---

[1] Ep. II. c. 3.

[2] Cf. Caspar. Suicer. observat. sacr. cap. I. Binterim. Denkwürdigkeit. t. V. Hefele concilior. hist. passim.

[3] Recolantur, quae superius de romanae unitatis norma atque praescripto circa hanc rem praestituimus. Iuverit tamen illis adiecisse quae ad cives *1. Obedientia.*

felicitatem. Inter ceteros errores postremus ille non est, quo natura ac denominatio societatis spiritualis eo sensu ecclesiae tribuitur, quasi illi nullatenus cordi esset status ordo ac tranquillitas, neque ullam daret operam, ut respublica floreat, et incolumis conservetur. Ista dum effutiunt homines male sani eo spectant, ut ecclesiam repraesentent veluti quae nullam de humanis rebus curam gerat, nihili ducat praesentem felicitatem ac reipublicae bonum, proindeque nec iis se opponat, quae statum perturbare, neque ea promoveat, quae juvare illum possint. Sed falluntur egregie, et perspicue demonstrant, nescire se cujusmodi sit ecclesia, quae illius indoles, quae natura, et quae institutio.

2. Fidelium preces. 63. Noverint ergo, uti superius ostendimus, Scripturarum testimoniis, traditionis auctoritate, atque rerum ipsarum natura perspicuum esse, ecclesiam, cui veluti finis princeps proposita est suprema in coelis hominum beatitas, intendere, ac pro virili etiam satagere, ut reipublicae bene sit, imperium floreat, ac status ordo ac tranquillitas sancte custodiatur.

Paulus Apostolus. 64. Postquam universim edixit[1] Apostolus „Orandum esse pro omnibus hominibus„ continuo explicat et quinam omnium primi, et quem ob finem commendari Deo potissimum debeant: „Pro re-

---

gravi metu perculsos or. XVII. ed. Bill. 1609. vol. I. p. 270. A—C. disseruit *Gregorius naz.* Gregorius nazianzenus: *Ἔστι καὶ οὗτος εἷς τῶν ἡμετέρων νόμων καὶ οὗτος τῶν ἐπαινουμένων καὶ κάλλιστα διατεταγμένων τῷ πνεύματι, τὸ δύνατον μετὰ τοῦ καλοῦ δοκιμάσαντι καὶ νομοθετήσαντι ὥσπερ δούλοις ὑπακούειν δεσπόταις, καὶ γυναῖκας ἀνδράσι, καὶ κυρίῳ τὴν ἐκκλησίαν, καὶ μαθητὰς ποιμέσι καὶ διδασκάλοις. οὕτω δὲ καὶ πάσαις ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτάσσασθαι, οὐ μόνον διὰ τὴν ὀργὴν, ἀλλὰ καὶ διὰ τὴν συνείδησιν, ὡς ὑποτελεῖς φόρου τυγχάνοντας καὶ μὴ κακοποιοῦντας μισεῖν τὸν νόμον, μηδὲ ἀναμένειν τὴν μάχαιραν, ἀλλὰ τῷ φόβῳ καθαιρομένους ἐπαινεῖσθαι ὑπὸ τῆς ἐξουσίας:* „Jamvero inter ceteras nostrae doctrinae leges hanc quoque habemus cumprimis laudandam, et a Spiritu, qui id quod praestare possumus cum eo quod pulchrum et honestum est exploravit legeque sanxit, praeclare constitutam, qua ut servi heris suis et uxores viris et ecclesia Christo, et discipuli magistris ac pastoribus dicto audientes esse atque obtemperare iubentur, ita nobis etiam praescribitur, ut sublimioribus potestatibus pareamus non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam (i. e. non solum propter poenam sed propter officium), ut qui pendendo tributa simus obnoxii: nec committamus ut ob scelera et flagitia nostra legem odio habeamus ac vindicem gladium exspectemus: quin potius id agamus, ut per timorem purgati laudem a potestate consequamur.„

[1] I. Tim. cap. II. 1 sqq.

gibus, et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate.„ [1]

Igitur injungit ecclesiae, ut pro moderatoribus reipublicae preces ad Deum fundat, atque a Deo impetret status quietem et tranquillitatem. Sed quis in animum inducat suum, ab ecclesia negligi, non intendi, non procurari illud ipsum, pro quo apostolicis erudita institutionibus Deum exorat, atque a Deo summis infimisque precibus efflagitat?

Quid vero illa sibi volunt Apostoli „ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et honestate?„ Haec demonstrant ad sanctitatem vitae, ad honestatem actionum, ad virtutum culturam plusquam mediocriter conferre reipublicae pacem, et status tranquillitatem. Atqui ecclesia intendit vehementer, et procurat sollicite sanctimoniam, honestatem, virtutum exercitationem. Ergo non potest non secundario intendere, ac prope ex consequenti procurare reipublicae ordinem, et status felicitatem, e quibus priora illa sin minus absolute, aliquo tamen modo certissime pendent. Itaque contradicunt Apostolo, qui hanc sibi fingunt ecclesiae non imaginem, atque speciem ad vivum expressam, sed fallacem adumbrationem, quod illam nulla de humanis rebus cura tangat, nihili ducat, quae ad civilem statum referuntur.

65. Ceterum eadem, qua Apostolus ratione, usus jamdiu fuerat *Jeremias.* Jeremias. Adhortans namque Judaeos Babylone captivos, ut Domini Dei sui recordarentur, legemque ab ipso acceptam sedulo custodirent; istud quoque addidit Jeremias: [2] „Et quaerite pacem civitatis ad quam transmigrare vos feci, et orate pro ea ad Dominum, quia in pace illius erit pax vestra.„ Quasi diceret: vobis summopere cordi esse debet pax civitatis, atque a Deo precibus efflagitanda; pax enim vestra, et tranquillum religionis studium vix aut ne vix quidem cum reipublicae turbis et civitatis inordinatione componi potest.

Scilicet et Jeremias et Paulus gravissimis denuntiant sententiis, ecclesiae bonum cum reipublicae tranquillitate arctissimis nexibus cohaerere. Qui ergo illud intendunt et procurant, hanc quoque intendant et procurent necesse est.

---

[1] Ἐν πάσῃ εὐσεβείᾳ καὶ σεμνότητι, *in omni pietate et honestate.*
[2] XXIX. 7.

Historia. 66. Quod si de ecclesiae mente atque studiis [1] ferri judicium ex factis debeat, res est in tuto, et nonnisi absurde adduci in quaestionem potest.

Ecquid enim discimus ex vetustissimis ecclesiae scriptoribus, Justino [2], Origene [3], Eusebio [4]? Discimus hanc fuisse ecclesiarum omnium consuetudinem, ut a Deo principibus quamquam perditissimis, et ferarum more in christianos saevientibus, primo quidem veram adprecarentur fidem, tum sanam mentem, qua rempublicam rite administrarent, atque una cum felicitate status ecclesiae bonum promoverent. *Tertullianus.* Omnium loco audiatur [5] Tertullianus: „In coelum suspicientes christiani, manibus expansis, quia innocuis, capite nudo, quia non erubescimus, denique sine monitore, quia pectore oramus, precantes sumus semper pro omnibus imperatoribus vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, et quaecunque hominis et Caesaris vota sunt.„

3. *Morum probitas.* 67. Sed non precum ambitu emolumenta continentur, quae ex ecclesia in rem publicam dimanant. Quid opportunius, vel necessarium magis reipublicae civium probitate et sanctimonia? atqui utramque suis institutionibus, sua disciplina procurat ecclesia.

4. *Religio.* 68. Quid opportunius vel necessarium magis [6] religione adversus Deum? atqui ecclesia est, quae civium animos vera imbuit religione.

5. *Obsequium.* 69. Quid opportunius, vel necessarium magis obsequio et officio, quae principibus deferantur? atqui haec maxime inculcat,

---

[1] Vide Taparelli sag. teor. di dritt. nat. vol. II. adnott. CXVI. tum ibid. vol. I. nn. 220 sqq. 890 sqq.

[2] Apolog. II.

[3] Con. Cels. l. VIII.

[4] Euseb. H. E. l. IV. c. 26.

[5] Apolog. adv. gent. c. 30.

[6] Imperium hominis in hominem et obedientia hominis homini praestita innituntur hac persuasione, velle Deum ut homini imperanti homo obediat. Eo autem Dei voluntatem reapse pertinere ex eo patet quod Deus est auctor humanae societatis, quae absque imperio ordinata ut oportet esse nequit. Attamen aliud est imperandi potestas ac vis, et aliud potestatis subiectum, quod generatim vel omnes vel plures vel unum exsistit. Videsis Suares. defens. fid. cathol. adv. anglic. sect. error. l. III. cc. 1 sqq. de legib. l. III. cc. 1 sqq.

divinam potestatis originem aperit, inobedientiam sanctione omnium maxima punit, et incitamenta praebet omnium efficacissima, queis cives ad obsequium et obedientiam compellantur. Non habeo quomodo ista illustrem praeclarius quam in medium proferendo, quae Paulus et Petrus docent.

Sic ergo ille: [1] „Omnis anima potestatibus sublimioribus sub- *Paulus.*
dita sit: non est enim potestas nisi [2] a Deo, quae autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt: nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? bonum fac, et habebis laudem ex illa: Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est: vindex in iram ei, qui malum agit. Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim et tributa praestatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.„

Et Petrus: [3] „Subjecti igitur estote omni humanae creaturae *Petrus.*
propter Deum: sive regi quasi praecellenti: sive ducibus tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem [4] vero bonorum: quia sic est voluntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum [5] ignorantiam.„

---

[1] Rom. XIII. 1—8.

[2] Ex his apparet, auctoritatem hominis in hominem dari nullam, nisi ad originem fontemque omnis superioritatis recurramus: hinc insita atque congenita vi eiusdem specificae naturae aequalitas omnium hominum non tollitur, nisi pie ac religiose Dei habeatur ratio. Qui ergo ex humana societate pietatem religionisque vim excludere satagunt, ii non magis Dei quam principum praesidumque societatis humanae hostes infensissimi censendi sunt.

[3] I. Epst. II. 13—15.

[4] His Apostolorum princeps officium munusque principum societatis significat, idque in iustitia distributiva situm, qua pro meriti ratione dispensare praemia et pro ratione demeriti irrogare poenas tenentur: hoc enim ad illorum finem missionemque spectat.

[5] Prudenter ergo, scite sapienterque cum omni obedientia Petrus fidelibus se erga principes habere praecipit itemque praecipit Paulus. Principes autem quibus sua aetate obediendum esse scripserunt, non erant utcunque hostiles, sed atrocissimi christianae oeconomiae inimici, puta Neronem. Vexationes ergo, licet religiosae fuerint, ex Apostolorum auctoritate iustum

A quibus haec alia eiusdem Apostoli [1] verba seiungi non debent: „Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam discolis. Haec est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias patiens injuste.„

Ratum igitur fixumque maneat, non ideo ecclesiam unitatemque romanam societatis spiritalis nomine donari, quod quae ad rempublicam spectant neque curet neque promoveat. [2]

XVII. *Romanae unitatis vincula externa solvi ac deseri citra ruinam nequeunt.*

Externa et publica exigitur subiectio.

70. Corollarium VIII. Quod si unitatis romanae tam fides quam caritas atque concordia oportet socialis sit, si publica factisque manifestanda externis; apparet frustra sibi de ejus civitate illos blandiri, qui vel spretis vel insuper habitis communibus vinculis ad suam provocant in fide constantiam et in dilectione perseverantiam. Ad eos enim auctoribus Barnaba [3] et Clemente

Isaias.

alexandrino [4] haec spectant Isaiae [5] prophetae: „Vae illis, qui sibi solis intelligunt, et apud se docti videntur:„ et ad eosdem

Clemens romanus.

haec quoque romani [6] Clementis, quibus corinthiacam scissuram

---

fidelitatis negandae titulum subditis praebere non possunt. Hanc vero apostolicam doctrinam in romana unitate fideliter conservatam esse ab Hieronymo superius accepimus, eamque usque modo servari recentiora et recentissima praesulum nominatimque romani antistitis pastorales litterae testantur.

[1] Ibid. vv. 18—19.

[2] Quum hac de re plura quam allegari queant scripta in lucem prodierint, appellasse satis sit ad duas orationes academicas quarum alteram an. 1855. Monachii habuit cl. vir D. Ringseiss: „Pontific. de civili societ. et scient. merita„: alteram an. 1862. eruditus vir Fr. Hettinger „de organismo disciplinarum in scientiarum universitatibus„ pp. 71 sqq.

[3] Epist. l. 4. Non separatim debetis seducere vos tanquam justificati, sed in unum convenientes inquirite, quod communiter dilectis conveniat et prosit. Dicit enim Scriptura: „Vae illis, qui sibi solis intelligunt et apud se docti videntur.„

[4] Str. l. II. n. 7. *Καὶ Βαρνάβας ὁ ἀπόστολος, οὐαὶ οἱ συνετοὶ παῤ ἑαυτοῖς καὶ ἐνώπιον αὐτῶν ἐπιστήμονες προτάξας ἐπήγαγεν· πνευματικοὶ γενώμεθα, ναὸς τέλειος τῷ θεῷ· ἐφ᾿ ὅσον ἐστὶν ἐφ᾿ ἡμῖν, μελετῶμεν τὸν φόβον τοῦ θεοῦ, καὶ φυλάσσειν ἀγωνιζώμεθα τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ, ἵνα ἐν νοῖς δικαιώμασιν αὐτοῦ εὐφρανθῶμεν.*

[5] Is. V. 21.

[6] Ad Corinth. ep. I. n. 1. *Βράδιον νομίζομεν ἐπιστροφὴν πεποιηκέναι περὶ τῶν ἐπιζητουμένων παῤ ὑμῖν πραγμάτων, τῆς τε ἀλλοτρίας καὶ ξένης τοῖς ἐκλεκτοῖς τοῦ θεοῦ μιαρᾶς καὶ ἀνοσίου στάσεως, ἣν ὀλίγα πρόσωπα προπετῆ καὶ αὐ-*

condemnat: „Seditionem impiam ac detestandam, Dei electis peregrinam et alienam, quam pauci homines temerarii et audaces in tantum insolentiae accenderunt, ut honorificum et illustre nomen vestrum et ab omnibus amari [1] dignum vehementer blasphemetur.„ Utinam porro qui tales sunt, has ejusdem discipuli et successoris Apostolorum principis admonitiones [2] audirent atque sequerentur: „Justum igitur et pium est, inquit, viri fratres, Deo potius obedientes nos esse, quam in superbia et turbulentia detestandae aemulationis duces et auctores sequi. Detrimentum enim non leve, immo vero grande periculum sustinebimus, si praecipitanter voluntatibus hominum nos tradiderimus, qui ad contentionem et seditiones collineant, ut nos ab eo quod rectum et bonum est abalienent.„ Et propterea [3] concludit: „Adhaereamus itaque iis, qui cum pietate pacem colunt, non autem iis, qui cum simulatione pacem volunt.„ Sed ubi et quinam sint pacis cum pietate cultores, arduum ex praestitutis non est novisse, idemque multo etiam evidentius ea patefacient quae jam exponenda adgredimur.

CAPUT III.

De romanae unitatis principio.

I. *Singularium ecclesiarum unitas ex episcopis singularibus.*

71. Nemo est, qui non facile assequatur, fidem concordiamque communem, objectivam, socialem et publicam requirere principium causamve communem, objectivam, socialem pariterque 1. *Episcopi vis.*

θάδη ὑπάρχοντα εἰς τοσοῦτον ἀπονοίας ἐξέκαυσαν, ὥστε τὸ σεμνὸν καὶ περινόητον καὶ πᾶσιν ἀνθρώποις ἀξιαγάπητον ὄνομα ὑμῶν μεγάλως βλασφημηθῆναι.

[1] Nonne haec ad amussim quadrant hinc in romanam nostra hac tempestate ecclesiam, et inde in calamitosos illos homines qui incredibili audacia ac temeritate, pari vanitate atque insolentia abrepti in illam insurgunt, cuius lacte enutriti fuerunt?

[2] Ibid. n. 14. *Δίκαιον οὖν καὶ ὅσιον ἄνδρες ἀδελφοὶ, ὑπηκόους ἡμᾶς μᾶλλον γενέσθαι τῷ θεῷ ἢ τοῖς ἐν ἀλαζονείᾳ καὶ ἀκαταστασίᾳ μυσαροῦ ζήλους ἀρχηγοῖς ἐξακολουθεῖν. Βλάβην γὰρ οὐ τὴν τυχοῦσαν, μᾶλλον δὲ κίνδυνον ὑποίσομεν μέγαν, ἐὰν ῥιψοκινδύνως ἐπιδῶμεν ἑαυτοὺς τοῖς θελήμασιν τῶν ἀνθρώπων, οἵτινες ἐξακοντίζουσιν εἰς ἔριν καὶ στάσεις, εἰς τὸ ἀπαλλοτριῶσαι ἡμᾶς τοῦ καλλῶς ἔχοντος.*

[3] Ibid. n. 15. *Τοίνυν κολληθῶμεν τοῖς μετ' εὐσεβείας εἰρηνεύουσιν, καὶ μὴ τοῖς μεθ' ὑποκρίσεως βουλομένοις εἰρήνην.*

publicam. Omnes vero norunt, huc pertinere eorum magisterium ac regimen, quos Spiritus sanctus posuit [1] regere ecclesiam Dei, quique interpellatam numquam seriem successionemque doctorum pastorumque [2] ecclesiae efficiunt atque constituunt. Neque enim per alios animorum et labiorum, voluntatum ac virium tanta tot hominum varietas per singulas aetates ad unionem harmoniamque sentiendi, loquendi agendique revocatur, quam per succedentes sibi jugiter episcopos.

Ignatius M.

Insignius ad hoc comprobandum afferri nihil potest, quam quod quavis epistola docet s. M. Ignatius: satis modo haec [3] sint ex ejus ad Ephesios epistola: „Decet itaque vos omnibus modis glorificare Jesum Christum qui glorificavit vos, ut in obedientia una sitis perfecti eadem mente eademque sententia idemque dicatis de eodem omnes, ut subjecti episcopo et presbyterio per omnia sanctificati sitis.„ His autem evidenter Ignatius non modo fidei conjunctionisque socialis necessitatem, sed utriusque etiam fontem docet atque principium: nimirum magisterium ac regimen episcopi suique presbyterii.

2. Extra unitatem episcopi nulla salus.

Hinc [4] pergit: „At quum caritas non sinat me tacere de vobis, propterea anteverti vos admonere, ut uniamini in sententia Dei. Etenim Jesus Christus inseparabilis nostra vita, sententia Patris est, ita et episcopi per tractus terrae constituti in sententia Jesu Christi sunt.„ Quemadmodum ergo cum Patris aeterni sententia convenit Christi doctrina, ita cum Christi doctrina episcoporum praedicatio cohaeret, qui propterea per orbem constituti sunt, ut salutari eadem veritate omnes imbuantur. Post quae [5] colligit:

---

[1] Act. XX. 28.

[2] Ephes. IV. 11.

[3] N. 2. *Πρέπον οὖν ἐστι κατὰ πάντα τρόπον δοξάζειν Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν δοξάσαντα ὑμᾶς ἵνα ἐν μιᾷ ὑποταγῇ ἦτε κατηρτισμένοι τῷ αὐτῷ νοΐ καὶ τῇ αὐτῇ γνώμῃ, καὶ τὸ αὐτὸ λέγητε πάντες περὶ τοῦ αὐτοῦ, ἵνα ὑποτασσόμενοι τῷ ἐπισκόπῳ καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ κατὰ πάντα ἦτε ἡγιασμένοι.*

[4] Ib. n. 3. *Ἀλλ᾽ ἐπεὶ ἡ ἀγάπη οὐκ ἐᾷ με σιωπᾷν περὶ ὑμῶν, διὰ τοῦτο προέλαβον παρακαλεῖν ὑμᾶς ὅπως συντρέχητε τῇ γνώμῃ τοῦ θεοῦ. Καὶ γὰρ Ἰησοῦς Χριστὸς τὸ ἀδιάκριτον ἡμῶν ζῆν, τοῦ Πατρὸς ἡ γνώμη, ὡς καὶ οἱ ἐπίσκοποι, οἱ κατὰ τὰ πέρατα ὁρισθέντες ἐν Ἰησοῦ Χριστοῦ γνώμῃ εἰσίν.*

[5] N. 4. *Ὅθεν πρέπει ὑμῖν συντρέχειν τῇ τοῦ ἐπισκόπου γνώμῃ ὅπερ καὶ ποιεῖτε. Τὸ γὰρ ἀξιονόμαστον ὑμῶν πρεσβυτέριον τοῦ θεοῦ ἄξιον οὕτως συνήρμοσται τῷ ἐπισκόπῳ ὡς χορδαὶ κιθάρᾳ. Διὰ τοῦτο ἐν τῇ ὁμονοίᾳ ὑμῶν καὶ συμφώνῳ ἀγάπῃ Ἰησοῦς Χριστὸς ᾄδεται. Καὶ οἱ κατ᾽ ἄνδρα δὲ χορὸς γίνεσθε,*

„Unde decet vos in episcopi sententiam concurrere, quod et facitis. Nam memorabile vestrum presbyterium dignum Deo ita coaptatum est episcopo, ut chordae citharae. Propter hoc in consensu vestro et concordi caritate Jesus Christus canitur. Sed et vos singuli chorus estote et consoni per concordiam melos Dei recipientes in unitate cantetis voce una per Jesum Christum Patri, quo et vos audiat, et agnoscat ex iis, quae bene operamini membra esse vos Filii ipsius. Utile itaque est in immaculata unitate vos esse, ut et semper participetis Deo.„

3. *Unitatis centrum episcopus.*

Vigeat ergo oportet in Dei ecclesia concentus atque harmonia omnium, ita tamen ut pro instituto divinitus providentiae ordine populus fidelium contineatur auctoritate presbyterorum, quorum centrum episcopus, adeo ut singularum communionum sive ecclesiarum unitatis principium episcopi exsistant. Ita testatur ac docet apostolicus vir ac martyr et ipse episcopus, pastor et doctor in plaga ecclesiae orientali.

Irenaeus.

72. Pro eadem vero simul ac pro occidentali parte testis ejusdem rei gravissimus pariter est s. Irenaeus, episcopus rursum et martyr, qui praeter alia plura opportunissima haec [1] contra gnosticos statuit: „Traditionem itaque Apostolorum in toto mundo manifestatam in omni ecclesia adest (pronum est) respicere omnibus, qui vera velint videre, et habemus annumerare eos qui ab Apostolis instituti sunt episcopi in ecclesiis et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt neque cognoverunt, quale ab his deliratur. Etenim si recondita mysteria scissent Apostoli, quae seorsim et latenter ab reliquis perfectos docebant, his vel maxime traderent ea quibus etiam ipsas ecclesias committebant. Valde enim perfectos et irreprehensibiles in omnibus eos volebant esse, quos et successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterii tradentes, quibus emendate agentibus fieret magna utilitas, lapsis autem summa calamitas.„ Nihil ergo magis perspicuum, quam eo episcopos jugemque eorum successionem pertinere, ut una eademque semper in ecclesiis fides, eademque Christi sancti-

---

ἵνα σύμφωνοι ὄντες ἐν ὁμονοίᾳ χρῶμα θεοῦ λαβόντες ἐν ἑνότητι ᾄδητε ἐν φωνῇ μιᾷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τῷ Πατρὶ, ἵνα ὑμῶν καὶ ἀκούσῃ, καὶ ἐπιγινώσκων δἰ ὧν εὖ πράσσετε, μέλη ὄντας τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ. Χρήσιμον οὖν ἐστιν, ὑμᾶς ἐν ἀμώμῳ ἑνότητι εἶναι, ἵνα καὶ θεοῦ πάντοτε μετέχητε.

[1] Adv. haer. l. III. n. 3.

que Spiritus vita servetur et vigeat. Utramque enim ministerio eorum communicari porro [1] affirmat, quos Deus in ecclesia posuit, Apostolos nimirum, prophetas, doctores; ideoque concludit, „semetipsos fraudare a vita, qui non currunt ad ecclesiam, i. e. qui divisi sejunctique ab ecclesiae episcopis exsistunt.„

Cyprianus. 73. Testi postremo pro utraque ecclesiae plaga testimonium perhibenti, testique priori pro parte orientali testanti addemus tertium, qui pro occidentali suffragium ferat, itidemque martyrem atque episcopum nobilissimae florentissimaeque africanae ecclesiae s. Cyprianum. Is autem quum in gravissimis rerum adjunctis quidquid ad rem sive probandam sive illustrandam conferre possit depromere coactus fuerit, aptus inprimis ac dignus est, cujus mentem paullo diligentius exploremus. Jamvero solemne Cypriano esse, visibilem ecclesiae unitatem ab unitate legitimi pastoris derivare atque repetere, adeo ut eodem auctore alieni ab ecclesia censerentur, qui legitimis pastoribus non subessent, vel ipse animadvertit [2] Dodwellus. Et sane hanc fuisse Cypriani ratam sententiam ea luculenter ostendunt, quae idem disseruit cum alias tum potissimum in causis Novatiani atque Felicissimi.

Felicissimi fraudes. 74. Cum Felicissimus, et quinque ejusdem sacramenti presbyteri nonnullos ex lapsis a communione abstraxissent Cypriani legitimi pastoris, ac speciosis titulis scelus suum praetexerent; Cyprianus gravissima commotus [3] animarum sibi creditarum pernicie, ardentissimo quo potuit caritatis studio adhortari seductos coepit, „ut lupos vitarent, qui salutem promittunt, ne qui deliquit veniat ad salutem, qui ecclesiam spondent, dum id agunt ut qui illis credit, in totum ab ecclesia pereat.„

Ergo duo erant Cypriano indubitata, et quod extra unitatem ecclesiae nulla spes esset salutis: et quod unitas ecclesiae unitate legitimi pastoris contineretur.

Fortunatus pseudoëpiscopus. 75. Quae persuasio plebeculae quoque animos ita occupaverat, ut schismatis signiferi spe redeundi in ecclesiam ducerent et lac-

---

[1] Ibid. c. 24.
[2] Dissert. VII. Cyprianic.
[3] Epist. 38. 40. 45.

tarent quos deceperant: quam fraudem nudavit ordinatio Fortunati quem pseudoëpiscopum carthaginiensem crearunt.

Audiatur Cyprianus: [1] „Namque ii quibus in praeteritum praestigia obtendebantur et dabantur verba fallacia, quod simul ad ecclesiam regressuri dicerentur, posteaquam viderunt illic pseudoëpiscopum factum, frustratos et deceptos se esse didicerunt, et remeant quotidie atque ad ecclesiam pulsant.„

Porro qui remeant atque ad januam pulsant, extra domum sunt. Ergo extra domum itidem sunt, et ab ecclesia extorres, qui a legitimi pastoris communione recedunt.

76. Novatiani adversus legitimum antistitem Cornelium factio sibi cum alios, tum etiam ex confessoribus non paucos devinxit. *Novatiana factio.*

Gravavit tantum facinus Cyprianum et contristavit, [2] ac intolerabili perculsi et pene prostrati pectoris moestitia perstrinxit, quod semet ipsi a Christi grege, et ab ejus pace atque concordia separassent: quod eos [3] de carcere prodeuntes schismaticus et haereticus error excepisset. Vagantur ergo extra ovile, neque dominici gregis concluduntur septis, qui legitimis pastoribus non cohaerent.

77. Quod cum pervidissent romani confessores Cypriani praesertim litteris excitati, illatum unitati damnum felici reditu repararunt. Etenim, ut Cornelius ait: [4] „Cognito suo errore, ad ecclesiam unde exierant, simplici voluntate venerunt.„ Habemus ergo cum Cypriano asserentem Cornelium, extra communionem legitimi pastoris haberi conventicula posse, ecclesiam non posse; ac proinde unumquemque episcopum in sua ecclesia principium esse unitatis, eique ab omnibus obtemperari oportere. *Cornelius P.*

78. Imo habemus et romanos confessores ejusdem doctrinae vindices, utpote qui suum confitentes errorem coram Cornelio et quinque aliis episcopis, et romano presbyterio, ipsaque plebe, *Romani confessores.*

---

[1] Epist. 55.
[2] Ita enim ipse loquitur epist. 44.
[3] Epist. 51.
[4] Epist. 46.

quae magno numero confluxerat, declararunt, [1] animo et corde se in ecclesia semper fuisse, quandoquidem non ignorarint, „unum Deum esse, et unum Christum esse Dominum, unum Spiritum sanctum, unum episcopum in ecclesia catholica esse debere.„

II. *Necessitas unitatis episcoporum et ecclesiarum singularium.*

79. Sed quum de catholica quae est romana unitate agitur, non una aliqua particularis fidelium societas, verum multitudo quaedam per terrarum orbem exsistentium communionum episcoporumque particularium animo et oculis objicitur: de quanam igitur unitate majores nominatimque Cyprianus disserunt, quam a singulis illis hic exigit et flagitat sive fidei sive caritatis conspirationem?

Cyprianus. Id gravissimis verbis Cyprianus [2] expressit, quum hanc sibi aliisque fratribus regulam dixit: „Quam unitatem firmiter tenere et vindicare debemus, maxime episcopi, qui in ecclesia praesidemus, ut episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei unitatem perfida praevaricatione corrumpat. Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia quoque una est, quae in multitudinem latius incremento foecunditatis extenditur.„

1. Mutua episcoporum et plebium coniunctio. 80. Ea ergo ab episcopis singulis procuranda efficiendaque unitas est, qua episcopatus catholicus probatur ac manifestatur unicus et indivisus. Sed unitas episcopatus per orbem universum diffusi non ea probatur ac manifestatur unitate qua particulares plebes suis praepositis adhaerent, verum ea, qua praepositi ipsi una cum suis plebibus mutuo omnes junguntur invicem invicemque copulantur.

Ad haec, eam unitatem efformandam efficiendamque Cyprianus episcopis praecipit, quae unitati episcopatus respondeat, cujus ratio una eademque in se vis, ad multos tamen per orbem semet protendit multisque communicatione proprius fit, ut porro per ipsos e multis ubique una eademque societatis credentium vis ac ratio efformetur. Unde clare patet, ecclesiarum unitatem con-

---

[1] Epist. 46.
[2] De unit. eccles.

junctione effici episcoporum, neque minorem esse necessitatem unionis conjunctionisque episcoporum inter se, quam est necessitas fidelium cohaerendi cum unitis conjunctisque episcopis.

81. Hinc satis non est Cypriano, ut quis cuivis adhaereat episcopo: non sufficit ei communicatio cum quovis episcopo: „Si quis, scribit [1] ad lapsos, cum Felicissimo se conjunxerit, eum postea ad ecclesiam redire, et cum episcopis et plebe Christi communicare non posse„: sed exigit ac flagitat conjunctionem cum episcopis vinculo catholicae unitatis cohaerentibus, ideoque hortatur [2] confessores, ut ad ecclesiam redeant, eisque [3] post reditum gratulatur, „quod ecclesiae veritas et evangelici sacramenti unitas, quae a nobis episcopis plebibusque catholicis tenebatur, eorum etiam consensu ac vinculo necteretur„

2. Adhaerendum catholicae unitatis episcopis extra quam sancti nihil et pii.

82. Qua de re ne ullus ambigendi locus reliquus sit, haec Cypriani disputatio efficit:

Invaserat Novatianus Romae episcopatum, et per emissarios suos idem facinus in aliis civitatibus tentarat. Cyprianus ut Novatiano addictos refellat, hoc praesertim adhibet argumentum: quod cum is solus episcopus sit, cujus episcopatus ab aliis collegis confirmatur et agnoscitur, si quis in ejus locum irruere audeat, nullam is cum episcopis ecclesiae catholicae habere communionem possit, ac proinde extra ecclesiam devius pereat.

Novatiani invasio.

Verba Cypriani: [4] „Factus est autem Cornelius episcopus de Dei et Christi ejus judicio, de clericorum pene omnium testimonio, de plebis, quae tunc affuit suffragio, et de sacerdotum antiquorum et bonorum virorum collegio, cum nemo ante se factus esset, cum Fabiani locus, i. e. cum locus Petri et gradus cathedrae sacerdotalis vacaret; quo occupato de Dei voluntate atque omnium nostrum consensione firmato, quisquis jam episcopus fieri voluerit, *foris fiat* necesse est, nec habeat ecclesiasticam ordinationem qui ecclesiae non tenet unitatem.„

Cornelius legitimus.

Constituunt ergo singuli episcopi corpus unum, atque unum

---

[1] Epist. 40.
[2] Epist. 44.
[3] Epist. 51.
[4] Epist. 52.

episcopatum, ex cujus unitate illa efflorescit ecclesiae unitas, extra quam, Cypriano auctore, nihil reperitur sancti, nihil pii, religiosi nihil. Atqui ecclesiae unitas ex unitate sobolescens corporis episcoporum, non alia est ab unitate catholicae romanaeque ecclesiae.

3. *Episcopus catholicus nullus extra communionis vinculum.* *Cyprianus.*

83. Eodem argumenti genere demonstrat Cyprianus, episcopos a Novatiano in aliis civitatibus constitutos, non ad Christi, sed ad humanam ecclesiam spectare:[1] „Nisi si episcopus tibi videtur, qui episcopo in ecclesia a sedecim coëpiscopis facto, adulter atque extraneus episcopus fieri a desertoribus per ambitum nititur, et cum sit a Christo una ecclesia per totum mundum in multa membra divisa, item episcopatus unus episcoporum multorum concordi numerositate diffusus, ille post Dei traditionem, post connexam et ubique conjunctam catholicae ecclesiae unitatem humanam conetur ecclesiam facere, et per plurimas civitates novos apostolos suos mittat, ut quaedam recentia institutionis suae fundamenta constituat; cumque jam pridem per omnes provincias et per urbes singulas ordinati sint episcopi in aetate antiqui, in fide integri, in pressura probati, in persecutione proscripti, ille super eos creare alios pseudoëpiscopos audeat.„

4. *Episcoporum conspiratio abesse ab ecclesia catholica nequit.*

84. En 1) habes non rem dumtaxat, sed nomen quoque ipsum unitatis ecclesiae catholicae, quae alia non est quam unitas romana.

Porro 2) si nosse cupias, quomodo haec unitas efformetur, respondet tibi Cyprianus, efformari illam unitate episcopatus. Quod si perconteris, unde episcopatus unitas repetenda sit, audies derivari illam ex concordi singulorum episcoporum consensione.

Haec autem 3) unanimis episcoporum conspiratio traditione Domini praescribitur, neque abesse a Christi ecclesia potest: adeo ut si quae fiant extra hanc unitatem, fieri pariter extra unitatem verae ecclesiae censeantur.

Unde apparet 4) non absolute unumquemque episcopum in sua ecclesia principium esse unitatis, verum si cum aliis episcopis communicet; secus vero si ab unitate episcopatus discedat: tunc principium potius discordiae et schismatis habebitur.

---

[1] Epist. 52.

Quod 5) rursum declarat Cyprianus [1] contendens, etiamsi legitime fuissent ordinati, eos tamen episcopos novatianae factionis pro legitimis agnosci non posse, qui ab unitate catholica discesserunt: „Episcopatum autem tenere non posset, etiamsi episcopus prius factus a coëpiscoporum suorum corpore et ab ecclesiae unitate descisceret.„

Itaque 6) ut quis sit episcopus, [2] maneat necesse est in ecclesiae unitate, in qua solum manebit, si coëpiscoporum suorum corpori communionis vinculo copuletur.

85. Hanc Cypriani, Cornelii, ac utriusque ecclesiae romanae et carthaginiensis praeclaram sententiam amplectuntur atque docent reliqui etiam ecclesiastici tractatores, adeo ut illam ex fonte dominicae traditionis promanare dubitari non possit.

5. Extra catholicam unitatem illegitimi et schismatici.

Tertullianus [3] de praescriptionibus libro, ut probet „haeresim malum esse schismate pejus et acrius insectandum„ testimonio utitur ex Pauli ad Thessalonicenses epistola [4] scribens: „Denique si totum capitulum ad unitatem continendam et separationes coërcendas sapit; haereses vero non minus ab unitate divellunt, quam schismata et dissensiones, sine dubio et haereses in ea conditione reprehensionis constituit, in qua schismata et dissensiones: ac per hoc non eos probabiles facit, qui in haereses diverterint, cum maxime diverti ab ejusmodi objurgat, edocens unum omnes loqui, et idipsum sapere, quod etiam haereses non sinunt.„

Tertullianus.

Itaque 1) eam Paulus Tertulliano interprete affirmat esse ecclesiae unitatem, quam dilacerent schismata, corrumpant dissensiones. Sed neque Paulum loqui de unitate alicujus particularis ecclesiae, neque a Tertulliano intelligi quasi hoc sensu loqueretur; clarius est quam quod debeat illustrari. Ergo catholicae ecclesiae ea est unitas, quam schismata corrumpunt. Atqui nihil foret a schismatibus timendum unitati catholicae ecclesiae, nisi singulae particulares ecclesiae deberent caritatis nexibus jungi, atque in unum veluti corpus componi.

---

[1] Epist. 52.
[2] Licite, et quoad jurisdictionem.
[3] C. 5.
[4] I. c. 5.

Hinc 2) idem Tertullianus eodem in libro, [1] ut haereticos atque schismaticos ab ecclesia extorres convincat ait: „Communicamus cum ecclesiis apostolicis, quod nulla doctrina diversa.„ Quasi diceret, extra communionem ecclesiarum apostolicarum synagogae antichristi esse possunt, ecclesiae Christi non possunt.

Optatus milevitanus.

86. Concinit milevitanus Optatus, qui in priori libro de schismate donatistarum inquirens, quinam illi fuerint, ex quibus origo funestissimi schismatis repeti debeat; postquam ostendit tantum scelus tribui solum donatistis posse, naturam schismatis in eo sitam esse affirmat, quod unitatem episcopatus discindat.

Verba Optati: [2] „Et quia collegium episcopale nolunt nobiscum habere commune, non sint collegae si nolunt, tamen fratres sunt.„

Quibus hic subest sensus: Renuunt societatem, communionem, consortium cum episcopis catholicis; illis igitur collegae titulum denegabimus, minime vero fratrum nomen, quum distingui debeat inter fraternitatem et communionem, quando ad illam sufficiat unitas fidei et eadem nativitas, ad hanc vero praeterea necessaria sint externa caritatis et unitatis indicia. Quorum defectu licet aliquis non proprie reddatur haereticus, attamen extra ecclesiam atque spem salutis constituitur.

87. Quod iterum [3] declarat Optatus, quum recensens ecclesiae dotes, atque priori loco commemorans unitatem cathedrae, illico subdit: „Igitur de dotibus supradictis cathedra est (ut diximus) prima, quam probavimus per Petrum nostram esse, quae ducit ad se angelum. Nisi forte eum vobis vindicantes habetis in loculis clausum. Mittite illum si potestis, excludite septem angelos, qui sunt apud socios nostros in Asia, ad quorum ecclesias scribit Joannes Apostolus; [4] cum quibus ecclesiis nullum communionis probamini habere consortium. Unde vobis angelum, qui apud vos possit fontem movere, aut inter ceteras dotes ecclesiae numerari. Extra septem ecclesias quicquid foris est alienum est: aut si inde habetis aliquem unum, per unum communicatis et ceteris angelis,

---

[1] C. 21.
[2] De schismat. donat. N. 4. l. I.
[3] Libro II. n. VI.
[4] Apoc. I.

et per angelos supramemoratis ecclesiis, et per ipsas ecclesias nobis. Si ita est, litigium perdidistis."

Ergo 1) inter dotes ecclesiae altero loco haberi debet angelus, scilicet episcopus legitimam habens potestatem suae ecclesiae regendae.

Atqui 2) carebant hujusmodi angelo donatistae, quandoquidem eorum episcopi cum reliquis non communicarent, neque a reliquis signa communionis acciperent.

Igitur 3) communio inter angelos eorumque conjunctio altera est ex dotibus ecclesiae.

88. Asserit idipsum Augustinus, quum Caeciliani episcopatum legitimum atque intra ecclesiam adversus donatistas propugnat, scribens [1]: „Non mediocris Carthago auctoritatis habebat episcopum, qui posset non curare conspirantem multitudinem inimicorum, quum se videret et romanae ecclesiae, in qua semper apostolicae cathedrae viguit principatus, et ceteris terris, unde evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias litteras esse conjunctum." *Augustinus.*

Igitur 1) adprobari aliter nequit legitimus episcopatus, quam ex consensione cum ceteris praesulibus. *6. Probatio episcopatus legitimi.*

Quod 2) vel ipsis persuasum fuisse donatistis ex ratione deprehenditur, qua Caecilianum veluti illegitimum pastorem traducebant. Quaenam porro haec ratio? Nimirum, Augustino teste, [2] quod nulla Caeciliano cum episcopis donatistis esset communio, societas nulla. *Donatistarum persuasio.*

89. Hinc ecclesia numquam non dedit operam, ut haec inter episcopos communio certis eluceret indiciis. *7. Communionis tessera.*

Huc enim spectant litterae communicatoriae, pacificae, formatae, quarum apud veteres frequentissima mentio est, et quae sicuti habebantur velut indubium argumentum ecclesiasticae unionis probandae, ita ad hanc ipsam unionem continendam fovendamque adhibebantur. Sed de his deinceps.

---

[1] Epist. 13. n. 7.
[2] Ibidem.

III. *Episcoporum ecclesiarumque particularium omnium unitas e romano episcopo romanaque ecclesia.*

1\. *Pastorum gregumque multitudo et unitas.*

90\. Jamvero cum una sit ecclesia Dei, uti unus est et Deus et Christus unus, haec vero unitas tam interna quam externa in tanta plebium multitudine ex unitate pastorum dependeat, qui singulis ecclesiis praesunt et quibuscum harum singulae quaeque nexibus fidei atque caritatis cohaereant oportet: quaeritur de supremo omnium unitatis principio, quo ipsa quoque vinciatur copuleturque pastorum multitudo, adeo ut e credentium universitate unum constituatur ac prodeat ovile et unus efformetur grex?

Augustinus. Scite sapienterque monet [1] Augustinus: „Quod unitas confirmat omnem multitudinem; et multitudo nisi unitate ligetur, rixosa et litigiosa [2] est; multitudo autem consors unam animam facit; sicut et ipsis illis qui acceperunt Spiritum sanctum, ut Scriptura dicit, [3] „Erat anima una et cor unum in Deum.„

91\. Unde ergo omnium pastorum cum suis agnis unitatis [4] origo et fons? Unde tanta unitas tamque conspicua, quae ad divinae Trinitatis Christique Domini similitudinem expressa [5], vel ad humanae hypostaseos imaginem exacta argumento sit divinae auctoris sui missionis, qua „universa multitudo gentium [6] quae sunt sub coelo congregentur in congregationem unam divinae fidei et ecclesiae?„ *Anastasius sinaita.*

---

[1] Ser. CLVIII. de pentecost. n. 2. ap. Mai N. PP. Bib. t. I. p. 352.

[2] Quinam Augustino litigiosi rixosique sint ipse declarat ibidem p. 407. s. CLXXXII. n. 1. „Solent homines alterius religionis simplices quosque catholicos subtilissima et non simplici interrogatione provocare, ut cum eis aliquid de Trinitatis mysterio colloquantur, proponentes eis tortuosissimas quaestiones.„

Quibus consona sunt quae habet com. in ep. ad Tit. c. III. v. 9. Hieronymus col. 596. ed. Migu. tom. VII. „Satis forsitan de Hebraeorum supercilio et plus quam necesse fuerit diximus: sed occasio nobis data est de genealogiis et contentione ex rixis, quae ex lege veniunt, disserendi. Dialectici quorum Aristoteles princeps est, solent argumentationum retia tendere, et vagam rhetoricae libertatem in syllogismorum spineta concludere.„

[3] Act. IV. 32.

[4] Joh. X. 16.

[5] Joh. XVII. 20 sq. Ephes. IV. 13 sqq.

[6] Anast. sinait. in hexaëm. l. III. ad verba: „Congregetur aqua„ ap. Mign. gr. PP. t. 89. pp. 879 sqq.

Quodnam est principium, quo [1] „singulares ecclesiae mundi rectae sint fidei et una Christi universalis ecclesia exsistat?„ quo [2] „una quidem per totum orbem atque mare est ecclesia, unde orantes dicimus: Pro sancta et unica catholica et apostolica ecclesia a finibus usque ad fines terrae?„ „Rursus vero, pergit Theodoretus, [3] divisa est ipsa per civitates et oppida, quas propheticus sermo domos nuncupavit. Quemadmodum quaelibet civitas intus multas habet domos inter se divisas, et una tamen civitas nominatur; sic infinitae et innumerabiles sunt ecclesiae in insulis et in continenti: simulque omnes in unum rediguntur, verorum dogmatum unitae consonantia.„ Et iterum: [4] „Domos vero rursus, ut jam superius diximus, ecclesias nominat, quae per urbes et oppida et villas divisae sunt: nam eamdem et unam vocat et multas. Jubet itaque sermo propheticus sanctissimi Spiritus gratia, ut illi quibus salutaris praedicatio credita est, circumeant et concursent, et turres doctrina stabiliant, et reliquum ipsius robur confirment, et insuper distribuant ecclesiarum curam: quod quidem quadragesimo quinto psalmo diximus. Hoc enim et hoc in loco jubet: Distribuite domos ejus. Nimirum ut hic quidem hanc gubernet ecclesiam, ille vero illam, et suus cuique agricola praesit et congruentem ipsius curam gerat. Et hoc non semel atque iterum, sed omnibus saeculis faciendum jubet.„ *Theodoretus.*

---

[1] Ibid. p. 886.

[2] Theodoret. in Ps. XLVII. v. 4. ap. Migne. t. I. pp. 1212 sq. *Μία μέν ἐστι κατὰ πᾶσαν γῆν καὶ θάλασσαν ἐκκλησία· διὸ προσευχόμενοι λέγομεν· ὑπὲρ ἁγίας καὶ μόνης καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας τῆς ἀπὸ περάτων ἕως περάτων τῆς οἰκουμένης.*

[3] Ibidem. *Διῄρηται δὲ πάλιν αὕτη κατὰ πόλεις καὶ κώμας καὶ ἀγρούς· ἃς βάρεις ὁ προφητικὸς προσηγόρευσε λόγος. Ὥσπερ ἑκάστη πόλις πολλὰς ἔνδοθεν οἰκίας ἔχει διῃρημένας, μία δὲ ὅμως ὀνομάζεται πόλις· οὕτω μυρίαι καὶ ἀριθμοῦ κρείττους εἰσὶν ἐκκλησίαι καὶ ἐν νήσοις καὶ ἐν ἠπείροις· εἰς μίαν δὲ κοινῇ πᾶσαι τελοῦσι τῇ συμφωνίᾳ τῶν ἀληθῶν ἡνωμέναι δογμάτων.*

[4] Ibid. ad vv. 13 sq. *Βάρεις δὲ πάλιν, ὡς καὶ ἤδη προειρήκαμεν, τὰς κατὰ πόλεις καὶ κώμας καὶ ἀγροὺς διῃρημένας ἐκκλησίας· τὴν γὰρ αὐτὴν καὶ μίαν λέγει καὶ πολλάς. Παρεγγυᾷ τοίνυν ὁ προφητικὸς λόγος, ἡ τοῦ παναγίου πνεύματος χάρις, τοῖς τὸ σωτήριον κήρυγμα πιστευθεῖσι, περινοστεῖν καὶ διατρέχειν, καὶ τούς τε πύργους στηρίζειν τῇ διδασκαλίᾳ, τήν τε ἄλλην αὐτῆς δύναμιν βεβαιοῦν, πρὸς δὲ τούτοις καὶ διανείμασθαι τὴν τῶν ἐκκλησιῶν ἐπιμέλειαν· ὃ δὴ καὶ ἐν τῷ τεσσαρακοστῷ πέμπτῳ ψαλμῷ προειρήκαμεν. Τοῦτο γὰρ καὶ ἐνταῦθα παρεγγυᾷ. Καταδιέλεσθε τὰς βάρεις αὐτῆς· ὥστε τοῦτον μὲν ταύτης, ἐκεῖνον δὲ ἐκείνης προμηθεῖσθαι τῆς ἐκκλησίας, καὶ ἑκάστῃ ἐπιστῆναι τὸν γεωργοῦντα καὶ τὴν προσήκουσαν ποιούμενον ἐπιμέλειαν. καὶ τοῦτο οὐχ ἅπαξ οὐδὲ δὶς ἀλλὰ καθ' ἑκάστην γενεὰν ἐπιτελεῖσθαι κελεύει.*

Ambrosius. 92. Verum quis domorum agricolarumque multitudinem ad civitatis unius uniusque campi catholici formam revocat? Quis in „sanctae ecclesiae congregatione [1] quae in unum connexum corpus atque compactum unitate fidei et caritatis assurgit„ capitis partes exsequitur, atque multiplicia corporis membra continet moderatur et regit? „Unum enim, ita cum majoribus omnibus pic- *Hilarius pictaviensis.* taviensis [2] Hilarius, ecclesia corpus est, non quadam corporum confusione permixtum, neque singulis in indiscretum acervum et informem cumulum adunatis, sed per fidei unitatem, per caritatis societatem, per operum voluntatisque concordiam, per sacramenti unum in omnibus donum, unum omnes sumus.„ Sed ubi unitatis, societatis concordiaeque praesidium ac vinculum, quo disjecta quaquaversus membra disjunctaeque ex sese partes vitata confusione ad concentum harmoniamque rediguntur?

2. Romanus episcopus unitatis principium. Ecclesiae caput. 93. Non alibi neque aliunde illa quaeras et petas omnia, quam ab urbe Romae antiquae romanaeque urbis pastore, qui suffragio majorum I. est diciturque totius catholicae societatis, visibilisque adeo corporis ecclesiae caput, ad quod qui sunt in ecclesia reliqui omnes, quamvis non eodem omnes gradu ac modo, tamquam dependentia membra referuntur. Egregie ad rem mag- *Leo M.* nus Leo [3] perscripsit: „Haec connexio, inquit, totius quidem corporis unanimitatem requirit, sed praecipue exigit concordiam sacerdotum, [4] quibus quum dignitas sit communis, non est tamen [5] ordo generalis: quoniam et inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quaedam discretio potestatis, et quum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut caeteris praeemineret. De qua forma quoque episcoporum est orta distinctio, et magna ordinatione provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia; et rursus quidam in majoribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri sedem universalis ecclesiae cura conflueret, et nihil usquam a suo capite dissideret.„

---

[1] Ambros. de off. ministror. l. III. c. 3. n. 19. coll. Pseudo-Hieron. in Ps. 23. v. 6.

[2] In Ps. CXXI. n. 5.

[3] Ep. ad Anast. thessalon.

[4] Sacerdotes significat primi ordinis adeoque episcopos uti monuimus.

[5] Haec orientalium petunt scissionem.

Neque insignia minus tradidit [1] Ambrosius Gratianum Augustum affatus: „Totius orbis romani caput romanam ecclesiam atque illam sacrosanctam Apostolorum fidem ne turbari sineret, obsecranda fuit clementia vestra; inde enim in omnes venerandae communionis jura dimanant.„ *Ambrosius.*

A quibus sejungi verba [2] non debent Fulgentii, quibus celebrat romanam, quae mundi caput est, ecclesiam: neque Brunonis astensis, quibus [3] pronuntiat: „Absit hoc a catholica atque apostolica et romana ecclesia, quae caput et fundamentum ac speculum dicitur et probatur esse omnium ecclesiarum, quam Deus et Dominus noster Jesus Christus per semetipsum aedificare dignatus est.„ *Fulgentius.* *Bruno astensis.*

94. Et ne occidentalibus inniti solis videamur, praesto sunt haec sane splendida e chalcedonensium [4] Patrum ad Leonem M. relatione, quibus romanum episcopum ita alloquuntur: „Repletum [5] est gaudio os nostrum, et lingua nostra exultatione. Hanc tamquam propriam nobis prophetiam gratia coaptavit, a quibus pietatis est restitutio confirmata. Quid enim fide sublimius ad laetandum? Quid agnitione dominica festivius ad coronas, quam nobis olim Salvator ipse tradidit ad salutem [6] inquiens: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti; docentes eos servare omnia quaecunque mandavi vobis? Quam veluti auro textam seriem, ex veste Christi et praecepto legislatoris venientem usque ad nos, ipse servasti, vocis beati Petri [7] omnibus constitutus interpres, ejus fidei beatificationem super omnes adducens. Unde et nos quippe ut inchoatore [8] *Synodus chalcedonensis.*

---

[1] Epp. cl. I. ep. XI. n. 4.

[2] De incarnat. et gratia c. 3.

[3] Tract. de sacrif. azym. coll. Marcel. ancyr. ep. ad Jul. Pont.

[4] Apud Harduin. tom. I. p. 655.

[5] Ps. CXXV.

[6] Matth. XXVIII.

[7] Quibus ad vivum expressa apparet Petri in successoribus suis perpetuitas.

[8] His significatur romanus praesul dogmatum praeformator: quod quidem postea disertius effertur verbis: „quas (delicias spirituales, quae sunt coelestia dogmata) per tuas litteras Christus praeparaverat.„ Sed et illud postremo hoc inciso indicatur, cum Petri successore, dogmatum praeformatore, ipsum esse Christum.

bonorum te ad utilitatem utentes, ecclesiae filiis hereditatem sortemque veritatis ostendimus: non singulatim faciente in occulto [1] unoquoque doctrinam, sed uno spiritu, una conspiratione atque concordia confessionem fidei declarantes: et eramus in communi corona gaudii, quasi in imperialibus coenis, deliciis spiritualibus epulantes, quas per tuas litteras Christus praeparaverat invitatis, et super coelestem sponsum inter nos conversantem nos cernere putabamus. Si enim ubi sunt duo aut tres congregati in nomine ejus, ibi se [2] in medio eorum fore perhibuit, quantam circa quingentos viginti sacerdotes peculiaritatem (al. familiaritatem) potuit demonstrare, qui et patriae et labori suae confessionis notitiam praetulerunt? Quibus tu quidem, sicut membris caput, praeeras in his qui tuum tenebant [3] ordinem, benevolentiam praeferens. Imperatores vero fideles ad ordinandum decentissime praesidebant sicut Zorobabel et Jesus, ecclesiae tamquam Jerusalem aedificationem renovare circa dogmata annitentes (al. invitantes)." Quibus uti suus fideli principi locus assignatur, ita romani praesulis praerogativa effertur, qua 1) ipse est doctrinae Christi servator;

ipse 2) constitutus omnibus interpres salutiferae Petri confessionis;

ipse 3) eamdem beatam fidem omnibus proponens;

ipse 4) bonorum inchoator, quem episcopi praeformantem sequuntur;

ipse 5) spiritualium Christi deliciarum quibus episcopi fruuntur praeparator:

ipse tandem 6) uti caput episcopis praeest.

Hinc precantes [4] absolvunt: „Rogamus igitur, et tuis decretis nostrum honora judicium, et sicut nos capiti in bonis adjecimus consonantiam, sic et summitas tua filiis quod decet adimpleat."

95. Quorum splendori non cedunt quae leguntur [5] in Concilio

---

[1] Excluditur fides privata quae dicitur, et fides externa ac socialis exponitur.

[2] Matth. XVIII.

[3] Significatur utrumque, et ordinis episcopalis aequalitas et Leonis pontificalis superioritas.

[4] Ibid. p. 659.

[5] Act. II. ap. Harduin. t. I. p. 1471. *Φίλιππος πρεσβύτερος καὶ πρεσβευτὴς τῆς ἀποστολικῆς καθέδρας εἶπε· χάριτας ὁμολογοῦμεν τῇ ἁγίᾳ καὶ σεβασμίᾳ συνόδῳ, ὅτι ἀναγινωσκομένων ὑμῖν τῶν γραμμάτων τοῦ ἁγίου καὶ μακαρίου*

Synodus ephesina.

ephesino. Postquam Coelestini judicio adversus Nestorii haeresim Patres acclamarunt, haec pronuntiata a Philippo presbytero et apostolicae sedis (cathedrae) legato fuerunt: „Gratias agimus sanctae venerandaeque synodo, quod litteris sancti beatique Papae nostri vobis recitatis, sancta membra sanctis vestris vocibus, sancto capiti, sanctis etiam vestris exclamationibus, vos adjunxeritis. Non enim ignorat vestra beatitudo, totius fidei [1] vel etiam Apostolorum caput esse beatum Apostolum Petrum. Proinde cum nostra mediocritas multis tempestatibus jactata et vexata serius accesserit, rogamus ut ea nobis patefieri mandetis, quae ante adventum nostrum in sancta hac synodo acta sunt; quo juxta beati Papae nostri, praesentisque hujus sancti coetus sententiam, nos quoque confirmemus conformiter eorum depositioni.„

Antiqua Orientis cum Occidente conspiratio.

In eo ergo Oriens cum Occidente plane conspirat, romanum episcopum in orbe catholico capitis praerogativa excellere partesque capitis habere atque obire. Sed capitis est, continere membra corporis; non alibi ergo neque apud alios quaerendae unitatis catholicae radices, quam apud ipsam romanae urbis cathedram ejusque antistitem.

3. *Romanus praesul unitatis fons.*

96. Neque aliunde aut ab aliis quam ab Urbe et uno ejus pastore unitatis fundamenta repetenda esse, inde II. patet, quod illius urbis pastorisque ecclesia uti fons exhibetur, ad quem reliquae per orbem ecclesiae rivulorum instar se habent.

Africani episcopi.

Quinque Africae episcopi: Aurelius, Alypius, Augustinus, Evodius et Possidius litteris [2] ad Innocentium I. post celebratas synodos carthaginiensem et milevitanam datis liquido rem explicant. Petita enim prolixioris sermonis venia [3] subdunt: „Non enim

---

πάπα ἡμῶν, τὰ ἅγια μέλη ταῖς ἁγίαις ἡμῶν (al. *ὑμῶν*) *φωναῖς, τῇ ἁγίᾳ κεφαλῇ καὶ ταῖς ἁγίαις ὑμῶν ἐκβοήσεσιν ἐνηνόχατε· οὐ γὰρ ἀγνοεῖ ὑμῶν ἡ μακαριότης, ὅτι ἡ κεφαλὴ ὅλης τῆς πίστεως ἢ καὶ τῶν ἀποστόλων ὁ μακάριος Πέτρος ὁ ἀπόστολος. καὶ ἐπειδὴ νῦν τὸ μέτριον τὸ ἡμέτερον πολλοῖς χειμῶσι καὶ σκυλμῷ* (al. *ἐσκυλμένον*) *βραδύτερον παρεγένετο, διὰ τοῦτο παρακαλοῦμεν, τὰ ἐν τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ πρὸ τῆς ἡμῶν ἀφίξεως πεπραγμένα ἡμῖν φανερωθῆναι κελεύσητε· ἵνα κατὰ τὴν γνώμην τοῦ μακαρίου πάπα ἡμῶν, ἔτι γε μὴν καὶ τοῦ παρόντος ἁγίου συλλόγου, καὶ ἡμεῖς ὁμοίως τῇ αὐτῶν καταθέσει βεβαιώσωμεν.*

[1] Fidei ergo membrum non est qui Petro fidei capiti non iungitur.

[2] Est inter Augustin. epp. CLXXVII.

[3] Ibid. n. 19.

rivulum nostrum tam largo fonti augendo refundimus, sed in hac non tamen parva tentatione temporis, unde nos liberet, cui dicimus, ne nos inducas in tentationem, utrum etiam noster licet exiguus ex eodem quo etiam tuus abundans [1] emanet capite fluentorum, hoc a te probari volumus, tuisque rescriptis de communi participatione unius gratiae consolari.„ Scilicet hac illi allegoria docent, non secus doctrinam particularium sedium veram et apostolicam inde probari, quod illa ostendatur eadem cum romanae cathedrae praedicatione, ac rivulorum latices inde genuini ac puri probantur, quod cum suo illi fonte cohaerere et ab eo irrigari ostendantur.

97. Id quod rursum africani praesules [2] contestantur profitentes: „Magnum et indeficientem omnibus christianis fluenta redundantem apud apostolicam sedem consistere fontem nullus ambigere possit, de quo rivuli prodeunt affluenter, universum largissime irrigantes orbem christianorum, cui etiam in honore beatissimi Petri patrum decreta peculiarem omnem decrevere reverentiam in requirendis Dei rebus, quae omnino et sollicite debent, maxime vero justeque ab ipso praesulum examinari vertice apostolico, cujus vetusta sollicitudo est tam mala damnare, quam probare laudanda.„

Innocentius I. 98. Quae confirmat [3] ipse Innocentius ad episcopos africanos scribens, „inde (a sede sua) ceteras ecclesias (velut de natali suo fonte aquae cunctae procederent, et per diversas mundi regiones puri capitis incorruptae manarent) quid praecipere (al. praeciperent, abluerent), quos abluere, quos veluti in coeno inemundabili sordidatos mundis digna corporibus unda vitaret„ accipere. Et iterum ad milevitanos [4] idem: „Neque enim, scribit, hoc vestram credo latere prudentiam, qui id etiam actione firmastis, scientes quod per omnes provincias de apostolico fonte petentibus responsa semper emanent.„

Vinciuntur ergo provinciae ecclesiasticae omnes vi originalis fontis, qui Romae emanat et usque ad fines orbis non minus quam ad fines temporum dimanat et dimanabit.

---

[1] Amplitudine ergo episcopalis auctoritatis potestatisque prae reliquis episcopis excellit romanus.

[2] Ep. ad Theodor. pontif. lecta act. II. synod. later. sub Martino I.

[3] Rescript. ad conc. carthag. ap. Harduin. t. I. p. 1025.

[4] Rescript. Innocent. Pap. ad milev. conc. ap. Hard. l. c. p. 1028.

.99. Hinc gallicanorum Patrum tributa [1] Leoni encomia una cum insigni gratiarum actione erga Deum, „quod tantae sanctitatis pontificem contulerit apostolicae sedi, unde religionis nostrae, propitio Christo, fons et origo manavit.„ *Episcopi Galliae.*

Est ergo res explorata compertaque omnibus, et est res apud antiquum fidelium nomen pervulgata et constans, unum exsistere supremum fontem orbis catholici, a quo is totus abundanter fluentis apostolicis irrigetur, quoque adeo fit ut totus apostolicus aeque ac unus persistat. Is vero alius non est a sede romana, quam Petrus fundavit suisque ornamentis ditavit. Apud eam ergo collocata fuerunt catholicae unitatis fundamenta.

4. Episcopatus romanus origo est et exordium totius episcopatus catholici. Traditio romana. Siricius P. Innocentius I.

100. Et sane III. ne illa quaeratur alibi, solemne majorum effatum vetat, quo originem exordiumque ipsum unius catholici episcopatus [2] a romanis antistitibus repetunt. Repetit [3] Siricius: „Cum in unum, ait, plurimi fratres convenissemus ad sancti Apostoli Petri reliquias, per quem et apostolatus et episcopatus in Christo coepit exordium.„ Repetit [4] primus Innocentius: „Incipiamus igitur, inquit, adjuvante (al. Deo et) sancto Apostolo Petro, per quem et apostolatus et episcopatus in Christo coepit exordium.„ Et idem [5] rursum: „Scientes, quid apostolicae sedi, quum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum [6], debeatur, a quo ipse episcopatus et tota auctoritas nominis hujus emersit.„ Et denuo [7] idem: „Praesertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres et coëpiscopos nostros nonnisi ad Petrum, i. e. sui nominis et honoris auctorem referre debere, velut nunc retulit vestra dilectio, quod per totum mundum possit ecclesiis omnibus in communi prodesse.„

101. Sed praeter romanos antistites idipsum repetit Caesarius arelatensis [8] ita Symmachum alloquens: „Sicut a persona beati *Traditio Galliae. Caesarius.*

---

[1] Epist. ad Leon. apud Labbé. concil. t. IV. p. 578.

[2] De quo supra statuimus.

[3] Ad Afric. epp. ann. 386. ep. V. n. 1. ap. Coustant. col. 651.

[4] Ep. ad Victric. rotomag. an. 404. ap. Coust. ep. II. col. 747.

[5] Ep. an. 417. data ad epp. carthag. ep. XXII. col. 888 sq.

[6] Ita κατ' ἐξοχὴν Petrus vocatur, sicut romana eius sedes κατ' ἐχοχὴν apostolica dicitur.

[7] Ad PP. milev. ep. XXX. col. 896.

[8] Ep. XIV. n. 2. lib. oblato Symmacho ap. Labbé. tom. V. p. 424. coll. ep. synod. PP. gallic. ad Leon. I. ap. Labbé. t. IV. p. 578.

Petri Apostoli episcopatus sumpsit initium, ita necesse est, ut disciplinis competentibus sanctitas vestra singulis ecclesiis, quid observare debeant, evidenter ostendat.„

Traditio Africae. Ferrandus diaconus.

102. Tum Ferrandus [1] diaconus carthaginiensis repetit affirmans, decreta chalcedonensis concilii ex consensu sedis apostolicae, quae episcopatus fons est atque principium, accepisse robur invictum, ut nullus appellationi amplius locus exsistat.

Est ergo romana sedes uti episcopatus origo episcoporum ἀνακεφαλαίωσις: ad eam revocantur omnes, omnesque in ea rursum colliguntur, adeo ut ex ea una universorum unitas nectatur tota totaque pendeat.

5. Episcopi romani exsortes tituli. Pater Patrum.

103. Sed hoc IV. declarari apertius non potuit quam ea appellatione, qua utraque plaga orientalis aeque ac occidentalis romanum episcopum cohonestavit, quum illum Patrem Patrum, pastorem pastorum atque episcoporum episcopum [2] nuncuparent.

Orientales episcopi.

Ita orthodoxi episcopi sub Menna in synodum [3] coacti libello supplici ad Agapitum pontificem inscripserunt: „Domino nostro per omnia sanctissimo, et beatissimo Patri Patrum, archiepiscopo romanorum et patriarchae Agapito.„

Episcopi africani.

Et similiter africani episcopi in epistola trium simul conciliorum [4] lecta in synodo [5] lateranensi sub Martino I.: „Domino beatissimo, apostolico culmine sublimato, sancto Patri Patrum Theodoro papae et summo omnium praesulum pontifici.„ Sicut ergo universa familia cum filiis a patrefamilias, ita universa ecclesia cum suis episcopis in unitate continetur ac regitur a romano antistite, qui non filiorum tantum, sed patrum quoque pater exsistit. Referuntur ergo vel ipsi episcopi filiorum instar ad praesulem urbis uti ad patrem; immo vero referuntur ad eumdem uti oves ad suum pastorem.

---

[1] Ep. ad Pelag. et Anatol.

[2] Cf. Fr. Bernardin. Ferrar. de antiq. ecclesiast. epistol. gen. l. III. c. 1. et Stephan. Baluz. in adiectt. adnott.

[3] Contra Anthimum, Severum aliosque acephalos anno 536. ap. Labbé. t. V. p. 999.

[4] Numidiae, Byzacenae, Mauritaniae.

[5] Anni 649. ap. Labbé. t. VII. p. 131.

104. Est enim summus omnium pastor quemadmodum diserte contestantur archimandritae et monachi Syriae ita Hormisdam pontificem alloquentes: „Christus Deus noster principem pastorum et doctorem et medicum constituit vos: vos caput estis omnium.„ *Pastor pastorum. Orientales.*

Idem est teste Bernardo [1] „pastor pastorum omnium, quibus greges particulares commissi fuere.„ Quare Bruno astensis [2] de illo idem quod de Petro repetendum affirmavit scribens: „Prius agnos, deinde oves ei commisit, quia non solum pastorem, sed pastorem pastorum eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit et oves; pascit filios, pascit et matres; regit et subditos et praelatos: omnium igitur pastor est, quia praeter agnos et oves in ecclesia nihil est.„ *Occidentales.*

Videlicet non secus est diciturque ecclesia romana omnium matrix [3] materque [4], ac ejusdem episcopus est diciturque omnium pater: neque aliter idem romanus episcopus est omnium agnorum oviumque pastor, ac salutaria fidei communionisque pascua ad oves agnosque e romana sede et cathedra dimanant. *Ecclesia romana omnium matrix et mater.*

105. Atqui ut unitas illa custodiatur, patris est jubere, pastoris est regere, episcopi est praeesse. Et is sane V. est praesul romanus, qui auctore [5] Isidoro hispalensi omnibus praesit: „Sic nos scimus praeesse ecclesiae Christi, quatenus romano pontifici reverenter, humiliter et devote tamquam Dei vicario prae ceteris ecclesiae praelatis specialius nos fatemur debitam in omnibus obedientiam exhibere. Contra quod quemquam procaciter venientem tamquam haereticum, a consortio fidelium omnino decernimus alienum. Hoc vero non ex electione proprii arbitrii, sed potius auctoritate Spiritus sancti habemus firmatum, ratumque credimus et tenemus.„ Est ergo exploratae apud catholicos fidei, universale *6. Romani episcopi omnibus praesunt. Isidorus hispalensis.*

---

[1] De considerat. l. II. c. 8. Eodem jam spectavit Tertullian. de pudicit. c. 1.

[2] Hom. in vigil. fest. s. Pet.

[3] Cypr. ad Cornel., coll. Innocent. I. ep. II. n. 2. ad Victric. rotom., Caesar. arel. in lib. quem Symmacho obtulit, epp. gallic. ep. synod. ad Leon. I., PP. conc. aurel. V. t. V. conc. p. 1375, et afric. epp. ad Joh. et Vener.

[4] Ita vel ipsi orientales episcopi causantes Julium pontificem ap. Hard. t. I. p. 559: „Licet circa omnes romanam ecclesiam sciamus esse munificam, et apostolicam habere curam et semper matrem exsistere pietatis„...

[5] Ep. ad Claud. ducem.

regimen quo ipsi etiam praesules ecclesiarum continentur, apud episcopum esse romanum.

7.
Romani episcopi principatus.
Lotharius imperator.

106. Scilicet est romana sedes, de qua merito Lotharius imperator [1] edicit: „Sedem apostolicam, quae per beatissimum Apostolorum principem in universo orbe, quaquaversus religio christiana diffunditur, caput et fundamentum est sanctitatis, idcirco superna dispositio primatum obtinere voluit ecclesiarum, ut in quibuscunque causis, quaestionibus sive negotiis ecclesiastica suaderet necessitas, omnes quasi ad matrem religionis, fontemque recurrerent aequitatis.„ Quibus simul comprehenduntur ornamenta ac decora omnia, quibus romanam ecclesiam tamquam unitatis catholicae causam descripsimus: proponitur enim a) uti caput: b) uti fundamentum: c) uti fons: d) uti mater et propterea e) uti primatu insignis.

Augustinus.

His vero suum adjicit suffragium Augustinus quo doctore [2] apud romanae sedis praesulem auctoritas exsistit principatus; scribit enim de Caeciliano carthaginiensi: „Potuisse ipsum non curare multitudinem conspirantium contra se antistitum, cum se videret et romanae ecclesiae, in qua semper apostolicae cathedrae viguit principatus, et ceteris terris unde evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias litteras esse conjunctum.„ Quibus nihil dici clarius potuit ad designandam sedem cathedramque romanam veluti centrum unitatis, ex quo radii fidei caritatisque in catholicum orbem continuo proficiscuntur: ad quod nisi velint extingui continuo redeant: et in quo ἀνακεφαλαιώσει universi colligantur oportet.

IV. *Necessitas communionis cum romanae ecclesiae episcopo.*

107. Sed haec in mentem revocant receptum vulgatumque apud antiquitatem axioma, tum, quae eidem respondebat, indeclinabilem illam ecclesiae πρᾶξιν, quibus quod modo significavimus in plenissima luce collocatur.

Nimirum VI. erat apud antiquos axiomatis instar, non aliam

---

[1] Ep. ad Leonem. IV. ap. Labbé. t. VIII. p. 33.

[2] Ep. XLIII. n. 7. Superioribus liturgia ipsa testis accedit: cf. allata iam ex sacram. rom. eccles. ap. Blanch. in Missa X. XIV.

exstare habendamque esse ecclesiam catholicam, quam quae cum romana sede communicet, eidemque veluti caritatis centro ac fidei fundamento innitatur atque insistat.

Id cum ex plerisque omnibus quae hucusque de romana unitate disputavimus haud aegre consequatur, nominatim vero iis contineatur quae priori capite explicavimus, est tamen ejusmodi, quod novis curis comprobari et facile possit et omnino mereatur. *Infertur.*

Non utar tamen abruptis nonnullis ac particularibus veterum testimoniis, sed amplissimo quodam argumentorum genere, quo nisi penitus fallar non minus valide quam splendide quod praestitutum est commonstretur. *Confirmatur.*

108. Atque hujusmodi rationis momentum illud inprimis est, quod ἡ μεθόδος seu via ac ratio suppeditat, qua usi majores nostri ab antiquissima aetate sunt, ad catholicam ecclesiam communionemque uti veram christianam vel ostendendam vel distinguendam. *Methodus probandi ecclesiam catholicam.*

1. Methodus Irenaei.

109. Ab antiquissimo Patre, episcopo lugdunensi [1], Irenaeo auspicabimur, ut illud ab originibus prope arcessitum videatur. Propositum itaque Irenaeo erat, patenti quadam ratione ostendere, gnosticorum commenta a Christi doctrina penitus esse aliena. Quod ut efficeret, in methodum inquirit decretoriam itidemque facilem et compendiosam, veritatis christianae ab haeretica quavis falsitate

---

[1] Quanti nobis esse Jrenaei auctoritas debeat, inde apparet, quod apud Euseb. H. E. l. V. c. 4. MM. Lugdunenses et Viennenses eum commendarint ζηλώτην ὄντα τῆς διαθήκης τοῦ Χριστοῦ, quodque commendatus propterea fuerit Eleutherio pontifici; quod a Tertulliano con. Valentin. c. 5. praedicetur „omnium doctrinarum copiosissimus explorator„ cujus opera sint „volumina instructissima„; quod scripta ejusdem Eusebio auctore H. E. l. II. c. 10. non solum ad cognoscenda sed etiam ad confutanda Simonis aliorumque haereticorum figmenta sint accommodatissima; quod Epiphanius H. XXIV. n. 8. eum mirabilem dicat atque beatum, Apostolorum successorem, disputatorem subtilem, H. XXXI. n. 33. repletum donis s. Spiritus, divitem sincerrissima fide et scientia exquisitissima; quod ejus opera ab Ephraemo syro tr. de virtut. c 8. dicantur splendida et magnifica; quod eum Aug. c. Julian. l I. cc. 3—7. efferat uti defensorem fidei catholicae, apostolicis temporibus supparem atque antiquum Dei hominem; quodque Theodoretus dial. I. p. 33. eum describat velut φωστῆρα Γαλάτων τῶν ἑσπερίων.

secernendae. Hinc ita [1] progreditur: statuit ab initio I. propositionem historico-dogmaticam, eam scilicet solam doctrinam veram esse, quae in ecclesiis apostolicis ab episcopis serie non interpollata sibi succedentibus constanter praedicetur: „Traditionem itaque Apostolorum in toto mundo manifestatam, in omni ecclesia adest respicere omnibus qui vera velint videre: et habemus annumerare [2] eos, qui ab Apostolis instituti sunt episcopi in ecclesiis, qui nihil tale docuerunt neque cognoverunt, quale ab his deliratur. Etenim si recondita mysteria scissent Apostoli, quae seorsim et latenter ab reliquis perfectos docebant, his vel maxime traderent ea [3] quibus etiam ipsas ecclesias committebant. Valde enim perfectos et irreprehensibiles in omnibus eos volebant esse quos et successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterii tradentes: quibus emendate agentibus fieret magna utilitas, lapsis autem magna calamitas.„

Traditio apostolica per successionem episcoporum.

110. Huic subdit II. propositionem historico-juridicam nimirum praedicationem apostolicarum ecclesiarum consentire debere cum praedicatione cathedrae apostolicae romanae, vi praerogativae eidem uni propriae.

Consensio omnium cum praedicatione romana.

111. Hinc III. colligit facilem compendiosamque rationem ac viam sive methodum practicam cognoscendae veritatis, eamque in praedicatione unius illius ecclesiae reponit.

Romana successio.

„Sed, pergit, quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium ecclesiarum enumerare successiones; maximae et antiquissimae et omnibus cognitae [4] a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romae fundatae [5] et constitutae ecclesiae, eam quam habet ab Apostolis traditionem et annuntiatam hominibus fidem per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per sibi placentia, vel vanam gloriam [6] vel per caecitatem et malam sen-

[1] Con. haer. l. III. c. 3.

[2] En partem historicam, successionem episcoporum apostolicam abruptam non esse.

[3] His continetur pars dogmatica, episcopos positos ab Apostolis esse sibique jugiter succedere, ut veritatem Christi docerent ac doceant.

[4] En methodum patentem et brevem.

[5] En quae historica sunt.

[6] His indicantur haeresis et schismatis origines et causae.

tentiam praeterquam oportet colligunt. Ad hanc enim ecclesiam [1] propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam hoc est eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique conservata est [2] ea quae est ab Apostolis traditio."

Quibus nihil ad id quod volumus desiderari praeclarius potest. Significat enim Irenaeus

1) tum factum universalis fidelium omnium cum romana ecclesia communionis;

2) tum ejusdem communionis necessitatem;

3) tum utriusque causam inde repetitam, quod ecclesia romana vi principatus sui [3] est instar centri in quo et per quod *Ecclesia principalis.*

---

[1] Haec ad illud quod juris est et necessitatis spectant.

[2] Romana ergo fides uti centrum sistitur, in quo apostolica servatur fides quam iugiter qui sunt undique vere credentes tenent.

[3] Id enim significat "potior (al. potentior) principalitas" *κρείσσων ἀρχὴ*, apud quam *ἡ πρωτεία καὶ ἡ ἡγεμονία*, propter quam necesse erat, ut cum romana ecclesia reliquae omnes convenirent. Vim ergo dictionis pervertunt qui cum Griesbach. ap. Lump. hist. theol. X. p. 766. potiorem principalitatem unice revocant ad apostolicam a Petro originem, tum qui cum Thiersch. ap. Stier. ed. Iren. adn. ad h. l. potiorem principalitatem in antiquitate valida collocant. Sane quaenam est ex loquendi more ecclesiasticorum vis principalitatis? Spectentur coniugata: itaque a) nomen adiectivum "principalis" apud veteres ecclesiae scriptores tum id significat quod in se primum et originale est, tum quod aliis principium originemque praebet: ita vel ipse vetus Irenaei interpres l. V. c. 14. plasmationem hominis originalem ac primigeniam appellat principalem; Augustinus vero cum aliis latinis ideas quas graeci vocabant vel *αἰτίας ἀρχικὰς* vel *λόγους ἀρχικοὺς* sive *δημιουργικοὺς* nuncupat q. 46. e. qq. 83. rationes principales, a quibus quae sunt principium exsistendi habent (considerant enim ideas *πρακτικῶς*). b) Rursum nomen verbale "principari" perinde utuntur veteres ac verbum "dominari": ita Lactantius l. IV. c. 13. "principari in nationes"; ita Sidonius carm. IX. 47. Alexandrum canit "principibus principantem"; et Augustinus c. adversar. Leg. et Prophet. l. II. c. 6. "Sanguis in nostro corpore plus ceteris humoribus principatur." Hinc c) nomen substantivum "principatoris" apud Arnobium in locos evangelistarum: "Principium Deus est qui principator esse omnium voluit. In hoc itaque Principe erat Verbum." Quid ergo d) nomen abstractum principalitas denotabit? Exprimet profecto illa duo, tum id quod originale et primigenium est, tum id a quo alia exordium principiumque sumunt. Huc faciunt illa Tertulliani de anima c. 13. "Ad hoc dispicere superest, principalitas ubi sit, idest, quid cui praeest, ut cuius principalitas apparuerit, illa sit substantiae massa." Et eiusdem haec de praescriptt. c. 31. "Revertar ad principalitatem veritati, et posteritatem mendacitati deputandam." Atque hoc utroque sensu ab Irenaeo principalitatem fuisse intellectam ipso evincitur hinc apposito, "potior vel potentior, quod graeco nomini *κρείσσων* respon-

fideles undique conspirant, quod romanae cathedrae doctrina est instar *παραδείγματος* veritatis apostolicae ab omnibus credendae, et

4) tandem horum omnium rationem in romanae ecclesiae praerogativis atque praestantia [1] collocat qua eadem prae omnibus excellit.

Argumenti vim fatetur Nectarius schismaticus.

112. Ceterum necessitatem unionis cum romana ecclesia in fide potissimum ex enarrato Irenaei textu palam deduci, fateri debuit Nectarius Hierosolymorum episcopus licet schismaticus [2], tametsi ad elevandam tanti Patris auctoritatem [3] id assentationis gratia dictum censeat.

---

dere aptius videtur: evincitur inde contextu: et evincitur veterum omnium de romanae ecclesiae dignitate eximiaque excellentia traditione atque diserta doctrina. Videsis superius hac de re dicta c. I. n. 5. adnot. 3. At vero ad totam phraseos vim potestatemque percipiendam nihil accommodatius, quam Aristotelis Metaph. l. V. c. 1. de „diversis modis„, quibus *ἀρχὴ* dicitur. Nimirum 1) *ἀρχὴ ἡ μὲν λέγεται, ὅθεν ἄντι τοῦ πράγματος κινηθείη πρῶτον*, principium unde proficiscitur motus: 2) *ἡ δὲ, ὅθεν γίνεται ἐνυπάρχοντος· οἷον ὡς πλοίου τρόπις καὶ οἰκίας θεμέλιος· καὶ τῶν ζώων οἱ μὲν καρδίαν, οἱ δὲ ἐγκέφαλον*, principium quod insitum congenitumque est movens, regens et dirigens, uti navis carina, domus fundamentum, viventium cor vel caput: 3) *ἡ δὲ ὅθεν γίνεται πρῶτον μὴ ἐνυπάρχοντος, καὶ ὅθεν πρῶτον ἡ κίνησις πέφυκεν*, principium quod non est insitum, a quo tamen motus pendet, ut proles ex patre et matre: 4) *ἡ δὲ οὗ κατὰ προαίρεσιν κινεῖται τὰ κινούμενα, καὶ μεταβάλλει τὰ μεταβάλλοντα, ὥσπερ αἵ τε κατὰ πόλεις ἀρχαὶ καὶ αἱ δυναστεῖαι καὶ αἱ βασιλεῖαι*... principium ad cuius nutum liberum alia moventur, quae moventur et mutantur, tale est civitatum principatus, regnum, dominium: 5) *ἔτι ὅθεν γνωστὸν τὸ πρᾶγμα πρῶτον, καὶ αὕτη λέγεται ἀρχὴ τοῦ πράγματος*, principium a quo cognitio rei pendet... Jamvero non uno vel altero, sed omnibus his modis est diciturque a Patribus romana ecclesia suusque antistes principium: ipse est a) motor supremus totius rei ecclesiasticae: b) ipse ecclesiasticae navis carina, ecclesiastici aedificii fundamentum, cor et centrum et caput totius christianae societatis: c) ipse pater fidelium Universorum: d) ipse claviger, qui regit, praeest, moderatur, iudicat, decernit ac dirimit: e) ipse est romanus episcopus et eius romana sedes, per quam vera Christi distinguitur et cognoscitur ecclesia. Plenissimo ergo perfectissimoque sensu ecclesia romana ab Irenaeo potiorem habere principalitatem dici potuit dictaque fuit.

[1] Animadvertere est, necessitatem hanc unitatis fidei cum fide romanae ecclesiae non referri nude in puram et germanam veritatis traditionem, quae pura ac germana in aliis quoque apostolicis sedibus, puta in ephesina et smyrnensi, per id tempus poterat inveniri; sed in potentiorem illius principalitatem refertur, a qua subjective non possit abesse fides credenda, neque objective sejungi debeant fideles credentes.

[2] Si modo ejus sunt, quae photiana typographia Jassii edidit.

[3] Uti videre est in antirrhetico de principatus Papae demonst. 4. apud Papadopolum praenot. mystagog. respons. 6. §. 2. n. 5.

Salmasius quoque etsi protestantium sacris addictus [1] hoc Irenaei loco necessitatem unitatis in fide cum romanis Pontificibus affirmari existimavit, et s. Patris textum ita pressius exposuit: „Necesse est omnem ecclesiam convenire ad romanam, idest, ut graece locutus fuerat Irenaeus, συμβαίνειν πρὸς τὴν τῶν ῥωμαίων ἐκκλησίαν, quod significat convenire in rebus fidei et doctrinae cum romana ecclesia.„ Et subinde ab interprete graecizante dictum scribit, „ad hanc convenire ecclesiam„ pro „cum hac convenire ecclesia.„ *Item Salmasius protestans.*

Consentiunt vel ipsi Galli, uti colligitur qua ex cleri conventu Medoluni [2], qua ex Petro de Marca [3], et qua ex Nicolao Colbert archiepiscopo rothomagensi [4]. Quare Massuetus [5] laudata verba hoc commentario illustravit: „Unius ecclesiae romanae traditionem per continuam episcoporum successionem in ea conservatam consulere satis habuit Irenaeus, ut haereticos omnes confunderet, ratus jure merito, ea semel cognita illico aliarum omnium ecclesiarum traditionem, sententiam, atque doctrinam cognosci. Cum enim ecclesia romana omnium princeps, caput, et prima sit, omnium maxima et antiquissima, et maxime cognita, ab Apostolorum principe Petro ejusque socio Paulo fundata, quae ceteris omnibus pro suo jure praesit et dominetur, et cum qua omnes omnino fideles unius et ejusdem fidei et communionis vinculis colligari necesse sit; inde liquido patet aliam esse non posse aliarum ecclesiarum traditionem et fidem a fide et traditione romanae ecclesiae. Praetermissis itaque totius orbis ecclesiarum episcoporum catalogis, illius unius continuam successionem recensere, ac quae per hanc veluti canalem manavit usque ad nos traditionem Apostolorum declarare satis est, ut ex communi omnium ecclesiarum, quae cum romana consentire [6] debent, sententia et traditione devincantur omnes haeretici.„ *Fatentur gallicani*

---

[1] In libro de primatu Papae cap. 5.

[2] Habito an. 1579.

[3] Lib. 1. concordiae. cap. II. n. 6.

[4] In instruct. pastorali ad parochos suae dioecesis data die 5. Julii an. 1699.

[5] Editor gallus opp. Irenaei diss. 3. art. 4.

[6] Mirum videri debet, reperiri quempiam potuisse, qui verbum *convenire* accipiendum scripserit de eo concursu, quo e toto romano imperio Romam variis de causis tamquam ad imperii caput quam plurimi confluebant. Quid enim hoc ad rem, de qua Irenaeus ibidem agit? num ex romanae ecclesiae

2. Methodus Tertulliani.

113. Sequitur Tertullianus, scriptor [1] nullatenus spernendus, qui post reportatam palmam ex suis cum Praxea, Hermogene, Valentino, Marcione aliisque disputationibus operae pretium duxit, modum stabilire neque arduum neque obscurum quo uno haeritici omnes revincerentur. Atque id praestitit insigni de praescriptionibus opusculo.

114. Quam porro normam veracem quamque methodum sinceram omnibusque planam ad distinguendam veritatem christianam ab erroribus fallaciisque [2] haereticorum proponit? Excludit I. methodum examinis per Scripturas, et quidem ob has omnino rationes: 1) quia tale examen nullas parit [3] utilitates: „Scripturas obtendunt, et hac sua audacia statim quosdam movent: in ipso vero congressu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo [4] dimittunt.„

Excludit Scripturarum examen.

2) Quia illud [5] plus semel perniciosum periculisque plenum est: „Deinde quoniam nihil proficiat congressio Scripturarum, nisi plane aut stomachi quis ineat eversionem aut cerebri. . . Quid promovebis, exercitatissime Scripturarum, quum si quid defenderis negatur: ex diverso si quid negaveris, defendatur? et tu

---

fide ac traditione haereticos confundi eo argumento evincitur, quod omnes ex universis romanis provinciis in urbem concurrere necesse est? ridiculum et ineptum id fuisset. At si de necessitate conveniendi in fide cum romana ecclesia vocabulum illud usurpetur, ut et praemissa et sequentia contextus verba ad fidem pertinent, argumentatio legitima est, optimeque omnia cohaerent. Confer, si libet, laudatum Irenaei editorem p. Massuetum in praefat. art. 4. n. 32. ubi hanc distortam interpretationem pluribus explodit.

[1] Ex Eusebio in chron. celebris in omnibus ecclesiis, ex Lactantio peritus in omni litteratura, ex Rufino nobilissimus inter scriptores christianos, ex Hieronymo eruditissimus et acutissimus, ex Cypriano dignus magistri nomine, a Vincenzio lirinensi singulari laudum encomio cohonestatus: de quibus vide Christ. Lupum opp. tom. IX. p. 6. edit. Venet. 1727. — Quae ergo a Tertulliano dicuntur illis nominibus etiam titulisque fidem merentur. Sed propterea quoque fidem merentur, quod quam proponit fuerit methodus antiquissimorum omnium, uti ab Irenaeo superius accepimus pariterque ex iis elucet, quae Euseb. H. E. l. IV. c. 22. de Hegesippo refert: frequentatas nimirum ab illo ecclesias fuisse, quas fundarant Apostoli, ut ab iisdem apostolicam doceretur doctrinam.

[2] Has exponit mirifice cc. I. sqq.

[3] C. XV. de quibus cf. Coton. op. cui titul. Genèv. plagiaire. p. 1494.

[4] Fructus antiqui recentesque examinis Bibliorum privati.

[5] CC. XVI. XVII.

quidem nihil perdes nisi vocem in contentione, nihil consequeris, nisi bilem de blasphematione... Ergo [1] non ad Scripturas provocandum est.„

3) Quia idem examen e Scripturis institutum est [2] contra rerum naturam atque ordinem: „Ordo rerum desiderabat illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est: quibus competat fides ipsa? cujus sint Scripturae? a quo et per quos et quando et quibus sit tradita disciplina, qua fiunt christiani„? Tum

Exigit examen factorum.

II. colligit, rei naturam ac ordinem [3] exigere, ut quemadmodum christiana religio positivae institutionis est, adeoque ad factorum ordinem spectat, ita indagetur factum illud, cui Christus reapse suam commiserit doctrinam, quique ejusdem cum Scripturis sint legitimi possessores: „Ubi enim apparuerit esse veritatem et disciplinae et fidei christianae, illic erit veritas Scripturarum et expositionum, et omnium traditionum christianarum.„ Instituta porro accurata indagine

Revocat rem ad ecclesias apostolicas.

III. statuit [4], distinctis tribus prope gradibus a Christo creditum fidei depositum Apostolis, ab Apostolis idem rursum fuisse creditum fundatis a se ecclesiis, et per illas et ab illis propagatum idipsum vicissim ad alias ecclesias fuisse: „Christus Jesus Dominus noster... quamdiu in terris agebat, ipse pronuntiabat sive populo palam, sive discentibus (discipulis) seorsum: ex quibus duodecim praecipuos lateri suo adlegerat, destinatos nationibus magistros... Statim igitur Apostoli... primo per Judaeam contestata fide in Jesum Christum et ecclesiis institutis, dehinc in orbem profecti eamdem doctrinam ejusdem fidei nationibus promulgaverunt et proinde ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei et semina doctrinae caeterae exinde ecclesiae mutuatae sunt, et quotidie mutuantur ut ecclesiae fiant: ac per hoc et ipsae apostolicae deputantur ut soboles apostolicarum ecclesiarum.„ Verum

Consensio cum ecclesiis apostolicis.

IV. inde jure infert necessitatem consensionis communionisque ecclesiarum secundo genitarum cum ecclesiis apostolicis:

---

[1] C. XIX.
[2] Ibidem.
[3] Ibidem.
[4] C. XX.

„Omne genus ad originem suam recenseatur necesse est. Itaque tot ac tantae ecclesiae una est illa ab Apostolis prima ex qua omnes. Sic omnes primae et apostolicae, dum una omnes probant unitatem: dum est illis communicatio pacis et appellatio fraternitatis et contesseratio hospitalitatis. Quae jura non alia ratio regit, quam ejusdem sacramenti una traditio.„

Praescriptio contra haereticos.

Inde autem V. sponte fluit et a Tertulliano deducitur [1] norma ac regula praescriptionis contra haereticos: „Hinc igitur dirigimus praescriptionem, si Dominus Jesus Christus Apostolos misit ad praedicandum, alios non esse recipiendos praedicatores quam quos [2] Christus instituit. Quid autem praedicaverint, idest, quid illis Christus revelaverit, et hic praescribam non aliter probari debere, nisi per easdem ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis praedicando tam viva quod ajunt voce, quam per epistolas postea.„ Quare ad doctrinae veritatem vel falsitatem quod attinet

Veritatis tessera.

VI. concludit: „Si haec ita sint, constat proinde omnem doctrinam quae cum illis ecclesiis apostolicis, matricibus et originalibus fidei conspirat veritati deputandam, sine dubio tenentem quod ecclesiae ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit: omnem vero doctrinam de mendacio praejudicandam, quae sapiat contra veritatem ecclesiarum et Apostolorum et Christi et Dei.„ Atque hinc

VII. tessera orthodoxorum: „Communicamus cum ecclesiis apostolicis, quod nulla doctrina diversa. Hoc est testimonium veritatis.„

Romanae prae aliis ecclesiis apostolicis praerogativa

115. Jamvero nulla esse potest conveniendi cum apostolicis ecclesiis necessitas, quae longe potior non sit conspirandi cum ecclesia romana, ob cujus potentiorem principalitatem fit, ut illi vel ipsae ecclesiae originales atque matrices cohaerere plane debeant.

Quod ergo a Tertulliano usurpatur principium hujusmodi est, quo necessitas communionis unitatisque cum romana ecclesia suadeatur non tantum, verum etiam persuadeatur. At vero non

---

[1] C. XXI.

[2] Sunt vero Apostoli primo gradu et ordine, episcopi ab illis vicissim jure divino instituti gradu ordineque altero.

praetermisit Tertullianus hanc quam argumentando deduximus consequutionem expressis verbis asserere. Etenim ostenso facto historico continuationis [1] plurium adhucdum ecclesiarum apostolicarum unam prae omnibus singulari laudum encomio extollit: „Romam, unde nobis quoque, inquit, auctoritas praesto est. Ista quam felix [2] ecclesia! cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt. Ubi Petrus passioni dominicae adaequatur. Ubi Paulus Joannis (Baptistae) exitu coronatur. Ubi Apostolus Joannes posteaquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur. Videamus quid didicerit, quid docuerit, quid cum africanis ecclesiis contesserarit.„ Prope diceret: „Communicamus cum ecclesia romana, quod nulla doctrina diversa: hoc est testimonium veritatis.„ Scilicet romanae ecclesiae fides est norma et regula fidei universalis, et quemadmodum cum eadem conspirare est certum tutumque orthodoxiae argumentum, ita ab illa dissonare est manifestum erroris indicium.

116. Ab hac porro trutina, qua Tertullianum adeo feliciter usum deprehendimus, insequentes aetates nullatenus recessisse docent apud Syros Ephraem [3], apud Armenios Isaac illorum patriarcha [4], apud Graecos Basilius [5], cum quibus apud Latinos Augustinus [6] omnino cohaeret, omnes in eo concordes, apud illas *Ephraem syrus. Isaac armenus. Basilius.*

---

[1] C. XXXII. XXXVI.

[2] „Per romanae ecclesiae felicitatem, scribit in scholiis ad h. c. Lupus, doctor omnino intelligit ejus supremum ac universalem primatum. Hinc et in libro de pudicitia licet ad Montanum delapsus fatetur ac profitetur ejus episcopum esse episcopum episcoporum: hunc titulum esse illi famosum et familiarem. Quod Asia et Phrygia suas de dogmate quaestiones ad ipsum retulerint, ac ipse in istas ecclesias plenam exercuerit potestatem, demonstrat in libro adversus Praxeam. Quod ipsis inferret pacis adeoque et discidii seu excommunicationis litteras, et ipsas per sua dogmatica definitionum decreta compelleret ab hoc aut isto dogmate concessare.„ Quae contra eiusdem testimonii vim in suis notis tertullianicis congessit Junius, ea castigavit Gretserus in animadversionib. ad not. iunian. c. 9.

[3] Apud Asseman. biblioth. or. tom. I. p. 129.

[4] Invectiva II. adv. suos.

[5] In c. II. Is. tom. I. Cujus testimonium vel ipsa theodosiana legislatio confirmat. Nam l. XVI. tit. I. capite de summa Trinitate id tenendum praecipitur, quod ut supremam credendi normam constiterit a catholica romana et alexandrina ecclesia doceri. De his vero deque objectis difficultatibus conferantur fratres Ballerinii de vi ac ratione rom. pontif.

[6] Ep. 161. ad Honoratum donat. con. Faust. l. XXVIII. 2., et de doct. christ. II. 8., ubi inter catholicas ecclesias primum locum eumque necessarium

ecclesias tutissime quaeri veritatem fidei, quae ab ipsis Apostolis institutae continuata antistitum serie gubernantur, et in unitate fidei caritatisque cum aliis apostolicis pariter ecclesiis conservantur.

117. Praeterea ratum iisdem fuit, servari non posse catholicam *Augustinus.* unitatem citra communionem cum ecclesiis apostolicis. Ita Augustinus [1]: „Si autem tu a me quaeras, quibus fructibus vos potius esse lupos rapaces cognoscamus, objicio schismatis crimen: ego autem statim probabo; neque enim communicas omnibus gentibus et illis ecclesiis apostolico labore fundatis.„ Hic dicturus es, „non communico traditoribus et homicidis: respondet tibi semen Abrahae, haec sunt illa crimina vel non vera vel non mea. Sed haec interim sepono; tu ostende ecclesiam.„ Similia scribit ad Honoratum [2]: recensitis enim ecclesiis ab Apostolis per orbem fundatis subdit: „Quibus omnibus ecclesiis nos hodie communicare manifestum est, sicut manifestum est, vos istis ecclesiis non communicare.„ Ideoque colligit, donatianos non esse in ecclesia catholica.

Pelagius I. 118. Ad quae respiciens Pelagius I. [3] haec commemoratione dignissima scripsit: „Beatissimus Augustinus dominicae sententiae memor fundamentum ecclesiae in apostolicis sedibus collocavit. In schismate esse dicit, quicunque se a praesulis earumdem sedium auctoritate vel communione suspenderit. Nec aliam manifestat esse ecclesiam, nisi quae in pontificalibus apostolicarum sedium est solidata radicibus.„ Quibus gemina repetit [4] in litteris datis ad Viatorem et Pancratium: „Sicut b. Augustinus dicit, omnis catholicus securus eam partem detestatur, cui ecclesiam universalem apostolicis sedibus roboratam non communicare cognoscit.„

Pelagius II. 119. A qua insigni Pelagii primi non debet avelli alterius Pelagii

---

illis concedendum affirmat, quae apostolicae sedes sunt et epistolas (de quarum origine agebatur) ab Apostolis habere meruerunt. Eodem spectant Agobard. lugdun. de eccles. et polit regim. comparat. atque Fulgent. de Trinit. ad Felic. nolan. c. 1.

[1] Con. litt. Petit. l. II. c. 16.

[2] Ep. 49. al. 161. ad Honorat. donat.

[3] In litteris ad Tusciae episcopos.

[4] Ep. ad illustres viros Viator. et Pancrat.

sententia [1]: „B. Augustinus in his, ait, Dei ecclesiam esse constitutam, qui sedibus apostolicis per successionem praesulum praesidere noscuntur.„ Jamvero fieri nequit, ut absolute necessarium sit, cum ecclesiis communicare quae a veritate divinae traditionis potuerint discedere; ratum ergo majoribus fuit, inter ea, quae juxta divinam oeconomiam fieri nequeunt, id esse connumerandum, ut omnes ecclesiae apostolicae una deficiant a veritate divinae traditionis. Concors ergo illorum suffragium haberi debet ut argumentum et signum ad veritatem sine erroris periculo cognoscendam.

Sola ecclesia romana superstes apostolica.

120. At enimvero redit institutum superius de Tertulliani methodo argumentum, immo vero argumentum multo illustrius ex hac eadem veterum methodo licet [2] eruere. Scilicet is est ex Patribus cum Tertulliano sincerus veritatis christianae character, ut sit apostolica. Is autem nascitur ex doctrinae conspiratione cum praedicatione ecclesiarum apostolicarum originalium et matricium, in quibus cum apostolicae praedicationis conservatione [3] interpellata numquam fuit apostolicorum successorum series. Verum in praesentia non exsistit alia amplius apostolica ejusmodi ecclesia originalis et matrix praeter ecclesiam romanam. Ergo apostolica haberi nequit doctrina quae non consonat cum romanae cathedrae praedicatione: neque christiana veritas est quidquid ab eadem romana praedicatione dissonat.

Concilium VIII.

121. Sed opus non est nostra illatione; praevertit enim illam sapiens ac docta antiquitas. Ad rem vix quidpiam dici opportunius posse videtur, quam quod in Concilio VIII. graviter perorans [4] Bahanes magnificentissimus patricius et praepositus dixit (ad iconomachos): „Imperator noster sanctus non vos adduxit ad hanc sanctam et universalem synodum ad disputandum, sed ad commonendum... Nam utique nostis, quia Paulus [5] Christi os liquido monet, omnem haereticum ab una et secunda admonitione devitare: tu (Theodorus sclc. inconoclasta) autem senescens in

---

[1] Ep. ad Eliam aquilei. episc.

[2] Eruit reapse Bolgenius opusc. inscripto: Il critico corretto, nn. 52 sq.

[3] Ut tam formaliter ut ajunt quam materialiter apostolica ecclesia perseveret. Cf. ib. cc. XX. XXXII. sqq.

[4] Act. VIII. ap. Hard. t. V. p. 880.

[5] II. Tim. III. 5. Quodsi Paulus est os Christi, profecto verbum ejus verbum apostolico-divinum est.

malitia tua et sciens in omni certitudine [1] tenebras in quibus es, in lumine ignis tui [2] ambulabis, audiens ex quadrifido terrarum orbe, justo decreto sacrorum canonum, anathematis damnationem: quo enim fugies? vel quo ibis? Posuit Deus ecclesiam suam in quinque patriarchiis: et definivit in evangeliis suis, ut numquam aliquando penitus decidant, eo quod capita ecclesiae sint. Etenim illud quod dicitur: Et portae inferi non praevalebunt [3] adversus eam, hoc denuntiat: quando duo ceciderint, currunt ad tria; quum tria ceciderint, currunt ad duo, quum vero quatuor forte [4] ceciderint, unum quod permanet in omnium capite Christo Deo nostro, revocat iterum reliquum corpus ecclesiae. Nunc autem toto terrarum orbe concordante, non habes excusationis modum, quemadmodum olim factum est... Reversis vero magnificentissimis judicibus lectae sunt voces Theodori, qui dicitur Crithinus, in audientia synodi voce majori; et dixerunt sanctissimi vicarii senioris Romae et orientalium sedium: Legatur sanctissimi Nicolai papae capitulum de imaginibus. Et accipiens Stephanus Deo amabilis diaconus et notarius legit.„

E quibus intelligitur, in oriente pariter ac in occidente receptum pervulgatumque fuisse: 1) in apostolicis sedibus reliquarum prope centris e quibus ad alios lumen emanavit, sincerae fidei locatum fuisse praesidium; 2) praesidium hoc invictum esse atque perpetuum; ita tamen ut 3) utrumque referendum necessario non sit sive ad omnes et singulas illas distributive Apostolorum sedes, sive ad eas omnes collective, sed ad singularem quandam eamque unam et solam, ad quam inprimis spectant verba Domini: „Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Et portae inferi non praevalebunt adversus eam.„

Judicium criticum.

122. Unde assequimur quod sponte ex allatis descendit: 1) romanam ecclesiam inter apostolicas veluti principalem omniumque caput [5] distingui; adeo ut 2) cum ea maxime [6] necesse

---

[1] His describitur pertinacia haeretici atque adeo ratio formalis haereseos.

[2] Is. L. 11.

[3] Matth. XVI. 18.

[4] Quod facta tantum hypothesi atque conjectura dumtaxat aliqua admisit Bahanes, id non longe post conversum deprehendimus in thesim atque consummati facti veritatem.

[5] Cf. Car. Pass. de praerog. s. Pet. l. I. c. XXVI. nn. 368 sqq.

[6] Cf. rursum eumdem ibid. l. I. c. XXV. nn. 350 sqq.

sit convenire ad hoc, ut formalis ratio ecclesiae apostolicae custodiatur; ad quam unam propterea 3) quoties fiat ad apostolicas appellatio, licet aliae varientur constanter provocetur: et ita quidem 4) ut dum ad apostolicas appelletur, illa vel una nominetur vel sola [1] intelligatur. Sed his tandem 5) rationem quoque assequimur, qua exposita laudataque superius antiquissimorum Patrum methodus, veritatis falsitatisque tesseram in negotio religioso ex una romana ecclesia petendi, non arbitraria est neque historica tantum et facti, sed est juris atque necessitatis.

3. Methodus Cypriani.

123. Enimvero erat illa in ecclesia Dei pervulgata semper ac constans, nec non insignis aestimabatur ob brevitatem aeque ac securitatem. Sane post Irenaeum et Tertullianum Cyprianus [2], ubi de ecclesia Christi dignoscenda disseruit, aliam breviorem securioremque non habebat quam proponeret. Eius disputatio haec est. Explicat I. artes antiqui serpentis, qui „videns idola derelicta et per nimium credentium populum sedes suas ac templa deserta, excogitavit novam fraudem ut sub ipso christiani nominis titulo falleret incautos: haereses invenit ac schismata, quibus subverteret fidem, veritatem corrumperet, scinderet unitatem: quos detinere non potest in viae veteris caecitate, circumscribit et decipit novi itineris errore: rapit de ipsa ecclesia homines, et dum sibi appropinquasse jam lumini atque evasisse saeculi noctem videatur, alias nescientibus tenebras rursus infundit, ut cum evangelio Christi et cum observatione ejus et lege non stantes christianos se vocent, et ambulantes in tenebris habere se lumen existiment, blandiente adversario atque fallente, qui secundum Apostoli vocem [3] transfigurat se velut angelum lucis, et ministros [4] suos subornat velut ministros justitiae asserentes noctem pro die, interitum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub praetextu fidei, antichristum sub vocabulo Christi, ut dum verisimilia mentiuntur, veritatem subtilitate frustrentur. Declarat

Diaboli fraudes.

---

[1] Ex quo patet, eorum quae de apostolicarum ecclesiarum praesidio superius diximus, sufficientem, supremam plenamque rationem ex praesenti ecclesiae romanae praesidio peti oportere.

[2] De unit. eccles.

[3] II. Cor. XI.

[4] Utinam haec eadem nostris non deberemus usurpare sensibus!

Origo mali. II. veram tanti mali originem: „Hoc eo fit fratres dilectissimi, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quaeritur, nec magistri coelestis doctrina servatur.„ Verum

Remedium facile. III. quum de Christi veritate atque doctrina apprime oriantur plus semel dissidia, genuinam illius distinguendae regulam atque criterium decretorium promit: „Quae si quis consideret et examinet tractatu longo atque argumentis opus non est. Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis.„ Sed enimvero

Cathedra romana. IV. quaenam est tam evidens simul ac brevis compendio veritatis probatio? Non alia quam quae ex romana petitur cathedra: „Loquitur [1] Dominus ad Petrum, Ego dico tibi, inquit, quia tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferorum non vincent eam. Et tibi dabo claves regni coelorum; et quae ligaveris super terram, erunt ligata et in coelis; et quaecunque solveris super terram, erunt soluta et in coelis. Et iterum post resurrectionem suam [2] dicit: Pasce oves meas. Super illum unum aedificat ecclesiam suam, et illi pascendas mandat oves suas. Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem [3] tribuat et dicat: Sicut misit me Pater et ego mitto vos, accipite Spiritum sanctum, si cujus remiseritis peccata, remittuntur illi, si cujus tenueritis, tenebuntur, tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit.„

Summa. 124. Quibus profecto non minus divinam primatus romanae ecclesiae institutionem, quam finem, praerogativam atque jura significat, quae non alio spectant, quam ut 1) pastores omnes cum gregibus suis ab uno supremo pastore, qui est Petri successor romanaeque ecclesiae praesul, non secus ac domus a fundamento in unitate contineantur: ut 2) omnibus praesto sit certa ac facilis credendorum regula ac norma: proindeque 3) ut latere neminem obortis dissidiis possit, ubi Christus ejusque doctrina, et ubi hostis Dei hominumque fraudes instruens venenumque propinans: illa est in unitate [4] romana a qua mortiferum proinde recedere: „Hanc

---

[1] Matth. XVI.
[2] Joh. XXI.
[3] Joh. XX.
[4] Ib.

unitatem qui non tenet, Dei legem non tenet, non tenet Patris et Filii fidem, et veritatem non tenet ad salutem."

4. Methodus Optati milevitani.

125. Verum ab hac Irenaei, Tertulliani, Cypriani methodo ne lato quidem ungue discessere Patres saeculi IV. qui in controversia cum schismaticis donatistis, ad veram ecclesiam omnibus perspicue patefaciendam cum [1] milevitano Optato I. hanc ineundam viam [2] censuerunt: „Quae res ut clara et manifesta esse omnibus possit, ostendendum est, ex qua radice sese usque in hodiernum, erroris protenderint rami, et ex quo fonte rivulus iste maligni liquoris occulte serpens usque in tempora nostra manavit. Dicendum est, unde et ubi et a quibus ortum constat hoc alterum malum; quae convenerint causae; quae fuerint operatae personae; qui auctores hujus mali; qui nutritores; a quibus sint inter partes ab imperatore postulata judicia; qui sederint judices; ubi sit actum concilium; quae sint prolatae sententiae. De divisione agitur: et in Africa [3] sicut et in ceteris provinciis, una erat ecclesia, antequam divideretur ab ordinatoribus Majorini cujus tu hereditariam cathedram sedes. Videndum est, quis in radice cum toto orbe manserit; quis foras exierit; quis cathedram sederit alteram, quae ante non fuerat; quis contra altare altare erexerit; quis ordinationem fecerit salvo altero ordinato; quis jaceat sub sententia Joannis Apostoli, qui dixit [4], multos antichristos foras exituros, quia non erant, inquit, nostri; nam si nostri essent, mansissent nobiscum. Ergo qui in unum cum fratribus manere noluit, haereticos secutus quasi antichristus foras exivit." *Examen factorum.*

126. Est ergo cathedra quaedam radix ex qua universalis unio et communio pendet, eademque est tessera veritatis a falsitate discriminandae. Sed quaenam est cathedra illa radix? *Quaerenda cathedra radix.*

---

[1] Vir est inter scriptores ecclesiasticos celeberrimus auctore Hieronymo (de vir. illust. c. 121.), ab Augustino (de doct. christ. l. II. c. 40. 4. 61.) cum s. Cypriano collatus decoratusque (con. ep. Parmen. l. I. c. 13. n. 5.) titulo episcopi catholicae communionis memoriae, a Fulgentio (ad Monim. l. II. c. 13.) vocatus sanctus.

[2] De schism. donat. l. I. n. 15.

[3] Sed quae dicuntur, profecto de omni omnium aetatum terrarumque sive haeretica sive schismatica ab ecclesia divisione valent.

[4] I. Joh. II. 19.

Petri cathedra episcopalis in urbe Roma.

Eam excluso quovis dubio II. Milevitanus antistes [1] indicat his verbis: „Igitur negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus; unde et Cephas [2] appellatus est: in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur: nec ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent; uti jam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret.„ Ut porro apostolicae hujus principalis necessariaeque ecclesiae non modo probaret origines sed durationem quoque continuam, ne umquam fidei amussis unitatisque centrum deesse existimetur

Petri in romana cathedra successores.

III. catalogum conficit [3] episcoporum in cathedra romana Petro succedentium: „Ergo cathedram unicam quae est prima de dotibus, sedit prior Petrus, cui successit Linus, Lino successit Clemens... Damaso Siricius, hodie qui noster est socius: cum quo nobiscum totus orbis commercio formatarum [4] in una communionis societate concordat. Vestrae cathedrae vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam ecclesiam vindicare.„ Illatio patet, patet et illud, universam oeconomiam ecclesiasticam ad unum revocari supremum verticem [5] atque fastigium ad summum unitatis principium quod Christus repositum in Petro ejusque successoribus apud solam romanam ecclesiam voluit.

127. Sed quum in medium afferri alii [6] possent qui vetustam

---

[1] L. c. l. II. nn. 2 sqq.

[2] Videtur Optatus ad eamdem radicem referre nomina Cephas et caput, (κεφαλή): quod licet in dubium adduceretur, inde tamen neque rei quam milevitanus defendit neque argumento quo utitur quidpiam valoris detraheretur. Quum enim res esset vel ipsis donatistis certissima, Petrum fuisse Apostolorum caput, eo quod Cephas erat, valide Optatus inde argumentum confecit.

[3] Ibid.

[4] De quibus dicemus postea.

[5] Ad unum supremum fastigium episcoporum in ecclesia regimen revocari insigni dissertatione ostendit Fr. Leop. com. de Stolberg append. adiecta tom. X. hist. rel. J. C. pp. 480 sqq.

[6] Afferri possent ex occidentalibus Pacianus antistes barcinon. ep. 3. Eusebius vercellens. auctore Liberio pont. in ep. ad illum data. Prudentius hym. in s. Hippol. Ex orientalibus vero ipse Firmilianus ep. 75. inter Cyprian., ubi manifesto significat, sibi non minus ac Stephano romanae urbis episcopo fuisse ad instar explorati principii, Petrum illum esse, cui nisi in successoribus jungaris, frustra tibi ad corpus ecclesiae pertinere polli-

regulam quae nos modo sollicitos habet suo suffragio firmarunt, piaculum foret, silentio praetermittere triumviros prae ceteris conspicuos: Ambrosium, inquam, Hieronymum atque Augustinum, qui nec ipsi a designata antiquitus linea recesserunt.

5. Methodus Ambrosii.

128. Et Ambrosio quidem quid visum sit satis I. iis aperit quae refert [1] de fratre Satyro. Videlicet quum is tempestatis aestu in ignotam dejectus plagam anceps haereret, an ibidem vera Christi fides retineretur; non alia dubitationis propellendae ipsius menti ratio occurrit, quam ab illius loci episcopo percontari, num cum romana ecclesia conveniret. „Advocavit ad se episcopum, nec ullam veram putavit nisi verae fidei gratiam, percontatusque ex eo est, utrum cum episcopis catholicis, hoc est, cum romana sede conveniret.„ *Verae fidei episcopus quaeratur.*

Ergo 1) vir sanctus existimavit, communionem in fide cum romana sede characterem esse certissimum, quo fidei integritas cognosceretur. Itemque 2) existimavit haec duo sibi invicem aequipollere: communionis nexibus cum catholicis episcopis, vel cum romana [2] sede copulari. Quare 3) si praeter omnem disputationis aleam posita est omnimoda conveniendi in fide necessitas cum orthodoxis episcopis; aeque indubium esse debet, plane oportere ut qui catholici nomine gloriantur, iidem in profitenda fide cum romanis pontificibus concordent. *Conveniendum cum sede romana.*

129. Idipsum II. aperit, quum ita Christum ecclesiam suam ordinasse affirmat [3], ut ab ejus sinu excluderetur quisquis in fide Petro non adhaereret. „Ipse est Petrus cui dixit Christus: tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Ubi ergo Petrus, ibi ecclesia.„ Ergo nisi Petri ejusque successorum communio retineatur, ipsa quoque catholicae ecclesiae communio necessario [4] deperditur. *Ubi Petrus ibi ecclesia.*

---

cearis. Cf. Du Perron réplique à la réponse du roi de la Grande-Bretagne ch. LXXVI. pp. 511 sqq. Paris. 1633.

[1] Ser. de obit. fr. Sat. l. I. n. 47.

[2] Vide sis quae c. I. disputata praestituimus.

[3] De sacram. l. III. c. 7.

[4] Opus autem est, ut quae cum Petro ejusque successoribus unitas custodiri debet, ad fidem quoque et potissimum quidem referatur. Etenim

Necessaria Petri fides ad salutem. Idem praeterea III. aperit [1] scribens: „Non habent enim Petri hereditatem, qui Petri fidem non habent, quam impia divisione discerpunt.„ Prope diceret, frustra sibi de assequenda beatitate illos blandiri, qui aliam a Petro fidem profitentur. Cujus sententiae tanta vis est ad commendandam necessitatem conveniendi in fide cum Petro, ut aliquid eum in finem efficacius exquirere, hominis esse sui impotis videatur.

In omnibus sequere romanam ecclesiam. Quare tandem IV. idem Ambrosius cujus menti id alte insedit, universe [2] aperit, pronuntians: „In omnibus cupio sequi ecclesiam romanam.„

6. Methodus Hieronymi.

Compendiosa veritatis norma. 130. Accedit altero loco Hieronymus, de cujus mente dubitare nullus potest qui I. supremam ejusdem adversus Luciferianos conclusionem ob oculos habuerit. Ita vero suam disputationem absolvit: „Poteram diem istiusmodi eloquio ducere, et omnes propositionum rivulos uno ecclesiae sole siccare. Verum quia jam multum sermocinati sumus, et prolixitas concertationis audientium studia lassavit, brevem tibi apertamque animi mei sententiam proferam, in illa ecclesia permanendum, quae ab Apostolis fundata usque ad diem hanc durat. Sicubi audieris eos qui dicuntur Christi, non a Domino Jesu Christo, sed a quoquam alio nuncupari, ut puta Mar-

---

a) ea recolentibus quae superius in medium protulimus liquet, auctore Ambrosio Petrum non exstitisse ecclesiae fundamentum nisi per fidem, quam Christus ecclesiae aedificandae fundamentum jecit. Ergo axioma illud „ubi ergo Petrus, ibi ecclesia„ huic aequipollet, „ubi ergo fides Petri, ibi ecclesia.„ Atqui ex hujusmodi effato necessaria consequutione descendit, relinqui Petri fidem non posse, quin turpi divortio ipsa ecclesia derelinquatur; ergo quam inculcat Ambrosius retinendam cum Petro communionem, ne ab ecclesiae sinu excidamus, illa maxime fidei unitatem spectat. Quod b) verbis minime ambiguis ipsemet Ambrosius expressit lib. 1. de poenit. cap. 7.

[1] De poenit. l. I. c. 7.

[2] De Sacr. l. III. c. 7. Novimus non deesse qui negent, auctorem librorum de sacramentis fuisse Ambrosium. At praeterquam quod vetustissimi codices Ambrosii nomen prae se ferant, gravissimaque suppetant momenta rationum, quibus hoc opus Ambrosio asseratur; quam ex iis decerpsimus sententiam Ambrosio vindicant Petrus Damianus in epistola ad Hildebrandum et Arnulphus historicus mediolanensis saec. XI. lib. 3. hist. mediolan. cap. 15. Quod si libros de sacramentis Ambrosio surripiendos existimes, fatearis tamen necesse est, pervetustum esse illorum auctorem, qui Ambrosii vestigiis insistens in rem praesentem antiquae traditionis novus testis accedit.

cionitas, Valentinianos, Montenses sive Campitas: scito non ecclesiam Christi, sed antichristi esse synagogam. Ex hoc enim ipso quod postea instituti sunt, eos se esse indicant, quos futuros Apostolus praenuntiavit. Nec sibi blandiantur, si de Scripturarum capitulis videntur sibi affirmare quod dicunt, quum et diabolus de Scripturis aliqua sit locutus, et Scripturae non in legendo consistant, sed in intelligendo. Alioquin si litteram sequimur, possumus et nos quoque novum nobis dogma componere, ut asseramus in ecclesiam non recipiendos, qui calceati sint et duas tunicas habeant.„

Ea non est Scripturarum lectio.

Quibus Hieronymus cum Tertulliano aliisque vetustis 1) uti methodum veritatis assequendae Scripturarum examen excludit: contra vero 2) examen facti historici proponit: illudque 3) instituendum circa apostolicitatem quam vocant ecclesiae; ita ut 4) ibi sit veritas Christi, ubi veritas apostolicae usque durantis ecclesiae.

Ea est apostolico-romana fides.

131. Jamvero II. nomine ecclesiae apostolicae κατ᾽ ἐξοχὴν non aliam ab Hieronymo quam romanam insigniri ecclesiam, constat generatim ex comperta illius ratione sentiendi; tum iis efficitur 1) quae de alexandrina ecclesia idem Hieronymus refert. In origeniana causa desciverat Hieronymus ab Joannis hierosolymitani communione, utpote qui origenistarum columen esset atque tutela. Alexandrinus patriarcha Theophilus litteris ad Hieronymum datis ipsum commonefecit, ecclesiae regulis cautum esse, ne quis a proprio episcopo divortium faceret. Suarum esse partium censuit doctor maximus satis Theophilo facere: verum [1] hoc unum reposuit, sequi se „Romanam fidem apostolico ore laudatam, cujus se participare alexandrina gloriatur ecclesia.„ Quibus indicare voluit, se quamvis separatum fidei causa ab hierosolymitano episcopo, unitum tamen esse fidei romanae, cujus unitatem alexandrina ecclesia depraedicabat, idque sufficere ut se quis catholicum praestaret. Efficitur 2) iis quae adversus Rufinum disputans peremptoria scribit. Docuit [2] nimirum, unum illud requiri et sufficere, eo quod genuina nota catholicae ecclesiae sit. Ita enim Rufinum perstringit: „Fidem suam quam vocat? eamne qua romana pollet ecclesia, an illam quae in Origenis voluminibus continetur?

[1] Epist. 63. n. 2.
[2] Adv. Rufin. l. I. n. 4.

tinetur? Si romanam responderit, ergo catholici [1] sumus.„ Efficitur denique 3) omissis aliis neque paucis neque minus praeclaris, quae in medium depromi facile possent, sua ipsius agendi ratione, quam in occurrente sibi dubio tenendam duxit: „Ego igitur, ita in litteris [2] ad Damasum, ut ante jam scripsi, Christi vestem in romana urbe suscipiens, nunc barbaro Syriae limite teneor. Et ne putes alterius hanc de me fuisse sententiam, quid mererer ipse constitui. Verum ut ait gentilis poëta [3]: Coelum non animum mutat, qui trans mare currit, ita me incessabilis inimicus post tergum sequutus est, ut majora in solitudine bella nunc patiar. Hinc enim praesidiis fulta [4] mundi ariana rabies fremit. Hinc in tres partes scissa ecclesia ad se rapere me festinat. Monachorum circa manentium antiqua in me surgit auctoritas. Ego interim clamito, si quis cathedrae Petri jungitur, meus est. Meletius, Vitalis atque Paulinus tibi haerere se dicunt, possem credere si hoc unus assereret. Nunc aut duo mentiuntur aut omnes. Idcirco obtestor Beatitudinem tuam per crucem Domini, per necessarium fidei nostrae decus, passionem Christi, ut qui Apostolos honore sequeris, sequaris et merito: ita in solio cum duodecim judicaturus sedeas: ita te alius senem cum Petro cingat: ita municipatum coeli cum Paulo consequaris, ut mihi litteris tuis, apud quem in Syria debeam communicare significes. Noli despicere animam pro qua Christus mortuus est.„ Tanti faciebat communionem cum cathedra romani Pontificis! Scilicet tanti quanti salutarem fidem. Non ergo alibi haec quaerenda, quam in romana ecclesia; neque aliunde petenda nota ejus ac norma, quam ab illius cathedra quae est cathedra fidei atque salutis.

---

[1] Hinc factum est catholicam fidem peculiari nomine romanam dici, et romanam similiter appellari ecclesiam catholicam ob unitatem fidei, quam cum fide romanae sedis universa ecclesia singulariter profitetur. Licet enim cujusvis catholicae ecclesiae fides catholica sit; attamen praecipuo quodam modo catholica dicitur et est fides romanae ecclesiae, quia omnium catholicarum ecclesiarum fides, Irenaeo teste, cum romana convenire debet; adeo ut sicut non alia est ecclesia catholica, nisi quae romanae tamquam communi fundamento et centro unitatis adhaeret: ita non alia sit catholicae ecclesiae fides, nisi quae fidei romanae sedis tamquam petrae incumbat, et cum ea omnino concordet. Cf. quae c. I. disseruimus.

[2] Ep. 58. al. 16. coll. ep. 57. al. 15. coll. ep. 130. n. 16. ad Demetriad.

[3] Horat. epp. l. I. ep. 11.

[4] Denotat Meletium, qui Gratiani lege et Saporis magistri militum arbitrio arianas ecclesias occupabat triumque hypostasium professionem postulabat.

7. Methodus Augustini.

132. Eidem cum Ambrosio et Hieronymo tertius insistens Augustinus nihil praetermisit, quo necessitatem unitatis communionisque cum romanis Pontificibus adstrueret atque vindicaret.

Romanorum series Pontificum.

Verum numquam Augustinus luculentius necessitatem asseruit conservandae cum romanis Pontificibus communionis, quam in psalmo contra partem Donati, et in epistola [1], quam ipsemet, Fortunatus et Alypius ad Generosum dederunt. Ut enim 1) donatistas ab ecclesia rescissos demonstret, utrimque seriem romanorum Pontificum ad Anastasium usque pertexit; et postquam 2) in ea serie evicit, tum nullum donatistam episcopum reperiri, tum nullum adesse antistitem quocum societatis communione donatistae jungerentur, concludit: ipsos alienos esse ab ecclesiae aedificio, quod instituente Christo romanis Pontificibus veluti fundamento incumbit.

Catholicus quisquis romani Pontificis communione fruitur.

133. Immo quam presse Augustinus superiorum vestigia legerit, inde I. manifesto apparet, quod contra haereticam pelagianorum novitatem appellet [2] ad antiquam et vere catholicam ecclesiam. Sed quam vocat Augustinus antiquam vereque catholicam ecclesiam? Non aliam II. quam romanam, quam κατ᾽ ἐξοχὴν apostolicam sedem appellat [3], cui nefas esse docet consensionem communionemque negare:

Romani episcopi magisterio auctoritatique resistere arrogantiae impietatisque indicium.

„Cum igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum fructumque videamus, dubitabimus nos ejus ecclesiae condere gremio, quae usque ad confessionem generis humani ab apostolica sede per successiones episcoporum, frustra haereticis circumlatrantibus, et partim plebis ipsius judicio, partim conciliorum gravitate, partim

---

[1] Epist. 53. n. 2. „Si enim ordo episcoporum sibi succedentium considerandus est, quanto certius et vere salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius ecclesiae figuram gerenti Dominus ait, (Matth. XVI. 18.) Super hanc petram aedificabo ecclesiam meam et portae inferorum non vincent eam.„ Et relato Pontificum censu concludit: „In hoc ordine successionis nullus donatista episcopus invenitur. Sed ex transverso ex Africa ordinatum miserunt, qui paucis praesidens Afris in urbe Roma Montensium vel Cutzupitarum vocabulum propagavit.„ Quibus confer, quae idem Augustinus dixit or. LII. n. 1. et CLXIX. n. 4. ap. Mai N. PP. Bib. tom. I.

[2] Con. Jul. I. I. c. 4.

[3] De utilit. cred. c. XVII. n. 35. coll. adv. Petilian. l. III. c. 51 sqq.

etiam miraculorum majestate a damnatis culmen auctoritatis obtinuit? Cui nolle primas dare, vel summae profecto impietatis est, vel praecipitis arrogantiae. Nam si nulla certa ad sapientiam salutemque animis via est, nisi cum eos rationi praecolit fides; quid est aliud ingratum esse opi atque auxilio divino, quam tanto labore (al. robore) praeditae auctoritati velle resistere? Et si unaquaeque disciplina quamquam vilis et facilis ut recipi possit, doctorem aut magistrum requirit, quid temerariae [1] superbiae plenius quam divinorum sacramentorum libros et ab interpretibus suis nolle cognoscere et incognitos velle damnare?„

Scilicet non examen librorum privatum, ut ajunt, sed authenticum requirit tribunal ac magisterium, a quo fideles doceantur; idque auctore eodem Augustino positum divinitus fuit in ecclesia catholica et apostolica. Sed haec est sola romana. Hanc enim uti legem hanc uti normam ac viam quam ipse [2] sequebatur tenendam esse praecipit:

Quae vincula in ecclesia romano-catholica hominem retinent.

„In catholica enim ecclesia, ut omittam sincerissimam sapientiam, ad cujus cognitionem pauci [3] spiritales in hac vita perveniunt, ut eam ex minima quidem parte, quia homines sunt, sed tamen sine dubitatione cognoscant: ceteram quippe turbam [4] non intelligendi vivacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit: ut ergo hanc omittam sapientiam quam in ecclesia esse catholica non creditis; multa sunt alia quae in ejus gremio me justissime teneant. Tenet consensio populorum atque gentium: tenet auctoritas mira-

---

[1] Id sibi dictum arbitrentur, qui romanae ecclesiae iudicium renuunt eiusdemque tribunal despiciunt.

[2] Con. ep. Manich. quam vocant fundamenti l. unic. c. IV. n. 5.

[3] Spiritalium nomine eos ab Augustino significari diceres, quos Clemens alexandrinus in Stromatum libris passim γνωστικοὺς appellat. Videntur enim illi non esse alii quam quos q. 46. ex qq. 83. describit: „Sed anima rationalis inter eas res quae sunt a Deo conditae omnia superat, et Deo proxima est, quando pura est, eique in quantum caritate cohaeserit, in tantum ab eo lumine illo intelligibili perfusa quodammodo et illustrata cernit, non per corporeos oculos, sed per ipsius sui principale quo excellit, id est per intelligentiam suam, istas rationes quarum visione fit beatissima. Quas rationes ut dictum est, sive ideas, sive formas, sive species, sive rationes licet vocare et multis conceditur appellare quod libet, sed paucissimis videre quod verum est.„ Quibus parallela omnino sunt quae Clemens alex. str. l. IV. n. 25. de earumdem idearum contemplatoribus disserit.

[4] Turbae nomine vulgus venit atque generatim populus litteris politioribus non excultus, neque etiam altioribus ad Deum ascensionibus excellens.

culis inchoata, spe nutrita, caritate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit usque ad praesentem episcopatum successio sacerdotum: tenet postremo ipsum catholicae nomen, quod non sine causa inter tam multas haereses sic ista ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes haeretici se catholicos dici velint, quaerenti tamen peregrino alicui, ubi ad catholicam conveniatur, nullus haereticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere. Ista ergo tot et tanta nominis christiani carissima vincula recte hominem tenent credentem in catholica ecclesia, etiamsi propter nostrae intelligentiae tarditatem vel vitae meritum veritas nondum se apertissime ostendat.„

Quibus ita catholica ecclesia unice salutifera describitur, ut simul non alia probetur, quam quae cum Petri ejusque successorum sede ac cathedra vincta junctaque est.

8. Methodus sequiorum.

134. A via porro hac regia, quam tanta celebritate majores frequentarant sequiores in Occidente nullatenus deflexerunt; testis est venerabilis Beda [1], testis sanctus Bernardus [2] et ut locus quoque uni ex minus quidem famigeratis reverendis tamen ecclesiae scriptoribus concedatur, testis est Petrus abbas cellensis, qui Nicolao s. Albani monacho [3] post alia haec scribit: „Est tamen auro locus, in quo conflatur [4] et habet argentum venarum suarum principia, sedem Petri et curiam romanam quae clavos coeli principaliter tenet.„ Et iterum [5]: „Versa et reversa, in quolibet statu venerationis et glorificationis (bb. V. M.) tecum vado, tecum sentio. Si vero extra communis monetae formam vis fabricare aliam, quam non adprobavit sedes Petri, cujus est vel adprobare vel improbare ordinem universalis ecclesiae, pedem sisto et terminos constitutos non transgredior.„

Beda

Bernardus.

Petrus cellensis

---

[1] Enarrans oraculum Domini ap. Matth. XVI. et Joh. XXI. hh. 15. et 16. in vig. et fest. ss. Apost. Petri et Pauli.

[2] Ep. 174. ad canon. lugdun. n. 9. opp. t. I. p. 172.

[3] Epp. XXIII. epp. l. VI. p. 879. in max. PP. lib. tom. XXIII.

[4] Job. XXVIII. 1.

[5] Ibid. l. IX. ep. 10. p. 906.

9. Conspirant orientales.

135. Sed ne in oriente a via illa adeo illustri devii et alieni majores fuisse putentur, generatim exigit universalis orientalium cum occidentalibus conspiratio, exigunt plurima quae jam ex monumentis orientalium generatim in medium protulimus, atque exigunt

Epiphanius. *Praesidium veritatis in romana cathedra.*

I. illa [1] Epiphanii, quibus in romanorum episcoporum successione certae exploratae que veritatis praesidium jugiter situm significat. Hinc illorum seriem percenset atque hanc ejus rei causam perhibet: „Et ne quis miretur, quod singula tam accurate percensuimus; per hos enim semper quod tenendum est ostenditur.„ Tum exigit

Cyrillus. *Tuta norma iudicium romanum.*

II. Cyrilli auctoritas. Jam suam disseminabat haeresim Nestorius, et tanti facinoris indubia fama ad aures pervenerat Cyrilli antistitis alexandrini. Non ipsum fugiebat, nefas esse catholico episcopo communionis nexibus haeretico homini devinciri. Quid ergo consilii cepit? Non prius a sua communione Nestorium rescindere existimavit, quam litteris ad Coelestinum datis [2] ipsum in haec verba sciscitaretur: „Digneris igitur nobis declarare, quid tibi videatur, et utrum aliquando cum illo communicare oporteat, an libere denunciare, neminem cum eo, qui talia sentit ac docet, communicare.„ Scilicet romani Pontificis sententia Cyrillo erat tamquam norma tutissima abrumpendae vel servandae communionis. Immo cum in eadem epistola adjiciat, opus esse ut Coelestinus quod definierit aliis quoque episcopis unitatis bono significet, „ut omnes uno animo in una sententia persistant,„ compertum est a tanto viro fuisse apostolicae sedis expetitum judicium, non modo ut regulam communionis haberet, verum etiam ut catholicis omnibus norma suppeteret, qua in ejusdem fidei professione continerentur. Exigunt denique

Theodoretus.

III. praeclara Theodoreti verba [3] quibus supplex Leonem

---

[1] Haer. VII. carpocrat. tom. I. p. 107. *Καὶ μή τις θαυμάσῃ ὅτι ἕκαστα οὕτως ἀκριβῶς διήλθομεν· διὰ γὰρ τούτων ἀεὶ τὸ σαφὲς δείκνυται.*

[2] Vid. epist. VIII. inter epist. Coelestini apud Coustant. n. 7.

[3] Ep. 113. ad Leon. *Ἐγὼ δὲ τοῦ ἀποστολικοῦ ὑμῶν θρόνου περιμένω τὴν ψῆφον καὶ ἱκετεύω καὶ ἀντιβολῶ τὴν σὴν ἁγιότητα, ἐπαμῦναί μοι τὸ ὀρθὸν ὑμῶν καὶ δίκαιον ἐπικαλουμένῳ κριτήριον, καὶ κελεῦσαι δραμεῖν πρὸς ὑμᾶς, καὶ ἐπιδεῖξαί μου τὴν διδασκαλίαν τοῖς ἀποστολικοῖς ἴχνεσιν ἑπομένην..... καὶ ῥᾴδιον ἐκ τούτων καταμαθεῖν εἴτε ἀκλινῆ τὸν κανόνα τῆς πίστεως διετήρησα εἴτε τὴν τούτου παρέβην εὐθύτητα.* Conferantur quae Nazianzenus in l. de vita sua

compellat: „Ego vero apostolici vestri throni exspecto calculum, et oro atque precor sanctitatem tuam, ut provocatum me recto vestro et justo criterio juvet et ad vos festinare jubeat, meamque doctrinam apostolica sequentem vestigia commonstret.„ Tum allegatis suis quae eo usque exaraverat scriptis subdit: „Et facilius ex his est nosse, utrum indeclinabilem normam fidei tenuerim vel ejus rectitudinem fuerim transgressus.„ A quibus sejungi ea non debent, quae idem post alios allatos Patres ad Leonis M. ejusque sedis auctoritatem denotandam scribit [1] de integra humana Christi natura: „Et re quidem vera etiam is qui nunc magnam Romam regit et verorum dogmatum radios ab occasu ubivis diffundit sanctissimus Leo, hunc nobis fidei characterem h. e. regulam vel formam per proprias litteras proposuit.„

Sententia romana fidei paradigma.

136. Quibus ad rem nihil praeclarius desiderari potest: nisi forte IV. insignius censeri illud debeat, quod congregati praesules in unum plus semel de Petri suorumque successorum cathedra professi sunt. Atque huc satis sit retulisse quae in chalcedonensi synodo [2] disseruit Cecropius episcopus sebastopolitanus: „Emerserunt quae ad Eutychen pertinent, et super iis forma data est a sanctissimo archiepiscopo romanae urbis, et sequimur eum et epistolae omnes subscripsimus. Reverendissimi episcopi clamaverunt: Ista omnes dicimus, sufficiunt quae exposita sunt, alteram expositionem non licet fieri.„ Et similia ibidem rursum postea repetuntur quum in sententia damnationis Dioscori ita [3] legati pronuntiant: „Sanctissimus et beatissimus senioris Romae archiepiscopus Leo per nos et praesentem synodum cum ter beatissimo et

Concilium chalcedonense.

---

de discrimine canit inter veterem novamque Romam, quo illam servare, hanc autem perdere fidem significat.

[1] Ep. 145. *Καὶ μὲν δὴ καὶ ὁ νῦν τὴν μεγάλην Ῥώμην ἰθύνων, καὶ τῶν ὀρθῶν δογμάτων τὰς ἀκτῖνας ἐκ τῆς ἑσπέρας πάντοτε ἐκτείνων ὁ ἁγιώτατος Λέων, τοῦτον ἡμῖν τῆς πίστεως χαρακτῆρα διὰ τῶν οἰκείων γραμμάτων προσήνεγκεν.*

[2] Act. II. ap. Harduin. tom. II. p. 286. *Ἀνεφύη τὰ κατὰ Εὐτυχέα· ἐπὶ τούτοις τύπος ἐδόθη παρὰ τοῦ ἁγιωτάτου ἐν Ῥώμῃ ἀρχιεπισκόπου καὶ στοιχοῦμεν αὐτῷ καὶ ὑπεγράψαμεν πάντες τῇ ἐπιστολῇ· οἱ εὐλαβέστατοι ἐπίσκοποι ἐπεβόησαν· ταῦτα πάντες λέγομεν· ἀρκεῖ τὰ ἐκτεθέντα· ἄλλην ἔκθεσιν οὐκ ἐξὸν γενέσθαι.*

[3] Act. III. *Ὁ ἁγιώτατος καὶ μακαριώτατος τῆς μεγάλης καὶ πρεσβυτέρας Ῥώμης ἀρχιεπίσκοπος Λέων, δι' ἡμῶν καὶ τῆς παρούσης συνόδου, μετὰ τοῦ τρισμακαριωτάτου καὶ πανευφήμου Πέτρου τοῦ Ἀποστόλου, ὅς ἐστι πέτρα καὶ κρηπὶς τῆς ἀποστολικῆς ἐκκλησίας καὶ τῆς ὀρθοδόξης πίστεως ὁ θεμέλιος, ἐγύμνωσεν αὐτὸν τῆς τοῦ ἐπισκόπου καὶ πάσης ἱερατικῆς ἠλλοτρίωσεν ἀξίας.*

gloriosissimo Petro Apostolo qui est petra et basis catholicae ecclesiae fideique orthodoxae fundamentum, exuit illum ac privavit episcopali et omni sacerdotali dignitate.„

Synodi aquileiensis et ephesina. Quibus gemina sunt quae ad Gratianum aliosque imperii principes scripsit synodus aquileiensis [1] quaeque Philippus presbyter in synodo ephesina [2] dixit: „Petrus enim fidei columna et ecclesiae fundamentum per successores suos semper vivit.„ Et quae iterum in eadem synodo [3] Patres ad romanum praesulem scribunt: „Est enim vobis adeo magnis hoc in more positum, ut studia vestra ecclesiarum fundamenta efficiatis.„

10. Necessariae communionis romanae tesserae tam apud orientales quam apud occidentales.

137. Una ergo et eadem cogitandi sentiendique ratio occidentalibus aeque ac orientalibus ecclesiae Patribus continuo jugiterque insidebat, romanam scilicet cathedram necessariae salutarisque omnium fidei fundamentum esse caritatisque necessariae omnibus centrum: tum una eademque utrisque via usitata erat ac *μεθόδος* probandae sive fidei verae sive sincerae communionis, per romanam videlicet cathedram. Jamvero ecclesia Dei cum sit societas non mere interna ac spiritalis, sed etiam externa et humano-divina, neque vinculis tantum coelestibus ac divinis sed humanis quoque terrenis ac publicis cohaerere debeat: fieri aliter non potuit, quam ut consensio communioque cum romana ecclesia externis, publicis solemnibusque documentis demonstraretur.

Litterae formatae 138. Atque huc pertinet formatarum quas vocant, usus litterarum eo spectantium, ut instrumento authentico societas ac communio cum sacra Petri cathedra comprobaretur omnibusque

---

[1] Epistola data imperatoribus ap. Harduin. tom. I. p. 837. in causa Ursicini: „Cum igitur scriptum sit, haereticum post unam correctionem devita;... quomodo fieri potest, ut eum quem societati eorum (arianorum) insertum vidimus, non etiam assertorem perfidiae judicemus? Quod etiamsi deforet, tamen totius orbis romani caput romanam ecclesiam atque illam sacrosanctam fidem Apostolorum ne turbari sineret, obsecranda fuit clementia vestra. Inde enim in omnes veneranda communicationis jura dimanant.„

[2] P. II. act. 3. ap. Hard. t. I. p. 1478.

[3] In epist. ad Coelest. Pap.: *Ἔθος ὑμῖν τοῖς οὕτω μεγάλοις εὐδοκιμεῖν εἰς ἅπαντα ἐρείσμά τε τῶν ἐκκλησιῶν τὰς ἑαυτῶν ποιεῖσθαι σπουδάς.*

patefieret. Quum res vulgatissima [1] in utraque orbis plaga fuerit, paucis erimus contenti. Ad hunc usum respexit Tertullianus quum modo [2] de contesseratione fidei sermonem instituit, modo [3] commemorat „contesserationem hospitalitatis:„ nimirum designat libellum fidei, quem ab hospitibus postulabant cum aliae tum romana nominatim ecclesia, ut eos post unius ejusdemque professionem fidei in Petri communionem reciperet. Ad eumdem usum pertinent quae s. Cyprianus ad romanam ecclesiam scripsit [4] de cura ac sollicitudine adhibenda, ne communionis litterae suo authentiae charactere destituerentur. Huc porro facit laudata [5] Optati milevitani sententia, qua totidem verbis „formatarum litterarum„ mentionem facit, quarum „commercio [6] totum orbem cum Siricio romanae cathedrae episcopo in una communionis societate concordantem„ perhibet. Huc facit sancti Augustini epistola [7] Eleusio, *Tertullianus.* *Cyprianus.* *Optatus.* *Augustinus.*

---

[1] Cf. Christ. Lupum in scholiis ad Tert. de praescriptt. cc. XX. sq. coll. Bernh. Ferrar. de epp. ecclesiast., Garner. in not. ad diurnum et in append. ad hujusmodi not. c. II. n. 24. Pet. Ballerin. de vi ac rat. primat. c. XI. n. 11. Suicer. ad v. κανονικὸς et Hefele hist. conc. ad indicis v. epistolae.

[2] Praescriptt. c. XXI. l. sup. c.

[3] Ibid. c. XX.

[4] Ad presbytt. et diac. rom. ep. III. coll. ep. XLV.

[5] Ad Parmen. l. II. c. 2. c. schism. don.

[6] Juverit animadvertisse, potuisse quidem et fidei symbolum et sacramenta communia esse societati catholicae atque schismaticorum factionibus; verum communicatorias litteras inter catholicae tantum unitatis episcopos ultro citroque dari potuisse. Hinc Augustinus ut schismatis reos convinceret donatistas, postquam in litteris ad Honoratum eorumdem episcopum datis (epist. 161.) ecclesias recensuit ab Apostolis laudatas et fundatas, continuo subdit: „Quibus omnibus ecclesiis nos hodie communicare manifestum est, sicut manifestum est, vos istis ecclesiis non communicare.„

[7] Ep. CLXIII. al. XLIV. ubi Augustinus significat, cum Fortunii litteris agendum ab omnibus sub coelo catholicis ecclesiis, quod arianorum episcoporum litteris faciendum ab africanis episcopis edixerat Athanasius: „Ne recipiatis illorum litteras, sed oblatas disrumpite, eorumque tabellarios ut impios et scelerum administros ejicite.„ Et ne haec adversus haereticos dicta ad schismaticos transferri non posse videantur, audiatur Augustinus, cujus ista sunt verba in capite primo libri prioris contra Petilianum donatistam: „Factum est ut ad nonnullos, etiam primates donatistarum, litteras daremus, non quidem communicatorias, quibus se jam in praeteritum indignos a catholica ecclesia dissentiendo fecerunt, nec tamen contumeliosas, sed pacificas, ut nobiscum quaestione discussa corrigi vellent.„ Quae praeterea demonstrant, multiplex in usu fuisse epistolarum genus, quod pariter innotescit cum ex undecimo canone synodi chalcedonensis, et canone septimo synodi antiochenae, tum ex ejusdem Augustini ad Emeritum donatistam litteris (epist. 164.): „Ego viro, quem, excepto schismate, bonum et liberaliter in- *Athanasius.*

Glorio et Felicibus data de concordia cum Fortunio donatistarum episcopo, quam absque tumultu placidaque via inire tentaverat. Scribit porro post inutiles disputationes, quibus ille se catholicum esse contenderat, semet quaesivisse: „Utrum epistolas communicatorias quas formatas dicimus posset quo vellem dare, quum manifestum omnibus esset, hoc modo facillime illam terminari posse quaestionem.„ Tum subdit: „Parabam autem, ut, si consentiret, ad illas ecclesias a nobis tales litterae mitterentur, quas in apostolicis auctoritatibus pariter legeremus illo jam tempore fuisse fundatas.„ At inter eas principem locum ab Augustino romanae concessum ecclesiae abunde novimus.

Concilium VIII. 139. Atque ut finem citationibus imponamus, ad rem nihil disertius dici potuit, quam quod in concilio constantinopolitano VIII. actum [1] legitur: „Mos est in romana ecclesia ab omni homine hospite libellum fidei exigendi, et ita permitti hunc in sanctum Petrum intrare. Fecerunt isti (ita interrogantur romani Pontificis legati) secundum hanc formam, an non? Sanctissimi vicarii senioris Romae dixerunt: Ita fecerunt. Zacharias et Theophilus dudum episcopi dixerunt: Unum an duos fecimus? Sanctissimi vicarii senioris Romae dixerunt: Duos [2] libellos fecistis. Zacharias et Theophilus dudum episcopi dixerunt: Ergo non erant ibi. Magnificentissimi et gloriosissimi principes interrogaverunt sanctos vicarios: Quid circumferebat libellus? Sanctissimi vicarii Romae dixerunt: Ut secundum catholicam ecclesiam teneant et defendant veritatem, et per omnia sequantur judicium sanctae romanae ecclesiae. Bahanes magnificentissimus patricius et praepositus dixit: Ita confessi sunt heri in secretariis, ut per omnia consentiant romanorum ecclesiae. Sanctissimi vicarii senioris Romae dixerunt: Interrogate ergo praevaricatores ipsos, utrum faciant romanum libellum [3] nec ne? Magnificentissimi et gloriosissimi principes dixe-

---

structum audivi, pacificantes litteras scripsi.„ Cf. eumd. Aug. ep. XLIII. n. 7. l. c.

[1] Act. IV. ap. Harduin. t. V. p. 816. coll. Theodoret. H. E. l. V. c. 3. de Flavian. antioch. et Gelas. ad Laurent. ep. de Lig. ep. 2.

[2] Adnotatio Anastasii bibliothecarii ex edit. rom. „Et revera duos libellos fecerunt: unum scilicet fidei, antequam urbem ingrederentur, et alterum pro sequendis decretis apostolicae sedis, antequam in communionem reciperentur.„

[3] De ratione ac forma litteras formatas faciendi videsis Harduin t. V. pp. 1453 sqq.

runt ad Zachariam et Theophilum dudum episcopos: Facitis libellum an non? Zacharias et Theophilus dudum episcopi dixerunt: nec audire illum volumus. Sanctissimi vicarii senioris Romae dixerunt: Emittite illos foras.„ Quod etiam illico exsequutioni mandatum. Quibus non minus usus ipse litterarum communicationis universim asseritur, quam ejus finis declaretur eximioque specimine illustretur.

11. Sectarum suffragium.

140. Penitissima ergo erat et universalis fides ac persuasio totius antiquitatis quam *θεωρηματικῶς* enuntiavit et *πρακτικῶς* manifestavit, veram fidem caritatemque catholicam in sola obtinere romana unitate, ideoque necessarium plane esse, cum romana unitate debitis vinculis cohaerere, atque hoc debitis modis patefacere. Tanta porro erat veritatis illius vis ut vel ipsi haeretici ac schismatici eamdem convicti coactique confirmasse deprehendantur.

141. Convicti ea re deprehenduntur Fortunatus et Felicissimus aliique Africae schismatici, de quibus Cyprianus [1] ad Cornelium scripsit: „Navigare audent, et ad Petri cathedram atque ad ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis orta est, a schismaticis et profanis litteras ferre; nec cogitare eos esse romanos, quorum fides Apostolo praedicante laudata est, ad quos perfidia habere non possit [2] accessum.„ *Fortunatus et Felicissimus.*

---

[1] Ep. LV. ed. Paris. 1726. p. 86. ibidem autem p. 87. haec praeclara subdit: „De istis vero quid dicam qui nunc ad te cum Felicissimo omnium criminum reo navigaverunt legati a Fortunato pseudoëpiscopo missi, tam falsas ad te litteras afferentes quam est et ipse cuius litteras ferunt falsus, quam est eius peccatorum multiplex conscientia, quam execrabilis vita, quam turpis, ut etsi in ecclesia essent, eiici tales de ecclesia debuissent. Denique quia conscientiam suam norunt, nec nos audent adire aut ad ecclesiae limen accedere, sed foris per provinciam circumveniendis fratribus et spoliandis pererrant, et omnibus iam satis noti atque undique pro suis facinoribus exclusi, illuc etiam ad vos navigant.„ Haec apostatarum sors!

[2] Sed, inquis, quinam fieri potuit, ut Cyprianus, talis quum esset persuasionis, ipse tamen facto actuque a romano Cornelio dissideret? Nimirum si qua in pluribus licet diversa attamen in nonnullis similia conferri mutuo possunt; id de Cypriano dicendum arbitramur quod de Tertulliano loquentes usurpare consuevimus. Itaque quemadmodum nemo est qui non maxime probet quae de necessitate retinendae fidei in apostolicis ecclesiis praedicatae Tertullianus scripsit in libro de praescriptionibus: et quemadmodum omnes unanimi suffragio a Tertulliano recedunt hanc necessitatem inficiante post- *Cypriani labes.*

Meletiani. 142. Convicti deprehenduntur qui discissi erant in oriente nominatim antiochenses Meletii asseclae, qui trium hypostasium appellatione utentes ideoque in haereseos suspicionem vocati, ut illam a se amolirentur, summis studiis in comparanda sibi romanae sedis communione adlaborarunt. De illis enim sub campensium [1] nomine haec Hieronymus [2] ad Damasum refert: „Campenses cum tarsensibus haereticis copulati, nihil aliud ambiunt quam ut auctoritate communionis vestrae fulti tres hypostases cum antiquo i. e. haeretico sensu [3] praedicent.„

Interea Hieronymus Antiochiae degens ut tres hypostases fateretur, urgebatur vehementissime. At is anceps et dubius quum in tres scissam partes antiochenam ecclesiam lamentaretur ob tres episcopos Meletium, Paulinum et Vitalem, quorum singuli Damasi communionem praeferebant; ad hunc litteras dedit ut certior fieret, num una, an tres hypostases dicendae essent, et quocum episcopo ipsi foret communicandum. Ita vero in hoc negotio sese sollicitum Hieronymus prodit, ut quemadmodum exposuimus non minus fidei quam communionis unitatem cum romano Pontifice necessariam esse luculentissime patefaciat. Sed idem Meletiani patefaciebant.

Fortunius tubursicensis. 143. Et convicti deprehenduntur, ut alios [4] praetermittamus, donatistae, e quorum numero Fortunius tubursicensis formatarum

---

quam Montanistarum factioni nomen dedit; ita cauti sapientisque hominis est et Cypriano adhaerere communem causam protegenti ac unitatis necessitatem cum Petri cathedra constituenti, et ab eodem desciscere postquam in errorem incaute lapsus illam tueri ut par fuisset neque potuit neque satis novit quin errores errori adjiceret, usque dum martyrium rursus cum Cornelio romano eum copularet.

[1] Campenses antiochenos illos vocat Hieronymus, qui Meletio addicti ante ejus reditum synaxes in agris peragebant.

[2] Epist. XV. n. 5.

[3] Equidem durius censuisse Hieronymum haereticis Meletianos accensentem fugit neminem; orthodoxi namque illi fuerunt et sedulam navarunt operam, ut communionem romanae sedis assequuti se catholicos atque ab omni haereseos labe integros demonstrarent. Unde patet, existimasse Meletianos, certissimum esse orthodoxiae indicium, Petri cathedrae communione sociari.

[4] Eorum enim census texi longe maximus posset, ducto initio a Marcione, (qui ob fractum castitatis votum a proprio patre, pio episcopo, excommunicatus Romam venit anno 127. ut communionis catholicae particeps fieret) usque ad praesentem diem, quo ad declinandam excommunicationis vim propriaeque blandiendum conscientiae morsibus valorem potius censurarum simpliciter negant, quam ut suam ab ecclesia separationem fateantur.

litterarum pressus argumento [1], neque ausus extra unitatem episcopatus veram Christi ecclesiam constituere, Augustino illud argumentum adhibenti opposuit „quoddam volumen, ubi volebat ostendere, sardicense concilium ad episcopos afros, qui erant communionis Donati, dedisse litteras.„

144. Eadem exceptione usum fuisse Cresconium similiter donatistam, liquet [2] ex opere in ipsum Cresconium ab Augustino exarato. Utrum dolo malo, an inscitia ita se donatistae gesserint, ut sardicensi synodo tribuerint litteras philippopolitani conventus, quibus Eusebiana factio studuit sibi africanam donatistarum partem conjungere, anxius non quaeram; sed utique monebo, hoc uno donatistarum facto ad evidentiam usque ostendi, quantopere omnium animis antiquitus insederit [3], extra unitatem episcoporum, cui romanus episcopus praeest, catholicam frustra ecclesiam poni atque salutem sperari. *Cresconius donatista.*

V. *Divinus romani episcopi primatus.*

145. Sed enimvero unde persuasio illa adeo firma, constans, et universalis totius christiani nominis, ab antiquissimis repetita saeculis, modisque expressa plenissime omnibus tam theoreticis quam practicis, veram sinceramque Christi fidem profitendam non esse nisi in unitate romana, et vera germanaque caritatis christianae vincula stringenda non esse nisi cum eadem romana ecclesia? Videlicet non alia ejusmodi effectus ratio ac causa reddi justa *Praestitutae traditionis causa.*

---

[1] Ep. CLXIII. int. August.

[2] Lib. III. c. 34. En Augustini verba: „Africanam haeresim donatistarum orientalis haeresis pseudo-sardicensium sibi tentavit adjungere, quod hinc maxime credibile est, quod ad Carthaginis episcopum romano praetermisso nunquam orientalis catholica scriberet.„ Ergo fatetur Augustinus avulsum esse a communione catholica quisquis communione romani Pontificis non potiatur; ergo ex mente Augustini, immo et orientalis ecclesiae cujus refert consuetudinem, romanus Pontifex centrum est atque origo catholicae communionis.

[3] Quare historia ecclesiastica nobis exhibet catharos, donatistas, luciferianos ad unitatem reduces, et simul nobis ritum exhibet, quo in ecclesiam recipiebantur. Imponebantur illis manus, super illos Spiritus sanctus advocabatur, et nisi ecclesiae commune bonum aliter efflagitasset, quamquam reconciliati, iis privabantur honoribus hierarchicis, quos forte in sua factione obtinuissent. Legi prae ceteris hac de re potest Petrus Coustantius epp. rom. pontif.

potest, quam quae sita est in pervulgata receptaque ab omnibus ubique fide, romanam ecclesiam ac cathedram a Petro fundatam erectamque fuisse, et ejusdem episcopos veros esse et legitimos Apostolorum principis successores atque haeredes; Petrum vero constitutum divinitus esse totius ecclesiae basim atque crepidinem, vel ipsorum Apostolorum centrum atque verticem.

146. Intelligo non unum esse ac simplex quod affirmavi, sed varium ac multiplex: verum illud pariter novi, nihil ex iis esse, quod uti ratum et fixum idque vario certitudinis genere non constaret quodque non liceret hic προληπτικῶς sumere. Nimirum

Petrus romanae fundator ecclesiae.

I. certum exploratumque ex historia ecclesiastica sumimus, beatum Petrum [1] Romam venisse, romanam ecclesiam fundasse et fundatam suo sanguine irrigasse. Tum

Romanus Petri episcopatus.

II. certitudine historica constare accipimus de romano sancti Petri episcopatu [2], quem ad mortem usque tenuit. Porro

Continui Petri successores.

III. constat certitudine historica de continuata [3] romanorum episcoporum serie. Verum

Facta dogmatica.

IV. quum facta haec penitissime cohaereant cum doctrinae capitibus revelatis, fide tenendis et necessariis prorsus ne tota ecclesiae oeconomia labefactetur: fit, ut eadem constent certitudine multo etiam pure historica majori, certitudine videlicet factorum dogmaticorum, quibus certitudo competit infallibilitatis. Sane

Petri primatus perpetuus.

V. revelatione ac fide constat tam de instituto Petri primatu, quam de perpetua ejus ad fines saeculorum usque duratione. Uti enim primum illud insignissimis ss. litterarum oraculis [4] fulcitur;

---

[1] Cf. Stolberg. hist. eccles. J. C. tom. X. append. de primatu Apostoli Petri eiusque successorum pp. 552 sqq.

[2] E plurimis quae id contestantur antiquitatis monumentis huc spectant Euseb. in chron. ad ann. Claud. secundum, Chrysost. in II. Tim. h. 10. Epiphan. h. XXVII. n. 6. Optat. de schism. donat. l. II. l. sup. c., Ambros. de sacr. l. III. c. 1. l. sup. c. Hieron. scriptt. eccles. cc. 1—25. Aug. ad Generos. ep. CLXV. n. 1. Petr. Chrysol. ep. ad Eutych. Sulpic. Sever. hist. sacr. l. II. n. 28. Prudent. hymn. de s. Laurent. M. aliique non pauci quibus usi jam sumus et infra utemur.

[3] Historica rei testimonia non pauca allegata superius fuere. Sed de his vide Em. Schelstrate antiq. illustrat. dissertat. praev. c. II. et e recentioribus Dölling. Christenth. und Kirche pp. 96 sqq. 314 sqq.

[4] De his conferri meretur opus praestatissimum Car. Pass. de praerogat. s. Petri, quod evulgavit 1850 quum adhuc esset e Societate Jesu.

ita necessaria evidentique instituta eorumdem analysi [1] consequitur, praerogativam auctoritatemque primatus Petro collatam una cum Petro non debuisse extingui sed in ecclesia Dei jugiter porro durare. Atqui

Petri successores insignes Petri primatu.

VI. Petri praerogativas jugitur continuandas affirmare perinde est, ac perpetuos Petri successores [2] asserere, quibus fieret, ut

---

[1] Enimvero revelatum ex aequo haberi debet sive quod necessaria evidentique consequutione analytica ex instrumento divino colligitur, sive quod ex eodem eruitur consequutione quidem synthetica necessaria et evidenti, quae tamen non aliis propositionibus quam divinitus revelatis coalescat. In re autem praesenti consequutionibus uti licet utriusque generis, atque adeo quod illis continebitur, revelatis articulis erit accensendum. Nam I. primatus Petro promissus ostenditur perpetuus verbis Matth. XVI. 18. „Et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam„: his enim Petrus tamquam fundamentum necessario exhibetur sub schemate perpetuitatis, quum perpetuum sit aedificium, ab ipso sustinendum. Ostenditur II. perpetuus verbis Matth. XVI. 19. „Et tibi dabo claves regni coelorum„: haec enim quae Petrum significant clavigerum regni coelorum, eumdem adsignificant perpetuum clavigerum regni perpetui. Ostenditur III. perpetuus verbis Matth. XVI. 18. „Et portae inferi non praevalebunt adversus eam„ coll. Lucae. XXII. 31 sqq.: tamdiu enim permanere debent jus et officium confirmandi fratres, quamdiu et tentationes contra fidem ingruent et ecclesia invicta perstabit. Illae autem semper ingruent, et haec numquam expugnabitur. Ergo ostenditur IV. perpetuus verbis Joh. XXI. 15 sqq. quum eo usque perseveraturus sit pastor oecumenicus, quousque ecclesia futura est ovile unum sub uno pastore. Hanc autem formam praeferre ecclesia semper debet. Ergo ostenditur V. perpetuus analogia fidei et Scripturarum conspiratione. Sane Matth. XVI. 18 sqq. Luc. XXII. 31 sqq. et Joh. XXI. 15 sqq. aut promittitur aut instituitur ecclesiasticum ministerium illudque princeps. Jamvero analogia fidei et Scripturarum conspiratio sicuti non ferunt, ut instituta divinitus ministeria cum iis desiisse censeantur, quibus primum fuere collata; ita postulant, ut eadem perpetua existimentur. Videsis Matth. XVIII. 18. XXVIII. 18 sqq. Marc. XVI. 15 sq. Joh. XX. 21 sqq. Ephes. IV. 11 sqq. De his cf. Car. Passaglia de ecclesia Christi vol. II. l. III. c. 24. Accedit VI. Pauli doctrina I. Cor. III. 22 sqq. cum qua necessario cohaeret, ministeria omnia a Christo instituta ipsumque adeo ministerium attributum Cephae, eo spectare ut Ecclesiae commodis prospiciatur. Hinc illud Augustini in libro de Past. c. I. „Quod christiani sumus, propter nos est, quod autem praepositi sumus, propter vos est.„ Commoda porro ecclesiae ac stabilita ministeria non hoc illove circumscribuntur tempore, sed universum mortalitatis tempus complectuntur. Praeterea VII. Christus alloquens Apostolos suis jam ditatos iuribus suisque distinctos characteribus, Matth. XXVIII. 20., sic habet: „Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.„ Futurum ergo erat, ut cum Petro suis ditato juribus suoque charactere distincto Christus adesset usque ad consummationem saeculi. Atqui hinc nihil evidentius, quam jura Petri ejusque primatum una cum ipso desinere nullatenus debuisse.

[2] Cf. Stolberg. hist. e. J. C. l. c.

Petrus qui talis proprie est ac dicitur vi suarum praerogativarum in ecclesia Dei esse numquam desineret. Quare

Petrus iugiter vivit.

VII. jure divino ac lege divinitus statuta [1] Petrus jugiter vivit in successoribus suis, qui vim auctoritatemque primatus continua hereditate acceptam ad finem usque saeculorum propagant. Jam vero

VIII. Petri successores teste historia ac traditione neque sunt neque vocati umquam alii fuere [2] a praesulibus ecclesiae romanae, ita ut vel ipso solemni loquendi usu in antiquitate passim recepto [3] romana ecclesia appellari consueverit Petri sedes Petrique cathedra. Ergo

Petrus Romae.

IX. romanae sedis praesules jure divino potiuntur Petri praerogativis, eodemque jure [4] ea de illis omnia valent quae de Petro ecclesiae primatum tenente nota compertaque credimus.

---

[1] Haec continuae successionis lex ut superiora ostendunt, humana non est sed omnino divina, neque aliunde quam ex voluntate Christi institutoris repetenda. Ab hac autem lege distingui successionis debet conditio, eo pertinens ut determinetur, quinam prae reliquis illi pastores exsistant, qui in primatu Petro rite succedant. De ejusmodi porro conditione quum jure divino positivo nihil constet, jure autem positivo humano statui nequeat, ex facto tantum Petri reique natura aestimari rite potest. Nimirum redit illa conditio ad conjunctionem originalem primatus cum episcopatu romano, seu quod idem est ad romanum episcopatum a Petro ad suam usque mortem primatus juribus auctum. Reliquis ergo exclusis Petrus supremum obiens diem romanum episcopatum ad primatus auctoritatem evectum suo Romae successori reliquit; ideoque ex ipsa rei natura successor ejus in romano episcopatu una atque simul in primatu eidem successit atque usque succedit. Et hoc est quod universalis ecclesiae traditione firmatur.

Successionis conditio.

[2] Neque dictum neque auditum est umquam, alterius cujusdam sedis episcopum esse Petri in primatu successorem: sed dictum semper semperque inculcatum in monumentis ecclesiasticis legimus, Petri successorem romanae sedis esse antistitem: qua de re ante concilium VII. dubitavit nemo; post initia vero photiani schismatis declaratum id solemniter fuit in concil. VIII. atque schismate photiano consummato unum romanum episcopum credendum Petri in primatu successorem sanciverunt concilia lugdunense, lateranense et florentinum.

[3] Ita Cypr. epp. LII. LV. Hieron. ep. XV. ad Damas. Patres sardic. in litt. ad Julium pont., syn. VI. act. 16. in serm. prosphon. ad Constant. imp., Theodor. studit. epp. l. II. ep. 12. Constant. Pogon. in rescript. ad Leon. II. Just. et Iren. in dival. ad Hadrian. I. syn. VIII. act. X. c. 21. et alii alibi.

[4] Etenim ex eodem fonte repeti jus debet, quo romani episcopi Petro succedunt, e quo lex ipsa successionem determinans proficiscitur. Haec autem ex institutione Christi ejusque voluntate dimanat. Exinde ergo jus item

147. Quaenam vero illa sunt, quae de Petro comperta exploratataque tenemus? Hoc inprimis, quod uno ore veteres edicunt, idcirco Petrum divinitus fuisse prae omnibus Apostolis auctoritate primatus distinctum, ut stabilito fidei fundamento caritatisque centro in ecclesia Dei sentiendi vivendique unitas conservaretur. „Bono unitatis, ita ex communi sententia [1] Optatus milevitanus, beatus Petrus (cui satis erat, si postquam negavit, solam veniam consequeretur), et praeferri omnibus Apostolis meruit, et claves regni coelorum communicandas ceteris solus accepit.„ Et iterum: „Stant tot innocentes, et peccator accipit claves: ut unitatis negotium formaretur, provisum est, ut peccator aperiret innocentibus, ne innocentes clauderent contra peccatores, et quae necessaria est unitas esse non posset.„ *Primatus romanus principium romanae unitatis.* *Optatus cum Paciano.*

Hoc idem ergo de quovis Petri successore repetendum est, propterea praestare eum omnibus reliquis pastoribus clavesque tenere ecclesiae universae, ut per ipsum in ecclesia universa negotium unitatis formetur. Scilicet romanae ecclesiae praesules sicut jure divino Petri successores exsistunt personamque Petri continuo repraesentant; ita singuli quique non secus ac Petrus ipse ecclesiastici aedificii [2] petra, fundamentum, atque crepido con-

---

dimanat, quo romani episcopi Petro succedere creduntur. Hunc eumdem fontem institutionis Christi jurisque divini patefaciunt tum pleraque omnia veterum testimonia, quibus romani episcopi successores Petri declarantur: tum ecclesiasticae definitiones, quas inter florentina excellit. Tandem romani episcopi Petro succedunt jure omnibus ecclesiae canonibus vetustiore; quum quotquot sunt canones hanc successionem institutam revereantur, non instituant. Reliquum est igitur, ut hoc successionis jus divinum censeatur.

[1] De schism. donat. con. Parmen. l. VII. c. 3. coll. l. II. c. 2. Cypr. l. de eccl. unit. et ep. LXX. LXXIII. Hieron. con. Jovin. l. I. n. 26. et con. Lucif. n. 9. Pacian. ep. III. cuius haec sunt verba luculentissima: „Ipso referente Matthaeo paulo superius ad Petrum locutus est Dominus, ad unum ideo, ut unitatem formaret ex uno.„

[2] Hinc illud apud Patres receptissimum: romanos Pontifices aeque ac Petrum dici et esse ecclesiastici aedificii petram et fundamentum. Certe Augustinus in Ps. contra partem Donati recensitis romanae sedis Pontificibus, qui Petro successerunt, addidit: „Ipsa est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae.„ Et Leo serm. 5. al. 4. in anniv. assumpt. suae cap. 4. „Soliditas enim illa, quam de petra Christo etiam ipse (Petrus) petra factus accepit, in suos quoque se transfundit heredes.„ Et ante Leonem Bonifacius I. epist. 4. ad Rufum thessalonicensem n. 1: „Quam (romanam sedem) constat dignatione petrae spiritalis elatam.„ Hinc Bossuetus in serm. ad comitia cleri gallic. an. 1681 tamquam fidei dogma asseruit: „Petrum in suis *Bossuet.*

stituuntur: et quemadmodum ille ipsorum Apostolorum caput [1] et vertex [2] fuit; ita isti similiter eumdem apostolicum principatum nacti centrum principiumque [3] exsistunt efficiens tum unitatis symbolicae tum socialis communionis omnium cum suis gregibus pastorum adeoque totius ecclesiae catholicae.

CAPUT IV.

De romanae unitatis oeconomia.

I. *Unitas episcopatus episcoporum.*

148. Ex iis quae superiori capite praestituta fuerunt, universa catholicae romanaeque ecclesiae *οἰκονομία* sive regiminis ratio ac forma atque hierarchica administrationis subordinatio praeclare colligitur.

Cyprianus. Rem declarat Cyprianus [4] de unitate ecclesiae. Enarrata institutione primatus Petri illiusque vi ac fine explicato pergit: „Qui

---

successoribus semper esse petram et fundamentum fidelium.„ Patres vero ad illa comitia coacti in litteris sequentis anni 1682 ad universos ecclesiae gallicanae praesules datis romanum Pontificem tunc temporis viventem „ecclesiae petram„ nuncupant. Hinc demum persuasio illa certissima, non aliam a romanis Pontificibus fidei doctrinam evulgari, nisi quam iidem a Petro acceperint, et non interrupta succesione inviolatam servarint. Hoc romanorum Pontificum peculiare decus a Vincentio lirinensi in comm. n. 6. asseritur: hoc ab Augustino lib. 1. in Julianum n. 13. affirmante „Innocentium non aliud africanis respondere potuisse, nisi quod antiquitus apostolica sedes et romana cum ceteris tenet perseveranter ecclesiis:„ hoc ab Hieronymo, qui „fidem apostolico ore laudatam„ se consuluisse affirmavit, quum Damasum in quaestione de hypostasibus consuluit: et hoc vel ab ipso Pelagio exploratissima rei veritas extorsit, ut in ipsius libello fidei videre est. Sed de his cf. insuper quae Aug. habet ss. L. sqq. et s. CLXIX. ap. Mai N. PP. Bib. tom. I. adiectasque eminentissimi editoris adnotationes.

[1] Cf. Optat. de schism. donat. l. II. §. 2. coll. Hieron. con. Jovin. et aliis non raro.

[2] Cf. Epp. afric. ad Theodor. pont. ep. lecta in lat. syn. sub. Mart. I. act. II. aliaque superius adducta.

[3] Cf. Siric. ad epp. afric. ep. data anno 386. Innocent. I. ad Victric. rotom. anno 404. et ad epp. carthag. anno 417. Coelestin. ad cler. et popul. constantin. ep. 17. Ambros. de inc. c. V. Theodoret. in Ps. 47. et aliis omissis Maxim. ep. ad Petr. illustr. Videsis Petr. Ballerin. de vi ac rat. primat. c. X. Gerdil. opusc. IV. ad hier. eccl. constit. pertinente opp. t. XI. pp. 103 sqq.

[4] P. 195. ed. Paris. 1726.

ecclesiae renititur et resistit, qui cathedram Petri, super quem fundata est ecclesia deserit, in ecclesia se esse confidit? quando et beatus Apostolus Paulus hoc idem doceat, et sacramentum unitatis ostendat [1] dicens: Unum corpus et unus spiritus, una spes vocationis vestrae, unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus. Quam unitatem firmiter tenere et vindicare debemus, maxime episcopi, qui in ecclesia praesidemus, ut episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfida praevaricatione corrumpat. Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia quoque una est, quae in multitudinem latius incremento foecunditatis extenditur. Quomodo solis multi radii, sed lumen unum, et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum, et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiae largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit. Ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit. A fonte praecide rivum, praecisus arescit. Sic et ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit. Unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur. Ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius expandit. Unum tamen caput est et origo una et una mater foecunditatis successibus copiosa.„

Primatus romani finis.

Scilicet episcopatus unus est non secus ac ecclesia est una; ac proinde pars episcopatus in solidum tenetur ab unoquoque, quatenus ut idem Cyprianus loquitur [2] „portio gregis singulis pastoribus„ adscribitur, quae totius ecclesiae pars est. Neque hac gregum partitione episcopatus unitas evertitur, nam romanus Pontifex Petri successor, etsi tamquam episcopus particularem romanum gregem moderetur, qui item catholicae ecclesiae pars est; nihilominus cum ex primatu, quo toti ecclesiae praesidet, unitatis totius ecclesiae centrum et origo sit: in eo particulari romano episcopatu, cui ob ecclesiae unitatem primatus ipse alligatus fuit, eam episcopatus partem tenet, in quam veluti in centrum ceteri omnes episcopi cum suis quique gregibus ita confluunt, ut ex

Episcopi particulares.

---

[1] Ephes. IV.
[2] Epist. 55.

universis istis partibus mutuo connexis ecclesiam unam, unumque episcopatum efforment. Atque hanc esse Cypriani mentem, quas ibidem similitudines usurpat, aptissime declarant. Vult enim ita ecclesiam esse unam atque unum episcopatum, quemadmodum et una est arbor licet plurimis distincta ramis, et unus est fons licet plures ex eo rivi dimanent. Atqui non aliunde derivandam monet arboris unitatem nisi ex unitate radicis, qua partes omnes aluntur et sustentantur, et cui eaedem adhaerescunt; neque aliunde repetendam scribit fontis unitatem, nisi ex unitate „quae servatur in origine.„ Ergo eatenus ex multis episcopis episcopatum unum, et ex multis ipsorum gregibus atque particularibus ecclesiis unam constitui ecclesiam docet, quatenus in romano Pontifice veluti in centro et origine omnes episcopi cum suis gregibus coadunantur.

Ἀνακεφαλαίωσις. Hinc est quod [1] idem Cyprianus vocat romanam ecclesiam „catholicae ecclesiae radicem et matricem„, in qua et per quam episcopatus quamvis ad episcoporum multitudinem protensus unus manet atque indivisus. Cum illa et ex illa omnes cohaerent atque vinciuntur: in illa et per illam ab unitatis origine ac radice profecti omnes ad unitatis principium revocantur, ab illa uti a centro pendent, et circa eamdem veluti circa centrum collecti sistuntur, ita ut, si imaginem ex astronomia petitam continuare licet, nisi vi centripeta in illam ferantur, vi centrifuga abrepti extra ordinem statutum vagentur ipsi unaque cum ipsis porro sui greges vagentur atque aliorum ordinem nefarie perturbent necesse sit. Petri ergo successor est cum beatissima illa sua romanae urbis ecclesia verissimo sensu totius episcopatus cum tota fidelium summa, omniumque adeo episcoporum cum suis credentibus *ἀνακεφαλαίωσις* [2], supremus gubernator et rector.

II. *Unitas cathedrae doctorum.*

Optatus. 149. Quam oeconomiae speciem neque minus perspicue neque diserte minus proponit [3] Optatus milevitanus cum hoc dumtaxat discrimine, ut quod apud Cyprianum episcopatus est, ipsi cathe-

---

[1] Epist. 45.

[2] Recapitulatio, quae non rhetorica tantum atque grammatica, sed quae realis et ontologica potius sit, continetur rei ad suum caput revocatione eiusdemque contractione ac collectione in uno veluti fastigio ac centro.

[3] De schism. donat. l. II. nn. 2 sqq.

dra [1] sit. Unam enim cathedram in ecclesia esse dicit, non secus ac Cyprianus unum asseruit episcopatum: illamque in urbe

---

[1] Explicasse juverit, quaenam significandi potestas cathedrae atque Θρόνου nomini ex latinis graecisque subsit; id enim ad Optati aliorumque Patrum declarandam sententiam haud parum valebit. Quod igitur omissis aliis vulgatissimis cathedrae significationibus apud profanos in usu erat, ut cathedra de sellis magistrorum professorumque non modo, verum etiam de ipso magistrorum munere diceretur; idem ratione multo praestantiori apud sacros ecclesiasticosque scriptores invaluit. Itaque a) cathedrae, ϑρόνου, nomine haud raro significatur tum sella tum auctoritas et munus episcopi: ap. Theophil. com. in Marc. c. X. κἂν πολλαχοῦ τῆς γραφῆς καϑέδραν ἀκούῃς, μὴ καϑέδραν νοεῖ, ἀλλὰ τιμὴν ὑπερβάλλουσαν; hinc autem b) metonymia ulterius protensa ipsum denotat episcopatum ap. Sidon. concion. post ep. 9. l. VII., ap. Gregor. turon. h. l. III. c. 1. et apud alios frequenter in his geminisque phrasibus „ad cathedram alicujus urbis ascendere, ad cathedram eligi, cathedram tenere„: quo etiam illud spectat in Martyrologiis „cathedra sancti Petri„ i. e. Petri episcopatus. Sed quum e cathedra doceatur, et episcopatus pro suo munere auctoritateque sua sit gregem Domini pascere atque docere, ideo est, quod c) cathedrae nomine passim ipsa etiam doctrina veniat. Hoc sensu cathedrae appellatio ad ecclesiam transiit ex Hebraeis ac praesertim ex evangelico textu Matth. 23. ubi Moysis cathedra memoratur, ex qua scribae et pharisaei legem explicabant. Hic autem cathedra Moysis non materialis aliqua cathedra, cui Moyses quondam insedisset, significatur, sed doctrina legis mosaicae, quam scribae quoque et pharisaei docebant. Neque istud sine tabulis et testibus asserimus, sed potius vades habemus praestantissimos Hieronymum lib. 3. in Matth. scribentem: „Per cathedram doctrinam legis intelligit„, et Athanasium, qui in exposit. Ps. 1. ad illa verba: „Et cathedram pestilentiae„ ait: „Per cathedram doctrinam significat, ut ipse ait: super cathedram Moysis.„ Quare gemino sensu apud Patres cathedra sive episcopalis, sive pontificia passim nihil praeterea innuit, quam doctrinam legis et fidei christianae ab episcopis et Pontificibus traditam. Hinc Hieronymus epist. 15. ad Damasum „cathedram Petri et fidem apostolico ore laudatam„ promiscue usurpat; et epist. 97. al. 78. ad Pammachium „praedicationem cathedrae Marci„ nominat paschalem epistolam Theophili alexandrini, in qua contra errores Origenis catholica fides explicabatur; et similiter „praedicationem cathedrae Petri„ vocat Anastasii Papae litteras, quibus eam epistolam ab hoc Pontifice confirmandam postulabat: „Praedicationem cathedrae Marci evangelistae cathedra Petri Apostoli sui praedicatione confirmet.„ Eodem pacto Rufinus in epist. ad Gaudentium episcopum interpretationi recognitionum praefixa „docendi cathedram„ appellat, et successorem in cathedra Petri „doctrinae ipsius successorem„ dicit. Augustinus epist. 105. n. 16. „doctrinae salutaris cathedram„ nominat, et Bachiarius scriptor saec. IV. in apologia seu libello fidei edito primum a Muratorio tom. 2. anecdott., dein a Francisco Florio in Bachiarii opusculis „cathedram Petri„ interpretatur „hoc est, sedem fidei.„ Tandem quum Fulgentius in lib. de Trinit. ad Felicem Nolanum illam fidem memorat „quae usque nunc per successionum seriem in cathedra Petri Apostoli Romae vel Antiochiae, in cathedra Marci evangelistae in Alexandria, in cathedra Joannis evangelistae Ephesi, in cathedra Jacobi Hierosolymae ab ipsarum episcopis praedicatur„

Roma ab Apostolorum principe fuisse fundatam, „in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur, nec ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent; ut jam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret.„ Atqui jure potiori de habitu episcoporum ad Petri successores valet, quod Optatus de Apostolorum ad Petri unicam cathedram dixit. Cujus „unicae cathedrae„ praesules juxta seriem non interpollatam illico recenset. Unus igitur christianus est grex, qui per unam cathedram doctrina pascitur: quum autem pastores sint multi, ut erant plures Apostoli, omnes pendent ex singulari romana Petri cathedra, in qua unitas servatur, nec cuipiam licet [1] cathedram sibi vindicare ab illa divisam.

Doctores particulares.

Quod Optatus alia quidem ac Cyprianus, sed non minus perspicua similitudine continuo declarat: „Ecclesias, inquit, ita sibi connexas et individuas esse, ut intelligatur unam ab altera separari non posse. Etenim numerantur in nomine [2], sed uno intellectu suo junguntur in corpore: ut in manu digiti, quos intervallis singulos videmus esse distinctos. Unde qui tenet unum, totos teneat necesse est, quum unusquisque a paribus separari non possit.„ Graphica plane descriptio oeconomiae episcopatus catholici: Unitas ejus quae est unitas cathedrae expressa veluti est ad unitatem manus; plures ex illa protenduntur digiti, qui licet distincti disjunctique inter se, nectuntur tamen vinciunturque ex manu atque per manum ita, ut avellere unum nequeas, quin omnes afficias ac prope affligas inflicto vulnere manui, cui inserti et quacum illi omnes et singuli conserti perfectae manus unitatem absolvunt. Ita ex milevitano unitas cathedrae: distinctae dispersae-

Episcoporum doctorumque vinculum.

---

cathedrae nomen ad fidem ab episcopis traditam refert evidentissime. Quando ergo majores praecipiunt unionem cum cathedra Petri, proprie significant unionem cum doctrina fidei, quae a romanis Pontificibus Petri successoribus praedicatur; et quotquot patres unitatem cum hac cathedra necessariam affirmarunt, unitatem cum fide ab ipsis tradita docuerunt necessariam.

[1] Haec romanae unitatis vis atque necessitas adeo in antiquitate universa erat omnibus explorata, ut donatistae ad se tuendos fraude doloque malo illam sibi vindicare attentarent teste etiam Optato (l. c.): „Sed et habere vos in urbe Roma partem aliquam dicitis, ramus est vestri erroris, protentus de mendacio, non de radice veritatis„: id enim ab illis attentatum fuisse iam monuimus.

[2] Alia enim dicitur ecclesia ephesina, alia corinthiaca, alia smyrnensis et ita porro.

que per orbem magno numero exsistunt episcopalis cathedrae doctores et pastores: junguntur tamen atque cohaerent in una romana perque romanam Petri cathedram, cui innixae insertaeque omnes ac singulae, quaeque avelli ab invicem nequeunt, nisi basi ipsa ipsaque crepidine eversa atque destructa. At enimvero contra petram illam ne infernae quidem portae praevalebunt!

Episcopus et episcopi. Doctoratus et doctores. Pastoratus et pastores.

150. E quibus liquet ad rationem oeconomiae catholicae itidemque romanae quod spectat, distinguendum esse episcopatum inter et inter episcopos, doctoratus et doctores, pastoratus ac pastores. Ille unitate excellit: hi vero multitudinem constituunt. Ne tamen illius unitatis rationibus ac finibus hi multi obsint, sed potius respondeant, romani antistitis praerogativa efficitur: ea namque fit ut unus ex ordine episcoporum reliquis [1] praesit, ut unus sit omnium caput supremum, ut ab uno reliqui omnes dependeant.

Potestas ordinis et regiminis.

Praeclare Leo [2]: „Haec connexio totius quidem corporis unanimitatem requirit, sed praecipue exigit concordiam sacerdotum, quibus cum dignitas sit communis, non est tamen ordo [3] generalis: quoniam et inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quaedam discretio potestatis, et cum omnium par esset electio, uni tamen datum est ut caeteris [4] praeemineret. De qua forma quoque episcoporum est orta distinctio, et magna ordinatione provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sen-

Leo M.

---

[1] Voluit ergo Christus quum unum institueret episcopatum, ut potestate ordinis pares essent episcopi omnes: potestate vero regiminis unus tamquam caput omnibus praeficeretur. Hinc Cyprianus in conc. carthag. coram episcopis octoginta septem: „Neque enim quispiam nostrum episcopum se esse episcoporum constituat, aut tyrranico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigat, quando habeat omnis episcopus pro licentia libertatis et potestatis suae arbitrium proprium, tamque judicari ab alio non possit, quam nec ipse potest alterum judicare.„ Nimirum non secus ac Apostoli seposito uno Petro omnes aequales erant, ita episcopi tamquam Apostolorum successores vi episcopalis ordinationis quam eamdem omnes perinde suscipiunt, parem aequalemque gradum consequuntur eademque episcopatus auctoritate ad eadem obeunda munia pollent: porro ut episcopatus ferat unitatis fructus eodem Cypriano teste ab una romana ecclesia episcopatus originem exordiumque ducit.

Cyprianus.

[2] Ad Anast. thessalon. ep. XII.

[3] Intelligit potestatis distinctionem non discrimen ordinis, quem communem esse significaverat.

[4] Gemina habet Isidor. hispal. ep. ad Eugen. tolet.

tentia; et rursus quidam in majoribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri sedem universalis ecclesiae cura conflueret, et nihil usquam a suo capite dissideret."

Johannes VIII. Neque aliter Johannes hoc nomine octavus [1]: „Ad auctorem romanae ecclesiae, hoc est, Apostolorum omnium principem, Domino loquente praeceptum est „pasce oves meas": quem esse vere omnium ecclesiarum Dei caput, et beatorum Patrum praecipuae regulae, et orthodoxorum principum statuta declarant, et pietatis vestrae reverentissimi apices attestantur."

III. *Unitas regiminis pastorum.*

151. Romanae ergo urbis praesul est universalis totius ecclesiae tam ovium quam agnorum pastor, doctor, episcopus. Ita rursum [2] Leo: „De toto mundo unus Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi et omnibus Apostolis cunctisque ecclesiae patribus praeponatur, ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus quos principaliter regit et Christus."

Leo M. *Pastores multi.*

Vinculum. Unde sicut singulae ecclesiae in unitate fidei communionisque continentur a suo praesule; ita omnes simul ecclesiae cum suis praesulibus in unitate ab urbis romanae antistite continentur: et quemadmodum in singulas ecclesias coelestia dona defluunt per manus particularium episcoporum; ita in universam ecclesiam beneficia divina redundant ab episcopo universali. Quod iterum [3] Leo affirmat: „Hujus muneris sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter [4] collocarit, ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus diffunderet, ut exsortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere."

Leo M.

---

[1] Ep. ad Basil. Constantin. et Alexand. imperat. an. 870.

[2] In die annivers. suae assumpt. ser. III. c. 2.

[3] Ad epp. provinc. vienn. ep. X.

[4] En apertam vocis „principaliter" declarationem, quae cum iis omnino cohaeret quae de eadem ad locum Irenaei commentati superius sumus.

IV. *Unitas ovilis gregum.*

152. Verum quum inde ratio praeclare appareat, ob quam Petrus cum successoribus vocetur ac sit Christi in terris vicarius, qui partes illius visibiles expleat, et tamquam visibile caput in ordine externo atque visibili membra corporis omnia moderetur ac regat, sicut in ordine interno ac invisibili temperantur ab invisibili capite Christo: tum enimvero aperte colligitur necessitas, qua universi tam pastores quam greges singulares ad eumdem summum pastorem romanum referuntur. *Externa internaque unitas.*

„Quem in sua passione, ait [1] Augustinus, demonstravit ter negantem, resurgens tertio confirmavit amantem, fecitque eum [2] suarum ovium idoneum esse pastorem.„ Praeterea [3] idem: „In uno Petro inquit figurabatur unitas omnium pastorum.„ Quibuscum haec [4] rhemensis Hincmari conveniunt: „Beatus Petrus Apostolus, cujus vice in ecclesia funguntur Apostoli.„ Profecto tali oecumenico pastore constituto a quo subordinatione hierarchica omnes singulique pastores et greges, oves et agni penderent, fieri non potuit quin ecclesia Christi faciem rationemque unius universalis gregis [5] praeferret, quem ita unus supremus pasceret pastor, *Unus pastor supremus et universalis. Augustinus. Hincmarus.*

---

[1] Ap. Mai N. PP. Bib. t. I. p. 269. s. CXX. n. 7.

[2] Joh. XX. 17.

[3] Ser. CXVII. n. 2.

[4] Praef. capitul. ad archid.

[5] Praesto sunt luculentissima Christi verba Joan. 21, quae si ut par est intelligantur, id quod maxime volumus abunde conficiunt. Itaque 1) Christus Dominus Joan. 10. in haec verba pastoris et gregis parabolam conclusit: „Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor.„ Atqui ad unitatem ecclesiae significandam haec Christum protulisse, et ex rei natura liquidum est, et ex PP. traditione certissimum. Iamvero 2) licet unus hic pastor Christus potissimum sit per Ezechielem promissus cap. 34. „Suscitabo super eos pastorem unum„, et rursus cap. 37. „Pastor erit unus omnium eorum„: nihilominus quia Christus ascendere tandem ad coelum debebat, conspicua ecclesiae unitas ad consummationem usque saeculi duratura exigebat, ut aliquis loco Christi sufficeretur, qui pastoris munere ad conservandam et tuendam ecclesiae unitatem fungeretur. Ergo debuit Christus non prius in coelum ascendere quam in unitatis bonum sibi totius ecclesiae pastorem suffecisset, ne secus ovilis unitas ab unitate pastoris indissociabilis miserrime labefactaretur. Non sibi defuit 3) aeterna genitoris imago, sed Joann. 21. Petrum in haec verba alloquens: „pasce agnos meos, pasce oves meas„ ipsum sui ovilis pastorem fecit, ipsique ovilis unitatem commendavit. *Ss. litterae.*

ut sine ipso neque pascere neque pasci aliquis posset, sub ipso alii pascerent, ab ipso omnes pascerentur.

Unus ovium omnium grex. Cyprianus.

153. Id significavit [1] Cyprianus ad Magnum scribens: „Ad quam unitatem redigens Christus ecclesiam, denuo dicit: et erit unus grex et unus pastor.„ Ergo ea est, Christo auctore, ecclesiae unitas ut ovilis atque pastoris unitatem expostulet. Idem significavit Augustinus [2]: „In ipso Petro unitatem commendavit. Multi erant Apostoli, et uni dicitur: pasce oves meas.„

Augustinus.

Bernardus.

Apertius Bernardus [3]: „Pasce oves meas. Quas? illius vel illius populos civitatis aut regionis aut certi regni? Oves meas inquit; cui non planum non designasse aliquas, sed adsignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil. Et forte praesentes ceteri condiscipuli erant, cum committens uni unitatem commendaret in uno grege et in uno pastore.„ Licet ergo plures sint in ecclesia pastores, quorum curae Spiritus sanctus particularium gregum unitatem creditam voluit; unus tamen Petrus in se fuit et in successoribus romanis Pontificibus manet summus ille pastor, quem ad totius ecclesiae unitatem vindicandam atque tuendam omnibus non tam ovibus, quam pastoribus [4] praecipuo jure praelatum Christus instituit. Hinc concludit rursum [5] Bernardus: „Ubi unitas, ibi perfectio. Reliqui numeri perfectionem non habent, sed divisionem recedentem ab unitate: inde est quod alii (Apostoli) singuli singulas sortiti sunt plebes scientes sacramentum. Denique Jacobus, qui videbatur columna ecclesiae, una contentus est Hierosolyma, Petro universitatem cedens.„

---

[1] Ep. 76.

[2] Serm. 46. cap. 13. coll. s. Leo. s. IV. n. 3. ven. Beda h. in ss. Apost. Petr. et Paul.

[3] Lib. 2. de consid. cap. 8.

[4] Hinc Bruno astensis Hom. in vigilia s. Petri testatur, neminem non subdi Petri regimini; hinc Bernardus lib. 2. de consid. cap. 8. vocat romanum Pontificem „pastorem pastorum omnium„; hinc illa istis gemina, quae penes Epiphanium haeresi 75, et in reformatorio concilii constantiensis cap. 6. leguntur. Tanto hujus dogmatis splendore percitus Bossuetus in medit. super evangelium die 70. romanum Pontificem pastorem pastorum praedicavit, et in serm. habito ad cleri gallic. comitia an. 1681 praeterea advertit, eos „qui pastores sunt relate ad populum, relate ad Petrum oves esse„

[5] De considerat. l. II. c. 8.

V. *Unitas obedientiae necessariae ubique et semper.*

154. Inde autem apparet, unde majoribus non modo necessarium semper sed etiam pro certis rerum adjunctis visum fuerit sufficiens, summo omnium pastori cohaerere et ab ipso solo vel totum vel primum potissimumque pendere. Ita visum est in causa schismatis quod a Meletio nomen accepit [1] sancto Hieronymo: *Hieronymus.* Visum est [2] beato Augustino in causa Caeciliani carthaginiensis: *Augustinus.* visum est [3] sancto Maximo M. in causa Pyrrhi constantinopolitani *Maximus M.* quem admonitum vult, ut „festinet prae omnibus sedi romanae satisfacere. Hac enim satisfacta communiter ubique omnes pium hunc et orthodoxum praedicabunt. Si enim aliis quidem satisfaciendum ducit, et beatissimum romanum papam nequaquam implorat, simile quiddam agit ei qui forte homicidii vel alterius cujusdam criminis redarguatur, et insontem se non ei qui secundum leges judicandi jura sortitus est, exhibere festinat, sed tantum inutiliter et sine lucro aliis et privatis hominibus munditiam monstrare sui satagit actus, qui nullam habent se solvendi a crimine potestatem.„ Sed unde necessitas illa illaque sufficientia? „Quod apostolica sedes ab ipso incarnato Dei Verbo, sed et omnibus sanctis synodis, secundum sacros canones et terminos universarum quae in toto terrarum orbe sunt sanctarum Dei ecclesiarum in omnibus et per omnia percepit et habet imperium, auctoritatem et potestatem ligandi atque solvendi.„ Quam eamdem pariter praefatae necessitatis sufficientiaeque rationem significat Ignatius constantinopolitanus [4] ita Nicolaum pontificem alloquens: *Ignatius constantinopolitanus.* „Ad artus humani corporis plagis vulneribusque saucios curandos, medendi ars magnam medicorum copiam suppeditavit; in membris autem Christi salvatoris omnium capitis (sed invisibilis) ac sponsi catholicae et apostolicae ecclesiae, unum tantum ac solum delectum ut universalissimum medicum, tuam nempe fraternam paternamque sanctitatem supremum et fortissimum Dei Verbum constituit, quum Petro *τῷ τιμιωτάτῳ καὶ κορυφαιοτάτῳ τῶν ἀποστόλων* dixit „tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam.„ Quorum verborum a quibus sententiae vis pen-

[1] Ep. ad Damas. an. 381. l. supra c. n. 72.
[2] Ep. XLIII. n. 7. l. jam c.
[3] Ep. ad Petrum illust.
[4] Ap. Labbé t. VIII. pp. 1009 sq.

Gregorius nyssenus. det, praeclarum commentarium praebet[1] nyssenus Gregorius: „Celebratur, inquit, Petri memoria, qui Apostolorum est caput, et una quidem cum ipso cetera ecclesiae membra glorificantur; Dei vero ecclesia in ipso solidatur. Hic enim iuxta praerogativam sibi a Domino concessam firma et solidissima petra est, supra quam Salvator ecclesiam aedificavit.„ Tum praebent sancti Jo-
Chrysostomus. hannis Chrysostomi[2] et sancti Johannis Damasceni[3] periphrases
Damascenus. variae ac multiplices quibus Petri principatum describunt. Et ille quidem describit Petrum uti fundamentum ecclesiae et verticem Apostolorum; et eius primatum uti principatum, eminentiam, atque honoris dignitatisque excellentiam: hic vero appellat Petrum modo praestantissimum, modo supremum verticem Apostolorum, modo novi testamenti fastigium, modo ecclesiae praesidem, modo ecclesiae toto orbe diffusae moderatorem, modo columnam, cui creditam voluit (Christus) ecclesiam, ecclesiarum columnam, fidei portum atque orbis magistrum.

VI. *Doctrinae capita secundum ecclesiae normam tenenda.*

155. Quae omnia si in summam contrahantur, liquido ostendunt, unanimem esse, constantem ac universalem majorum contestationem, quod ad ecclesiasticam regiminis oeconomiam attinet:

1. *Capita dogmatica.* I. voluisse Christum, ut semper in ecclesia sua praeter singulares episcopos a quibus singulares regerentur ecclesiae, unus

---

[1] In altera laudat. s. Stephani, ed. Mign. t. III. p. 734. C. *Μνημονεύεται Πέτρος ἡ κεφαλὴ τῶν ἀποστόλων καὶ συνδοξάζεται μὲν αὐτῷ τὰ λοιπὰ μέλη τῆς ἐκκλησίας· ἐπιστηρίζεται δὲ ἡ ἐκκλησία τοῦ θεοῦ. Οὗτος γάρ ἐστι κατὰ τὴν δοθεῖσαν αὐτῷ παρὰ τοῦ κυρίου δωρεὰν ἡ ἀῤῥαγὴς καὶ ὀχυρωτάτη πέτρα, ἐφ' ἣν τὴν ἐκκλησίαν ὁ σωτὴρ ᾠκοδόμησε.*

[2] In Matth. h. III. p. 42. Petrus vocatur *θεμέλιος τῆς ἐκκλησίας*: h. LIV. pp. 546 sq. perhibetur *ὁ τῶν ἀποστόλων κορυφαῖος*: h. L. p. 515. tribuitur illi *τὸ πρωτεῖον*: h. LVI. p. 566. eidem adscribitur *ἡ ὑπεροχή*: h. LVIII. p. 586. asseritur ei *τὸ ὑπερβάλλον τῆς τιμῆς*. cf. eumd. in Joh. h. LXXXVIII. et Theophylact. in Joh. XXI.

[3] Adv. nestorian. n. 19. t. I. p. 559. *ὁ πανάριστος Πέτρος ἡ κορυφαία τῶν ἀποστόλων ἀκρότης*: or. de glor. transfig. D. N. J. C. t. II. p. 791. *ὁ τῆς νέας διαθήκης κορυφαιότατος*: ib. p. 795. *τῆς ἐκκλησίας πρόεδρον*: ib. p. 802. *ἐκκλησίας παγκοσμίου κατέστησέ σε κοσμήτορα* (al. *δομήτορα*): sacr. parallel. p. 592. *Πέτρος ὁ στύλος*: .. *ὁ τὴν ἐκκλησίαν μέλλων πιστεύεσθαι, ὁ στύλος τῶν ἐκκλησιῶν, ὁ λιμὴν τῆς πίστεως*: *Πέτρος ὁ διδάσκαλος τῆς οἰκουμένης*. Cum his cf. quae Euseb. habet com. in Luc. c. V. 10. ap. Mai N. PP. Bib. t. I. pp. 160 sq.

ex eodem episcoporum ordine universalis pastor haberetur, cui universum dominicum ovile crederetur:

II. universalem hunc pastorem alium non esse ab episcopo romanae ecclesiae, quam rexit primus in pastorem oecumenicum ab ipso Christo electus [1] Petrus, cui deinde ex ordinatione divina insignes eadem praerogativa successere et ad fines usque saeculorum succedent ejusdem urbis antistites.

156. Qua tamen in re, ut suo superius [2] loco significavimus, duo distinguenda sedulo sunt, quae licet articulis illis non enuntientur, a viro tamen theologo requiruntur, ut rite eos explicet. Quum itaque finis instituti divinitus primatus sit ecclesiae unitas obtinenda maxime per unitatem socialem fidei et communionis; is autem durare continuo ad consummationem usque saeculi debeat: perpetuus quoque primatus in ecclesia persistat atque adeo iugiter a Petro ad successores dimanet necesse est. Sed quisque probe intelligit, aliud esse ius quo perpetua in primatu successio praefinitur, et aliud esse subiectum pactumque quo id fiat, atque aliam generatim esse conditionem qua primatus certa quadam episcoporum serie propagandus sit. Quo posito discrimine, ita universim statuendum videtur. Fixum et ratum est

I. ius perpetuae in primatu successionis divinum omnino esse verbisque Salvatoris Christi solemnissimis stabilitum. Ratum pariter est *Analysis theologica.*

II. perpetuae successionis conditionem qua ipsum definitur potestatis subjectum duplicem esse: 1) alteram qua determinatur certa quaedam episcoporum series, seu qua circumscribitur cathedra sedesque episcopalis, quacum primatus maneat perpetuo coniunctus: 2) et alteram qua determinantur singula quaeque seriei illius membra, seu qua singuli quique succedentes sibi episcopi ad fixam cathedram illam sedemque pastoralem provehantur. Jamvero

III. prior illa conditio quae semel ut aiunt pro semper posita

---

[1] Institutionem ipsaque primatus primordia dogmatice spectata habes ap. Car. Pass. de praerog. b. Pet. Ratisbon. 1850, spectatam historice ap. Dölling. Christenth. u. Kirch. Ratisb. 1860 pp. 30. 46. 49. 57. 62 sqq.

[2] N. 80.

expletaque est, immutabilem porro ecclesiae *οἰκονομίαν* ac constitutionem perfecit, et sita est in facto Petri, quo suum primatum cum romana cathedra vincivit ipsumque vinculum suo sanguine sacravit. Posterior autem conditio haec iteranda totiesque explenda est, quoties decessori alius episcopus gregis romani sufficiendus sit: expleri porro debet electione legitima, cuius ratio varia ex sese ac multiplex pro adiunctorum diversitate esse possit. Hinc

IV. utraque conditione altera apostolica ecclesiastica altera [1] posita, singuli quique romani antistites a Lino ad Pium IX. usque ac deinceps Petro successere atque succedent successione quae est juris divini: ideoque spectato adaequate successionis iure quo singuli Pontifices Petro in primatu succedunt, affirmandum est, ius illud bifariam patere, et formaliter quidem, ut aiunt, consideratum plane esse divinum, consideratum vero materialiter idem esse apostolico-ecclesiasticum. Unde spectato iure quo Petrus et quo eius successores in cathedra romana primatum tenent patet

V. hos cum illo convenire ab eoque discrepare. Conveniunt successores cum Petro spectata iuris forma, quum eadem Christi voluntate primatum perpetuent, qua Petrus eum inchoavit; sed discrepant ab illo spectata parte iuris materiali: 1) tum quod Petrus ab ipso Domino sit electus ac primatus potestate insignitus; eius vero successores ab hominibus designentur dumtaxat ad romanam cathedram primatus, quo porro divinitus augentur: tum 2) quod Petrus fuerit ipse cathedrae principalis fundator neminem sequens, reliqui vero ad finem usque saeculi sequantur omnes quidem maiori minorive intervallo principem Petrum, nemo tamen illum sequatur neque sequi eum possit in alia cathedra ab illa, quae primi illius, Petri inquam, sessione fixa determinataque fuit. Sed tandem

VI. quum alterius successor is vere proprieque dicatur et sit, qui in illius ministerium ac munus legitime sufficitur, hinc iisdem excellens iuribus eademque insignis potestate, inde iisdem adstrictus vinculis eodemque obligatus officio: quotiescunque de romani episcopi successione legitima constet sponte consequitur,

---

[1] Conditio apostolica pendet a facto Petri Apostoli: conditio ecclesiastica pendet ab electionis lege quam suprema ecclesiae potestas stabilivit.

iuribus potestateque Petri Apostolorum principis illum excellere, Petri pollere iuribus, sed Petri etiam officio ministerioque obstringi. Petrus autem vi ac titulo primatus, quo fuerat a Christo ornatus, supremus erat testis, universalis doctor et iudex, summus pastor, penes quem tota auctoritas docendi, et tota potestas legifera, iudicialis, poenalis. Iisdem ergo dotibus successores eius excellant oportet. Atqui haec sunt quae normae authenticae de romanis praesulibus credenda tenendaque praecipiunt.

157. Haec enim doctrinae capita neque libera neque utcunque vera et certa haberi possunt vel debent, sed rata fixaque sunt tum ex constanti universalique ecclesiae doctrina quam oculis subiecimus, tum iis normis, a quibus catholica sentiendi agendique ratio omnis pendet. Ejusmodi autem norma I. proposita fuit in synodis. *Concilia.*

Huc sane faciunt quae sancita leguntur [1] in concilio lateranensi IV: „Antiqua patriarchalium sedium privilegia renovantes, sancta universali synodo approbante, sancimus, ut post romanam ecclesiam, quae disponente Domino super omnes alias ordinariae potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christi fidelium et magistra, constantinopolitana primum, alexandrina secundum, antiochena tertium, hierosolymitana quartum locum obtineat.„ *Concilium lateranense.*

Huc faciunt quae leguntur [2] in confessione fidei oblata Gregorio X. in lugdunensi concilio: „Ipsa quoque sancta romana ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam ecclesiam catholicam obtinet; quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe sive vertice, cujus romanus pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit.„ *Concilium lugdunense.*

Huc pertinent quae complectitur definitio fidei [3] concilii florentini: „Item diffinimus sanctam apostolicam sedem, et roma- *Concilium florentinum.*

---

[1] C. V. de privilegiis sedium patriarchalium. An. 1215.

[2] Confessio fidei Michaelis Palaeologi, ipsi a Clemente IV. a. 1267 proposita et ab ipso in concilio oecumenico lugdunensi II. 1274 Gregorio X. oblata.

[3] Videsis decretum unionis Graecorum in Bulla Eugenii IV. „Laetentur coeli.„

num Pontificem, in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque ecclesiae caput et omnium Christianorum patrem ac doctorem exsistere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum conciliorum, et in sacris canonibus continetur.„

Concilium tridentinum. Huc plura spectant quae sparsim recurrunt in concilio tridentino, quaeque ad hanc summam redeunt: 1) romana ecclesia ecclesiarum omnium mater ac magistra [1] salutatur: 2) adscribitur romano Pontifici tum suprema [2] potestas, tum universalis ecclesiae [3] administratio: 3) indicitur [4] patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis ut veram summo Pontifici obedientiam spondeant et profiteantur: 4) asseritur romano Pontifici [5] universalis ecclesiae auctoritas: 5) tum potestas [6] oecumenicas synodos convocandi et confirmandi, dubitationesque si quae oriantur expediendi: 6) prospiciendi commodis [7] totius ecclesiae: 7) singulis ecclesiis [8] assignandi pastores gravioresque eorum causas [9] dirimendi: atque 8) jus [10] pro suprema potestate sibi in ecclesia universa tradita graviorum criminum causas suo judicio reservandi.

At enimvero quid est quod superius affirmavimus quodque hac solemnissima ecclesiae norma diverse expressum ac sancitum non reperiatur?

Pontifices. 158. Sed accedit II. altera itidemque luculentissima regula quae in eorum ipsorum, quibus summam modo vindicavimus auctoritatem, summorum, inquam, Pontificum definitionibus ac declarationibus sita est.

---

[1] Sess. VII. can. 3. sess. XXII. cap. 8. sess. XXV. continuat. de delectu cib. jejun. et dieb. fest.

[2] Sess. XIV. cap. 7.

[3] Sess. XXV. c. 1. decret. de reform.

[4] Ibid. c. 2.

[5] Sess. XXV. c. 21. coll. ibid. de recipiend. et observand. decret. concil.

[6] Ibidem de recip. et observ. decr. conc. deque fine concil. et confirmat. petenda a SS. D. N.

[7] Ibid. coll. sess. XXIV. c. 1. de reform.

[8] Sess. VI. c. 1.

[9] Sess. XIII. c. 8.

[10] Sess. XIV. c. 7.

Ejusmodi regulam proposuit 1) Gelasius I.[1] his omnino verbis: „Post has omnes propheticas, evangelicas atque apostolicas scripturas, quibus ecclesia catholica per gratiam Dei fundata est, illud etiam intimandum putamus, quod quamvis universae per orbem catholicae ecclesiae unus thalamus Christi sit, sancta tamen romana, catholica et apostolica ecclesia nullis synodicis constitutis caeteris ecclesiis praelata est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris nostri primatum obtinuit: Tu es Petrus, inquientis, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam et portae inferi non praevalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni coelorum, et quaecunque ligaveris super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecunque solveris super terram, erunt soluta et in coelo. Cui addita est etiam societas beatissimi Pauli Apostoli, vasis electionis, qui non diverso, sicut haeretici garriunt, sed uno tempore, uno eodemque die gloriosa morte cum Petro in urbe Roma sub Caesare Nerone agonizans coronatus est; et pariter supradictam sanctam romanam ecclesiam Christo Domino consecrarunt aliisque omnibus in universo mundo sua praesentia atque venerando triumpho praetulerunt. Est ergo prima Petri Apostoli sedes, romana ecclesia, non habens maculam, neque rugam nec aliquid hujusmodi.„ *Decretum Gelasii.*

Regulam similem 2) Hormisdas[2] proposuit: „Prima salus est regulam rectae fidei custodire et a constitutis patrum nullatenus deviare. Et quia non potest Domini nostri J. Ch. praetermitti sententia dicentis: Tu es Petrus etc. Haec quae dicta sunt rerum probantur effectibus, quia in sede apostolica immaculata est semper servata religio. Ab hac ergo spe et fide separari minime cupientes et patrum sequentes in omnibus constituta, anathematizamus omnes haereticos, praecipue Nestorium haereticum, qui quondam constantinopolitanae fuit urbis episcopus, damnatus in concilio ephesino a Caelestino papa urbis Romae et a sancto Cyrillo alexandrinae civitatis antistite. Una cum ipso anathematizantes Eutychetem et Dioscorum alexandrinum in sancta synodo, *Hormisdae formula.*

[1] In syn. rom. 494.

[2] Formula ab Hormisda Pontifice episcopis orientis, qui schismatis acaciani participes fuerant, praescripta. Haec fidei regula ab omnibus orientis episcopis subscripta est, ab imperatore Justiniano patriarchisque constantinopolitanis Epiphanio, Joanne et Menna, denique in VIII. synodo oecumenica act. 1. a patribus graecis et latinis.

quam sequimur et amplectimur, chalcedonensi damnatos. His Timotheum adjicientes parricidam, Aelurum cognomento, et discipulum quoque ejus atque sequacem Petrum vel Acacium qui in eorum communionis societate permansit; quia quorum se communioni miscuit, illorum similem meruit in damnatione sententiam. Petrum nihilominus antiochenum damnantes cum sequacibus suis et omnium suprascriptorum. Quapropter suscipimus et approbamus omnes epistolas Leonis papae universas, quas de religione christiana conscripsit. Unde sicut praediximus, sequentes in omnibus apostolicam sedem et praedicantes ejus omnia constituta, spero ut in una communione vobiscum, quam sedes apostolica praedicat, esse merear, in qua est integra et verax christianae religionis soliditas. Promittens etiam sequestratos a communione ecclesiae catholicae, i. e. non consentientes sedi [1] apostolicae, eorum nomina inter sacra non esse recitanda mysteria. Hanc autem professionem meam manu propria subscripsi et tibi Hormisdae sancto et venerabili Papae urbis Romae obtuli.„

Formula Nicolai I.

Proposuit [2] similiter 3) Nicolaus I. Michaeli imperatori: „Porro si nos non audieritis, restat, ut sitis apud nos necessario, quales Dominus noster Jesus Christus hos haberi praecepit, qui ecclesiam Dei audire contempserint, praesertim cum ecclesiae romanae privilegia, Christi ore in beato Petro firmata, in ecclesia ipsa disposita, antiquitus observata et a sanctis universalibus synodis celebrata atque a cuncta ecclesia jugiter venerata, nullatenus possint minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari, quoniam fundamentum, quod Deus posuit, humanus non valet amovere conatus, et quod Deus statuit, firmum validumque consistit.... Ista igitur privilegia hujus sanctae ecclesiae a Christo donata, a synodis non donata, sed jam solummodo celebrata et venerata.„

Formula Leonis IX.

Proposuit 4) Leo IX. epistola [3] ad Michaelem Cerularium et Leonem Acridanum: „Sancta ecclesia super petram, i. e. Christum, et super Petrum vel Cepham, filium Joannis, qui prius Simon dicebatur, aedificata, quia inferi portis, disputationibus scilicet

---

[1] Romanae quae κατ᾽ ἐξοχὴν apostolica dicitur et una solaque apostolica superest.

[2] Anno 865.

[3] Cap. 7.

haereticorum, quae vanos ad interitum introducunt, nullatenus foret superanda, sic pollicetur ipsa veritas, per quam sunt vera, quaecunque sunt vera. Portae inferi non praevalebunt adversus eam. Cujus promissionis effectum se precibus impetrasse a Patre idem Filius protestatur, dicendo ad Petrum: Simon, ecce satanas etc. Erit quisquam tantae dementiae, qui orationem illius, cujus velle est posse, audeat in aliquo vacuam putare? Nonne a sede principis Apostolorum, romana videlicet ecclesia, tam per eumdem Petrum, quam per successores suos, reprobata et convicta atque expugnata sunt omnium haereticorum commenta et fratrum corda in fide Petri, quae hactenus nec defecit, nec usque in finem deficiet, sunt confirmata?„

Fidei formula Pii IV.

5) Proposuit [1] Pius IV. in praescripta fidei formula: „Sanctam catholicam et Apostolicam romanam ecclesiam omnium ecclesiarum matrem et magistram agnosco romanoque Pontifici beati Petri Apostolorum principis successori ac Jesu Christi vicario veram obedientiam spondeo ac juro.„

Professio fidei a Gregorio XIII. exhibita.

6) Proposuit [2] graecis Gregorius XIII.: „Item sanctam apostolicam sedem, et romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque ecclesiae caput, et omnium christianorum patrem ac doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in actis oecumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur. Insuper profiteor ac recipio alia omnia, quae ex decretis sacrae oecumenicae generalis synodi tridentinae, sacrosancta romana et apostolica ecclesia, etiam ultra contenta in supradictis fidei symbolis, profitenda ac recipienda proposuit atque praescripsit, ut sequitur.„

Repetita ab Urbano VIII. et Benedicto XIV.

7) Proposuerunt [3] Urbanus VIII. et Benedictus XIV. orien-

---

[1] Professio fidei tridentina a Pio IV. per constitutionem „Injunctum nobis„ 18. Nov. 1564. ex decreto tridentino sess. 24. cap. 13. de reform. et sess. 25. cap. 2. de reform. praescripta.

[2] Professio fidei graecis praescripta a Gregorio XIII. per constitutionem „Sanctissimus Dominus noster.„

[3] Prof. fid. orientalibus praescripta ab Urbano VIII. et Benedicto XIV. per constitutionem 79. „Nuper ad nos.„

talibus: „Item sanctam apostolicam sedem et romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque ecclesiae caput, ac omnium christianorum patrem, ac doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem ecclesiam a Domino nostra Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam, ut eadem florentina synodus asserit, in gestis oecumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur.„

Quae omnia simul accepta ad rem confirmandam illustriora disertioraque esse nequeunt.

2. Errores reiecti. 159. Hinc III. sequuntur decreta constitutionesque eorumdem Pontificum quibus eos profligarunt, qui hanc ipsorum auctoritatem infringere ausi fuissent.

A Stephano I. Tale decretum 1) illud jam est [1] quod tulit Stephanus I. adversus rebaptizantes: „In eadem epistola de episcopatus sui loco gloriabatur et se successionem Petri tenere contendebat, super quem fundamenta ecclesiae collocata sunt, episcopum se esse episcoporum constituebat. Ita Cyprianus et Firmilianus.„

A Nicolao I. Tale 2) est decretum [2] Nicolai I. quo statuit: „Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones vel decreta pro catholicae fidei disciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione sceleratorum vel interdictione imminentium vel futurorum malorum a sedis apostolicae praesule salubriter promulgata contempserit, anathema sit.„

A Joanne XXII. Talis constitutio 3) profecta [3] est a Joanne XXII.: „Praedicti (fraticelli) temeritatis atque impietatis filii, ut habet fide digna relatio, ad eam sunt mentis inopiam devoluti, quod adversus praeclarissimam et saluberrimam christianae fidei veritatem impie sentiunt, sacramenta ecclesiae veneranda contemnunt et in religiosum

---

[1] Cf. Stephani I. decret. con. rebaptizantes ap. Denzing. enchir. symb. et definitt. ed. 1856. p. 9. Apud eumdem continentur pleraque omnia quae praeterea adduximus et adducemus.

[2] In syn. rom. an. 863. can. 5.

[3] Errores fraticellorum damnati a Joanne XXII. constitutione edita a. 1318.

ecclesiae romanae primatum, cunctis nationibus percolendum, impetu caeci furoris impingunt.„

Talia decreta rursum 4) illa [1] sunt Martini V. et concilii constantiensis, quibus Wikleffi articulos [2] damnarunt: „Ecclesia romana est synagoga satanae, nec Papa est proximus et immediatus Vicarius Christi et Apostolorum.„ „Non est de necessitate salutis credere, romanam ecclesiam esse supremam inter alias ecclesias.„ *A Martino V.*

Et illa pariter 5) quibus [3] damnarunt articulos [4] Joannis Huss: „Petrus non est, nec fuit caput ecclesiae sanctae catholicae.„ Papalis dignitas a Caesare inolevit, et Papae perfectio et institutio a Caesaris potentia emanavit.„ „Nullus sine revelatione assereret rationabiliter de se vel alio, quod esset caput ecclesiae particularis, nec romanus Pontifex est caput romanae ecclesiae particularis.„ „Non oportet credere, quod iste quicunque est romanus Pontifex sit caput cujuscunque particularis ecclesiae sanctae, nisi Deus eum praedestinavit.„ „Nemo gerit vicem Christi vel Petri, nisi sequatur eum in moribus, cum nulla alia sequela sit *A concilio constantiensi et Martino V.*

---

[1] Articuli 45. Joannis Wikleff damnati a concilio constantiensi et Martino V. per Bullam „Inter cunctas„ 8 Kal. Martii 1418. et Bullam „In eminentis„ ejusdem diei. Huc praeter articulos supra allatos faciunt quoque aa. 8. et 9. „Si Papa sit praescitus et malus, et per consequens membrum diaboli, non habet potestatem super fideles sibi ab aliquo datam, nisi forte a Caesare.„ „Post Urbanum VI. non est aliquis recipiendus in Papam, sed vivendum est more Graecorum sub legibus propriis.„ Confer errorem primum fraticellorum l. sup. c.

[2] Aa. 37. 41.

[3] Articuli 30. Joannis Huss damnati a concilio constantiensi et Martino V. ut supra.

[4] Aa. 7. 9. 10. 11. 12. 13. 27. 28. 29. Praeterea referri huc possunt a. 20. „Si Papa est malus, et praesertim si est praescitus, tunc ut Judas Apostolus est diaboli, fur, et filius perditionis, et non est caput sanctae militantis ecclesiae, cum nec sit membrum ejus.„ A. 22: „Papa vel praelatus malus et praescitus est aequivoce pastor, et vere fur et latro.„ A. 23: „Papa non debet dici sanctissimus, etiam secundum officium; quia alias rex deberet etiam dici sanctissimus secundum officium, et tortores et praecones dicerentur sancti; imo etiam diabolus deberet dici sanctus, cum sit officiarius Dei.„ A. 24: „Si Papa vivat Christo contrarie, etiamsi ascenderet per ritam et legitimam electionem secundum constitutionem humanam vulgatam, tamen aliunde ascenderet quam per Christum, dato etiam quod intraret per electionem a Deo principaliter factam: nam Judas Iscariothes rite et legitime est electus a Deo Christo Jesu ad episcopatum, et tamen ascendit aliunde ad ovile ovium.„

pertinentior, nec aliter recipiat a Deo procuratoriam potestatem; quia ad illud officium vicariatus requiritur et morum conformitas et instituentis auctoritas.„ „Papa non est verus et manifestus successor Apostolorum principis Petri, si vivit moribus contrariis Petro; et si quaerit avaritiam, tunc est vicarius Judae Iscarioth. Et pari evidentia Cardinales non sunt veri et manifesti successores collegii aliorum Apostolorum Christi, nisi vixerint more Apostolorum, servantes mandata et consilia Domini nostri Jesu Christi.„ „Non est scintilla apparentiae, quod oporteat esse unum caput in spiritualibus regens ecclesiam, quod semper cum ecclesia ipsa militante conversetur et conservetur.„ „Christus sine talibus monstruosis capitibus per suos veraces discipulos sparsos per orbem terrarum melius suam ecclesiam regularet.„ „Apostoli et fideles sacerdotes Domini strenue in necessariis ad salutem regularunt ecclesiam, antequam Papae officium foret introductum: sic facerent, deficiente per summe possibile Papa usque ad diem judicii.„

Praecepta a Martino V.

Insuper 6) talia sunt, de quibus [1] Martinus V. interrogari voluit haeresis suspectos: „Item, utrum credat, quod beatus Petrus fuerit Vicarius Christi, habens potestatem ligandi et solvendi super terram.„ „Item utrum credat, quod Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio expresso, sit successor beati Petri, habens supremam auctoritatem in ecclesia Dei.„

Reiecta a Leone X.

Talis est 7) damnatio [2] qua Lutheri articulos [3] Leo X. proscripsit: „Romanus Pontifex, Petri successor, non est Christi vicarius super omnes totius mundi ecclesias ab ipso Christo in beato Petro institutus.„ Et: „Verbum Christi ad Petrum: Quodcunque solveris super terram etc. (Matth. XVI.) extenditur dumtaxat ad ligata ab ipso Petro.„

Constitutio Pii VI.

Et talis est 8) constitutio [4] Pii VI.: „Super soliditate petrae fundatam a Christo ecclesiam, Petrumque singulari Christi munere

---

[1] Inter articulos 39. de quibus errorum Wikleff et Huss suspecti ex mandato Martini papae V. in Bulla „Inter cunctas“ interrogandi sunt: aa. 23. 24.

[2] Errores 41. Martini Lutheri damnati a Leone X. per Bullam „Exurge Domine„ 16. Maji 1520.

[3] Aa. 25. 26.

[4] „Super soliditate.„ Damnatio, et prohibitio libri Germanico idiomate editi, cujus titulus latine sonat „Quid est papa. Dat. Romae 28. novembris 1786. anno XII. Bullarii romani Pii VI. tom. 7. DCXXVIII. pag. 671.

prae ceteris electum, qui vicaria potestate apostolici chori princeps existeret, totiusque adeo gregis pascendi, fratres confirmandi, totoque orbe ligandi, ac solvendi summam curam, auctoritatemque in successores omni aevo prorogandam susciperet: dogma catholicum est, quod ore Christi acceptum, perenni patrum praedicatione traditum ac defensum, ecclesia universa omni aetate sanctissime retinuit, saepiusque adversus novatorum errores summorum pontificum, conciliorumque decretis confirmavit. In hoc scilicet apostolicae cathedrae principatu firmum voluit Christus, constrictumque teneri unitatis vinculum, quo ecclesia per universum mundum propaganda, ex membris quantumcunque dissitis, mutua omnium in uno capite consociatione in unam corporis compagem coalesceret, fieretque adeo, ut hujus vis potestatis non tantum ad primae Sedis amplitudinem, sed et maxime ad corporis totius integritatem, incolumitatemque valeret. Minime proinde mirum, quotquot omnibus retro saeculis extitere, quibus antiquus humani generis hostis hostile suum in ecclesiam odium infudit, in hanc primum Sedem irruere consuevisse, qua unitatis firmitas continetur, ut disjecto, si fieri posset, fundamento, ac dirempta ecclesiarum cum capite conjunctione, qua potissimum nituntur, vigent, ac efflorescunt, ipsammet ecclesiam, fractis viribus misere afflictam, ac dilaceratam, libertate spoliarent, qua Christus eam donavit, indignaeque servituti addicerent.„

VII. *Summa rei.*

160. Jamvero manifestum est, doctrinam catholicam, hisce comprehensam normis ac regulis, quae nullas nisi ab hostibus species exceptionum patiuntur, ad duo veluti suprema revocari fastigia, quae accurate sollerterque percipienda attendendaque sunt.

I. Primum igitur quod credendum ac vero etiam ore ad salutem profitendum edicitur, huc redit: a Christo eam esse institutam οἰκονομίαν, suaeque ecclesiae regimen ita esse dispositum, ut praeter singularum ecclesiarum ministros ac praepositos excipientes se mutuo eo ordine, qui praefinitur ecclesiastica hierarchia ex episcopis coalescente, presbyteris atque ministris, unus sit et credatur catholicus et universalis praepositus ex ipso episcoporum gradu ac τάξει, cui christiani omnes, quaecumque sit eorumdem conditio, et quacumque praecellant dignitate, obnoxii *Hierarchia.*

sint, et cui, quod attinet ad doctrinam evangelicam, ad disciplinam ecclesiasticam assequutionemque salutis non aliter morem gerant, ac oves pastori, filii parenti, magistro discipuli, et vero supremoque Christi vicario quicunque ab eodem Christo denominantur christiani.

Supremus hierarcha. II. Alterum huc redit, oecumenicum ejusmodi praepositum divinitus institutum ipsum esse romanum episcopum rite delectum ac rite ad eam provectum cathedram quam Romae primus tenuit Petrus, qui illam tanta dignitate ac jure universalis praefecturae *Leo M.* locupletatam suis reliquit successoribus, e quibus certe nemo est, qui vere, modeste ac pie haec [1] cum magno Leone coram venerabili sacerdotum choro non frequentaret: „Cumque hanc venerabilium consacerdotum meorum splendidissimam frequentiam video, angelicum nobis in tot sanctis sentio interesse conventum. Nec dubito nos abundantiore hodie divinae praesentiae gratia visitari, quando simul adsunt et uno lumine micant tot speciosissima tabernacula Dei, tot membra excellentissima corporis Christi. Nec abest, ut confido, ab hoc coetu etiam beatissimi Apostoli Petri pia dignatio et fida dilectio: nec vestram devotionem ille deseruit, cuius vos reverentia congregavit. De vestro itaque et ipse gaudet affectu, et in consortibus honoris sui observantiam dominicae institutionis amplectitur, probans ordinatissimam totius ecclesiae charitatem quae in Petri sede Petrum suscipit, et a tanti amore pastoris nec in persona tam imparis tepescit haeredis. Ut ergo haec pietas, dilectissimi, quam erga humilitatem meam unanimiter exhibetis fructum sui studii consequatur, misericordissimam Dei nostri clementiam supplices obsecrate ut in diebus nostris [2] expugnet impugnantes nos, muniat fidem nostram, augeat dilectionem, augeat pacem, neque servulum suum, quem ad ostendendas divitias gratiae suae gubernaculis ecclesiae voluit praesidere, suf-

---

Leo M. et Pius IX.

[1] De natali eiusdem s. II. c. 2.

[2] Piae hae Leonis obsecrationes ac vota iis plane gemina sunt, in quae totus nunc effunditur germanissimus illius successor nonus Pius: incursionibus invasionibusque barbarorum illius obstrepuere aures, sed magis ferociusque huius obstrepunt: impetum hostis ille fregit, eumdem similiter hic repressit ac reprimit: intrepidus in tempestate summa ille sedit ad ecclesiae gubernacula manuque forti ac suavi clavum tractavit, neque aliter hic in iisdem adiunctis sedet ac regit: suos ille pastores non semel habuit coadunatos ut lumen unitatis micaret ac diffunderetur, neque secus hic ut foveat eamdem vocavit et vocat pastores in unum.

ficientem tanto operi et utilem vestrae aedificationi dignetur efficere, et ad hoc tempora nostrae servitutis extendere, ut proficiat devotioni, quod fuerit largitus aetati per Christum Dominum nostrum. Amen.„

VIII. *Scholion.*

De orientalium a romana unitate dissensione.

161. Quae modo sit orientalium de ecclesiastica *οἰκονομίᾳ* sentiendi docendique ratio, diligenter exponit Macarius [1] plus semel laudatus vinnicensis episcopus, quo hac in causa nemo profecto accommodatior qui audiatur. *Macarius vinnicensis.*

Statuit porro 1) discrimen idque divinitus stabilitum, secus ac protestantes opinantur, inter hierarchiam et gregem: 2) deinde statuit discrimen trium hierarchicorum ordinum, et contra presbyterianos nominatim probat, episcopos esse superiores presbyteris: 3) statuit habitum episcopi ad gregem, adeoque probat gregis centrum esse episcopum. Sed enimvero quemadmodum hisce tribus doctrinae capitibus cum romanae ecclesiae praedicatione omnino cohaeret: ita ab eadem plane discedit quod ad duo sequentia capita attinet. *Consensionis capita.*

162. Statuit namque 4) universalis unitatis centrum esse ipsos episcopos congregatos in unum, ita quidem ut quemadmodum provinciarum ecclesiasticarum centrum synodi provinciales exsistant; ita totius ecclesiae centrum sit ipsum oecumenicum concilium. Et sibi cohaerens 5) statuit, caput ecclesiae esse Dominum nostrum Jesum Christum, qui fideles interna unitate contineat, quemadmodum unitate externa per episcopos continentur. Nimirum caput ecclesiae visibile prorsus excludit, et omnimodam perfectamque inter Apostolos non minus quam inter eorum successores episcopos [2] aequalitatem affirmat. *Capita dissensionis.*

163. At vero, ut jam ab ultima assertione, quae aliarum hypothesis est ac fundamentum, exordium capiamus, praecisione modo ab iis omnibus facta, quae disputata hucusque secundum veterum tam orientalium quam occidentalium traditionem fuerunt: quomodo haec cohaerent cum perspicua scripturarum doctrina de *Reiiciuntur Scriptura ac Traditione.*

[1] Theol. dogmat. orthod. t. II. p. 3. sec. 2. c. 1. §§. 171 sqq.
[2] Ib. §. 175.

praerogativis eximiis, quibus Apostolus Petrus inter Apostolos solus excelluit?

1. Doctrina evangeliorum.

Universim. 164. Quomodo enim I. cohaerent cum iis quae nos evangelia docent? Sane quo spectat 1) distincti nominis Cephae facta Simoni promissio [1], impositio [2], explicatio [3]? Nonne haec ex sese bibliorumque [4] analogia spectata indicant, voluisse Christum salvatorem nostrum, ut prae reliquis Apostolis Simon emineret? Quo spectat 2) peculiaris Christi Domini erga unum Simonem cura illa et oeconomia [5], qua eum non quidem uti dilectissimum discipulum, sed veluti discipulorum praestantissimum haberet? Quo 3) spectat apud evangelistas tota de Petro quaeque ad eum pertinebant loquendi exponendique ratio, qua post fidei auctorem ipsumque divinum magistrum et amplitudine et distinctione dictorum idem Petrus omnibus praefertur?

Matthaei XVI. 165. Profecto 4) nonne unus et solus est Simon, qui [6] ecclesiae universalis, totius Christi ecclesiae, *ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*, constitutus fundamentum, petra fundamentalis positus fuit? Nonne idem Petrus 5) unus est ac solus, qui [7] totius ecclesiae gubernator et rector selectus tamquam claviger regni Christi in terris, *δώσω σοι τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν*, supremam potestatem accepit, sive leges ferendi, sive jus dicendi, causas dirimendi atque etiam poenas

---

[1] Joh. I. 42.

[2] Marc. III. 16.

[3] Matth. XVI. 18.

[4] Gen. cc. XVII. XVIII. XXII.

[5] Matth. XIII. 1. coll. XXIV. 37. Marc. V. 37. Matth. XVII. 24. coll. Luc. XII. 42. Matth. XVII. 25. coll. XVIII. 1. Luc. XXII. 24 sqq.

[6] Matth. XVI. 18. Architectonica metaphora obscura non est: sicut enim ecclesia cum templo et domo et aedificio in scripturis confertur; ita Christus Dominus ecclesiae auctor necessario sistitur architectus, qui tamquam vir sapiens absque dubio juxta Matth. VII. 24. *ᾠκοδόμησε τὴν οἰκίαν αὐτοῦ ἐπὶ τὴν πέτραν*: quibus integra repraesentatio illa quae architecto, aedificio fundamentoque absolvitur, declarata habetur.

[7] Matth. XVI. 19. Neque haec metaphora creare difficultatem valet, qui orientalium mores, usum loquendi bibliorumque maxime parabolas consideraverit. Ut enim ecclesia Christi frequenter regnum coelorum vocatur: ita Christus ipse sistitur summus rex, qui regni sui cives omnes subjicit ex Matth. XXIV. 45. fideli servo et prudenti.

infligendi, dum ad ipsum solum summus rex ac dominus amplissima verba [1] direxerit: *καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς ἔσται δεδεμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς· καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς ἐπὶ τῆς γῆς ἔσται λελυμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς.*

166. Nonne iterum 6) unus solusque Petrus est, cui Christus [2] *Lucae XXII.*
verbis illis *καὶ σὺ ποτὲ ἐπιστρέψας στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου,* cum officio ac jure confirmandi fratres principatum in episcopatu interque episcopos primas detulit? Et tandem 7) nonne Petrus *Johannis XXI.*
solus fuit et unus, cui [3] pastor bonus, praeter quem pastor a sese bonus vocari nullus potest, tam oves suas commisit quam omnes suos agnos, *βόσκε τὰ ἀρνία μου· ποίμαινε τὰ πρόβατά μου,* quos summa pastorali cura ac principali pastoris officio amplecteretur ac pasceret. Atqui oecumenicus hic pastoratus, quem peccati, mortis infernique triumphator Christus Petro contulit, sicut haberi velut impletio debet promissae eidem superius praerogativae fundamenti totiusque ecclesiae principatus; ita oeconomia, qua [4] redivivus a mortuis mundi Salvator erga Petrum usus est, dignitati auctoritatique pastoris universalis apprime respondet.

2. Doctrina actorum apostolicorum.

167. Sed cum iisdem praerogativis II. omnino cohaerent, quae ex Apostolorum actis et litteris docemur 1) de nascentis propagataeque ecclesiae historia: ea namque Petrum manifestissime ex-

---

[1] Ligandi solvendique figurata loquutione ex Hebraeorum usu, quo verba אָסַר et נָתַר usurpare solent, idem significari ac interdicere et permittere, vel prohibere et potestatem facere, vel punire et liberare, vel condemnare et dimittere, vel excommunicare et restituere, efficiunt collectis abunde testimoniis Lightfoot, Drusius, Schoettgen, Grotius, Buxtorf, Morinus e prioribus, et e praesentibus Sepp. vit. J. C. t. II. vid. Phillips. jus can. t. I. pp. 103 sqq.

[2] Luc. XXII. 31 sqq. De hoc testimonio accurate tum dicemus, quum romani episcopi dotes exponemus.

[3] Joh. XXI. 15 sqq. His a) non agitur de nuda commonitione, sed b) de ministerii ecclesiastici institutione (cf. Matth. XXVIII. 18. Marc. XVI. 15. Joh. XX. 21.), neque c) consilium sed praeceptum significatur: I. Cor. IX. 23 sqq. Hebr. XIII. 17. adeoque d) in Petro facultas et jus ad illud exsequendum supponitur, et obtemperandi officium aliis imponitur. Erat porro e) Apostolis omnibus pastorale officium commune: quum ergo f) coram ceteris Petro soli peculiare aliquid tributum deprehendatur, in pastorali dumtaxat principatu situm illud censeri potest.

[4] Marc. XVI. 17. Luc. XXIV. 34. I. Cor. XV. 3 sqq.

hibet [1] tamquam Apostolorum principem, ecclesiae universalis caput, supremum omnium magistrum, legislatorem, judicem, vindicem: tum 2) quae iisdem docemur sive de expleto a Petro ministerii sui officio, quo semet summum ovilis pastorem manifestavit, verumque [2] Christi vicarium: sive de modo quo tam Apostoli quam fidelium coetus erga Petrum potestate utentem se gererent, quoque auctoritatem illius non inficias irent, verum inprimis assererent.

Infertur veritatis per Scripturas revelatio.

168. Quisquis ergo doctrinam certis atque perspicuis sacrarum litterarum oraculis innixam instar veritatis habet revelatae divinitus: is fateatur oportet, doctrinae caput quo Petrum inter Apostolos excelluisse et quidem primatus praerogativa insignem fuisse ostendimus, veris revelatis connumerandum plane esse. Sed catholica nulla doctrina est, quae ab unitatis catholicae doctoribus atque pastoribus non fuerit praedicata, proposita ac declarata.

3. Commentarii Patrum.

169. Atqui statuta e ss. litteris de Petri excellentia atque primatu doctrinae capita cohaerent omnino cum iis III. quae Patres potissimum ad allata Scripturarum testimonia modo *ἐξηγητικῶς* commentati sunt, modo *διδακτικῶς* ac *θετικῶς* exposuerunt, modo *πολεμικῶς* vindicarunt. Testes sunt non occidentales tantum, sed orientales quoque scriptores ecclesiae.

a) Patres de Matthaei XVI. 18.

Arianis anteriores.

170. Et quod 1. ad Matth. XVI. 18. attinet, ante arianas quidem turbas [3] praestitutum superius commentarium complexi sunt ex

---

[1] Cf. Act. I. 15 sqq. II. 14 sqq. 37 sqq. III. 1 sqq. coll. Joh. V. 8. Act. III. 12 sqq. IV. 4 sqq. IX. 33 sqq. coll. Matth. IX. 6. Marc. II. 3. Luc. V. 18. Act. IX. 36 sqq. Marc. V. 41 sqq. Act. V. 12 sqq. coll. Matth. XV. 30. Luc. IV. 30. Act. V. 1 sqq. VIII. 14 sqq. IX. 32. coll. Tit. I. 5. Act. X. 10 sqq. XI. 4 sqq. XII. 1 sqq. XV. 7 sqq. Atqui haec conveniunt omnino cum Matth. XVI. 18 sqq. Luc. XXII. 31 sqq. Joh. XXI. 15 sqq.

Confertur cum Christo Petrus.

[2] Ad rei illustrationem conferantur a) hinc quae narrantur de Christo Joh. II. Luc. VII. inde de Petro Act. II. rursum b) de Christo hinc Matth. IV. Luc. IV. et inde de Petro Act. V. iterum c) Marc. I. Luc. IV. de Christo et de Petro Act. I.: et praeclara inter Christum et Petrum similitudinis ratio patefiet.

[3] Cur facienda haec Patrum ante et post arianismum scribentium distinctio sit, docet Em. Schelstrate antiquit. illustrat. p. I. diss. I. c. 2. a. 1. n. 20. et Card. Du Perron. c. Angl. reg. c. 56.

orientalibus Firmilianus [1] Caesaraeae episcopus et Origenes [2], qui Petrum appellat „magnum illud ecclesiae fundamentum et petram solidissimam, super quam Christus fundavit ecclesiam.„ Verum latinos ab illis nullatenus recessisse apud omnes constat luculenterque Cyprianus [3] et Tertullianus [4] testantur.

Arianis posteriores.

171. Post arianas vero controversias eidem enarrationi institisse plagam ecclesiae orientalem, auctores exsistunt hi quinque plane insignes e graecis Patribus: *Epiphanius.* Epiphanius [5] e quo Petrus est „inter Apostolos primus, solida illa petra, supra quam est ecclesia Dei fundata et portae inferi non praevalebunt illi.„ *Basilius* Basilius [6], e quo Petrus erat, „supra quam petram pollicitus fuerat Dominus suam se aedificaturum ecclesiam.„ *Gregorius naz.* Gregorius nazianzenus [7] e quo unus discipulorum Christi „sublimium excelsorumque atque electione dignorum petra vocatus fuit, atque ecclesiae fundamenta in fidem suam accepit.„ *Chrysostomus.* Joannes Chrysostomus [8], e quo est „Petrus basis ecclesiae, fundamentum fidei, chori illius coryphaeus, os Apostolorum omnium, caput illius familiae, orbis totius praefectus, fundamentum ecclesiae, ardens Christi amator, primus Apostolorum, fundamentum ecclesiae, princeps coetus discipulorum, omniumque coryphaeus.„ *Cyrillus alexandrinus.* Et Cyrillus alexandrinus [9], e quo Jesus accedentem ad se Petrum noluit amplius „Simonem

---

[1] Ep. ad Cypr. Ejus auctoritate usi superius sumus.

[2] In Exod. tom. V. p. 145. (ed. Mign. t. II. p. 329.)

[3] Coll. ep. LXX. LXXI. LXXII. LXXIII. et alibi ll. supra cc.

[4] Praescriptt. c. 22. „Petrum aedificandae ecclesiae petram dictum.„

[5] Ancor. c. IX. *Ἔδει τὸν πρῶτον τῶν ἀποστόλων τὴν πέτραν τὴν στερεὰν, ἐφ᾽ ἣν ἡ ἐκκλησία τοῦ θεοῦ ᾠκοδόμηται, καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς.*

[6] In Is. c. II. n. 66. *Ὁ Πέτρος, ἐφ᾽ ἧς καὶ πέτρας ἐπηγγείλατο ὁ κύριος οἰκοδομήσειν αὐτοῦ τὴν ἐκκλησίαν.*

[7] Or. 26. ed. Bill. t. I. p. 453. D. *Ὁ μὲν πέτρα καλεῖται, καὶ τοὺς θεμελίους τῆς ἐκκλησίας πιστεύεται.*

[8] In illud, vidi Dom. hom. IV. n. 3. opp. t. 6. p. 124. C. *Τί δὲ ὁ Πέτρος ἡ κρηπὶς τῆς ἐκκλησίας*: c. lud. et theat. ib. p. 273. C—D. *Τὸν Πέτρον τὴν κρηπῖδα τῆς πίστεως*: in illud, Hoc scitote. ib. 282. E: *Ὁ οὖν Πέτρος ὁ κορυφαῖος τοῦ χοροῦ, τὸ στόμα τῶν ἀποστόλων ἁπάντων, ἡ κεφαλὴ τῆς φατρίας ἐκείνης, ὁ τῆς οἰκουμένης ἁπάσης προστάτης, ὁ θεμέλιος τῆς ἐκκλησίας, ὁ θερμὸς ἐραστὴς τοῦ Χριστοῦ*: ad eos qui scandalizati sunt, l. un. c. 17. *Τὸν πρῶτον τῶν ἀποστόλων, τὴν κρηπῖδα τῆς ἐκκλησίας, τὸν κορυφαῖον τοῦ χοροῦ τῶν μαθητῶν*: in Matth. h. LIV. al. LV. 3. *ὁ πάντων κορυφαῖος Πέτρος.*

[9] In Joh ev. I. 42. l. II. p. 131. (ed. Mign. t. VI. p. 219. B—C.) *Καὶ Σίμωνα μὲν οὐκέτι καλεῖσθαι συγχωρεῖ, κατεξουσιάζων ἤδη καὶ κατακρατῶν, ὡς γεγονότος οἰκείου· φερωνύμως δὲ ἀπὸ τῆς πέτρας μετωνόμαζε Πέτρον· ἐπ᾽ αὐτῷ γὰρ ἔμελλε τὴν αὐτοῦ θεμελιοῦν ἐκκλησίαν.*

vocari, eum sibi pro sua potestate jam tum ut suum vindicans, sed congrua similitudine Petrum a petra [1] vocari placuit, puta super quem fundaturus erat suam ecclesiam„; et hinc eum vocat [2] „ss. Apostolorum principem.„

172. Institisse interpretationi eidem plagam ecclesiae occidentalem, neque numero pauciores neque auctoritate inferiores testes

Hilarius. sunt maximi Patres: Hilarius pictaviensis [3] exclamans: „O in nuncupatione novi nominis felix ecclesiae fundamentum, dignaque aedificatione illius petra, quae infernas leges et tartari portas et

Hieronymus. omnia mortis claustra dissolveret„! Hieronymus [4] appellans Petrum „principem Apostolorum: super quem fundatur ecclesia: qui propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schis-

Ambrosius. matis tollatur occasio:„ Ambrosius [5] describens Petrum uti „virum sapientem et gravem, in quo esset ecclesiae firmamentum et ma-

---

Nomen Petri a petra. [1] Cum hac Cyrilli explicatione nominis Petri omnino convenit quam Chrysostomus proponit in Joannem hom. XIX. al. XVIII. t. VIII. pp. 112 sq. inquiens, Christum Dominum non illico ab initio, quum ad ipsum Simon accederet, eidem novum potestatis nomen declarasse: *οὐ γὰρ εἶπεν, ἐγώ σε μετονομάσω Πέτρον, καὶ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν ἐπὶ τῇ πέτρᾳ ταύτῃ· ἀλλὰ σὺ κληθήσῃ Κηφᾶς· ἐκεῖνο γὰρ αὐθεντίας ἦν καὶ ἐξουσίας μείζονος. ὁ δὲ Χριστὸς οὐκ εὐθέως οὐδὲ ἐξ ἀρχῆς τὰ τῆς ἐξουσίας ἐπιδείκνυται πάντα, ἀλλὰ τέως ταπεινότερον φθέγγεται.* Mutati porro nominis rationem ex more apud veteres repetit, *ἀπὸ τῶν πραγμάτων τὰ ὀνόματα τίθεσθαι. ὅπερ δήπου καὶ Ἠλίας πεποίηκε. τοῦτο γὰρ οὐχ ἁπλῶς γίνεται, ἀλλ᾽ ἵνα τὴν προσηγορίαν ἔχωσιν ὑπόμνημα τῆς εὐεργεσίας τοῦ θεοῦ, ἵνα μνήμη διηνεκὴς τῆς διὰ τῶν ὀνομάτων*

Chrysostomus. *προφητείας ἐνηχῆται τοῖς ἀκούουσιν.* Cum eadem interpretatione convenit illa Tertulliani c. Marc. l. IV. c. 13. Hieron. l. III. in Matth. XVI. vv. 17 sqq. Chrysolog. s. CLIV. auct. op. de vocat. omn. gent. l. II. c. 28. quam Gre-

Eulogius. gorius M. l. VI. ep. 3. ad Eulog. alex. his complectitur: „Quis enim nesciat, s. ecclesiam in Apostolorum principis soliditate firmatam, quia firmitatem mentis traxit a nomine, ut Petrus a petra vocaretur.„

[2] In Joan. l. XII. t. IV. p. 1064. *Τὸν τῶν ἁγίων μαθητῶν πρόκριτον.*

[3] Com. in Matth. XVI.

[4] Ep. ad Damas. 57. l. supra c. adv. pelag. l. I. p. 718. coll. p. 661. adv. Jovin. l. I. p. 279.

[5] De virginit. l. un. c. 16. de fide l. IV. c. 5. n. 56. et iis quae habet

Ambrosiaster. n. 105. coll. cum Pseudo-Ambros. s. XLIV. n. 5. ad verba Matth. XVI. 18. „Cum vocaretur ergo Simon, per hanc devotionem vocatus est Petrus. Legimus dicente Apostolo de ipso Domino: Bibebant de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus (I. Cor. X. 4.). Recte igitur quia petra Christus, Simon nuncupatus est Petrus, ut qui cum Domino fidei societatem habebat, cum Domino haberet et nominis dominici unitatem: ut sicut a Christo christianus dicitur, ita et a petra Christo Petrus Apostolus vocaretur.„

gisterium disciplinae." Augustinus [1] ita retractans: „In hoc libro dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quod in eo tamquam in petra fundata sit ecclesia, qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosii, ubi de gallo gallinaceo ait: hoc ipsa petra ecclesiae canente culpam diluit." Pacianus barcinonensis [2] enarrans „ad Petrum loquutum esse Dominum, ad unum ideo, ut unitatem fundaret ex uno." Et Leo M. [3] scribens: „Et quia per omnes ecclesias cura nostra distenditur, exigente hoc a nobis Domino, qui apostolicae dignitatis beatissimo Apostolo Petro primatum fideî suae remuneratione [4] commisit, universalem ecclesiam in fundamenti ipsius soliditate constituens, necessitatem sollicitudinis quam habemus cum his qui nobis collegii caritate juncti sunt sociamus." *Augustinus.* *Pacianus.* *Leo M.*

173. Atqui hoc ipsum Patres synodis ephesina et chalcedonensi coadunati locis superius allatis pronuntiarunt. Ratum ergo fixumque secundum Patres cuivis credenti sit primum illud fidei caput, de quo praeeuntibus Scripturis diximus. *Synodi.*

b) De Matth. XVI. 19.

174. Verum 2) ratum quoque ac fixum caput alterum commate 19. comprehensum habendum esse, simili pacto comprobatur. Probatur auctoritate Firmiliani episcopi Caesaraeae Cappadociae ad Cyprianum [5] scribentis, „quod soli Petro Christus dixerit, Quaecunque ligaveris super terram erunt ligata et in coelis, et quaecunque solveris super terram, erunt soluta et in coelis." Probatur auctoritate Origenis [6] declarantis discrimen potestatis tributae *Firmilianus.* *Origenes.*

---

[1] Retractt. l. 1. c. 21.

[2] Ep. III. ad Symphor. l. jam c.

[3] Ad epp. metropol. per Illyric. constitutt. ep. V. c. 2.

[4] His Leo docet quod confirmat s. 4. die anniv. assumpt. ad pontificat. quodque pariter significant Orig. in Matth. tr. III. p. 30. Hilar. pict. de Trinit. l. X. n. 175. Maxim. taur. s. V. in nat. Ap. aliique, confessionem b. Petri Apostoli v. 17. suamque a Christo Domino provectionem v. 18. ad invicem referri ut conditionem ad mercedem, meritum ad remunerationem ac praemium. *Confessio Petri suae praerogativae conditio.*

[5] Int. Cypr. ep. LXXV.

[6] In Matth. tom. XII. n. 11. et tom. XIV. n. 31, ubi haec: *Πλὴν τὰ ἐν τοῖς ἀνωτέρω μόνῳ τῷ Πέτρῳ δεδομένα ἔοικε δηλοῦσθαι δεδωκέναι πᾶσι τοῖς τὰς τρεῖς νουθεσίας προσαγαγοῦσι πᾶσι τοῖς ἡμαρτηκόσιν, ἵν᾽ ἐὰν μὴ ἀκουσθῶσι δήσωσιν ἐπὶ γῆς τὸν κριθέντα εἶναι ὡς ἐθνικὸν καὶ τελώνην ὡς δεδεμένου τοῦ*

omnibus simul Apostolis et illius quae Petro specialiter collata fuit: „Verum quae uni Petro supra concessa sunt, hic omnibus quoque videtur tribuisse, qui peccatores quoslibet ter corripuerint, ut si mos iis gestus non fuerit, super terram eum alligent, qui ut pro ethnico et publicano dignus haberetur judicatus est, quum et in coelo alligatus ille sit. At quoniam prae iis qui ter arguerunt, peculiare aliquid Petro tribui oportebat, etiamsi de Petro, et qui ter fratres arguerunt commune aliquid dictum sit, privatim [1] illud Petro attributum est: Dabo tibi claves regni coelorum, priusquam illud: Quaecunque alligaveritis super terram et cetera. Ac sane si ad evangelica scripta animum diligenter appellamus, ibi magnum inveniemus discrimen et excellentiam eorum quae Petro prae iis quae aliis dicta sunt, etiam in iis rebus quae Petrum inter et eos qui ter fratres objurgaverunt communes esse videntur. Nec enim exigua differentia est, claves non unius coeli Petrum, sed plurimorum [2] accepisse; et quaecunque super terram alligaverit, non in uno coelo sed in omnibus ligata esse, prae pluribus aliis qui super terram et alligant et solvunt, ita ut haec alligata et soluta sint non in coelis, sicut Petro concessum est, sed in uno coelo: nec enim eo penetrandi facultate pollent, quemadmodum Petrus, ut alligent vel solvant in omnibus coelis. Quo praestantior ergo fuerit qui alligat, eo felicior qui fuerit solutus,

---

τοιούτου ἐν τῷ οὐρανῷ. Ἀλλ᾽ ἐπεὶ ἐχρῆν, εἰ καὶ κοινόν τι ἐπὶ τοῦ Πέτρου καὶ τῶν νουθετησάντων τρὶς τοὺς ἀδελφοὺς λέλεκται, ἐξαίρετον ἔχειν τὸν Πέτρον παρὰ τοὺς τρὶς νουθετήσαντας, ἰδίᾳ τοῦτο προτέτακται ἐπὶ τοῦ Πέτρου τό, Δώσω σοι τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, τοῦ· καὶ ὅσα ἐὰν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ τὰ ἑξῆς. καίτοι γε εἰ ἐπιμελῶς προσέχομεν τοῖς εὐαγγελικοῖς γράμμασι, καὶ ἐν τούτοις εὕροιμεν ἂν καὶ κατὰ ταῦτα τὰ δοκοῦντα εἶναι κοινὰ πρὸς τὸν Πέτρον, καὶ τοὺς τρὶς νουθετήσαντας τοὺς ἀδελφοὺς, πολλὴν διαφορὰν καὶ ὑπεροχὴν ἐκ τῶν πρὸς τὸν Πέτρον εἰρημένων παρὰ τοὺς δευτέρους· οὐ γὰρ ὀλίγη διαφορὰ τὸν Πέτρον εἰληφέναι τὰς κλεῖδας οὐχ ἑνὸς οὐρανοῦ, ἀλλὰ πλειόνων, καὶ ἵνα ὅσα ἐὰν δήσῃ ἐπὶ τῆς γῆς, ᾖ δεδεμένα οὐκ ἐν ἑνὶ οὐρανῷ, ἀλλ᾽ ἐν πᾶσιν αὐτοῖς, πρὸς τοὺς πολλοὺς δεόντας ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ λύοντας ἐπὶ τῆς γῆς, ὥστε ταῦτα δεδέσθαι καὶ λελύσθαι οὐκ ἐν οὐρανοῖς ὡς ἐπὶ Πέτρου, ἀλλ᾽ ἐν οὐρανῷ ἑνί. οὐ γὰρ διαβαίνουσι τῇ δυνάμει ὡς Πέτρος, ἵνα δήσωσιν ἢ λύσωσιν ἐν πᾶσιν οὐρανοῖς. Ὅσῳ οὖν βελτίων ὁ δεσμεύων, τοσοῦτον μακαριώτερος ὁ λελυμένος, ὡς καὶ πανταχοῦ τῶν οὐρανῶν εἶναι αὐτοῦ τὸ λελύσθαι.

[1] His Origenes, a quo reliqui e maioribus nullatenus discordant, Macarii aliorumque eodem pertinentium omnium rationes contra Petri primatum e ss. litteris afferri solitas penitus convellit.

[2] *Οἱ πλείονες* in oppositione cum *τῷ ἑνὶ* significat omnes, ut ipse Origenes ad rem paulo post diserte effert.

cum in omnibus plane coelis solutus sit." Quibus Origenes Petri auctoritatem singularem plane asserit atque a communi aliorum Apostolorum distinctam, nimirum universalem, et non modo in subditos, verum etiam in praepositos patentem. Sed praeterea idem probatur auctoritate Chrysostomi [1] demonstrantis ex collatis *Chrysostomus.* Petro a Christo Domino praerogativis „petrae et clavium" auctoris Christi divinitatem: „Deinde alterum dicit honorem, Ego autem dabo tibi claves regni coelorum. Quid significat illud, Ego autem tibi dabo? Quemadmodum Pater tibi dedit ut me cognosceres, sic et ego tibi dabo. Neque dixit rogabo Patrem, etiamsi magna esset potestatis demonstratio, et doni magnitudo ineffabilis, sed, Ego dabo tibi. Quid quaeso das? Claves regni coelorum; ut quaecunque ligaveris.... Viden? quomodo ad sublimiorem de se opinionem Petrum erigat et se ipsum revelet ac per hasce duas promissiones se Filium Dei esse ostendat? Nam quae uni Deo sunt propria, nempe peccata solvere, ecclesiam in tanto fluctuum concursu immotam reddere, hominemque piscatorem toto impugnante orbe petra firmiorem reddere, haec se illi daturum pollicetur; ut Pater Jeremiam alloquens dicebat [2], se posuisse illum sicut columnam aeream et sicut murum, sed illum uni genti, hunc autem in universo terrarum orbe." Eodem pertinent, quae cecinit [3] nazianzenus Gregorius: „Sic etiam vitiosissimus qualis ex- *Gregorius nazianzenus.* stitit Judas, Annon divini Pauli vocabitur genitor, aut Petri, illius

---

[1] In Matth. hom. LIV. al LV. n. 2. *Εἶτα καὶ ἑτέραν λέγει τιμήν· Καὶ ἐγὼ δέ σοι δώσω τὰς κλεῖς τῶν οὐρανῶν. Τί δέ ἐστι, καὶ ἐγὼ δέ σοι δώσω; Ὥσπερ ὁ Πατήρ σοι ἔδωκε τὸ ἐμὲ γνῶναι, οὕτω καὶ ἐγώ σοι δώσω. Καὶ οὐκ εἶπε, παρακαλέσω τὸν Πατέρα· καίτοι πολλὴ ἦν τῆς ἐξουσίας ἡ ἔνδειξις, καὶ τοῦ δώρου τὸ μέγεθος ἄφατον· ἀλλ' ἐγώ σοι δώσω. Τί δίδως; εἰπέ μοι. Τὰς κλεῖς τῶν οὐρανῶν· ἵνα ὅσα ἂν δήσῃς.... Εἶδες πῶς καὶ αὐτὸς ἀνάγει τὸν Πέτρον εἰς ὑψηλὴν τὴν περὶ αὐτοῦ ἔννοιαν, καὶ ἑαυτὸν ἀποκαλύπτει καὶ δείκνυσιν υἱὸν ὄντα τοῦ θεοῦ διὰ τῶν ὑποσχέσεων τῶν δύω τούτων; Ἃ γὰρ θεοῦ μόνου ἐστὶν ἴδια τότε ἁμαρτήματα λῦσαι καὶ τὸ ἀπερίτρεπτον τὴν ἐκκλησίαν ποιῆσαι ἐν τοσαύτῃ κυμάτων ἐμβολῇ καὶ ἄνθρωπον ἁλιέα πέτρας πάσης ἀποφῆναι στεῤῥότερον τῆς οἰκουμένης πολεμούσης ἁπάσης, ταῦτα αὐτὸς ἐπαγγέλλεται δώσειν· καθάπερ ὁ Πατὴρ πρὸς τὸν Ἱερεμίαν διαλεγόμενος ἔλεγεν. Ὡς στῦλον χαλκοῦν καὶ ὡσεὶ τεῖχος θήσειν αὐτόν· ἀλλ' ἐκεῖνον μὲν ἑνὶ ἔθνει, τοῦτον δὲ πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης.*

[2] Jer. I. 18.

[3] Carm. l. I. sec. 2. poëm. moral. in laudem virginitat. vv. 487—490.

Οὐδ' εἴ τις κακίαν πεφυκὼς οἷός περ Ἰούδας,
Ἢ Παύλου ζαθέου κεκλήσεται, ἢ ὅγε Πέτρου,
Πέτρης ἀῤῥαγέος, γενήτης κληῖδα λαχόντος.

petrae quae rumpi non potest, cui commissa clavis." Tum spec- *Basilius M.* tant eodem quae Basilius M. (quaeque post illum repetit [1] *Symeon metaphrastes.* Symeon metaphrastes) disserit [2] quaerens: "Porro talis ac tanti judicii exactor, tantaeque Dei in peccantem irae minister, beatus ille Petrus, omnibus discipulis praelatus, cui soli majora data quam aliis sunt testimonia, qui praedicatus est beatus, cui claves regni coelorum concreditae sunt, cum audit a Domino, Si non lavero te, non habebis partem mecum, quale cor, quaeso, et quantumvis lapideum, ad metum judiciorum Dei non incitet?" Eo spectat [3] *Procopius.* Procopius gazaeus affirmans pro praeclara fidei professione Petro tributam fuisse singularem clavium potestatem. Eodemque vel *Photius.* ipse [4] sui prope oblitus spectat Photius in veritatem velut invitus erumpens: "Ita suadet Apostolorum coryphaeus, cui claves et ingressus portarum coelestium concreduntur."

175. Verum multo etiam plenius idipsum contestantur occiden- *Tertullianus.* tales: praeter Tertullianum [5] enim, *Cyprianus.* Cyprianum [6], *Optatus.* Optatum [7] quos abunde suo superius loco in lucem protulimus, operae pretium est, quatuor inprimis laudasse romanos praesules, qui verbis Domini innixi et clavium sibi summam potestatem vindicarunt eademque citra contestationem usi sunt non modo in negotiis occidentalibus, verum apprime in orientalibus. Coelestinum, inquam, Leonem M., Gelasium, magnumque Gregorium. Et primus quidem ita *Coelestinus.* ad episcopos scripsit [8] per Illyricum constitutos: "Nosque prae-

---

[1] De peccato s VII. n. 5. int. opp. Basil. ed. Mign. append. t. IV. p. 1203. C—D.

[2] De judicio Dei n. 7. ed. Mign. t. III. p. 671. *Ὁ δὲ τοιούτου καὶ τηλικούτου κρίματος ὑπηρέτης, ὁ μακάριος Πέτρος, ὁ πάντων μὲν τῶν μαθητῶν προκριθεὶς, μόνος δὲ πλείω τῶν ἄλλων μαρτυρηθεὶς καὶ μακαρισθεὶς, ὅταν ἀκούῃ παρὰ τοῦ κυρίου, Ἐὰν μὴ νίψω σε, οὐκ ἔχεις μέρος μετ᾽ ἐμοῦ, ποίαν ἄρα καὶ τὴν ὁπωσοῦν λιθίνην καρδίαν οὐ δυσωπήσει πρὸς φόβον τῶν τοῦ θεοῦ κριμάτων.*

[3] Com. in Is. c. LXII. vv. 1—12. ed. Mign. t. II. p. 2661. B—C. *Τοιγαροῦν οὐρανοῦ τὰς κλεῖς Πέτρῳ παρέσχε καλλῶς τὴν πίστιν ὁμολογήσαντι, καὶ τὸ δύνασθαι δεσμεῖν τε καὶ λύειν.*

[4] Epp. l. I. ep. 8. n. 25. ad Michael. Bulg. princip. ed. Mign t. II. p. 661. A—B. *Οὕτω Πέτρος ὁ κορυφαῖος τῶν ἀποστόλων, καὶ τῶν οὐρανίων πυλῶν τὰς κλεῖς ἐμπεπιστευμένος καὶ τὴν εἴσοδον.*

[5] Adv. gnost. Scorp. c. 10. coll. de praescriptt. c. 22.

[6] Ep. LXXIII. ad Jubai. de haer. bapt. coll. de unit. eccl.

[7] De schism. donat. l. II. et VII.

[8] Inter Holsten. ep. 13.

cipue circa omnes cura constringimur, quibus necessitatem de omnibus tractandi Christus in Petro Apostolo, cum illi claves aperiendi claudendique daret, indulsit.„ Alter vero gravissima ad episcopos *Leo M.* per provinciam viennensem constitutos epistola [1], postquam primum incisum [2] verborum Domini interpretatus est, suaeque causae ita praeclare aptavit: „Hunc enim in consortium individuae unitatis assumptum, id quod ipse erat, voluit nominari dicendo: Tu es Petrus . . ., ut aeterni templi aedificatio mirabili munere gratiae in Petri soliditate consisteret: hac ecclesiam suam firmitate corroborans, ut illam nec humana temeritas posset appetere, nec portae contra illam inferi praevalerent. Verum hanc petrae istius sacratissimam firmitatem Deo ut diximus aedificante constructam, nimis impia vult praesumptione [3] violare, quisquis ejus potestatem tentat *Dissidiorum causae.* infringere, favendo cupiditatibus suis, et id quod accepit a veteribus non sequendo: cum nulli se subditum legi, nullis institutionis dominicae credit regulis contineri, a vestro nostroque per novae usurpationis ambitum more desciscens praesumendo illicita et quae custodire debuit negligendo„: de inciso sequenti haec [4] commentatur: „Cui (Petro) cum prae ceteris solvendi et ligandi tradita sit potestas, pascendarum tamen ovium cura specialius mandata est. Cui quisquis principatum aestimat denegandum, illius quidem nullo modo potest minuere dignitatem: sed inflatus spiritus superbiae suae, semetipsum in inferna demergit.„ A quibus haec avelli non debent, quae sermone [5] eloquentiae divinae pleno de verbis Christi [6] ad Petrum directis ita omnino pronuntiavit: „Et ego dico tibi: hoc est, sicut Pater meus tibi manifestavit divinitatem meam, ita et ego tibi notam facio excellentiam tuam: Quia tu es Petrus; id est, cum ego sim inviolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio utraque unum, ego fundamentum praeter quod nemo potest aliud ponere [7]: tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quae mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia: Et super hanc petram . . . Super hanc inquit, fortitudinem aeternum exstruam templum, et ecclesiae meae coelo infe-

---

[1] Ep. X. c. 1.
[2] Matth. XVI. 18.
[3] His dissidiorum scissionumque causas magnus Leo egregie describit.
[4] Ibid. c. 3.
[5] De natali ipsius. IV, cc. 3—4.
[6] Matth. XVI. 18 sqq.
[7] Eph. II. 14. 20.

renda sublimitas in hujus fidei firmitate consurget. Hanc confessionem portae inferi non tenebunt, mortis vincula non ligabunt: vox enim ista vox vitae est. Et sicut confessores suos in coelestia provehit, ita negatores ad inferna demergit. Propter quod dicitur beatissimo Petro: Tibi dabo claves . . . Transivit quidem etiam in alios Apostolos jus potestatis istius, et omnes ecclesiae principes decreti hujus constitutio commeavit; sed non frustra uni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis ecclesiae rectoribus Petri forma praeponitur. Manet ergo Petri privilegium, ubicunque ex ipsius fertur aequitate judicium.„ Quibus declaratur non tantum 1. Christi verba ad Petrum, et quidem 2. ad solum Petrum, sed etiam 3. ad Petrum spectare singulariter, ita, ut exsortem prae aliis Apostolis praerogativam potestatemque nactus sit.

Gelasius I. 176. Neque aliter contra graecos disputans [1] Gelasius I, qui collatis simul oraculis Domini apud Matthaeum, Lucam atque Joannem distinguentis prae reliquis Petrum Apostolum, infert „nulla ratione nullaque consequentia aliis sedibus deferendum (al. defendendum) esse, si primae bb. Petri sedi antiqua et vetusta reverentia non defertur, per quam omnium sacerdotum dignitas semper est roborata atque firmata, trecentorumque decem et octo Patrum [2] invicto et singulari judicio vetustissimus judicatus est honor? Utpote qui Domini recordabantur [3] sententiam: Tu es Petrus et q. sqq. Quare igitur, subjungit [4], ad Petrum tam frequens Domini sermo dirigitur? Numquid non reliqui sancti et beati Apostoli non erant simili virtute succincti? Quis hoc audeat affirmare? Sed [5] ut capite constituto schismatis tolleretur occasio; et una monstraretur compago corporis Christi, quae ad unum caput gloriosissima dilectionis societate concurreret: et una esset ecclesia cui fideliter crederetur, unaque domus unius Domini et unius redemptoris, in qua de uno pane et de uno calice [6] nutriremur. Qua ratione sicut dixi majores nostri, reverendi illi ecclesiarum ma-

Concilii nicaeni auctoritas.

---

[1] Tractat. c. graec. sive ep. VIII. n. 7. ap. Sirmond. et Galland. t. X. p. 677. C—E.

[2] A nicaeno nimirum concilio suffragium repetit.

[3] Matth. XVI. 18 sq.

[4] Ibid. n. 8.

[5] Haec habet Hieronymus adv. Jovinian. l. I. c. 14.

[6] I Cor. X. 17.

gistri, clarissimaque illa populi christiani lumina, quos merita virtutum suarum usque ad confessionis gloriosissimas palmas et martyrii fulgentes extulere coronas, ad illam sedem quam princeps Apostolorum sederat Petrus, sui sacerdotii sumpta principia repleti Christi caritate mittebant, suae inde soliditatis gravissima firmitatis roboramenta poscentes. Ut per hanc speciem omnibus appareat, vere unam esse per omnia et indissolubilem Christi ecclesiam, quae concordiae vinculo mirabilique caritatis textura composita, sola et indivisa [1] per totum ostenderetur esse tunica Christi, quam nec milites ipsi qui Dominum crucifixerunt, dividere ausi fuissent. Quae nunc si propter [2] perfidiam Petri, Acacii tyrannicam superbiam impiamque praesumptionem ejus, violatur atque conscinditur; videte et sapienter expendite, in quam grave periculum nostra deducitur conscientia, dum tanta majorum solvitur observantia.„ Quod quidem testimonium quum omnibus titulis eximium sit, tum propterea insigne est, quod non semel ad gravissimum nicaeni concilii suffragium appellet. *Vetustae schismatis radices.*

177. Quibus Gregorius M. cujus nomen jure merito apud ipsos graecos maximi semper fiebat addi meretur. Is autem ad Mauritium Augustum de excellentia romanae ecclesiae scribens [3] e sacris litteris ita colligit: „Cunctis ergo evangelium scientibus liquet, quod voce dominica sancto et omnium Apostolorum Petro principi Apostolo totius ecclesiae cura commissa est. Ipsi quippe dicitur: Tu es Petrus . . . et tibi dabo claves regni coelorum . . . Ecce claves regni coelestis accipit, potestas ei ligandi et solvendi tribuitur, cura ei totius ecclesiae et principatus committitur.„ *Gregorius M.*

178. Ab hac porro illustrium praedecessorum suorum doctrina obortis dissidiis romani praesules non recesserunt. Satis est celeberrimorum duorum allegasse sententias. Alter est Gregorius VII., qui de sedis romanae in omnes auctoritate ex Scripturis Traditioneque ita [4] disserit: „Nam, ut de multis pauca dicamus, quis ignorat vocem Domini ac Salvatoris nostri Jesu Christi dicentis [5]: Tu *Gregorius VII.*

---

[1] Joh. XIX. 23 sq.
[2] Animadverte vetustas schismatum radices.
[3] Cf. l. V. ep. 20.
[4] Ad Herimann. mettens. epp. l. VIII. ep. 21. ap. Mansi coll. conc. tom. XX. pp. 331 sqq.
[5] Matth. XVI. 18 sq.

es Petrus . . . Et tibi dabo . . . Numquid sunt hic reges excepti? Aut non sunt de ovibus quas Filius Dei b. Petro commisit? Quis rogo in hac universali concessione ligandi atque solvendi a potestate Petri se exclusum esse existimat, nisi forte infelix [1] ille, qui jugum Domini portare nolens, diaboli se subjicit oneri, et in numero ovium Christi esse recusat? cui tamen hoc ad miseram libertatem minime proficit, quod potestatem Petri divinitus sibi concessam a superba cervice excutit: quoniam quanto eam quisque per elationem ferre abnegat, tanto durius ad damnationem suam in judicio portat. Hanc itaque divinae voluntatis institutionem, hoc firmamentum dispensationis ecclesiae, hoc privilegium b. Petro

Ad ss. Patres appellat.

Apostolorum principi coelesti decreto principaliter traditum atque firmatum, sancti Patres cum magna veneratione suscipientes atque

Ad concilia generalia provocat.

servantes, sanctam romanam ecclesiam tam in generalibus conciliis, quam etiam in ceteris scriptis et gestis suis universalem matrem appellaverunt: et sicut ejus documenta in confirmatione fidei et eruditione sacrae religionis, ita etiam judicio susceperunt: in hoc consentientes et quasi uno spiritu et una voce concordantes, omnes majores res et praecipua negotia nec non omnium ecclesiarum judicia ad eam quasi ad matrem et caput debere referri, ab ea nusquam appellari, judicia ejus a nemine retractari aut re-

Decessorum suffragio utitur.

felli debere vel posse. Unde b. Gelasius papa Anastasio imperatori scribens divina fultus auctoritate, quid et qualiter de principatu sanctae et apostolicae sedis sentire deberet, hoc modo eum instruxit: Etsi, inquit, cunctis generaliter sacerdotibus recte divina tractantibus fidelium convenit colla submitti, quanto potius sedis illius praesuli consensus est adhibendus, quem cunctis sacerdotibus et divinitas [2] summa voluit praeeminere, et subsequens ecclesiae generalis jugiter pietas celebravit? Ubi prudentia tua evidenter advertit, numquam quolibet penitus humano consilio aequare se quemquam posse illius privilegio vel confessioni, quem Christi vox praetulit universis, quem ecclesia veneranda confessa semper est, et habet devota primatem. Item Julius papa orientalibus episcopis scribens de potestate ejusdem sanctae et apostolicae sedis ait: Decuerat vos fratres adversus sanctam romanam et apostolicam ecclesiam limate et non ironice loqui: quoniam et ipse Dominus

---

[1] His ad Henricum IV. imperatorem respicit.

[2] En Scripturam ac Traditionem.

noster Jesus Christus eam decenter alloquutus ait: Tu es Petrus ... et tibi dabo claves regni coelorum. Habet enim potestatem singulari privilegio concessam aperire et claudere januas regni coelestis quibus voluerit. Cui ergo aperiendi claudendique coeli data potestas est, de terra judicare non licet? Absit."

179. Cum hac eximia Gregorii disputatione, qua romanae sedis primatum contra potentiam hujus saeculi vindicabat, ad amussim concinit alter haud minus illustris ecclesiae Dei defensor Innocentius III., qui principatum eumdem contra mota ab Joanne archiepiscopo constantinopolitano dubia hoc pacto [1] defendit: „Apostolicae sedis primatus quem non homo sed Deus, imo verius Deus homo constituit, multis quidem et evangelicis et apostolicis testimoniis comprobatur, a quibus postmodum constitutiones canonicae processerunt, concorditer asserentes sacrosanctam romanam ecclesiam in beato Petro Apostolorum principe consecratam, quasi magistram et matrem ceteris praeeminere. Hic enim quum interroganti Domino quem homines esse dicerent Filium hominis aliis referentibus opiniones aliorum, ipse velut inter ceteros primus eum esse Christum Dei vivi Filium respondisset, audire meruit: Tu es Petrus . . . et post pauca: Tibi dabo claves regni coelorum. Nam licet primum et praecipuum ecclesiae fundamentum [2] sit unigenitus Dei filius Jesus Christus, juxta quod dicit [3] Apostolus: quia fundamentum positum est, praeter quod aliud poni non potest, quod est Jesus Christus: secundum tamen et secundarium fundamentum ecclesiae est Petrus etsi non tempore primus, auctoritate tamen praecipuus inter ceteros de quibus Paulus Apostolus inquit [4]: Jam non estis hospites et advenae, sed estis cives sanctorum et do-

Innocentius III.

Primum et secundum ecclesiae fundamentum.

---

[1] Ep. CCIX. regestor. l. II. pontific. an. II. C. D. 1190. ap. Mign. t. I. pp. 758 sqq.

[2] Communem vulgaremque exceptionem contra Petri praerogativas, quibus caput fundamentumque ecclesiae est ac dicitur, egregie Innocentius dissolvit. Sumitur illa ab ipsius Christi praestantia, qua est lapis angularis ac fundamentum solus. Atqui sicuti non pugnat cum praestantia Christi, qua est lux mundi, ut Apostoli quoque lux mundi dicantur et sint; ita non pugnat cum Christi excellentia qua est fundamentum ac petra, ut Petrus etiam constitutus sit petra ac fundamentum. Scilicet, Christus est teste Dionysio vulgato de div. nom. c. I. § 6. ἡ αὐτόλιθος καὶ πέτρα, fundamentum et lapis ab et ex sese, verum Petrus est petra ac fundamentum a Christo et per Christum.

[3] I Cor. III. 11.

[4] Ephes. III. 20.

mestici Dei, superaedificati supra fundamentum Apostolorum et prophetarum, quos et fundamenta esse in montibus sanctis David propheta testatur. Hujus etiam primatum Veritas per se ipsam expressit cum inquit [1] ad eum: Tu vocaberis Cephas: quod etsi Petrus interpretetur, caput tamen exponitur, ut sicut caput inter cetera membra corporis, velut in quo viget plenitudo sensuum, obtinet principatum, sic et Petrus inter Apostolos et successores ipsius inter universos ecclesiarum praelatos praerogativa praecellerent dignitatis; vocatis sic ceteris in partem sollicitudinis, ut nihil eis de potestatis plenitudine deperiret. Huic Dominus oves suas pascendas vocabulo tertio repetito commisit; ut alienus a grege dominico censeatur, qui eum etiam in successoribus suis noluerit habere pastorem. Non enim inter has et illas oves distinxit, sed simpliciter inquit [2]: Pasce oves meas, ut omnes omnino intelligantur ei esse commissae. Jacobus enim frater Domini, qui videbatur esse columna, Jerosolymitana solum contentus, ut ibi semen fratris praemortui suscitaret ubi fuerat cruxifixus, Petro non solum universam ecclesiam, sed totum reliquit saeculum gubernandum„ Quod quum aliis [3] praeterea e Scripturis argumentis probavit de potestate clavium [4] haec subjicit: „Huic praeterea dictum in evangelio et audisti saepius et legisti: Quodcunque ligaveris super terram . . . Quodsi omnibus etiam Apostolis simul dictum esse reperias, non tamen aliis sine ipso sed ipsi sine aliis attributam esse cognosces ligandi et solvendi a Domino facultatem; ut quod non alii sine ipso, ipse sine aliis posset ex privilegio sibi collato a Domino et concessa plenitudine potestatis.„ Quae ubi rursum aliis [5] Scripturarum testimoniis illustravit, concludit: „Quia solus Petrus potest non solum omnia, sed omnium crimina relaxare.„ Scilicet perpetua ac constans haec fuit apostolicae sedis romanae traditio dictis factisque expressa, vi verborum quibus apud Matthaeum Dominus Petrum affatus est, constitutum hunc Apostolorum omnium caput et principem fuisse, ita ut isti sine illo ac contra illum nihil in ecclesia Dei potuissent, et quidquid potuerint id una cum illo et sub illo dumtaxat possent.

---

[1] Joh. I. 42.
[2] Joh. XXI. 17.
[3] Luc. XXII. 32.; Joh. VI. 61.
[4] Matth. XVI. 19.
[5] Matth. XVIII. 21 sqq.; Joh. XXI. 22.

180. Et non alia fuit aliorum Patrum latinorum [1] traditio constans ac jugis praedicatio. Quod licet satis probatum videri iis possit, quae jam attulimus, juverit tamen excepisse quae ad Matthaei locum [1] commentatur Hilarius pictaviensis: „O beatus, inquit, coeli janitor, cujus arbitrio claves aeterni aditus traduntur, cujus terrestre judicium praejudicata auctoritas sit in coelo: ut quae in terris aut ligata sint aut soluta, statuti ejusdem conditionem obtineant et in coelo„ Tum quae Ambrosius [2] ad eadem respiciens Christi verba loquitur: „Denique ille (Petrus) sine metu advenit, et constanter qui posterior venerat, primus ingreditur, quasi qui claves regni ut aliis aperiret acceperat.„ Praeterea quae juxta „sensum mysticum„ interpretando [3] explicat Augustinus: „In Petro, inquit, actualis vita, in Joanne contemplativa significatur, in utroque praesens pariter et futura. Ecclesia autem, cujus Petrus propter primatum apostolatus [4], figuram gerebat, claves a Christo regni coelorum accepit [5] in petra, id est potestate solvendi ligandique peccata. Quod enim est per proprietatem in Christo ecclesia [6], hoc est per significationem Petrus in petra, quod significa-

Hilarius. *Ambrosius.* *Augustinus.* *Petrus ecclesiae figura.*

---

[1] Matth. XVI. 19. coll. iis quae idem habet tr. in Ps. CXXXI. 4.

[2] Expos. ev. sec. Luc. l. X. p. 1535.

[3] N. PP. Bib. tom. I. p. 380. s. CLXIX. n. 4.

[4] Habuit ergo auctore Augustino Petrus primas inter Apostolos idque in ipso apostolatu.

[5] Similia leguntur s. CXLIX. 7.

[6] Ex hac Petri cum Christo collatione apertissime liquet vim primatus Petro collati nihil inde infringi, quod ab Augustino non tantum, sed ab aliis quoque Patribus Petrus figuram gessisse ecclesiae dicatur, cum illi claves regni coelorum committerentur. Qua in re, ne veteres secum invicem pugnare videantur, animadverti debet 1) quatuor apud illos reperiri „petrae„ Matth. XVI. 18. interpretationes: Ia. eam accipit de Petro: IIa. de Christo: IIIa. de fide in Christum: IVa. de fidei professione (de quibus conferri meretur Cardinalis Gerdilius in analysi adv. Launoium opp. tom. XIII. pp. 3 sqq.). 2) tum animadverti debet, quatuor has interpretationes simul omnes adaequatam plenissimamque verborum Christi sententiam referre: adeoque 3) unam neque alteram excludere, neque ab altera excludi, sed potius omnes una postulari. Sane prima postulatur sensu litterali immediato. Postulatur altera, quum neque Petrus sit ecclesiae petra ex sese ac princeps, neque Christi ecclesia sine Christo fundamento ex sese et principe concipi possit. Postulatur tertia, quum ex nexu cum praecedentibus intelligatur, causam ob quam Petrus designaretur ecclesiae petra fuisse ejus fidem, adeoque Petrum uti habentem fidem esse ecclesiae petram: quasi Christus dixisset, per fidem tu es petra super quam aedificabo ecclesiam meam, vel, quatenus habens fidem tu es petra, vel etiam tua fides est petra super quam aedificabo ecclesiam meam. Postulatur quarta, quum fides Petri non absolveretur interno fidei

Variae interpretationes conciliantur.

tione intelligitur Christus petra, Petrus ecclesia. Haec igitur ecclesia, quam significabat Petrus, quamdiu degit in malis, sequitur Christum in eis qui pro veritate certant usque ad mortem.„ Ad quae expressa illa sunt, quae vetustus auctor sermonis Augustino tributi [1] de verbis Matthaei habet inquiens: „Credendae enim erant Petro Apostolo claves ecclesiae: immo creditae sunt ei claves regni coelorum. Credenda quoque ei erat populorum innumera multitudo, quae esset pro suae naturae vitiis, passionibus, culpis involuta atque peccatis. Denique sic ad eum Salvator dicit: Tibi, inquit, dedi claves regni coelorum. Deinde sequitur dicens: Quaecunque ligaveris super terram . . . videlicet ut in clavibus fidelis janitor, in sententiis esset clementissimus dispensator . . . Quantum igitur divini muneris erga salutem hominum, quantum curae quantumque sollicitudinis impendatur, advertite. Totius corporis morbum in ipso capite curat ecclesiae, et ipso vertice componit membrorum omnium sanitatem, in ipsa confessionis Christi crepidine, in ipso immobilis fidei fundamento, in Petro scilicet illo qui dixerat, Etiamsi me oporteat mori tecum non te negabo.„

Pseudo-Augustinus.

181. Gemina habent Maximus episcopus taurinensis [2] et Beda venerabilis [3] qui Petrum specialiter claves regni coelorum et principatum judiciariae potestatis accepisse affirmat.

Maximus taurinensis. Beda.

182. Verum si tanta latinorum Patrum scriptorumque ecclesiasticorum ante dissidia cum oriente conspiratio erat, non minor illa nascentibus natisque jam illis persistebat. Ejus rei testis est Rhabanus Maurus archiepiscopus moguntinus [4] hunc Christi verbis commentarium subjiciens: „Sed ideo beatus Petrus qui Christum bona fide confessus vero est amore sequutus, specialiter claves regni coelorum et principatum judiciariae potestatis accepit, ut omnes per orbem credentes intelligant, quod quicunque ab unitate fidei vel societatis illius quolibet modo semetipsos segregant, tales

Rhabanus Maurus.

actu, sed esset publica fidei in Christum filium Dei vivi professio: hanc ergo emittens Petrus constitutus fuit ecclesiae petra. Si ergo quidquid verba Christi significant tam immediate quam mediate, tam directe quam indirecte, tam absolute quam relative simul accipiatur, tota et plena et adaequata eorum sententia prodit.

[1] Opp. tom. V. s. LXXIX. n. 1. in append. pp. 144 sq.
[2] De Pet. et Paul. s. V.
[3] De s. Petro homilia.
[4] Opp. p. I. com. in Matth. XVI. l. V. ed. Mign. t. I. p. 992

nec vinculis peccatorum absolvi nec januam possint regni coelestis ingredi." Ejusdem testis [1] Petrus Damianus cardinalis et ostiensis episcopus, qui concione eloquentissima mediolanensibus schismaticis persuasit, romanam ecclesiam omnium ecclesiarum principem esse et caput et jure divino romanum pontificem cunctis praeesse. Allato enim Salvatoris oraculo [2] ita disseruit: „Quae autem provincia per omnia terrarum regna dici queat ab hac ditione ac potestate extranea, cujus arbitrio ipsum quoque coelum aperitur et clauditur? Ceteras quidem ecclesias cujuscunque dignitatis exstiterint, ille qui instituit, homo quidem purus est; romanam vero ecclesiam solus ille fundavit et super petram nascentis fidei exstruxit, qui beato clavigero terreni simul et coelestis regni jura commisit. Illius ergo privilegio romanus pontifex fungitur, illius auctoritate fulcitur. Quare quisquis ille est, qui audet principis ecclesiae jus labefactare, haud dubium est injuste illum agere ac sibi male consulere. Nam qui romanae ipsius privilegium ab ipso summo ecclesiarum omnium capite concessum, infringere conatur; is procul dubio in haeresim labitur, fidem quippe violat. Qui ergo adversus illam insurgit, quae mater est fidei, etiam in illum contumax deprehenditur, qui eam cunctis ecclesiis praeesse ac imperare voluit."

Petrus Damian.

183. A quo eximio romanae ecclesiae encomio insigne illud plane nihil differt, quod in synodo anglica [3] Lanfrancus cantuariensis pronuntiavit: „Nam quando Dominus et Salvator noster Jesus Christus dixit Petro: Tu es Petrus . . . et tibi dabo claves regni coelorum, potuisset adjicere, si voluisset: Eamdem potestatem successoribus tuis concedo; verum dicti praetermissio nihil reverentiae imminuit successoribus Petri. Ibisne his verbis obviam? Referesne adversa? Enimvero omnium christianorum conscientiis est inditum ut nihilo minus quam beato Petro successoribus ejus et minantibus attremant et serenam dignitatem indulgentibus gaudenter applaudant; estque tunc demum omnium ecclesiasticarum rerum rata dispensatio, si successorum beati Petri fuerit compro-

Lanfrancus.

Christiani nominis persuasio de successione romanorum episcoporum in plenam Petri potestatem.

[1] Vide b. Pet. Dam. vit. ex. ms. autog. ap. Faventin. ed. Mign. opp. Pet. Dam. tom. I. p. 153 sq. coll. s. XLI. de s. Bartholom. I. l. c. p. 725. „Nam quod b. Petro Dominus claves regni coelorum speciali quadam voluit traditione committere, hoc propterea factum est, ut unitatem ecclesiae commendaret. Ceterum quidquid uni specialiter dedit, communiter omnibus contulit."

[2] Matth. XVI. 18 sq.

[3] An. 1072. cf. Mign. tom. 150. pp. 624 sq.

bata judicio. Quid illud agit, nisi vis divinae liberalitatis per Dominum Jesum a beato Petro in vicarios ejus diffusa? Ergo de similibus (vult primatum ecclesiae cantuariensis prae Anglia comprobare) idem pronuntiabis judicium, si dialecticam nosti. Praeterea quod valet in toto valet in parte: quod valet in majori valet in minori. Romana ecclesia quasi totum est omnium, ceterae ecclesiae quasi ejus partes. Sicut enim quodam intuitu homo est genus individuorum suorum, et tamen in unoquoque individuo inest totius hominis tota proprietas: ita quodam respectu sedes romana est genus et totum omnium ecclesiarum; et tamen in unaquaque ecclesia totius christianae fidei tota regnat integritas. Ipsa est major omnium ecclesiarum; et quod in ea valet, debet et valere in minoribus, ut potestas primi cujuscunque ecclesiae principis in succedentes dimanet, nisi si quid personaliter et nominatim excipiatur. Quare sicut Christus dixit omnibus praesulibus romanis quod dixit beato Petro, ita quod dixit Gregorius, omnibus successoribus Augustini dixit in Augustino.„ Praeclarissima rei romanae demonstratio simul ac declaratio: demonstratio quidem ex loco Matthaei: declaratio vero inde desumpta, quod romana ecclesia veluti genus est particularium omnium ecclesiarum, quarum unicuique tota illa inest: qua quidem declaratione Lanfrancus evidenter expressit, veritatem ecclesiae in romana ita esse sitam, ut nonnisi per eam et ab ea particularis alia quaelibet ecclesia dici esseque vera Christi ecclesia possit.

Infertur iudicium de litterali verborum sensu.

184. Sive ergo Scripturarum apud Matthaeum oraculum secundum internos hermeneutices canones enarretur sive secundum canonem interpretationis externum eumque catholicum, hoc manifestum est, verba illa immediato literralique sensu ad Petrum eumque solum referri, cui illorum vi singularis in universam ecclesiam praerogativa atque potestas collata fuit.

Difficultati occurritur.

185. Hinc praeposterum est, eadem verba sensu litterali vel etiam parabolico et juridico ad omnes Apostolos universamque ecclesiam referre. Quodsi vero, uti ex allatis [1] pluribus testimoniis liquet, nonnumquam illa a veteribus ad Apostolos ecclesiamve referrentur, animadverti debet 1. causam ob quam id facerent, a

---

[1] Cf. etiam Em. Schelstrat. antiquit. illustrat. diss. I. c. 2. a. 2. nn. 25 sqq. quibus gallicani Du Pinii argumenta proposita in op. de antiqua eccles. disciplina dissertat. hist. IV. c. 1. egregie profligat.

montanistarum ac novatianorum maxime haeresi esse repetendam, qui negabant plenam ecclesiae clavium potestatem: tum 2. animadverti debet modus quo a Patribus profligarentur: scilicet appellabant ad celebre Matthaei oraculum: rursum 3. exceptio haereticorum, qui eidem oraculo vim tantum personalem tribuerent: 4. solutio orthodoxorum, qui a) potestatem clavium ex aliis praeterea bibliorum testimoniis ostenderent; qui b) potestatem clavium ministerialem atque in perpetuam ecclesiae utilitatem collatam probarent; hinc c) perpetuitatem eamdem potestati Petro commissae assererent; et hoc d) inde vehementer confirmarent, quod quum Petrus visibile ecclesiae totius fundamentum et caput constitutus fuisset, idem pariter archetypus, paradigma et exemplar eorum exsisteret omnium, qui in ecclesia potestate insigniri deberent.

Montanistarum ac Novatianorum haeresis.

186. Jamvero e) hoc sensu verba Domini ad Apostolos ecclesiamve mediate tantum ac typice spectant, simili aliquo pacto quo [1] quae de Abrahamo praedicantur ad omnes credentes traducuntur; verum f) Abraham promissionibus divinitus auctus [2] personam omnium credentium gessit, eosque adeo juridice ut ajunt repraesentavit: repraesentavit autem eos non ex credentium delegatione, sed ex coelesti illa designatione qua pater omnium credentium atque is esset, in quo benedicerentur omnes gentes: fuit ergo ex praerogativa capitis et exemplaris persona juridica, cui credentium omnium promissiones fierent. Ita Petrus ex praerogativa capitis et exemplaris pastorum omnium, persona dicitur juridica, non tamen ex delegatione sive pastorum sive ecclesiae facta, sed divinitus statuta, cui summa et universalis potestas conferretur.

Sensus verborum mediatus ac typicus.

Persona iuridica.

187. Quare g) hoc rursum sensu eoque juridico clavium potestas in Petro Apostolis omnibus ecclesiaeve collata dici potest, qui tamen sensus, secus ac de allata cum Abrahamo comparatione censendum, non est immediatus litteralis, sed mediatus dumtaxat, quatenus scilicet Christus quum Petrum ecclesiae petram, caput, praepositumque faceret universalem, eo simul eum personam constituit, quae non suo tantum personali nomine, sed pro bono universali ideoque pro aliis etiam subordinatis inferioribusque potestatem acciperet necessariam ac utilem ad ecclesiam Dei regen-

Sensus verborum iuridicus idemque mediatus.

---

[1] Collatis Gen. XV. 6. Rom. IV. 3—23.
[2] Spectatis Gal. III. 9 sqq.

dam. Sed his collata Petro clavium potestas non imminuitur sed sarta tecta servatur.

c) Patres de Joan. XXI. 15 sqq.

188. Jamvero 3. idipsum quod de oraculo Domini apud Matthaeum demonstratum dedimus, valet pariter ex iisdem fontibus, tum de eo quod apud Lucam XXII. 31 sq. legitur, et de quo uberius quando de romani episcopi dotibus dicemus, cum de eo, quod apud s. Joannem [1] habetur, cuius exploratus est maiorum commentarius. *Ad unum Petrum spectant.* Verba, quibus Dominus Petro cum agnos tum oves pascendas tradit, ad unum pertinere Simonem insignem jam Petri appellatione, et hunc iisdem constitui totius dominici gregis supremum ac universalem pastorem, neque obvium illorum examen neque ea dubitare sinunt, quibus illa superius [2] illustravimus. Sed neque dubitare nos sinunt, quae ex majorum luculentissima hujus testimonii explicatione partim jam attulimus [3], partim paucis modo afferemus, e quibus discemus, *Uni Petro totum ovile creditur.* uni Petro pastori summo universum ovile dominicum concreditum fuisse, ita ut non gregis tantum oves, verum ipsi quoque pastores suae curae ac praefecturae essent commissae.

Chrysostomus. 189. Ita diserte [4] Chrysostomus: „Cum enim comedendi finem fecissent, dicit Jesus Simoni Petro: Simon Jonae diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce oves meas. Et cur aliis praetermissis, de his hunc alloquitur? Eximius erat inter Apostolos, discipulorum, et coetus illius caput. Ideo Paulus prae aliis hunc visurus venit simul ostendens ei, opor-

---

[1] Joh. XXI. 15 sqq.

[2] Cf. c. III. 5. c. IV. c.

[3] Ibid.

[4] In Joh. hom. LXXXVIII. n. 1. *Ἐπειδὴ γὰρ τέλος εἶχεν αὐτοῖς τὰ τῆς ἐδωδῆς, λέγει τῷ Σίμωνι Πέτρῳ ὁ Ἰησοῦς. Σίμων Ἰωνᾶ ἀγαπᾷς με πλέον τούτων; λέγει αὐτῷ. ναὶ κύριε, σὺ οἶδας ὅτι φιλῶ σε. λέγει αὐτῷ· βόσκε τὰ πρόβατά μου. καὶ τί δήποτε τοὺς ἄλλους παραδραμὼν τούτῳ περὶ τούτων διαλέγεται; ἔκκριτος ἦν τῶν ἀποστόλων καὶ στόμα τῶν μαθητῶν, καὶ κορυφὴ τοῦ χοροῦ. Διὰ τοῦτο καὶ Παῦλος ἀνέβη τότε αὐτὸν ἱστορῆσαι παρὰ τοὺς ἄλλους. ἅμα δὲ καὶ δεικνὺς αὐτῷ, ὅτι χρὴ θαῤῥεῖν λοιπὸν, ὡς τῆς ἀρνήσεως ἐξεληλαμένης ἐγχειρίζεται τὴν προστασίαν τῶν ἀδελφῶν, καὶ τὴν μὲν ἄρνησιν οὐ προφέρει, οὐδὲ ὀνειδίζει τὸ γεγονός, λέγει δὲ ὅτι εἰ φιλεῖς με προΐστασο τῶν ἀδελφῶν, καὶ τὴν θερμὴν ἀγάπην ἣν διὰ πάντων ἐνεδείκνυσο, καὶ ἐφ᾽ ᾗ ἠγαλλιάσω, νῦν δεῖξον καὶ τὴν ψυχὴν ἣν ἔλεγες θήσειν ὑπὲρ ἐμοῦ, ταύτην ὑπὲρ τῶν προβάτων ἐπίδος τῶν ἐμῶν.*

tere deinceps fidere quasi abolita negatione, fratrum ei praefecturam committit; neque negationem commemorat vel exprobrat. Dicit autem, si amas me, fratrum praefecturam suscipe, et ferventem illum amorem, quem semper exhibuisti, et de quo exultabas, nunc ostende; animamque illam quam te pro me daturum esse dicebas, da pro ovibus meis.„ Non fuerunt ergo Petro reliqui Apostoli in omnibus aequales, sed eorum ipsorum Petrus praefecturam divinitus accepit. Hinc idem eloquentissimus orator [1] ad interrogationem „Cur ergo Jacobus Jerosolymorum thronum accepit?„ Respondet: „Petrum non throni hujus, sed totius orbis doctorem a Christo statutum fuisse.„

Fratrum praefectura Petro confertur.

190. Sed quemadmodum priorem Chrysostomi sententiam de universali Petri pastoratu repetit Theophylactus [2]; ita illius postremam sententiam ad haec plane expressam putares quae apud Origenem [3] reperimus: „Ubique verbum judicare dicitur pro docere . . . . Virum autem heic judicantem gentes Petrum dicit, qui mundum universum docuit Christi fidem ac religionem.„

Theophylactus.

Origenes.

191. Sed luculentiora, quaeque una multorum suffragium complectuntur, flagitari vix possunt, quam quae epistola ab episcopis orientalibus [4] ad Symmachum episcopum romanum data continentur: „Non enim ignoras, ita illi successorem principis Apostolorum adloquuntur, ejus ingenium, qui quotidie a sacro doctore tuo Petro doceris, oves Christi per totum habitabilem mundum creditas tibi pascere non vi sed sponte coactas, qui cum doctissimo Paulo [5] clamas nobis subjectis et dicis: Non enim dominamur vobis in fide, sed cooperamur in gaudio.„ Quae si magnifica et splendida sunt, ea tamen non vincunt, quae in libello supplici in romano concilio pontifici Martino I. oblato Stephanus edixit [6] reverendissimus do-

Episcopi orientales.

Episcopi romano praesuli subiecti.

Stephanus dorensis.

---

[1] Ibidem p. 527. B—C: *Εἰ δέ λέγοι τις, πῶς οὖν ὁ Ἰάκωβος τὸν θρόνον ἔλαβε τῶν Ἱεροσολύμων; ἐκεῖνο ἂν εἴποιμι, ὅτι τοῦτον οὐκ τοῦ θρόνου, ἀλλὰ τῆς οἰκουμένης ἐχειροτόνησε διδάσκαλον.*

[2] In Joh. XXI. 15 sqq. de quo loco vide pariter Cyrill. hieros. Catech. XIV. n. 24.

[3] In Proverb. ap. Mai N. PP. Bib. t. VII. p. II. p. 53. *Ἐν παντὶ τὸ κρίνειν διδάσκειν λέγεται . . . Ἄνδρα δὲ ἐνταῦθα κρίνειν ἔθνη τὸν Πέτρον φησὶ, τὸν τὴν οἰκουμένην διδάξαντα τὴν εἰς Χριστὸν πίστιν καὶ εὐσέβειαν.*

[4] Ap. Mansi conc. coll. tom. VIII. pp. 221 sq.

[5] II Cor. I.

[6] Conc. lat. sub Mart. I. ap. Hard. conc. coll. tom. III. pp. 712 sqq. *Ἐν τούτοις πᾶσιν τὴν καθολικὴν ἐκκλησίαν ταράξαντες . . . ποτὲ μὲν ὕδωρ τῇ κε-*

rensis episcopus: „Universam catholicam ecclesiam in his (quae ad voluntatem operationemque divinitatis et humanitatis in Christo spectant) conturbantibus memoratis viris (Theodoro pharanitano, Cyro alexandrino, Sergio constantinopolitano nec non Pyrrho et Paulo) . . . aliquando quidem aquam capiti, et oculis fontes lacrymarum exquirebamus ubique omnes fideles hujusmodi miseram calamitatem plorantes; aliquando autem pennas columbae secundum beatum David, ut volemus et annuntiemus haec omnia omnium praepositae sedi, dico autem summae vestrae et principali ad medicinale consultum emersi vulneris: quippe quoniam hoc potestative olim et ab antiquitus facere per apostolicam sive canonicam consuevit auctoritatem: dum aperta lucubratione non solum claves regni coelorum traditae sunt ei, atque ipse tantummodo ad aperiendum eas fidelibus quidem digne, minime autem evangelio gratiae credentibus juste claudere magnus secundum veritatem et princeps Apostolorum meruit Petrus: sed etiam et pascere primus est jussus oves catholicae ecclesiae cum Dominus [1] dicit: Petre amas me? Pasce oves meas. Et iterum [2] ipse praecipue ac specialiter firmam prae omnibus habens in Dominum Deum nostrum et immutabilem fidem, convertere aliquando et confirmare exagitatos consortes suos et spirituales meruit fratres: utpote dispensative super omnes ab ipso qui propter nos incarnatus est Deus, potestatem accipiens et sacerdotalem auctoritatem.„ Atqui vel his amplissimae orientalis ecclesiae doctrina sentiendique ratio de prae-

Romana sedes praeposita, summa, principalis.

Petrus pastor catholicae ecclesiae.

φαλῇ καὶ τοῖς ὀφθαλμοῖς πηγὰς δακρύων ἐπεζητοῦμεν τῆς ἐλεεινῆς συμφορᾶς· ποτὲ δὲ πτέρυγας περιστερᾶς κατὰ τὸν θεῖον Δαβὶδ, ἵνα πετασθῶμεν καὶ διαναγγέλλωμεν ταῦτα τῇ πασῶν ἀρχούσῃ καὶ ὑπερκειμένῃ καθέδρᾳ, λέγω δὲ τῇ καθ' ὑμᾶς κορυφαίᾳ καὶ ὑπερφυεῖ, πρὸς τὴν τοῦ σύμπαντος ἴασιν τραύματος· ἐπειδὴ τοῦτο πράττειν ἐξουσιαστικῶς, ἄνωθεν καὶ ἐξ ἀρχῆς ἐξ ἀποστολικῆς ἤτοι κανονικῆς εἴωθεν αὐθεντίας· διότι προδήλως οὐ μόνον τὰς κλεῖς τῆς τῶν οὐρανῶν πιστευθῆναι, μόνος παρὰ πάντας εἰς τὸ ἀνοίγειν, ταύτας καὶ κλείειν ἀξίως μὲν τοῖς πιστεύουσιν, ἐκδίκως δὲ τοῖς ἀπιστοῦσι τῷ εὐαγγελίῳ τῆς χάριτος, ὁ μέγας ἀληθῶς καὶ κορυφαῖος τῶν ἀποστόλων ἠξίωται Πέτρος· ἀλλ' ὅτι καὶ ποιμαίνειν πρῶτος ἐπετράπη τὰ πρόβατα πάσης τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας. Πέτρε γάρ, φησι, φιλεῖς με; ποίμαινε τὰ πρόβατά μου· καὶ μέντοι πάλιν κατ' ἐξαίρετον ἰδιοπροσώπως αὐτὸς βεβαιοτέραν ἔχων ὑπὲρ πάντας τὴν εἰς αὐτὸν τὸν κύριον ἡμῶν καὶ ἀμετάτρεπτον πίστιν, ἐπιστρέψειν ποτὲ καὶ ὑποστηρίζειν σαλευομένους τοὺς ὁμοταγεῖς αὐτῷ καὶ πνευματικοὺς ἀδελφοὺς οἷα προνοητικῶς ἐπὶ πάντων αὐτῶν ἐξ αὐτοῦ τοῦ δι' ἡμῶν σαρκωθέντος θεοῦ τὸ κῦρος κεκοσμημένος, καὶ τὴν ἱερατικὴν αὐθεντίαν.

[1] Joh. XXI.
[2] Luc. XXII. 34.

rogativis a Christo Petro perque eum romanae sedi ac cathedrae collatis extra omne ponitur dubium, vel desunt quibus omnis tergiversandi locus praecludatur.

192. Idipsum vero de occidentis doctoribus repetendum esse post tot clarissima eorum testimonia quibus usi jam sumus nemo nisi praefracte negabit. Ut tamen quamvis non nova rem ipsam si spectes, alia tamen consideratis verborum complexionibus, quum nova id nunc oblata occasio postulet, proferamus: in medium progrediatur primus quem ex lingua quidem orientalem putabis, ex geographia vero latinis accensebis, Theophanes inquam Cerameus *Theophanes Cerameus.* Tauromenii in Sicilia archiepiscopus, qui de Petro ita [1] praedicabat: „Petrus autem discipulorum apex communis lingua discipulorum exsistit: et supra omnia sensilia mente sublatus, aëra transvolavit, supergressus est aethera, infra se astra reliquit, supremam etiam praetervectus est sphaeram, et cum sejunctis a materia mentibus immixtus, et igneos Seraphim fluvios transcendens et a Patre de clarissima generatione Unigeniti edoctus theologicam illam extulit vocem: tu es Christus filius Dei vivi: . . . unde dignus est habitus quem beatum Dominus praedicaret: — Tu, inquit, qui petra es, petra fies fidei verbi, et constituendae ecclesiae fundamentum, et spiritalis aedificii primus aditus. In hac enim confessione, qua me hominem eumdem et Deum esse confessus es, in hac inquam stabilietur ecclesiae fundamentum . . . Et tibi dabo claves regni coelorum: non ait do tibi claves, sed dabo: tempus scilicet

[1] H. LV. in evang. domin. ed. Paris. 1644. pp. 373 sqq. *Πέτρος δὲ ἡ ἀκρότης τῶν μαθητῶν, κοιτὴ τῶν συμφοιτητῶν γίνεται γλῶσσα· καὶ τῷ λογισμῷ τῶν αἰσθητῶν πάντων ὑπεραρθεὶς διέπτη τὸν ἀέρα, παρῆλθε τὸν αἰθέρα, κάτω λέλοιπε τοὺς ἀστέρας, ὑπεράνω γέγονε τῆς ἀνάστρου σφαίρας· καὶ μετὰ τῶν ἀΰλων γενόμενος καὶ τοὺς πυρίνους τῶν Σεραφὶμ ὑπερβὰς ποταμοὺς καὶ μυηθεὶς παρὰ τοῦ πατρὸς τοῦ μονογενοῦς τὴν εὐγένειαν, τὴν θεολογικὴν ἐκείνην ἀφῆκε φωνήν· σύ εἶ ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ ζῶντος . . . διὸ καὶ τοῦ δεσποτικοῦ μακαρισμοῦ γέγονεν ἄξιος . . . . σύ, φησι, Πέτρος ὢν πέτρα γενήσῃ τῆς κατὰ λόγον πίστεως καὶ τῆς ἑδραζομένης ἐκκλησίας θεμέλιος, καὶ πρώτη τῆς πνευματικῆς οἰκοδομῆς ἀφορμή· ἐπὶ τῇ ὁμολογίᾳ γὰρ ταύτῃ, ᾗ ὁμολόγησας τὸν αὐτὸν εἶναί με υἱὸν θεοῦ καὶ υἱὸν ἀνθρώπου, ἐπὶ ταύτης τῆς ἐκκλησίας ὁ θεμέλιος στήσεται . . . καὶ δώσω σοι τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν· οὐκ εἶπε· δίδωμί σοι νῦν, ἀλλὰ δώσω σοι, τὸν μετὰ τὴν ἀνάστασιν προλέγων καιρὸν καθ᾽ ὅν αὐτῷ καὶ τὴν χάριν τοῦ ἁγίου πνεύματος δέδωκε, καὶ τὴν ἐξουσίαν τοῦ δεσμεῖν καὶ λύειν, καὶ τῶν λογικῶν προβάτων ἀγελάρχην ἐχειροτόνησεν· ἀλλὰ τίνες αἱ κλεῖδες, θυρῶν δὲ ποίων κλειδοῦχος ὁ Πέτρος καθίσταται; θύρα μὲν αὐτός ἐστιν ὁ Χριστὸς ὁ εἰπών· ἐγώ εἰμι ἡ θύρα· κλεῖς δὲ ταύτης τῆς θύρας ἡ πίστις, ἣν ἐγχειρίζει τῷ κορυφαίῳ ὁ κύριος.*

illud post resurrectionem futurum praedicens, quando et sancti Spiritus gratiam illi impertitus est, et potestatem ligandi atque solvendi promisit, et rationabilibus ovibus pastorem praefecit. Verum quae claves hae, quarum portarum claviger constituitur Petrus? Porta haec Christus est ipse qui dixit: Ego sum ostium; ejus vero clavis est fides, quam Dominus discipulorum coryphaeo committit: Dat igitur Petro et successoribus claves, ut haereticis quidem impervia et impenetrabilis sit janua regni coelestis: fidelibus vero ad eam pateat aditus„ . . . Atque similia repetit non semel cum in eodem [1] sermone, tum in aliis [2]: scilicet „Petrum ovibus ratione praeditis praeficiendum solvendi ligandique potestatem accepisse„: „ostendisse Salvatorem, se illum ipsum ecclesiae fundamentum et rationabilium ovium pastorem et discipulorum suorum principem proponere„: „linguam Petri quam negatio contaminarat, per confessionem a Christo sanctificatam atque a crimine purgatam; ceteris discipulis fidem factam, de suo gradu non decidisse coryphaeum illum apostolicae dignitatis et ordinis; factam illi promissionem impletam: dabo tibi claves . . . Simon Joannis diligis me?„ Et hinc est quod, „reparato negationis lapsu constitutum Petrum affirmet [3] pastorem primum eumque principem pastorum pone sequentem.„

Joh. XXI. implementum promissionis apud Matth. XVI.

193. Jamvero quae Theophanes in occidente orientali idiomate expressit, eadem uno latinorum ore praedicantur ac docentur. Praedicantur [4] a Gregorio M., qui Petrum divina dispositione cunctae ecclesiae praelatum, ceteris praepositum ecclesiaeque pastorem constitutum dicit. Praedicantur [5] a Maximo episcopo taurinensi, frequenti praerogativae Petri encomiologo: „Hic est Petrus,

Gregorius M. Petrus cunctae ecclesiae praelatus.

Maximus taurinensis.

---

[1] Ibid. pp. 376 sqq. *Ουτος ἔμελλε τῶν λογικῶν προβάτων τὴν προστασίαν εἰσδέξασθαι καὶ λύειν καὶ τοῦ δεσμεῖν τὴν ἐξουσίαν λαβεῖν.*

[2] H. XXXVII. in ev. dom. ib. p. 258. A—B. *Δείκνυσιν ὁ σωτὴρ ὡς θεμέλιον τῆς ἐκκλησίας καὶ ποιμένα τῶν λογικῶν προβάτων καὶ κρηπῖδα τῶν μαθητῶν αὐτοῦ αὐτὸν ἐκεῖνον προβάλλεται:* Paulo post: B—C. *Ἁγιάζει τοῦ Πέτρου διὰ τῆς ὁμολογίας τὴν γλῶτταν, ἣν ἡ ἄρνησις ἔχρανεν, ἀνακαθαίρων αὐτὴν τοῦ ἐγκλήματος. βεβαιοῖ τοὺς λοιποὺς τῶν μαθητῶν, ὡς οὐκ ἐξέπεσεν ὁ κορυφαῖος τῆς ἀποστολικῆς ἀξίας καὶ τάξεως· πληροῖ τὸ ἐπάγγελμα ὅπερ αὐτῷ ἐπηγγείλατο. δώσω σοι τὰς κλεῖς . . . Σίμων Ἰωνᾶ ἀγαπᾷς με.*

[3] Ibid. p. 261. C—D. *Ἐπειδὴ τὸ τῆς ἀρνήσεως πτῶμα διὰ τῆς ὁμολογίας ἀπεσκευάσατο καὶ ποιμενάρχης ἐκεχειροτόνητο . . . νῦν γάρ σε δεῖ μᾶλλον ἀκολουθεῖν καὶ κατόπιν τοῦ πρώτου ποιμένος βαδίζειν διὰ μιμήσεως.*

[4] In ev. l. II. hom. XXII. n. 4.

[5] Hom. LXVIII. in nat. bb. Pet. et Paul. apost. I. p. 219.

inquit, cui Christus Dominus communionem sui nominis [1] libenter indulsit. Ut enim sicut Apostolus Paulus [2] edocuit, petra erat Christus, ita per Christum Petrus factus est petra dicente ei [3] Domino: Tu es Petrus . . . Nam sicut in deserto dominico sitienti populo aqua fluxit [4] e petra, ita universo mundo perfidiae ariditate lassatim de ore Petri fons salutiferae confessionis emersit. Hic est Petrus, cui Christus ascensurus ad Patrem pascendas oviculas suas agnosque commendat [5], ut quos ille pietatis miseratione redemerat, hic fidei suae virtute servaret. Et recte sane ei arbiter occultorum Dei Filius pascendas oves tuendasque commisit, cui noverat in nutriendo grege dominico nec studium deesse nec fidem.„

Communio nominis a Christo indulta Petro.

194. Quae autem illi gravissimo sermonum genere inculcarunt, ea leviori stylo perstrinxit [6] Arator subdiaconus his versibus:

Arator.

Primus apostolico, parva de puppe vocatus,
Agmine Petrus erat, quo piscatore solebat
Squamea turba capi; subito de littore visus,
Dum trahit, ipse trahi meruit; piscatio Christi
Discipulum dignata rapit, qui retia laxet
Humanum captura genus: quae gesserat hamum,
Ad clavem est translata manus, quique aequoris imi
Ardebat madidas ad littora vertere praedas,
Et spoliis implere ratem, melioribus undis
Nunc alia de parte levat, nec deserit artem,
Per latices sua lucra sequens, cui tradidit agnus,
Quas passus salvavit oves, totumque per orbem
Hoc auget pastore gregem, quo munere summus
Surgit, et, insinuans divina negotia, coram
sic venerandus ait.. —

195. Consideranda eadem proponit [7] s. Bernardus ad Eugenium scribens: „Tu es cui claves traditae cui oves creditae sunt. Sunt quidem et alii coeli janitores et gregum pastores: sed tu tanto gloriosius, quanto et differentius utrumque prae ceteris nomen haereditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos: tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed et

Bernardus.

Grex unus uni Petro creditus.

---

[1] Similia repetit hom. CXIV. increpat. pop. de absent. ab eccles.
[2] I Cor. X.
[3] Matth. XVI. 18 sq.
[4] Exod. XVII.
[5] Joh. XXI.
[6] De Act. Apost. l. I. vv. 69 sqq.
[7] De considerat. l. II. c. 8.

Petrus pastor pastorum. pastorum tu unus omnium pastor. Unde id probem quaeris? Ex verbo Domini. Cui enim, non dico episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolute et indiscrete totae commissae sunt oves? Si me amas, Petre, pasce oves meas. Quas? Illius vel illius populos civitatis, aut regionis aut certi regni? Oves meas, inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.„

Anselmus. 196. Eadem sincero cordis affectu complectitur [1] s. Anselmus orans: „Sancte et benignissime Petre, fidelis pastor ovium, princeps tantorum principum, qui ligas et solvis quod vis, qui sanas et resuscitas quem vis, qui das regnum coelorum cui vis. Magne Petre, magne tot et tantis donis ditate... respice benigne pastor commissi tibi gregis ovem... tibi ter confitenti dixit, Pasce oves meas... Petre pastor Christi recollige ovem Christi... O sancte Petre, si te non movet nomen pastoris et ovis; moveat te nomen Apostoli, principis Apostolorum et nomen christianae animae.„ Atqui lex orandi statuit legem credendi. De qua lege ut superiora [2] dubitare non permittunt, ita non sinunt, quae unanimi voce praescribunt maximi Pontifices.

Princeps tantorum principum Petrus.

Gelasius. 197. Non sinunt quae Gelasius scribit [3] cum ad alios, tum ad Honorium Dalmatiae episcopum: „Pro sedis apostolicae moderamine totius ovilis dominici curam sine cessatione tractantes, quae beato Petro Salvatoris ipsius nostri voce delegata est: Et tu [4] conversus confirma fratres tuos. Et item: Petre amas me? Pasce oves meas. Et [5] iterum ad Aeonium arelatensem episcopum:„ Quanto enim totius ovilis curam Christo Domino delegante, susceptam b. Petri Apostoli gubernatio principalis universo gregi debet in orbe terrarum, tanto pietatis affectu cunctas ecclesias earumque rectores ampletitur, et inter diversos mundi turbines si paterna fide vel traditione firmiter perseverant, ubi primum facultas arriserit, et quaerit anxia et gavisa cognoscit.

Sedis romanae apostolicae est moderamen totius dominici ovilis.

Mandatum Domini Lucae XXII.

Totius ovilis cura eaque principalis a Christo Domino delegata Petro.

Leo M. 198. Non sinunt quae disseruit [6] Leo M. postquam ecclesiam

---

[1] Or. LXIV. al. LXV. ad s. Pet. Ap. opp. ed. Mign. tom. I. p. 288.

[2] Videsis allata decreta et canones Conciliorum atque Pontificum.

[3] Ep. V.

[4] Luc. XXII.

[5] Ep. XII.

[6] S. IV. (al. III.) de nat. ips. c. 4. Videsis allata superius, tum s. LXXIII. de ascens. Dom. c. 2.

universam uni Petro commissam perhibuit: „Cum itaque, dilectissimi, tantum nobis videamus praesidium divinitus institutum, rationabiliter et juste in ducis nostri meritis et dignitate laetamur, gratias agentes sempiterno regi redemptori nostro Domino Jesu Christo, quod tantam potentiam dedit ei quem totius ecclesiae principem fecit, ut si quid etiam nostris temporibus recte per nos agitur, recteque disponitur, illius operibus, illius sit gubernaculis deputandum cui dictum [1] est: Et tu conversus confirma fratres tuos; et cui post resurrectionem suam Dominus ad trinam aeterni amoris professionem mystica insinuatione ter dixit: Pasce oves meas.„

Totius ecclesiae princeps Petrus.

Voluntas Christi LucaeXXII.

199. Neque sinunt quae laudatus iam scribit [2] Gregorius M.: „Cunctis enim evangelium scientibus liquet, quod voce dominica sancto et omnium Apostolorum Petro principi Apostolo totius ecclesiae cura commissa est, ipsi quippe dicitur: Petre amas me? Pasce oves meas...„

Gregorius M.

200. Non sinunt quae Hadrianus I. ad Tarasium patriarcham constantinopolitanum [3] scripsit, quaeque in septima synodo universali cum applausu lecta fuerunt: „Cujus (Petri) sedes per totum terrarum orbem primatum obtinens lucet, omniumque ecclesiarum Dei caput exsistit; unde et ipse b. Petrus Apostolus Dei jussu ecclesiam pascens nihil omnino praetermisit, sed ubique principatum obtinuit et obtinet...„

Hadrianus I.

Petri sedes per totum orbem tenet primatum.

Petrus pascit ecclesiam.

201. Neque tandem sinunt, quae ad Rufum thessalonicensem scripsit [4] Bonifacius I.: „Pastor dominicarum ovium est perpetuo constitutus (Petrus)... in quo universalis ecclesiae positum legimus fundamentum.„

Bonifacius I.

Pastor dominicarum ovium perpetuus.

202. At enimvero ex his quae adduximus omnibus ad evidentiam usque constat universam ecclesiasticam antiquitatem utriusque plagae orientalis non minus quam occidentalis in eamdem jugiter convenisse explicationem, qua tria Christi Salvatoris oracula ad Petrum directa, de singulari et unica interpretaretur excel-

Infertur auctoritate traditionis unanimis romani Pontificis praerogativa.

---

[1] Luc. XXII.
[2] L. V. ep. 20. al. regest. l. IV. ep. 32. ad Mauric. Aug.
[3] Synod. VII. act. 2.
[4] Int. Holsten. ep. VII.

lentia ac praerogativa, quibus Dominus prae omnibus Apostolis Petrum et prae omnibus episcopis romanae ecclesiae antistitem distinctum voluit atque evectum.

Nomenclatura Petri eiusque successorum.

203. Et haec est manifesta ratio et unica ob quam usu loquendi universim tam apud graecos quam apud latinos ecclesiae scriptores recepto Petrus Apostolus cum successoribus suis, exsortibus plane nominibus ac titulis prae omnibus particularium ecclesiarum praesulibus discriminetur. Ut enim praeter multos ac multa quae in medium adduximus, rursum suffragiis Veterum utamur, modo Petrum appellant [1] Apostolorum *τὸν πρῶτον, τὸν μέγιστον, τὸν μέγαν κατ᾽ ἐξοχὴν*, principem, maximum, fortissimum, primum, et quidem primum in apostolatus culmine: modo eumdem nuncupant [2] *τὸν κορυφαῖον τῶν ἀποστόλων καὶ τῆς ἀποστολικῆς ἀξίας*, coryphaeum Apostolorum dignitatisque apostolicae: modo eum discipulorum honoratissimum [3] appellant: modo illum velut praeelectum admirabilemque, *τὸν πρόκριτον* et *τὸν θαυμάσιον τὸν πανένδοξον, πανάγιον*, [4] distinguunt: vocant [5] eum ducem Aposto-

---

[1] Cf. Origen. in Joh. t. IV. n. 5. p. 413, Euseb. H. E. l. II. c. 14, Epiphan. in Ancor. n. 9. Theodoret. in Genes. c. XLIX. p. 115, Theophan. Ceram. H. LV. p. 377; Maxim. M. in Script. q. XXVII. opp. tom. I. pp. 66 sq. Hilar. diac. app. t. IV. Ambros. ed. Mign. pp. 229, 320; Gregor. M. in Ezech. l. II. hom. XXII. n. 9. Arator. hist. act. ap. vv. 160. 966. 1225. et apud reliquos latinos omni passu.

[2] Epiphanius haer. LIX. n. 7. t. I. l. II. Theodoret. in Ps. II. t. I. pp. 617, 622; in Is. t. II. c. LV. p. 398; in Dan. c. IX. p. 1242; in Zach. c. XIV. p. 1663. et porro t. III. pp. 160, 168, 244. — Isidor. pelus. epp. l. I. ep. 142. p. 44. l. II. ep. 58. p. 148. ep. 99. p. 157. l. IV. ep. 146. p. 508. Basil. seleuciens. or. XVII. n. 1. p. 97. Theodor. stud. refut. poëm. iconom. XIX. p. 467. ed. Mign. epp. l. II. ep. 72. p. 1303, 1306. ep. 146. p. 1459. Theophan. Ceram. hom. XXXVII. p. 258. hom. LIV. p. 367. hom. LV. p. 377. Nicet. byzant. pro conc. chalced. ap. Allat. Graec. orth. t. I. p. 667. et qui ante alios nominandi erant, Cyrill. alex. explanat. in Luc. c. XXII. ap. Mai N. PP. Bib. tom. II. p. 420. et Chrysost. cum alibi tum in Matth. XVI. 18. hom. LV. al. LIV. non semel sed iterum ac tertio, de quo supra ad h. l.

[3] *Τὸν τιμιώτατον τῶν μαθητῶν.* Nazianzen. or. XIX. p. 372. A—B. coll. Orig. in Joh. t. IV. n. 5. p. 413.

[4] Cyrill. alex. in Joh. l. XII. t. IV. p. 1064. E. *ὁ τῶν ἁγίων μαθητῶν πρόκριτος Πέτρος*: coll. de Trint. dial. IV. t. V. p. I. p. 507. idem rursum explanat. in Luc. XXII. ap. Mai N. PP. Bib. t. IV. p. 421. *τῷ θαυμασίῳ Πέτρῳ*, tum Didym. in Ps. XV. ap. Mai ib. tom. VII. p. II. p. 178. *ὁ πρόκριτος Πέτρος*, Maxim. M. in Script. q. XXVII. opp. tom. I. pp. 64, 66. et Theophanes Ceram. hom. LV. p. 377. atque latinorum nomine qui Petrum omnibus praelatum testetur sit Ambrosius expos. ev. sec. Lucam l. I. c. 24. p. 1544.

[5] Epiphan. haer. LI. n. 17. t. I. l. II. Joan. Dam. de transfig. Dom. N.

lorum ac primatem discipulorum, *ἀρχηγὸν τῶν αὐτοῦ μαθητῶν, πρόταρχον τῶν λοιπῶν ἀποστόλων, κορυφαιότατον καὶ προστάτην τῶν ἀποστόλων*: praeterea eum insigniunt [1] nomine capitis fastigiique Apostolorum: tandem describunt eum, ut qui fuerit [2] Apostolorum os, ecclesiae [3] forma, regni coelorum. [4] claviger, singulari munere [5] remuneratus, cui *τὰ μέγιστα* [6] summa credita, qui sit fidei [7] firmitas nec non ecclesiae vertex et fundamentum, episcoporum [8] primas, pastor et doctor [9] oecumenicus ecclesiaeque antistes, cui Dominus et Magister [10] supremus suum commune fecit nomen, in quem suam derivavit [11] firmitatem, quem totius ecclesiae constituit moderatorem, quemque particularium suarum ecclesiarum [12] omnium curam suscipere voluit. Quae vix non

---

J. C. n. 1. Theodor. studit. epp. l. II. ep. 139. p. 1443. et Cyril. hieros. catech. II. n. 19. XI. n. 3. XVII. 27.

[1] Gregor. naz. carm. theol. l. II. sec. 1. carm. XII. de seipso v. 222. *Πέτρος μαθητῶν ἄκρος*, Maxim. M. l. c. p. 66. *ἡ τῶν ἀποστόλων ἀκρότης, ἡ μεγάλη τῆς ἐκκλησίας κρηπίς*, et Theoph. Ceram. hom. LV. p. 377. *ἡ ἀκρότης τῶν μαθητῶν.*

[2] Chrysost. hom. LIV. al. LV. in Matth. XVI. 18. l. c. collatis aliis quae ex eius commentariis ad Matth. XVI. et Joan. XXI. attulimus.

[3] Arator hist. act. ap. v. 443. e quibus juxta ea quae explicando enarravimus facile colligitur, quo sensu veteres in Petro dixerint commissas ecclesiae claves, vel in Petro commissas pastoribus oves.

[4] Cyril. hieros. cat. XVII. n. 23. *Τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν κλειδοῦχος Πέτρος*, Joan. Dam. hom. de transfig. Dom. n. 6.

[5] Orig. in Joh. t. II. n. 29. p. 91.

[6] Greg. naz. or. XXVIII. n. 19. p. 510. B. or. XXXII. p. 991. E.

[7] Greg. naz. or. IX. n. 1. p. 235. B. coll. Orig. in Ex. hom. V. in Joh. t. II. n. 29. Isid. pelus. epp. l. I. ep. 235. Procop. gaz. in Is. c. VIII. pp. 41 sq. Theophan. Ceram. l. c. Evag. scholast. H. E. l. II. p. 290. Ambros. de fid. l. IV. n. 56. de virginit. n. 103. Aug. retract. l. I. c. 21. Leo M. epp. V. X.

[8] Leo M. s. III. c. 4. anniv. assumpt. s.

[9] Conc. chalced. in litt. ad s. Leon. „patriarcham universalem„: Bonifacius I. ad epp. Thessal. Macedon. etc.: Origen. in Proverb. c. XXIX. ap. Mai N. PP. Bib. t. VII. p. II. p. 53. Chrysost. hom. LIV. al. LV. in Matth. XVI. n. 2. Joan. Dam. hom. de transfig. Dom. n. 6. *Ὃν τῇ οἰκείᾳ προγνώσει προώρισε τῆς ἐκκλησίας ἐπάξιον πρόεδρον.*

[10] Maxim. taurin. hom. LXVIII. in nat. bb. Pet. et Paul. coll. hom. XXVII. LXXI. Cassian. de inc. l. III. cc. 12 sqq. Hilar. diac. append. t. IV. Ambros. s. XLIV. n. 2. p. 449.

[11] Maxim. taur. hom. CXIV. coll. hom. LIV. LXIX. coll. Cyrill. de Trin. dial. IV. t. V. p. I. pp. 507 sq. et in Is. l. IV. or. 2. t. II. p. 593. C—E. Chrysost. hom. LV. al. LIV. n. 2. in Matth. XVI. 18.

[12] Hilar. diac. in ep. ad Gal. c. 1. l. c. p. 213. Hincmar. rhem. ep. ad Nicol. pont. c. 3. ap. Flodoard. hist. l. III. Pet. Dam. s. XVI. Joan. Dam.

Joannes Damascenus. omnia simul unus s. Joannes Damascenus complexus [1] est, ubi in rationem inquirens ob quam Deus Petrum labi permisit, eamque in eo sitam cum aliis passim vetustis arbitratur „ut per ea quae passus esset, humaniorem se aliis exhiberet„ hisce coloribus [2] Petrum depinxit: „Petrus regni coelestis claves suscepturus erat, imo eae iam ipsi concreditae fuerant, cuius fidei multitudo populorum committenda esset. Quid enim ait ad ipsum Dominus? Quodcunque ligaveris super terram et sqq. Ac perspicias velim, quemnam virum incidere in peccatum sinat: Petrum illum coryphaeum Apostolorum, firmum fundamentum, infractam petram, scopulum prominentem ecclesiae, portum tranquillum, turrim minime labantem... Petrus qui columna erat, puellae minas non pertulit... Idcirco enim is qui ecclesiae curam suscepturus erat, illud inquam columen ecclesiarum, ille fidei portus, ille orbis terrarum magister Petrus in peccatum labi permissus est, ut venia ipsi concessa benignitatis occasio aliis fieret.„

Infertur christianae antiquitatis sententia. 204. Sed enimvero vel hac appellationum ac nominum, tum descriptionum ac periphrasium complexione prae omnibus omnino reliquis Apostolis discipulisque Petrus distinguitur, vel deest hominum linguae ratio ac modus, aliquem ab aliis propter exsortem auctoritatem dignitatemque discernendi. Et rursum, quousque verbis efferuntur conceptus, loquendi rationi ratio cogitandi respondet, atque in sermone cordatorum hominum ac virorum sapientum aeque atque piorum *ἡ πραγματολογία τῇ ὀνοματολογίᾳ* apta est ac consentanea; eo usque ratum manebit et fixum, intimam insitamque fuisse menti ac persuasioni totius christianae antiquitatis sen-

---

hom. de transfig. D. N. J. C. n. 16. *Ἐκκλησίας παγκοσμίου κατέστησέ σε κοσμήτορα.*

[1] In sacris parallelis tom. II. pp. 591 sq. *Διὰ τοῦτο ἡ θεία χάρις πραγματεύεται πρὸς ὀλίγον αὐτοῦ ἀποστῆναι, ὥστε ἁμαρτήματι περιπεσεῖν τὸν Πέτρον, ἵνα ἐξ ὧν αὐτὸς ἔπαθεν, φιλανθρωπότερος γένηται προς τοὺς ἄλλους.*

[2] Ibidem p. 591. C—D. *Πέτρος ἤμελλεν πιστεύεσθαι τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας, μᾶλλον δὲ καὶ ἐπιστεύθη τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, καὶ ἤμελλεν πιστεύεσθαι τὸ πλῆθος τῶν λαῶν. τί γάρ φησιν ὁ δεσπότης πρὸς αὐτόν· ὃ ἂν δέσῃς ἐπὶ τῆς γῆς κ. τ. λ. καὶ βλέπε τίνα συγχωρεῖ περιπεσεῖν ἁμαρτήματι; Πέτρον ἐκεῖνον τὸν κορυφαῖον τῶν ἀποστόλων, τὴν κρηπῖδα τὴν ἀσάλευτον, τὴν πέτραν τὴν ἀῤῥαγῆ, τὸν περίβολον τῆς ἐκκλησίας, τὸν λιμένα τὸν ἀχείμαστον, τὸν πύργον τὸν ἀσάλευτον...* p. 592. A—B—C. *Πέτρος ὁ στύλος οὐκ ἐβάστασεν ἀπειλὴν κόρης.. ὁ τὴν ἐκκλησίαν μέλλων πιστεύεσθαι, ὁ στύλος τῶν ἐκκλησιῶν, ὁ λιμὴν τῆς πίστεως, Πέτρος ὁ διδάσκαλος τῆς οἰκουμένης συνεχωρήθη ἁμαρτῆσαι, ἵνα ἡ συγχώρησις τούτου ὑπόθεσις φιλανθρωπίας τοῖς ἄλλοις γένηται.*

tentiam de Petri inter reliquos Apostolos deque romani episcopo inter reliquos episcopos excellentia eximiaque praerogativa. Porro quum unanimes Majores omnes eadem persuasionis firmitate doctrinae illius stabilitatem in divinae revelationis oracula rejecerint, nihil manifestius, quam hoc doctrinae caput, quod allatis insuper authenticis suo loco [1] documentis comprobavimus, exploratis revelatae veritatis dogmatibus esse connumerandum.

4. Exceptio petita ex Apostolorum aequalitate.

205. Verum, inquis [2], nonne eamdem Apostoli auctoritatem potestatemque recepere divinitus? Fieri ejusmodi exceptionem quaestionemque ab eo posse qui Veterum monumenta non inspexerit, facile est intelligere: sed mirum videri possit, ab illis eam proponi quos scripta Majorum manu diurna atque nocturna versasse putares. Nequeunt enim opera Patrum vel obiter inspici, quin iidem et sensisse difficultatem istam et expendisse et disjecisse penitus deprehendantur. Inter plurima quae longa superius serie attulimus, neque pauca neque obscura latinorum graecorumque scriptorum testimonia recurrunt, e quibus id perspicue liquet. Attamen haud erit abs re, quod quadam copia ex aliis vetustis ecclesiae scriptoribus in medium prolatum fuit, id aliquo velut compendio e gravissimorum ore doctorum repetitum excepisse.

206. Descripta ab Ambrosio [3] Petri diligentia, sollicitudine *Ambrosius.* ac dilectione in Christum, cujus signa alii discipuli numquam prae ipso, numquam soli sine ipso praebuere, ipse vero solus frequenter sine aliis et aliis etiam majora exhiberet, hoc significare pergit, quod a Christo Domino pariter aliis Apostolis praerogativa nulla sine Petro, nulla prae Petro tributa, quod Petro contra et prae aliis et exclusis aliis praerogativa eaque insignis plane collata fuit. „Non est igitur, inquit [4], dubium credidisse Petrum, et credidisse quia dilexit, dilexisse quia credidit. Unde et contristatur, quia et tertio interrogatur, Amas me? Is enim interrogatur de quo dubitatur, sed Dominus non dubitat, qui interrogat non ut disceret, sed ut doceret, quem elevandus in coelum amoris sui

[1] Vide c. IV.

[2] Macar. ep. vinnic. l. c. pp. 269 sqq. Cuius tamen exceptionem a Patribus disiectam plus semel indicavimus.

[3] Exposit. evang. sec. Luc. l. X. pp. 1542 sq.

[4] Nn. 175 sq.

Petrus Christi in terris vicarius. nobis velut vicarium [1] relinquebat. Sic enim habes: Simon Joannis diligis me?... Bene conscius sui non ad tempus assumptum, sed jamdudum Deo cognitum Petrus testificatur affectum. Quis est enim alius, qui de se hoc facile profiteri possit? Et ideo quia solus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur; major enim omnibus caritas... Denique tertio Dominus non jam, Diligis me? sed, Amas me? interrogavit; et jam non agnos, ut primo, quodam lacte vescendos, nec oviculos, ut secundo, sed oves pascere jubetur, *Perfectiores perfectior gubernat.* perfectiores ut perfectior gubernaret.„ Ambrosio ergo doctore non uti aequali sed uti vicario, uti majori perfectiorique omnibus omnes a Christo oves Petro creduntur, creduntur illi directe et immediate [2], atque creduntur oves universae ei soli.

Augustinus. 207. Neque aliter Augustinus [3], qui ex verbis Cypriani [4] hinc auctoritatem [5] et inde modestiam humilitatemque [6] Petri Apostoli dilaudantis hoc contra donatistarum impietatem argumentum petit: „Ecce ubi commemorat Cyprianus, quod etiam nos in Scripturis *In Petro praeeminet Apostolorum primatus.* sanctis didicimus, Apostolum Petrum in quo primatus Apostolorum tam excellenti gratia praeeminet, aliter quam veritas postulabat de circumcisione agere solitum a posteriore Apostolo Paulo esse correctum.... Si potuit, inquam, Petrus contra veritatis regulam [7] quam postea ecclesia tenuit, cogere gentes judaizare, cur non potuit Cyprianus contra regulam veritatis [8] quam postea tota ecclesia tenuit, cogere haereticos vel schismaticos denuo baptizari? Puto quod sine ulla sui contumelia Cyprianus episcopus Petro Apostolo comparatur, quantum attinet ad martyrii coronam.

---

[1] Ecce, Ambrosius Petrum vocat amoris Christi vicarium, quod nomen semper romani episcopi et ornamentum porro et munus officiumque significavit.

[2] Ergo praeposteri sunt qui vi hujus testimonii contendunt, immediate, ex sese, et directe oves Christi omnes commissas sive omnibus ex aequo esse Apostolis sive pastoribus gregis dominici universis.

[3] De baptis. c. donat. l. II. c. 1. n. 2. opp. t. IX. pp. 96 sq.

[4] Ex ep. ad Quint. LXXI.

[5] Potestatem Petri Cyprianus ex verbis Christi apud Matthaeum. XVI. 18. ostendit.

[6] Humilitatem Petri Cyprianus ex iis ostendit quae habentur Gal. II. 11.

[7] Haec tamen regula pertinebat ad externam instituendae vitae *οἰκονομίαν* dumtaxat quae res ea aetate adhucdum erat prudentis consilii cujus conservatio vel immutatio a locorum personarumque adjunctis penderet.

[8] Haec porro regula pertinebat ad *πρᾶξιν* innixam principio theoretico quod revelata veritate continetur.

Ceterum magis vereri debeo, ne in Petrum contumeliosus exsistam. Quis enim nescit illum Apostolatus principatum cuilibet episcopatui praeferendum? Sed etsi distat cathedrarum gratia, una est tamen martyrum gloria.„ Auctore igitur Augustino 1) Petrus eminuit Apostolorum primatu: 2) ejusdem principatus episcopatu quolibet superior est: et 3) cathedra quam fundavit, quaeque ab ipso appellatur atque romana dicitur et est, cathedris aliis omnibus suo charismate [1] praestat.

Principatus Petri cuilibet episcopatui praeferendus Distat cathedrarum gratia.

208. Qui vero in efferenda primatus romani vi ac indole vere primas exsistit, jure merito Leo M. censetur, qui priorum omnium [2] doctrinam insigni hoc sententiarum splendore complexus est: „Divinae cultum religionis, quem in omnes gentes omnesque nationes Dei voluit gratia coruscare, ita Dominus noster Jesus Christus humani generis Salvator instituit, ut veritas quae antea legis et prophetarum praeconio continebatur, per apostolicam tubam in salutem universitatis exiret sicut scriptum [3] est: In omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum. Sed hujus muneris sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocarit, et ab ipso quasi quodam capite dona sua velit in corpus omne manare, ut exortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere.„ Id quod illico verbis [4] Domini probat, quibus Petrus petra ac soliditas totius ecclesiastici aedificii constitutus fuit. Sed quemadmodum quodvis in ejusmodi oratione incisum significatae rei gravitate excellit, ita tanta dictionis claritate fulget, ut non acies oculorum sed ne lippus penitus sis requiratur ad hoc ut eorum vim clare percipias.

Leo M.

A Petro capite dona Christi in corpus manant.

209. At vero piaculum foret a tanta latinorum luce astra graecorum splendida vel specie tenus sejungere. Quod ne fiat vetat utriusque plagae antiquus concentus, vetat servatus a nobis hucusque usus, et vetat sermonis splendor, quo Asterius amasenus episcopus, cujus diserta auctoritate usi nondum sumus, praecel-

Asterius.

---

[1] Aperte cathedrae gratia, quatenus a martyrii corona ac gloria distinquitur, censu χαρίσματος venit.

[2] Ep. X. ad epp. per prov. vienn. constit. n. 1.

[3] Ps. XVIII. 5.

[4] Matth. XVI. 18.

lentes Petri dotes [1] de quibus solliciti sumus enarravit: „Dicatur ergo [2] Petrus filius Jonae: cujusnam vero illius, nihil mea refert. Ego namque a filii actis honesto parentem; atque ab imis incipiens ad superiora transmitto laudem, lucernarum instar, quae noctu a solo ac ima domo tecta illuminant. Sane vero Isaias vaticinio ait [3], posuisse Patrem Filium lapidem angularem: nimirum significans, mundi totam concretionem illo fundamento ac basi nixam esse. Quin et rursum vicissim Unigenitus, uti sacris evangelii libris conscriptum est, Petrum ecclesiae fundamentum dicit [4]: Tu es Petrus... Primus enim revera hic ceu grandis quidam ac durus lapis in mundi hujus cava demissus est, sive in convallem plorationis quemadmodum David [5] ait, ut christianos omnes superaedificatos portans in sublime, nempe ad spei nostrae domicilium subvehat. Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est [6] quod est Christus Jesus. Sed et

---

[1] Hom. VIII. in ss. Pet. et Paul. ed. Mign. gr. PP. t. XL. pp. 268 sqq. *Λεγέσθω τοίνυν Πέτρος υἱὸς Ἰωνᾶ· τίνος δὲ τούτου, οὐδέν μοι διαφέρει. Ἐγὼ γὰρ ἐκ τῶν πράξεων τοῦ υἱοῦ σεμνύνω τὸν γενησάμενον· καὶ κάτωθεν ἀρξάμενος ἐπὶ τὰ ἄνω παραπέμπω τὴν δόξαν, ὥσπερ οἱ λύχνοι οἱ νύκτωρ ἐκ τοῦ ἐδάφους τοὺς ὀρόφους φωτίζοντες. Ἠσαΐας μὲν οὖν φησι προφητεύων, ὅτι λίθον ἀκρογωνιαῖον ὁ πατὴρ ἔθηκε τὸν υἱὸν ἐνδεικνύμενος, ὡς ἡ πᾶσα τοῦ κόσμου σύστασις ἐκεῖνον ἔχει τὴν ἕδραν καὶ τὴν κρηπῖδα. ὁ δὲ μονογενὴς πάλιν, καθὼς ἐν εὐαγγελίοις φησὶν, θεμέλιον τὸν Πέτρον ὀνομάζει τῆς ἐκκλησίας. Σὺ εἶ Πέτρος... Πρῶτος γὰρ ἀληθῶς οὗτος, ὥσπερ τις λίθος μέγας καὶ καρτερὸς ἐνεῤῥίφη τῇ τοῦ κόσμου τούτου κοιλότητι ἢ τῇ κοιλάδι τοῦ κλαυθμῶνος, ὥς φησιν ὁ Δαβίδ· ἵνα πάντας χριστιανοὺς ἐποικοδομουμένους βαστάσας ἀναγάγῃ πρὸς τὸ ὕψος, ὃ τῆς ἐλπίδος ἡμῶν ἐστιν οἰκητήριον. Θεμέλιον ἄλλο οὐδεὶς δύναται θεῖναι παρὰ τὸν κείμενον ὅς ἐστιν Ἰησοῦς Χριστός. Τῇ ὁμοίᾳ δὲ κλήσει ὁ Σωτὴρ ἡμῶν καὶ τὸν πρῶτον αὐτοῦ μαθητὴν κατεκόσμησε πέτραν ὀνομάσας τῆς πίστεως.*

[2] Joan. I. 42.

[3] Isai. XXVIII. 16.

[4] Matth. XVI. 18.

[5] Ps. LXXXIII. 7.

Expenduntur I. Cor. III. 11.

[6] I. Cor. III. 11. Ad quae Pauli verba haec animadvertisse iuverit, quae de div. nominib. c. 1. Dionys. areop. adnotat Corderius tom. I. p. 295. „Esse enim fundamentum propriae virtutis et per se, Christo convenit propter divinitatem, quae una et eadem est in tribus personis, quae fecit in ipso Christo, summo lapide angulari, utraque unum, cui convenit esse *αὐτόλιθον*, petram I. Cor. X. Est igitur b. Petrus (ut haereticis nostri temporis occurramus) petra ecclesiae, ut evangelium testatur: non tamen est *αὐτόλιθος* nec *αὐτοπέτρα*, id est per se lapis vel per se petra: neque sic umquam in Scripturis vocatur ut Christus Deus noster, qui sic est *αὐτοθεμέλιος*, id est per se fundamentum, praeter quod per se fundamentum aliud nemo potest

simili quoque Salvator noster appellatione primum suum discipulum honestandum duxit nominans fidei petram.„ Quibus positis fidei ecclesiasticae firmitatem perpetuam contra omnes omnium persequutorum hostiumque impetus ex petrae illius firmitate repetit, quae petra alia nec erat nec est ab ipso Petro. Cujus eximiam praestantiam quum ex ipsa originum christianarum historia enarravit porro [1] sequitur: „Cum autem hoc dico, minime gentium servum cum Domino comparo. Apagesis furentis sensum; sed Deum qui per famulos suos potentiae suae specimen edat, nullum e discipulis suis perinde ac Petrum muneribus locupletasse pronuntio, quin supernis sublimem effectum donis, universis eum praetulisse.„ Neque satis, postquam Petrum summis e V. T. viris majorem ostendit, quod ad maximos N. T. attinet, ita [2] pergit: „Beatus quidem magnus Johannes, qui supra pectus Domini requievit: magnus quoque Jacobus, quippe qui tonitrui filius appellatus sit: praeclarus item honestantibus ipsum honoribus Philippus... omnes nihilominus Petro cedant seque fateantur secundos, si modo gratiarum comparatio honoris praelationem probaverit. Universa sane singillatim contemplans atque considerans, virum hunc deprehendo cum in sermonum disputationibus, tum in operum patratione, ubique similiter reliquo discipulorum choro praesilientem ac praesultantem, idemque vitae stadium currentes pone relinquentem.„ Scilicet, quod e rerum naturis prodit, sicut Petrus omnibus praelatus Apostolis auctoritate fuit, ita ante omnes et inter omnes et in omnibus uti primus ac princeps deprehenditur.

---

ponere, sicut Apostolus ait I. Cor. III. de hoc enim per se fundamento loquitur.„

[1] Ibid. p. 274. D. *Τοῦτο δὲ ὅταν λέγω, οὐ τὸν δοῦλον τῷ δεσπότῃ συγκρίνω. Ἄπαγε! Μαινομένου τὸ νόημα· ἀλλ᾽ ὅτι διὰ τῶν ἑαυτοῦ θεραπόντων ὁ θεὸς τὴν ἑαυτοῦ δύναμιν ἐνδεικνύμενος, οὐδένα τῶν μαθητῶν ὡς Πέτρος ταῖς ἰδίαις δωρεαῖς κατεπλούτησεν· ἀλλὰ καὶ πάντων αὐτὸν προύθηκεν, ὑψώσας ταῖς ἄνωθεν δωρεαῖς. Καὶ ὥσπερ πρῶτος μαθητὴς καὶ μείζων τῶν ἀδελφῶν ἐπὶ τῆς πείρας τῶν πραγμάτων ἐδείχθη τῇ δυνάμει τοῦ Πνεύματος.*

[2] Ib. pag. 277. C. *Ζηλωτὸς μὲν οὖν καὶ μέγας Ἰωάννης, ἐπὶ τῶν τοῦ κυρίου στέρνων ἀναπαυόμενος· μέγας καὶ Ἰάκωβος, ὡς υἱὸς ὀνομασθεὶς βροντῆς· λαμπρὸς ἐν ταῖς τιμαῖς καὶ ὁ Φίλιππος ὡς παρὰ τοῦ πνεύματος ἁρπασθεὶς . . . ἀλλ᾽ ὅμως οἱ πάντες ὑποχωρείτωσαν Πέτρῳ καὶ δευτερεύειν ὁμολογείτωσαν, ὅταν ἡ τῶν χαρισμάτων σύγκρισις δοκιμάζῃ τὸν προτιμότερον. Ἀναθεωρῶν δὲ πάντα τὰ καθ᾽ ἕκαστον καὶ σκοπούμενος, εὑρίσκω τὸν ἄνδρα τοῦτον ἐπί τε τῶν λογικῶν διαλέξεων καὶ τῶν πρακτικῶν ἐνεργημάτων ὁμοίως πανταχοῦ προπηδῶντα τῶν ἄλλων μαθητῶν καὶ προεξαλλόμενον καὶ κατόπιν ἀφιέντα τοὺς τὸ αὐτὸ τοῦ βίου στάδιον τρέχοντας.*

Fuisse porro Petrum auctoritate potestateque omnibus praelatum discipulis, tum praestitutis jam edixit Asterius, tum illico rursum utpote rem capitalem argumentis confirmat. Subdit [1] enim verba Christi apud Matthaeum commentando: „Statim aperiens (Petrus) os, qui vivum accensumque fidei carbonem animo ferebat, quo et prius Isaiae labia mundata fuissent, beatam illam ac plane perspicuam praeclare edidit confessionem, Tu es Christus, Filius Dei vivi. Quaenam quis pro horum dignitate verborum idoneus maximi Apostolorum interpres effectus demirari possit?„ Jamvero pro tanta *Petri remuneratio.* confessione [2] Petrus „haud indonatus abiit ac sine praemio: quin potius ab eo beatus nuncupatus qui eximie beatus est, fidei petra appellatur, fundamentumque ac basis Dei ecclesiae. Accipit vero per promissionem claves regni ejusque portarum efficitur dominus, ut aperiat quibus voluerit, claudat vero quibus jure claudendae sint, plane vero pollutis et profanis ac eam negantibus confessionem, cujus ergo ipse tanquam sedulus gnarusque bonorum ecclesiae custos regni ostiis praefectus fuit.„ Hinc reprehensa eorum impietate haereticorum qui a tanti Apostoli confessione recedere ausi essent, ad illud Petri munus [3] venit, quo eum post resurrec-

---

[1] Ibid. p. 277. D. *Ἀνοίξας τὸ στόμα ταχέως ὁ τὸν ζώπυρον ἐπὶ τῆς ψυχῆς φέρων τῆς πίστεως ἄνθρακα, ᾧ καὶ Ἠσαΐας πρότερον ἐκαθάρθη τὰ χείλη, τὴν μακαρίαν ἐκείνην καὶ σαφῆ ἀληθῶς ῥῆσιν καθωμολόγησε. Σὺ εἶ ὁ Χριστὸς ὁ Υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος. Τίνα ἂν τις πρὸς ἀξίαν τῶν λόγων τούτων θαυμάσειεν, ἀξιόπιστος γενόμενος ἑρμηνεὺς τοῦ μεγίστου τῶν ἀποστόλων;*

[2] Ibid. p. 280. D. *Οὐκ ἄμισθος ἀπῆλθε οὐδὲ ἀγέραστος· μακάριος δὲ ὀνομασθεὶς παρὰ τοῦ ὄντως μακαρίου, πέτρα καλεῖται τῆς πίστεως καὶ θεμέλιος καὶ ὑποβάθρα τῆς κατὰ θεὸν ἐκκλησίας. Λαμβάνει δὲ διὰ τῆς ὑποσχέσεως τῆς βασιλείας τὰς κλεῖς καὶ κύριος γίνεται τῶν ἐκείνης πυλῶν, ὥστε αὐτὰς ἀνοίγειν οἷς ἂν ἐθέλοι, καὶ κλείειν οἷς ἂν δίκαιον ἦν, πάντως δὲ τοῖς βεβήλοις καὶ ἀνιέροις καὶ τοῖς ἀρνουμένοις τὴν ὁμολογίαν ἐκείνην, δι᾽ ἣν αὐτὸς ὡς ἀκριβὴς τῶν ἐκκλησιῶν ἀγαθῶν φύλαξ ἐπιστατεῖν ταῖς εἰσόδοις τῆς βασιλείας ἐτάχθη.*

[3] Ibid. p. 281. C—D. *Ὁ μὲν οὖν Σωτὴρ ἡμῶν ἡνίκα ἔμελλεν ἁγιάζειν τῷ αὐθαιρέτῳ θανάτῳ, ὥσπερ τινὰ παραθήκην ἐξαίρετον, τὴν καθόλου καὶ οἰκουμενικὴν ἐκκλησίαν τούτῳ τῷ ἀνδρὶ παρατίθεται, τρίτον αὐτοῦ πυθόμενος τὸ Φιλεῖς με; Ὡς δὲ ταῖς ἐρωτήσεσι μάλα προθύμως ἰσαρίθμους τὰς ὁμολογίας προέθετο, ἔλαβεν τὸν κόσμον εἰς ἐπιμέλειαν, ὡς μίαν ἀγέλην εἷς ποιμὴν ἀκούσας Βόσκε τὰ ἀρνία μου· καὶ σχεδὸν ἀνθ᾽ ἑαυτοῦ τὸν πιστότατον μαθητὴν ἔδωκεν ὁ κύριος τοῖς προσηλύτοις πατέρα, καὶ νομέα, καὶ παιδευτήν. Ταύτης τοίνυν ἀκούσας τῆς φωνῆς, οὐκ ἐν ῥαθυμίᾳ τὸν βίον ἔζησεν, οὐδὲ ἠγάπησε τὴν ἔξω κινδύνων ζωήν. ἀλλὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην περινοστῶν, τὸν Χριστὸν τοῖς τυφλώττουσιν ἀπεκάλυπτεν, τοὺς μὲν πλανωμένους ὁδηγῶν, τοὺς δὲ γευσαμένους τῆς εὐσεβείας τοῖς ἐχθροῖς μαχόμενος, τοὺς οἰκείους παρακαλῶν, διωγμῶν ἀνεχόμενος, φέρων ἀχθηδόνα δεσμωτηρίων, πολυτρόπως τοῦ εὐαγγελίου προκινδυνεύων.*

tionem Christus Dominus auxit: „Cum ergo Salvator sponte assumpta morte humanum genus sanctificaturus esset, ceu peculiare quoddam depositum ac peculium, universalem ac orbe toto diffusam viro huic commendat ecclesiam, ubi tertio interrogasset illud, Amas me? Cumque is multa alacritate singulis interrogationibus totidem professiones adjecisset, mundi curam accepit, velut unum gregem unus pastor, quibus audivit [1], Pasce agnos meos; fereque sui loco dedit Dominus fidelissimum discipulum in patrem pastoremque et magistrum iis qui essent accessuri ad fidem. Cum itaque eam vocem audisset, haudquaquam segnitie vitam traducendam duxit: nec dilexit vivere extra periculorum aleam: quin universum circumquaque lustrans terrarum orbem caecis Christum revelabat; iis dux effectus qui exerrabant, eos provocans qui pietatem gustassent, hostes impugnans, consolans domesticos, persequutiones sustinens, carcerum molestiam ferens, multis modis evangelii causa pericula adiens.„

Petro commendatur universalis per orbem ecclesia.

210. En tibi ab uno amaseno praesule oculis objecta universa quae ad Petri ornamenta ac praerogativas spectantia ex latinis graecisque Patribus collecta dedimus. Id autem inde luce clarius apparet, collata divinitus potestate Petrum inter Apostolos uti caput et centrum eminuisse, neque aliter a Christo habitum proindeque non aliter a nobis habendum esse, quam qui locum ipsius Domini in terris teneat, a quo adeo uti a visibili fundamento omnes et omnia ad Christi ecclesiam pertinentia pendeant, et ad quem illi omnes et ista universa uti ad supremum rectorem et gubernatorem semetipsos referre referrique prorsus debeant.

5. Photiana perturbatio.

211. Quae quum totius christianae antiquitatis explorata fuerit sententia, judicium ferri potest de hac Photii explicatione, qua praeclarum Eulogii alexandrini [2] de eadem Petri prae Apostolis

Eulogius alexandrinus.

---

[1] Joh. XXI. 15 sqq.

[2] Phot. biblioth. cod. CCLXXX. ex l. II. Eulog. con. Novatian. *Ὅτι διὰ τοῦτό, φησιν, οὔτε πρὸς Ἰωάννην, οὔτε πρὸς ἕτερόν τινα τῶν μαθητῶν ἔφη ὁ σωτὴρ τό· καὶ δώσω σοι τᾶς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν καὶ τὰ ἑξῆς. ἀλλ᾽ ἢ πρὸς Πέτρον: ὅς ἔμελλε τῷ τῆς ἀρνήσεως περιπίπτειν τὸ ἁμάρτημα, ἵνα τῷ καθ᾽ ἑαυτὸν ὑποδείγματι πρὸς τοὺς ἐξαμαρτάνοντας φιλανθρωπότερον διατίθοιτο. οἱ γὰρ ἄλλοι ἀπείραστοι μεμενηκότες τάχα ἂν ἀποτομώτερον αὐτοῖς διεκέχρηντο.* Hac eadem ratione alios veteres usos esse allata eorumdem testimonia pa-

Petri lapsus. omnibus excellentia suffragium corrupit atque pervertit: „Ideo, ita inquit alexandrinus patriarcha, nec Joanni nec alteri cuiquam discipulo dixit Salvator: Tibi dabo claves regni coelorum etc. sed soli Petro qui Deum negaturus erat et peccatum lacrymis et poenitentia expiaturus, ut suo ipsius exemplo erga peccatores humanior esset. Alii enim non tentati forsan severius cum peccatoribus egissent.„ Quibus hanc Photius subjicit [1] *παρερμηνείαν*: „Hoc ait Eulogius verisimilius magis quam verius. Etsi enim Petro dictum est, verumtamen in persona coryphaei et ceteris Apostolis talis potestas data est. Quandoquidem et sequentibus illos sacerdotibus eamdem datam esse solvendi ligandique potestatem credimus.„ Scilicet ita commentatur Photius praeter et contra Eulogii mentem, quemadmodum hoc cum suis credit praeter et contra Scripturarum ac Traditionis doctrinam.

Photii perversio.

Reiicitur recapitulatione praestitutae doctrinae.

212. Contulit enim 1) Christus juxta litteralem Scripturarum sensum ex communi Patrum sententia Petro eique soli immediate ac directe potestatem omnem quae enarratis apud Matthaeum et Joannem potissimum locis expressa legitur, et hac accepta potestate Petrus est diciturque vere proprieque *ὁ κορυφαῖος τῶν ἀποστόλων*. Quodsi vero 2) in Petro omnibus sacerdotibus collata dicatur potestas, tum enimvero a) id non *ἀφαιρετικῶς* vel ita accipi debet, acsi sua Petro praerogativa detraheretur; verum b) accipi *καταφατικῶς* sive ita debet, ut Petri praerogativa supponatur; ideoque c) ita accipi debet, ut Petrus instar *παραδείγματος* aliorum [2] ac instar summae juridicae, ut ajunt, personae

Quo sensu omnibus Apostolis in Petro collata potestas.

---

tefaciunt, et illa rursum ostendunt quae habet Gregorius M. in ev. l. II. hom. XXII. n. 4. coll. in Ezech. l. II. hom. VI. n. 9. et Damascen. in sacris parallelis pp. 591 sq.

[1] Ibid. *Τοῦτο μέν φησιν ὁ Εὐλόγιος πιθανώτερον μᾶλλον ἢ ἀληθέστερον λέγων. εἰ γὰρ καὶ πρὸς Πέτρον εἴρηται· ἀλλ᾽ οὖν ἐν προσώπῳ τοῦ κορυφαίου καὶ τοῖς λοιποῖς τῶν μαθητῶν ἡ τοιαύτη ἐξουσία ἐδέδοτο· ὅπου γε καὶ τοῖς ἀπ᾽ ἐκείνων τὸ ἀρχιερατικὸν κατὰ διαδοχὴν περιβεβλημένοις ἀξίωμα τὴν αὐτὴν προσεῖναι τοῦ δεσμεῖν καὶ λύειν ἐξουσίαν πιστεύομεν.*

Leo M. [2] Expressit hoc perspicue Leo M. de nat. ipsius s. IV. c. 3. de Petri confessione ita eloquenter disserens: „Hanc confessionem portae inferi non tenebunt, mortis vincula non ligabunt: vox enim ista vox vitae est. Et sicut confessores suos in coelestia provehit, ita negatores ad inferna demergit. Propter quod dicitur beatissimo Petro: Tibi dabo claves regni coelorum . . . Transivit quidem etiam in alios Apostolos ius potestatis istius, et ad omnes ecclesiae principes decreti huius constitutio commeavit; sed non frustra uni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim ideo

consideretur, quae uti in sese, non secus ac princeps vel caput societatis vel corporis cujusdam fastigium potestatis totius possideat, ita plane tamquam typica atque juridica persona repraesentare alios possit. Quare si verba Christi tam apud Matthaeum quam apud Joannem etiam hoc typico, juridico eodemque mediato sensu ad omnes Apostolos sacerdotesque referenda perhibeantur, manifestam confirmationem involvunt, qua Petri summa auctoritas ac praerogativa asseritur.

Bifariam testimonia ss. litterarum ad potestatis collationem pertinentia patent.

213. Quod vero ad illa attinet, quibus aliis etiam Apostolis concessa similis ac Petro potestas edicitur [1], praestituta Patrum norma animadverti debet I. bifariam patere Scripturarum testimonia, quibus Christus Apostolis potestatem auctoritatemque commisit: alia respicere omnes ex aequo Apostolos, et alia respicere unum Apostolum Petrum seorsum: atqui II. sicut e priori testimoniorum classe omnimoda Apostolorum omnium aequalitas colligitur, ita ex altera eorum inaequalitas constat Petrique praestantia atque primatus. Quare III. si Apostoli conferantur invicem, insignes omnes exsistunt universali auctoritate docendi, regendi, ferendi leges, judicandi atque pascendi, ita tamen ut prae reliquis Petrus personam induat capitis, principis summique pastoris, praeque Petro vicissim reliqui habitum induant obnoxiorum sive rectorum sive pastorum fratrumque confirmandorum. Unde IV. si iidem Apostoli ad fidelium coetum referantur, primum potissimumque hujus est officium cohaerendi cum Petro, sicut illorum erat officium, ut fundarent ecclesias super Petrum tamquam totius ecclesiae visibile fundamentum, fundare illas circa Petrum tamquam visibile omnium centrum, et fundare illas in unitate cum Petro, ne peccatores atque schismatici evaderent. Jamvero V. distingui accurate debet ipsa primatus potestas in se ac *ὄντως* spectata ab ejusdem exercitio eademque veluti *δυναμικῶς* considerata, simul vero duplex discernere oportet ecclesiae stadium, alterum quod

Apostolicae auctoritatis aequalitas.

Petri eminentia.

Fidelium inde officium.

Potestas primatus eiusque exercitium.

Ecclesiae stadia.

---

hoc singulariter creditur, quia cunctis ecclesiae rectoribus Petri forma proponitur. Manet ergo Petri privilegium, ubicunque ex ipsius fertur aequitate iudicium.„ Eodemque cum allatis iam Patribus graecis spectasse dicendus est vulgatus Dionysius, qui de eccles. hierarch. c. VII. §. 7. verbis Domini, *Ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς καὶ τὰ ἑξῆς·* subdit: *ὡς καὶ τοῦ μακαρίου Πέτρου καὶ παντὸς τοῦ κατ᾽ αὐτὸν ἱεράρχου κατὰ τὰς ἐν αὐτῷ γινομένας οὐρανόθεν ἐκ θεοῦ ἀποκαλύψεις καὶ προσδεχομένου καὶ ἀφορίζοντος.* *Dionysius.*

[1] Affirmat id non modo Photius verum etiam Macar. vinnic. ep. l. c.

originum erat adeoque extraordinarium dicitur, atque alterum ecclesiae jam explicatae et consistentis, quod continuationis perpetuae et ordinarium illius stadium vocatur. Etiamsi porro Petrus singulari primatus praerogativa prae ipsis Apostolis instructus fuerit; pro eximiis tamen quibus Apostoli excellebant charismatibus extraordinarioque ecclesiae stadio, locus illius exercitio aut nullus omnino aut vix aliquis dari poterat. Sed quum primum Apostolorum charismata cessarent ac stadio charismatum extraordinario ordinarium succederet, tota semet primatus vis pro variis rerum personarumque adjunctis multifariam explicavit, adeo ut in Petri successoribus manifestum fieret, quanta ad ecclesiam regendam continendamque principi Apostolorum in alios pastores omnes potestas tributa fuisset E quibus liquet, Petri primatum sibi praeclare constitisse una cum reliquorum discipulorum apostolicis dotibus.

Nulla aequalitas inter particulares episcopos romanumque Pontificem.

214. Sed illud pariter et multo etiam jure majori inde colligitur, nullo pacto plenam perfectamque episcoporum omnium aequalitatem obtinere cum romanis episcopis. Quemadmodum enim romanus episcopus in totam primatus Petri auctoritatem succedit: ita episcopi singuli totam Apostolorum excellentiam minime consequuntur. Quid porro inde? Hoc quod luce clarius est: nimirum, quod si cunctis Apostolis primus romanus episcopus Petrus praecellebat dignitate primatus, profecto succedentibus illi romanis praesulibus prae sequentibus episcopis eamdem primatus praerogativam detrahi nullo colorato titulo posse.

Distinctio ordinis et iurisdictionis.

215. Nihilominus cum reliquis heterodoxis qui schismate orientali implicati exsistunt denegare illam non desinunt: quum tamen negationis suae rationes afferunt, praeter alias aberrationis causas quas jam sustulimus, in eum constanter scopulum impingunt, qui duorum quae ab invicem plane secernenda forent perturbatione continetur: scilicet non rite ut oportet distinguunt inter praerogativam ordinis interque praerogativam auctoritatis ac jurisdictionis quam vocant. Atqui duplex omnino secerni in episcopis debet praerogativa, ordinis altera, eaque sita in eorumdem foecunditate, qua tamquam patres ecclesiae ejusdem perennitati consulunt generando manuum impositione alios rursum episcopos, procreandoque filios secundogenitos presbyteros atque ministros: et altera auctoritatis ac jurisdictionis, qua a) magisterio dignitateque cathedrae excellunt ad testandum docendumque authentice, b) po-

testate pollent legifera, judiciaria atque poenali: atque his continetur apostolatus participatio, quae in eos ab Apostolis transiit.

216. Jamvero romani episcopi primatus non continetur priori illa, sed posteriori hac praerogativa. Quare licet romanae urbis antistes reliquis episcopis gradu atque honore ordinis episcopalis non praestet: praestat tamen auctoritate ac jurisdictione, praestat doctoratus cathedra ac pastoratus supremitate, vi cujus omnibus reliquis episcopis praesit, omnesque teneantur, in unitate cum illo docere fideles et greges pascere, testanti docentique illi fidem adjungere, eique sive praecipienti sive prohibenti morem gerere et obedientiam praestare.

Primatus romanus continetur auctoritate ac iurisdictione.

217. Hanc autem institutionem a Christo ipso fuisse profectam Scripturae et ex sese et ex unanimi Veterum conspiratione [1] uti ostendimus docent: non secus ac iisdem docemur, eo institutionem eamdem sua natura et ex institutoris voluntate spectare, ut ecclesiasticae societatis unitas visibilis in visibili suo capite non modo repraesentetur, sed etiam efficiatur ac vindicetur: et efficiatur quidem atque vindicetur fidei socialis ac catholicae unitas unitate supremi testis atque doctoris authentici, et efficiatur vindiceturque unitas socialis vitae atque regiminis unitate supremi pastoris ac rectoris, cui hierarchica subordinatione qui pro Christo legatione funguntur omnes subjiciantur „in aedificationem [2] cor-

Huiusce institutionis finis.

---

[1] Qua veterum conspiratione permoti neque pauci neque ignobiles e graecis scriptoribus atque praesulibus post scissionem a Photio invectam romanorum episcoporum sedisque romanae principatum recognovere, palam professi sunt atque impense vindicarunt. Et omissis illis quae in actis conciliorum in quibus unionis causa tractata conclusaque fuit, huc faciunt, quae disseruere apud Leo. Allat. t. I. p. 419. de „communi ecclesiae magistro, beatissimo Petro, super quem divino oraculo fundata est spes nostra„ *περὶ τοῦ κοινοῦ διδασκάλου τῆς ἐκκλησίας τοῦ μακαριωτάτου Πέτρου κατὰ τὴν θείαν φωνὴν ἐπ᾽ αὐτοῦ θεμελιωθείσης τῆς ἐν ἡμῖν ἐλπίδος*, Gregorius protosyncellus: tum ibidem p 667. pro concilio chalcedonensi Niceta byzantius de confessione principis Apostolorum Petri, *εἰσαχθήτω*, inquit, *ὁ κορυφαῖος τῶν ἀποστόλων Πέτρος*: et Georgius trapezuntius de una, sancta, catholica ecclesia n 7. p. 550. eximie efferens Petri et per eum romanae ecclesiae praerogativam quam nn. 10 sq. pp. 559 sqq. in suprema collocat auctoritate in ecclesias omnes omnesque earumdem episcopos.

Gregorius protosyn. *Niceta.* *Georgius trapezunt.*

[2] Ephes. IV. 12 sqq. Praeposteri forent, qui ex eo quod Paulus hic loci ordinarios et extraordinarios Christi ministros recensens nullam primatus Petri mentionem fecerit inferrent, hunc ab eo fuisse exclusum. De exclusione enim a) nullum habetur vestigium; eo vel minus quod b) ministeria

Solvitur petita ex Ephes. IV. 12 sqq. exceptio.

poris Christi, qui est caput invisibile, ex quo interius illuminante ac confirmante totum corpus compactum et connexum per omnem juncturam subministrationis secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate.„

6. Consectaria de ecclesiae regimine.

218. Sed ex disputatis hucusque universis haec perspicua fluunt consectaria, quibus ecclesiae regimen determinatur.

Non est politicum.

Non democraticum.

Corollarium I. Quemadmodum ex descripta ratione [1] societatis christianae prius intulimus, tutelam ejusdem nec apud potestatem politicam nec apud populum esse: ita ex objecta facie unitatis catholicae itidemque romanae non idipsum modo constat, abhorrere scilicet illam tam a politica principum [2] quam a democratica [3] populi *οἰκονομίᾳ*; sed et illud colligitur, ejusdem praesidium neque creditum esse singulis locorum episcopis neque aristocratico omnium episcoporum coetui atque *συνόδῳ*. Constat primum illud tum ipsa exclusione tum ex inspectis rerum naturis; quum neque principibus supremisque publicae rei moderatoribus neque fidelibus sive singulis seorsum sive omnibus simul [4] facul-

---

etiam reliqua non exclusa censentur, quae silentio Paulus praeterivit: quodque c) manifestum sit, gentium Apostolo minime propositum fuisse censum accuratum ecclesiasticorum ministeriorum *ἐν ἀτόμῳ* exhibere: at vero d) quum primo loco Apostolos posuerit, non aliter horum chorum accepit, quam eum Christus ordinatum voluit ac instituit; adeoque e) non aliter profecto nominatum illum acceptumque voluit ac postulat evangelii analogia, juxta quam Petrus est Apostolorum princeps, caput ac centrum: quare ex canone interpretationis harmonicae affirmandum f) virtute a Paulo et illum fuisse comprehensum unaque inclusum.

[1] Cap. II. n. 31. pp. 24 sqq.

[2] Hoc in sacra ius principibus asserebant cum protestantes generatim, tum nominatim anglicani, de quibus vide sis Mamachi. orig. et antiq. eccl. l. IV. Ut vero inter impietatis istius defensores excellunt Hug. Grot. de imp. sum. pot. circ. sacra, et M. A. de Dominis de rep. eccl. l. VI. ita veritas orthodoxa nacta est vindices duumviros inter alios praestantes Mart. Becan. et Fr. Suar. opp. sup. cit.

[3] Huc spectant prae aliis rursus M. A. de Domin. l. c. et Salmas. quem summus Petavius de eccles. hierarch. ea qua pollebat praestanti virtute confutavit.

Matth. XVIII. 15 sqq. expenduntur.

[4] Neque vero difficultatem creant verba Christi Matth. XVIII. „Dic ecclesiae„ acsi coetui fidelium summa judiciaria potestas delata esset. Nam 1) quum nomen ecclesiae multiplicis potestatis sit, non semel (Ephes. IV. 15; I. Cor. XII. 12.) ad ipsum refertur Christum, summum ecclesiae caput,

tas officiumque commissum sit, vel docendi proponendique quod credendum, vel statuendi praecipiendique quod agendum sit, vel alia ejusmodi praestandi, sine quibus neque fidei neque caritatis socialis unitas sarta tectaque servari possit.

Colligitur alterum tum exclusione pariter tum considerata unitatis descriptae natura et indole: praeeuntibus enim Scripturis, docentibus Patribus [1] historiaque ecclesiastica teste continendae catholicae unitatis vis suprema eademque continua tam ab episcopis removetur singulis seorsum quam ab omnibus simul in unum synodoque collectis. At enimvero ea insuper est unitatis illius

Non aristocratico - episcopale.

Non aristocratico-synodicum.

---

quatenus id habere, agere et praestare censetur ecclesia, quod illius caput habet, agit et praestat. Nihil autem 2) pronius, quam ex hac significatione ad illam progredi, qua ecclesiae voce designantur qui pro Christo legatione funguntur, quique sub pastorum principe pascunt, et sub episcopo summo ecclesiam regunt ac moderantur. Hinc 3) usus loquendi sinit, ut nomen ecclesiae de ecclesiae pastoribus sumatur. Atqui 4) sumendum ita esse suadent a) verba sequentia, „amen amen dico vobis„„ b) quae de exsequutione hujus mandati leguntur I. Cor. V. et I. Tim. I.; tum c) quae litteris pastoralibus consignata occurrunt: praeterea d) quae historia judiciorum ecclesiasticorum continentur: rursum e) quae ecclesiastica legislatione praefinita accepimus: deinde f) quae post Cyprianum ep. LXIX. Chrysostomus aliique vetustiores interpretes docent: postremo g) ipsa rei natura. Ergo 5) oratio Christi non progreditur arithmetice a numero minore ad numerum continenter majorem, sed a personis privatis ad personam publicam, et a correptione caritatis ad correptionem juridicam.

[1] Cf. Anton. Vairae de praerogat. oecumen. nomenclat. et potest. rom. pontif. cc. 1 sqq., ubi ex monumentis ecclesiasticis evincit, romanis praesulibus tributam iugiter unanimi occidentis orientisque suffragio fuisse supremam vim potestatemque continendae catholicae unitatis. Quare nonnisi *φλυαρίᾳ* cuidam adscribendum videtur, quod post alios Macarius vinnic. l. c. §. 175. Hieronymi ex ep. 146. (al. 85.) ad Evangel. verba obiicit, quibus a sancto quidem illo eruditoque, sed etiam contentioso disputatore edicitur: „Ubicunque fuerit episcopus, sive Romae, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rhegii, sive Alexandriae, sive Tanis, eiusdem meriti, eiusdem est sacerdotii.„ Quum enim ex prolatis Hieronymi testimoniis, aliisque perspicuis quae idem c. Jovinian. l. I. dial. adv. pelagian., in Is. c. II., in Matth. XVI., et ad Marcell. ep. 54. scripsit, nullum de mente eius superesse dubium possit: evidens est, verbis illis subiici sensum, qui ipsum sibi Hieronymum adversantem contrariumque faciat. Sed, inquis, quaenam tandem iis sententia subest? Non ea profecto, qua peteretur magis auctoritas pontificis prae episcopis, quam episcoporum prae presbyteris, quum ad hos universus contextus *ἀμέσως* directeque pertineat. Verum aiendo ac positive interrogationi aequissimae iam satisfecit Baronius ad an. Christi 45. n. 8. Disserit Hieronymus de his, quae sunt muneris sacerdotii, in qua quidem functione sicut nihil praeter ordines plus episcopus quam presbyter habet, ita multo minus nihil est, quod plus alio quilibet episcopus sibi vindicat.

ratio ac indoles, cui neque episcopi singuli seorsum neque summa omnium satisfacere constanter valeant. A singulis seorsum fastigium abest ac necessaria ἀνακεφαλαίωσις, nec immerito ab iisdem, si aequali jure gauderent, obortis dissidiis foret unitati timendum. Ab omnibus autem simul coetu synodoque collectis [1] perpetuitas abest, quodque nexum inde est, prompta in necessitatibus abest [2] praesentia. Tum vero ipsa ejusmodi οἰκονομία apte ordinateque instituta dici non posset citra idoneam legem, qua hinc necessitas vel opportunitas, inde via ac modus synodi convocandae habendaeque rite determinaretur. Porro de lege ejusmodi lata divinitus nuspiam vestigia comparent.

7. Vera ecclesiastici regiminis forma infertur.

219. Corollarium II. Ex his autem manifestum est, cum insito ecclesiae catholicae charactere cumque analogia fidei non aliud conspirare [3] externum tuendae unitatis medium quam quod in primatu romani Pontificis situm comprobavimus. Quum enim Salvator mundi illam ecclesiae suae unitatem voluerit quam [4] ex-

---

[1] Si ad terminos revocare technicos velimus varias de ecclesiastica regiminis forma opiniones, praetermissis specialissimis temperamentis ita generatim easdem diribebimus ut a) democratiam amplectantur, qui ius auctoritatemque singulis promiscue fidelibus concedunt: b) aristocratiam, qui illam tribuunt sive presbyteris sive episcopis omnibus: c) oligarchiam, qui aliquot selectis presbyteris vel episcopis: d) constitutionale regimen, quod vocant, qui illam synodis vindicant. Ex his autem consectaria sunt: vel nulli episcopi nullique presbyteri, vel nulli episcopi nullusque papa, vel nullus papa, vel supra papam episcopi consentientes, vel supra papam concilium, vel papa nihil sine episcopis, vel papa nihil sine concilio: contra vero e) monarchiam tuentur romano-catholici.

[2] Vide sis Francisc. Torrensem de sum. pontif. sup. conc. auctorit. Florent. 1551 et Hierem. a Bennettis privileg. s. Pet. rom. pont. a Ch. Dom. collator. vindic. t. I. praef. pp. XV sq.

[3] Hinc theologica parisiensis facultas notam haereseos inussit huic M. A. de Dom. ex op. c. l. II. defloratae propositioni 14. „Sicut Apostoli simul et in solidum aristocratice curam gerebant ecclesiae cum potestate aequali et universali, ita episcopi omnes simul et in solidum eamdem regant ecclesiam cum plena potestate.„

[4] De qua apud Joh. XVII. 11 sqq. X. 16. Ephes. IV. 3 sqq. I. Cor. XII. 12 sqq. Matth. XXVIII. 19 sqq. Marc. XVI. 15. tum apud Iren. Cypr. Aug. Optat. Hieron. aliosque veteres ll. cc. Unitas porro haec, quam profitemur, quum dicimus „Credo unam ecclesiam„ est unitas extensione universalis, duratione continua, intensione summa. Est a) extensione universalis, quum ita singulares ecclesias omnes complectatur, ut ad earum summam collectionemque semet porrigat: est b) duratione continua, quum ad consumma-

Quam unitatem Christus voluerit.

posuimus, et eam quidem catholicam loco ac tempore voluerit perpetuam; nisi idem dominus administrare illam continuo singularique novarum revelationum ac miraculorum ordine [1] constituerit: profecto in sua sapientia externum atque authenticum ejusmodi medium selegit, quo eadem jugiter conservaretur ac defenderetur. Atqui exclusis rejectisque ceteris mediis reliquum est, ut munus officiumque continendae ecclesiae Dei, quam acquisivit [2] sanguine suo, supremo cuidam episcopo traditum existimetur, qui eam summa auctoritate regeret. Sed is non est nisi romanus Petri successor.

Unitatis catholicae regimen singulare.

8. Vera regiminis ecclesiastici forma analogia fidei asseritur.

220. Corollarium III. Inde autem rursum apparet, institutam divinitus primatus oeconomiam ex fidei analogia [3] praeclare

---

tionem usque saeculi persistere non interrupta debeat; c) intensione summa, tum quia non interna modo, requirens concordiam fidei, spei, caritatis, verum externa quoque requirens unitatem professionis, sacramentorum, corporis, catholicaeque fraternitatis: tum quod expressa ad divinam unitatem, quae est simplicissima trium unitas, in qua multiplex ac trinum ita revocatur ad unum, ut unum in multiplici ac trino neque separetur neque dividatur. Porro d) qua necessitate ex Paulo corde credendum confitendumque ore est, eadem fidelibus omnibus et singulis necessaria est concordia interna et externa conspiratio. Jamvero e) nemo non intelligit, utramque unitatem hanc constantem citra miraculum juge obtineri non posse, nisi medium adsit externumque ὄργανον cujus vi eadem concilietur.

[1] Selectum a Christo externi ministerii ordinem fuisse cum ex aliis tum ex iis apparet quae Paulus docet Rom. X. 14 sqq. Cf. Car. Pass. de eccl. Christ. vol. II. de minist. eccles.

[2] Act. XX. 28.

[3] Nemo theologorum nescit, in fidei quam vocant analogia collocari proprium argumentorum theologicorum locum ac sedem. Colliguntur porro argumenta per instrumentum rationis sive probabiliter tantum sive certo inferentis. Analogia vero fidei eatenus fons est ac locus theologicus, ut ajunt, quatenus positis certis quibusdam christianae doctrinae capitibus, ope rationis exquiritur, quid cum illis aut probabiliter aut certo consertum sit. Potest autem cum illis aliquid esse consertum multipliciter, vel ut effectus cum causa vel ut consequens cum antecedente, vel ut particulare cum universali, vel ut hypothesis cum thesi, vel ut par aut simile cum pari similive, vel ut majus ut dicunt cum minori. Hinc patet 1) argumentationem ex analogia fidei non esse uniformem et uniusmodi sed variam atque multiplicem: 2) non esse mere humanam, sed spectato fundamento divinam esse, neque conjecturis inniti humanis, sed institutionibus factisque divinis: 3) dum adhibetur non praescribi a priori, quid facere Deus debuerit, sed a posteriori inferri quid convenienter, probabiliter, certove facere decreverit. Quare hujus argumentorum generis usu haud raro πολεμικῶς opportune occuritur

colligi non uti possibilem modo, sed uti convenientem, opportunam, immo vero etiam necessariam.

Vis analogiae fidei. Facies sectarum.

221. Quam quidem necessitatem I. earum facies sectarum, quae quo magis diutiusque a capite divinitus statuto recessere, eo amplius pleniusque in varias dissitasque ab invicem partes direptae conspiciuntur, mirifice confirmat. Sane consideretur quaeso reformantium quos vocant coetuum tum historice a facto tum causaliter a genèsi facies. Gerunt illae collective spectatae faciem societatis acephalae. Sed enim vero membra hujus societatis disjecta dixeris atque divisa. Una illa non est, nisi nomine tenus et unitate polemica negationis et oppositionis. Multiplex contra est [1] ac varia symbolis, ritibus sanctificantibus, administratione, disciplina, ipsaque ministerii forma. Atqui haec societatis facies ab illa plane abhorret imagine unitatis quam Christus in sua ecclesia voluit expressam. Hujus namque princeps typus unitas est universalis, quae universale exigit caput atque efficax unitatis principium. Hinc universali hoc excluso praeposito ipsae rerum naturae secum ferebant vel societatem aequalem simpliciter, vel aequalem quadamtenus, talem videlicet quae constaret non partibus membrisque subordinatis verum coetibus coordinatis. Sed inde aut singulorum aut coetuum prodibat libertas, eaque tam theoretica determinandi symboli, quam practica statuendi de ministerio et disciplina. Atqui his continetur principium efficax scissionum, varietatis, universalisque dissensionis. Necessitatem [2] ergo oeconomiae qua tam

---

exceptionibus oppositis revelatae doctrinae, apteque θετικῶς consulitur tum legibus humanae mentis tum scientiae ac intelligentiae profectui, tum etiam manifestationi explicationique aeternae sapientiae.

[1] Variam protestantium ac protestantismi faciem ob oculos posuerunt Bossuet. op. de variationib., Jörg. hist. protest. et Dölling. ecclesia et ecclesiae: quod tamen opus laudatum volumus, non quod postremam potissimum ejus partem commendandam censeamus, sed quod pars prior ad rem praeclara et accommodatissima suppeditat. Ubi opportune mihi haec accidit Hieremiae a Benettis in operis insignis de privileg. rom. Pont. praefatione p. XXI. ingenua animadversio: „Nec vero videri audax velim, si saepius in scriptores magni nominis insurrexero, atque mox hunc, mox illum tantosque viros exagitavero tantillus ego: adiecit animos caussa, ne ullum venia donarem, quem minus in Pontifices aequum deprehendissem, quorum honori vel cum aliorum dispendio consulere opinor culpa omnino carere.„

[2] Huc faciunt quae disserit Balmes de catholicism. et protestant. pp. 60 sqq. Ad eamdem porro formam protestantismi rediret oeconomia catholica, si verum foret quod l. de eccles. et polit. potest. ab initio statuit Ed-

singuli seorsum quam collecti in unum coetus supremo unitatis principio subjiciantur, probat vel ipsa facies coetus protestantium.

222. Quam illationem neque systemata theoretica neque practica media a protestantibus tuendae unitatis gratia excogitata, proposita atque invecta sive jure sive facto illegitimam reddunt. Nam suarum societatum unitati consultum ab illis reapse non fuit, atque consuli etiam nullatenus potest, vel *θεωρίᾳ* claritatis Scripturarum, vel *θεωρίᾳ* articulorum fundamentalium, vel *θεωρίᾳ* inspirationis privatae singulorum. Sed neque *πρακτικῶς* eidem unitati vel consultum reapse umquam fuit vel etiam consuli umquam potest sive per confessiones libere adoptatas, sive per colloquia transactionesque inter partes dissidentes, sive per leges praescriptionesque [1] a potestate civili profectas. Redit ergo facta superius illatio, ipsa protestantium coetuum facie necessitatem suaderi praepositi universalis. *Inefficacia unitatis media.*

223. Contra vero II. vel ipsa facies admirabilis illius unitatis, quae in ecclesia romano-catholica vi unius supremi capitis, romani inquam episcopi, jugiter conservata fuit et semper sibi similis usque floret, historice causaliterque considerata divinam institutionem atque originem oeconomiae illius luculenter commonstrat. Et re sane vera facies illius alia non est hodie quam fuit olim aetate Irenaei, a quo eadem insigni hac descriptione [2] menti oculisque *Facies romanae unitatis.*

---

mund. Richer. Christum fundando ecclesiam, prius immediatius atque essentialius claves sive iurisdictionem toti dedisse ecclesiae quam Petro: seu quod ad idem redit, claves toti contulit ecclesiae ut per unum ministerialiter exercerentur. Sed haec iam praeoccupans everterat Card. Bellarm. de rom. pont.

[1] Cf. de his Jörg. l. c.

[2] Con. haer. l. I. c. 10. n. 2. *Τοῦτο τὸ κήρυγμα παρειληφυῖα καὶ ταύτην τὴν πίστιν, ὡς προέφαμεν, ἡ ἐκκλησία καίπερ ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ διεσπαρμένη, ἐπιμελῶς φυλάσσει ὡς ἕνα οἶκον οἰκοῦσα· καὶ ὁμοίως πιστεύει τούτοις ὡς μίαν ψυχὴν καὶ τὴν αὐτὴν ἔχουσα καρδίαν καὶ συμφώνως ταῦτα κηρύσσει καὶ διδάσκει καὶ παραδίδωσιν, ὡς ἓν στόμα κεκτημένη· καὶ γὰρ αἱ κατὰ τὸν κόσμον διάλεκτοι ἀνόμοιαι, ἀλλ' ἡ δύναμις τῆς παραδόσεως μία καὶ αὐτή· καὶ οὔτε αἱ ἐν Γερμανίαις ἱδρυμέναι ἐκκλησίαι ἄλλως πεπιστεύκασιν ἢ ἄλλως παραδιδόασιν, οὔτε ἐν ταῖς Ἰβηρίαις, οὔτε ἐν Κελτοῖς, οὔτε κατὰ τὰς ἀνατολὰς, οὔτε ἐν Αἰγύπτῳ, οὔτε ἐν Λιβύῃ, οὔτε αἱ κατὰ μέσα τοῦ κόσμου ἱδρυμέναι· ἀλλ' ὥσπερ ὁ ἥλιος, τὸ κτίσμα τοῦ θεοῦ, ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ εἷς καὶ ὁ αὐτός· οὕτω καὶ τὸ κήρυγμα τῆς ἀληθείας πανταχῇ φαίνει καὶ φωτίζει πάντας ἀνθρώπους τοὺς βουλομένους εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν. καὶ οὔτε ὁ πάνυ δυνατὸς ἐν λόγῳ τῶν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις προεστώτων ἕτερα τούτων ἐρεῖ (οὐδεὶς γὰρ ὑπὲρ τὸν διδάσκαλον)*

objicitur: „Hanc praedicationem quum acceperit, et hanc fidem, quemadmodum praediximus, ecclesia, et quidem in universum mundum disseminata, diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans: et similiter credit iis, videlicet quasi unam animam habens, et unum cor, et consonanter haec praedicat, et docet et tradit, quasi unum possidens os. Nam etsi in mundo loquelae dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis una et eadem est. Et neque hae, quae in Germania sunt fundatae ecclesiae aliter credunt aut aliter tradunt; neque hae quae in Hibernia sunt, neque hae quae in Celtis, neque hae quae in Oriente, neque hae quae in Aegypto, neque hae quae in Lybia, neque hae quae in medio mundi constitutae: sed sicut sol, creatura Dei, in universo mundo unus et idem est; sic et lumen, praedicatio veritatis, ubique lucet, et illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire. Et neque is qui valde praevalet in sermone, ex iis qui praesunt ecclesiis, alia quam haec sunt, dicet: (nemo enim super magistrum est) neque infirmus in dicendo deminorabit traditionem. Quum enim [1] una et eadem fides sit, neque is qui multum de ea potest dicere, ampliat, neque is qui minus, deminorat.„ Atqui haec est facies unitatis quam usque [2] modo ecclesia gerit. Sed unde tanta intensivae simul atque extensivae non internae tantum sed apprime etiam externae socialisque illius unitatis efficiendae vis? Non aliunde quam ex illius potissimum administratione formaque

Principium unitatis externum.

οὔτε ὁ ἀσθενὴς ἐν τῷ λόγῳ ἐλαττώσει τὴν παράδοσιν. μιᾶς γὰρ καὶ τῆς αὐτῆς πίστεως οὔσης, οὔτε ὁ πολὺ περὶ αὐτῆς δυνάμενος εἰπεῖν ἐπλεόνασεν, οὔτε ὁ τὸ ὀλίγον ἠλαττόνησε.

[1] Hanc unitatem exaltant pariter Ignat. M. ep. ad Magnes. n. 7., Herm. past. l. III. sim. 9. n. 18., Tert. praescriptt. c. 20., Cypr. de unit. eccl., Optat. milev. c. Parmen., et reliqui continua serie veteres omnes, e quibus non pauca in medium deprompsimus.

Illius immutabilitas.

[2] Constantem hanc perpetuae identitatis faciem postulat ipsa ecclesiae ratio, quae Christi esse cessaret, simul ac aliam praeferre naturam videretur. Ad hanc porro *οὐσιωδῶς* pertinet regiminis forma, administrationis ratio: ut verbo dicam, pertinet primatus, a quo ecclesiae unitas eiusque facies prorsus dependet. Hinc quae perpetuitatem romani pontificatus probant, iis etiam immutabilitas probatur formae ecclesiastici regiminis, principiique externi ad ecclesiae unitatem conservandam. Concinne quidem ac breviter, sed scite sapienterque disputavit haec, qui deinceps ipse cathedram ascendens romanam romanae unitatis assertor gravissimus exstitit P. Maurus Cappellari de triumpho s. sedis et ecclesiae §§. 5 sqq. ubi ostendit, ecclesiae regimen sibi semper simile esse, immutabile, ad ipsamque societatis a Christo institutae naturam pertinere.

Maur. Cappellari (Gregorius XVI.)

regiminis. Quae quum per consertos gradus ad singularem pastorem revocetur, qui universalis pastor audiat et sit; fieri non potest, quin catholicae societati perfectissimae unitatis character imprimatur, quo verissime ut una domus, unum corpus unumque ovile dignoscatur.

224. Atvero pertenta jam denuo factum hoc exsistentis, permanentis jugiterque florentis unius summi pastoris ejusdemque primatus: et palam dicas quaeso, sit illud nec ne iis affectum instructumque adjunctis ac circumstantiis, quae causarum secun- *Adjuncta.* darum ordinem praetergressa principem ipsam causam requirant:

Contende I. vel exsistentiam ipsam tam exsortis plane auctoritatis quae uni prae omnibus inest, cum ingenio humano auctoritatis impatiente hinc, et inde cum iis quae inter homines libertatis studiosos communiter contigere et contingunt, latoque judicio edi- *Numen supremum.* cas, utrum vel probabile existimari possit, repetendam universalem illam obedientiam subjectionemque esse ab instituto aliquo [1] hominum?

Contende II. tum chronologicam illius praerogativae continuationem tum chorographicam ejusdem amplitudinem cum immutationibus continuis temporum aeque atque locorum.

Contende III. characterem universalem pastorum cum historicis eorum characteribus, in quos suam potestatem illi exercebant.

Praeterea IV. contende objectum non theoreticum modo sed et practicum, ad quod illorum jura atque officia referuntur, cum indeclinabilium judiciorum constantia, qua obortae quaestiones dirimebantur exsequutionique mandanda erant.

Insuper V. contende hinc inermem, apertam tamen candidamque supremi episcopi auctoritatem, et inde callidam [2] hostium internorum externorumque potentiam, qui in illius perniciem nihil non moliebantur.

---

[1] Sed ne ipsa quidem graduum inter alios episcopos distinctio e liberis eorumdem episcoporum pactis repeti generatim potest vel debet. Qua de re communi opera cum Car. Pass. tum Sod. e. S. J. scripsimus vol. II. c. 28. p. 339 adnot. 34. de eccles. Christi.

[2] Est porro hostis declaratus minus timendus, ita Nazianzenus or. XXXII. *Nazianzenus.* coram 150. episcopis habita: *Τὸ γὰρ προδήλως ἐχθρὸν εὐφύλακτον· οἱ δὲ τὰ νῶτα τηροῦσι, καὶ μᾶλλόν εἰσι λυπηροί. τὸ γὰρ ἀνύποπτον, καιριώτερον.*

Et tandem VI. contende cum tot tantisque undique natis difficultatibus atque obstaculis successus ingentes ac incrementa maxima quibus aucta prima illa sedes jugiter fuit: et fateberis profecto, vitale argui principium terrestri prorsus altius, foecunditatemque aperiri quae humanis causis omnibus immensum major exsistat.

Principium coeleste internum.

9. Romanae unitatis moderator μόναρχος.

Infertur.

225. Corollarium V. Revocata catholicae unitatis tutela ad unum supremum pastorem, non alia [1] ejusdem gubernatio prodit quam quae monarchica dicitur.

10. Praeter unitatem romanam nulla ecclesia vere una.

226. Corollarium VI. Excepta solà romana ecclesia reliquae omnes christiani nominis societates μοναρχίᾳ moderatoris, unitate cathedrae destituuntur. Hanc porro Christus in sua ecclesia ad unitatem manifestandam continendamque voluit. „Hinc institutio solemnitatis cathedrae s. Petri [2] a senioribus nostris cathedrae nomen accepit, ideo quod primus Apostolorum Petrus hodie episcopatus cathedram suscepisse referatur. Recte ergo ecclesiae natalem sedis illius colunt, quam Apostolus pro ecclesiarum salute suscepit dicente [3] Domino, Tu es Petrus, et super hanc petram

Solemnitas cathedrae.

Pseudo-Augustinus.

---

[1] Cf. hac de re plura non inutilia disserentes Nicol. Mar. Pallavicin. in op. cui titulus „difesa del pontificato romano„ tum Cardinalem Orsi de rom. Pontif. l. VII. nec non Michael. Maucler. de monarchia divina, ecclesiastica, saeculari, Henning. Arnisae. de republica, atque Em. Schelstrate antiq. illustr. p. I. diss. 3. c. 3. qui regimen ecclesiae monarchicum cum aristocratico mixtum esse probat, idque uno alterove ex iis veterum testimoniis conficit, quorum seriem longam dedimus, ut ecclesiam multorum episcoporum ab uno supremo capite pendentium curae commissam ostenderemus. E quibus apparet, sententiam illius a nostra haudquaquam distare. Sed cum iis quoque omnibus cohaeremus, quae contra Tamburinium P. Maurus Cappellari, qui deinceps sedem romanam nomine Gregorii XVI. cohonestavit, decretoriis argumentis statuit in laudato opere de triumpho s. sedis et ecclesiae §§. 25 sqq.

Maur. Cappellari.

[2] Ita auctor s. CXC. opp. Aug. t. V. append. p. 318. n. 1. Referunt haec eadem Bollandiani ad d. XXIX. Jun. t. V. Jun. p. 459 atque inde ab aetate s. Augustini festum cathedrae in Africa prius ignotum ex mediolanensi ecclesia traductum fuisse inferunt. Sed illos ipsos l. c. consuluisse praestat, quum totum de cathedrae festivitate argumentum diligenter pertractent, allatisque monumentorum testimoniis commonstrent, cathedram Petri apostolicam esse totius ecclesiae cathedram.

Abusus.

[3] Verbum hoc, quod efficax fuit, ut Simon in Petrum converteretur, idem

aedificabo ecclesiam meam." Sed aeque praeclara certe sunt, quae in sacramentario ambrosiano [1] de eadem celebratione cathedrae leguntur: „Omnipotens aeterne Deus, et te laudare mirabilem Deum in sanctis tuis, in quibus glorificatus es vehementer, per quos Unigeniti tui sacrum corpus exornas, et in quibus ecclesiae tuae fundamenta constituis, quam in Patriarchis fundasti, in Prophetis praeparasti, in Apostolis condidisti: ex quibus b. Petrum Apostolorum principem, ob confessionem unigeniti Filii tui, per os eiusdem Verbi tui vocatum in apostolatum et mutato nomine confirmatum in fundamento domus tuae, coelestium claustrorum praesidem custodemque fecisti: pro cuius honore et gloria hodie haec Maiestati tuae festa persolvimus et gratiarum hostiam immolamus, per Christum etc." Tum haec [2] ex Missali gallo-gothico: „Deus qui hodierna die b. Petrum post te dedisti caput ecclesiae; quum te ille vere confessus sit, et ipse a te digne praelatus sit, supplices exoramus, ut qui dedisti Pastorem, ne quid de ovibus perderet, ut grex effugiat errores, eius intercessione quem perfecisti salvifices." Et ibidem in Praefatione: „Testis est dies hodierna, b. Petri cathedra episcopatus exposita, in qua fidei merito revelationis mysterium filium Dei confitendo, praelatus Apostolus ordinatur: in cuius confessione est fundamentum ecclesiae, nec adversus hanc petram portae inferi praevalent, nec serpens vestigium exprimit, nec triumphum mors obtinet." Hac igitur petra et hoc fundamento destituuntur praeter romanam reliquae ecclesiae *Liturgia.* omnes. Nequeunt ergo veram habere unitatem, quam Christus in sua ecclesia voluit atque instituit.

11. Praeter unitatem romanam nulla ecclesia vere sancta.

227. Corollarium VII. Sola romana unitas est ecclesia promissionum, ipsa sola regitur a vicario Salvatoris, ipsa sola pendet a coelorum clavigero, sola ipsa a supremo dispensatore gratiarum Dei summoque administratore divitiarum, quas in suos effundere Altissimus decrevit, ipsa sola cum illo cohaeret, per quem

---

efficax manet, ne Petrus umquam sive in Simonem, sive quod funestius etiam foret in Judam proditorem relabatur atque deficiat. Nihil ergo pusillis ab excessu timendum in quem tantae potestatis Petro collatae usus demigrare posset.

[1] Vide Bollandian. l. c.

[2] Ibidem.

uti per caput visibile ab invisibili capite Christo coelestes benedictiones in totum corpus defluunt, sola tandem est, quam potente sua virtute mirabiliter Dominus tuetur ac servat.

12. Romanae unitatis pastor apostolicus.

Infertur. 228. Corollarium VIII. Supremus pastor ad quem unum catholicae unitatis tutela revocatur, Petri est in apostolica ejus praerogativa successor: idem ergo est tam nomine quam re gubernator et rector ecclesiae apostolicus, ejusque particularis fixaque sedes pariter re ac nomine apostolica est. Sed ille romanus est praesul et haec est sedes romana. Est ergo romanus praesul apostolicus et romana sedes apostolica est, et tota inde velut ex capite pendens ecclesia apostolica exsistit.

13. Praeter romanam unitatem nulla ecclesia catholica.

Infertur. 229. Corollarium IX. Quemadmodum gubernatio catholicae ecclesiae spectata forma monarchica est, ita spectato subjecto cui gubernandi inest potestas romana est. Quae ergo communio non est monarchica neque romana, eadem non est [1] ecclesia catholica.

14. Praeter romanam unitatem nulla ecclesia apostolica.

Infertur. 230. Corollarium X. Sedes nulla praeter romanam apostolicos habet successores et solus antistes romanus plenam [2] apostolicam quae Petri erat principis Apostolorum potestatem successione [3] nanciscitur: nulla ergo ecclesia a romana unitate avulsa

---

[1] Hinc Georg. trapezunt. instituta demonstratione de una, sancta, catholica ecclesia, quae sit romana concludit: *ὅστις ἄρα οὐχ ἕπεται τῇ τῆς Ῥώμης ἐκκλεσίᾳ ἐξώκισται τῆς μίας, ἁγίας, καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας τῷ ἀναθέματι ὑποπεσών.*

[2] Episcopi pastoresque particulares licet dici possint ac vero etiam dicantur Apostolorum successores, non succedunt tamen illis sive in plenitudine apostolicarum omnium dotum (puta infallibilitatis) sive plenae apostolicae potestatis qualis regimine universali continetur. Vide Muzzarelli. opusc. t. 21.

Potestas Petri ordinaria. [3] Hinc intelligitur recepta apud theologos distinctio, fuisse in Petro potestatem universalem ordinariam; in aliis contra Apostolis fuisse extraordinariam. Reliqui enim Apostoli fundarunt quidem et rexerunt ecclesias particulares: non fuit tamen inter Apostolos nisi unus Petrus, cui episcopus jure divino succedit plena universalique ipsius potestate insignis. Inde autem discrimen manifesto patet quod inter successorem Petri aliorumque Apostolorum successores intercedit, quodque eo spectat, ut illi Apostolis

proprie ac presse pleniorique sensu [1] est dicique apostolica potest: at vero romani antistitis vi romana unitas verissime est plenissimoque jure vocari apostolica debet.

15. Verae ecclesiae notae apud romanam unitatem.

231. Corollarium XI. Quamdiu ergo necesse est, ut ecclesia Dei quae una, sancta, catholica et apostolica est, ab invisibili capite Christo christiana dicatur et sit: tamdiu necesse est, ut eadem illa a visibili capite [2] romano praesule sit ac nominetur romana. Haec est institutae apostolicae ecclesiae facies atque imago, quam sua sibi forma constare in ecclesia eo usque Christus voluit, quousque ex ejusdem voluntate ecclesia ipsa persistet: et quaecunque communiones ab illa forma deflectunt ac deficiunt, eae apostolicam ecclesiam non continuant, etiamsi sedes haberent, quae Apostolo cuidam, secus ac constantinopolitanae contigit [3], suas origines deberent. *Infertur.*

---

succederent in episcopatu dumtaxat, ille vero succederet in episcopatu simul atque in plenitudine apostolatus. De his dignus est qui consulatur Gretser. in defens. Rob. Bellarm. t. VIII. p. 674.

[1] Insignis est Tertulliani de praescriptt. c. XX. doctrina qua ad rationem ecclesiae apostolicae duo requirit tum fidem apostolicam tum apostolicam fundationem cum successione nunquam abrupta. Quum vero apostolica fides ab ecclesiis quae immediate ab Apostolis fundatae fuerunt aliis communicata fuerit, hinc istae ex illis mediate etiam fideque spectata apostolicae sunt et dicuntur. At plenitudo totius apostolicae dignitatis citra Petrum adeoque citra communionem cum Petri sede non habetur. Quae ergo sejunctae ab illa sunt societates in communionem nominis apostolicae ecclesiae vel nullatenus veniunt vel non presse ac proprie, non plene atque perfecte. De his egregia habet Muzzarelli opusc. de secta dominante nn. 15 sqq.

[2] Futilia esse quae protestantes attulerunt, ut ostenderent, ab invisibili capite excludi caput visibile atque vicarium conspicuum commonstrat C. Pass. de praerog. b. Petr. l. I. c. 25. nn. 330 sqq. Iisdem vero convelluntur pariter quae ad idem tuendum commentum allegat Macar. vinnic. l. c. §. 176. pp. 271 sqq. Luculentam hac de re disputationem dedit *τοῖς ἐν Κρήτῃ θείοις ἀνδράσι ἱερομονάχοις τε καὶ ἱερεῦσι Γεώργιος Τραπεζούντιος* ap. Leo. Allat. t. I. pp. 536 sqq.

[3] Macarius vinnic. ep. l. c. §. 181. p. 287 inter sedes ab Apostolis fundatas refert etiam constantinopolitanam: aperto videlicet anachronismo. Ceterum de variis per orbem non citra curam operamque Petri fundatis ecclesiis egregie disserit Bonizo ep. sutrin. ap. Mai N. PP. Bib. t. VII. p. III. pp. 29 sqq. ad quae tamen em. editoris adnotatio p. 33. adiecta sapienter.

16. Sola romana unitas salutifera.

232. Corollarium XII. Sola romana unitas genuina est institutae divinitus ecclesiae continuatio, adeoque ex omnibus coetibus sola [1] quae vera sit Christi ecclesia. Sed ecclesia Christi vera eadem est sola salutifera. „Hanc igitur solam, ita Maximus [2] taurinensis episcopus, ecclesiae navem ascendit Dominus, in qua Petrus magister est constitutus dicente [3] Domino: Super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Quae navis in altum saeculi hujus ita natat, ut pereunte mundo omnes quos suscipit servet illaesos. Cujus figuram jam in veteri videmus testamento: sicut enim Noë arca, naufragante mundo cunctos quos susceperat incolumes reservavit; ita et Petri ecclesia conflagrante saeculo omnes quos amplectitur repraesentabit illaesos, et sicut tunc transacto diluvio ad arcam Noë columba signum pacis detulit; ita et transacto judicio ad ecclesiam Petri Christus pacis gaudium defert.„ Sed utinam refloresceret etiam ante illud judicium pax atque ecclesiae unitas! Sed quaenam causa tempestatis ac turbae? Respondet [4] idem Maximus: „Haec est autem causa periculi: erat ibi Simon Petrus, sed erat pariter et proditor Judas. Quamvis enim illius fides fundaret naviculam, hujus tamen eam perfidia conturbabat. Tranquillitas est, ubi solus Petrus navigat, tempestas ubi Judas adjungitur.„

Maximus taurinensis.

233. Absit ergo perfidia neque quae est Gelasii pontificis ad-

Gelasius.

---

[1] Ita diserte Georgius trapezuntius de una, sancta, catholica ecclesia ap. Leo. Allat. t. I. p. 550 quaestioni quaenam illa sit? respondet: *„Δῆλον ὅτι ἡ τῆς Ῥώμης. Καὶ πόθεν εἴποι τις ἂν τοῦτο γενήσεται τοῖς ζητοῦσι φάνερον; Πρῶτον μὲν ὅτι αὐτὸς ὁ Χριστὸς τῷ Πέτρῳ ἐξόχως τὰς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν ἐχαρίσατο κλεῖς, Σὺ εἶ Πέτρος... Ὅτι δὲ περὶ τῆς ῥωμαϊκῆς ἐκκλησίας ταῦτα εἴρηται τῷ σωτῆρι, δῆλον, μόνης γὰρ ταύτης οὐ κατισχύσουσιν τῇ τοῦ Χριστοῦ χάριτι αἱ πύλαι τοῦ ᾅδου, αἱ μοχθηραὶ τῶν αἱρετικῶν γλῶσσαι, αἱ λαλήσασαι εἰς τὸ τοῦ Θεοῦ ὕψος ἀδικίαν*: planum est esse Romanam. Et undenam dicet nescio quis, perquirentibus id fuerit manifestum? Primum quidem quod Christus ipse Petro prae reliquis aliis regni coelestis claves elargitus est, tu es Petrus dicens... De ecclesia vero romana haec pronuntiata esse a servatore hinc patet, quod adversus eam Christi gratia non praevalebunt portae inferi, improbae haereticorum linguae, quae obloquutae sunt in divinam maiestatem iniustitiam.

Georg. trapezunt.

[2] Maxim. taurin. s. CXIV. p. 642.

[3] Matth. XVI. 18.

[4] Ibid.

monitio [1], contingat, ut in consuetudinem antiquam corruptus ordo sive irrepat sive inductus persistat. „Si autem, pergit, hoc sacrilegum est etiam cogitare, cur non cum diligentissima observatione teneatur haec sola forma majorum, cum sit in hoc observationis tenore ineffabilis indubitataeque unitatis evidens et grande mysterium? An duae sunt ecclesiae et duo pastores? Absit. Unus est enim qui fecit utraque unum, tollens de medio inimicitiarum parietem in corpore suo. Cur ergo per Petri et Acacii nomina rursus inimica sepis intexitur, quam semel Christi crux, mors et sanguis destruxit et solvit et evertit? Non ergo dividat eos interpositum Petri et Acacii nomen, quos tanti mediatoris pretiosus sanguis univit. Postremo aequum est, ut qui alios libenter et competenter vultis subjectos, cedatis et ipsi antiquo more majoribus, ut confidenter imperare possitis minoribus vestris. Duodecim certe fuere Apostoli, paribus meritis parique dignitate suffulti: cumque omnes aequaliter spiritali luce fulgerent, unum tamen principem esse ex illis voluit Christus, eumque dispensatione mirabili in dominam gentium Romam direxit, ut in praecipua urbe vel prima primum et praecipuum dirigeret Petrum. Ibique sicut doctrinae virtute sublimis emicuit, ita sanguinis gloriosa effusione decoratus, aeterno hospitio conquiescit, praestans sedi quam ipse benedixit, ut a portis inferi numquam pro Domini promissione vincatur, omniumque sit fluctuantium tutissimus portus. In quo qui requieverit, beata et aeterna statione gaudebit: qui vero contemserit, ipse videbit qualia genera excusationum in die obtendat judicii. Me enim credo, spero, confido in Christo, quod ab ejus caritate [2] nec tribulatio, nec angustia, nec gladius, nec persequutio, nec vita nec mors unquam poterit separare. Incumbat persequutio, saeviant leges: militi Christi gloriosius [3] est mori quam vinci: fraudari praesentium commodis melius quam carere futuris.„

234. Faxit Deus, ut verbum hoc alte impressum cordi sit omnium, qui Petri nave vehuntur; quicunque vero quorumcunque ventorum turbinumque flatu ac impetu abrepti fluctuantium instar

---

[1] Adv. graec. c. IX. ap. Galland. t. X. p. 677.

[2] Rom. VIII. 37.

[3] Hanc cogitandi agendique rationem tenuisse olim in oriente plurimos, exponit oratione disertissima ad Cretenses habita Maximus Chrysoberga ap. Leo. Allat. Graec. orth. t. II. pp. 1076 sq. ubi origines progressionesque schismatis orientalis enarrat. *Maxim Chrysoberg.*

vagentur, ad tutissimum illum salutis portum mente pacata seda-
Alexius imp. toque animorum aestu redeant, Alexii illud [1] imperatoris constantinopolitani pro sua quique ratione repetentes, ita scribentis ad Innocentii „beatitudinem, quae ejus locum in terris (en vicarium Christi in terris Alexius habet romanum episcopum) noscitur obtinere, in cujus manibus sunt omnium potestates et omnium jura regnorum... Promissione spontanea sub jurisjurandi religione christiana sumus devotione polliciti, totius christianitatis ecclesiasticum caput, romanum videlicet pontificem, Apostolorum principis Petri catholicum successorem, nos humiliter agnituros, et ad hoc ipsum orientalem ecclesiam pro viribus inducturos, si debitum nobis divina miseratio restituisset imperium, intelligentes profecto, quod accedere debeat plurimum honoris et utilitatis imperio et nomini nostro decus aeternum, si tunica Domini inconsutilis suam nostris temporibus et operibus recipiat unitatem. Et hoc quidem, ut dictum est, tam peregrinis vestris sub juramento promisimus, quam paternitati vestrae exhibere plenius praeoptamus, omnem vobis et successoribus vestris canonice substituendis devotionem per praesentes litteras promittentes, quam antecessores nostri, imperatores catholici, praedecessoribus vestris, Patribus orthodoxis, romanis pontificibus, antiquitus exhibuisse noscuntur; illud pariter promittentes quod opportunitate nobis a Domino praestita salutari, ad idem orientalem ecclesiam tam prudenter inclinabimus, quam potenter; super quo prudentiae vestrae consilio desideramus inniti."

Digna vere christiano sapientique imperatore mens atque consilium! Quo si imbuerentur omnes universim et nominatim potestate auctoritateque insignes, renovaretur profecto ingens illud coelestium terrestriumque gaudium, quo repletus fidelium caput
Eugenius IV. et os Eugenius IV. in ea verba [2] erupit: „Laetentur coeli et exultet terra!"

Parergon.

Character veritatis stabilitae.

235. Quum summa illius doctrinae quam de summo universalis ecclesiae praeposito fides catholica tenendam praefinit, ad

---

[1] Inter epp. Innoc. III. ep. CCX. Quibus conferri merentur quae de unione ineunda disputavit Theorianus ap. Mai scriptt. vett. t. VI. pp. 387 sqq.
[2] Conc. florent. definit. ap. Hard. t. IX. p. 589.

duo capitum fastigia explicata superius revocetur, ad supremam plenioremque rei totius explanationem facere haec quaestio videtur una ne eademque sit utriusque capitis ratio ac indoles, an distincta potius et diversa?

236. Ac principio quidem perspicuum est, id convenire utrique capiti, ut inter fidei computetur articulos. Articuli fidei sunt quia ab authentico magisterio declarati propositique fuerunt, declaratum autem fuit, credenda illa esse quia revelata sunt; ideo porro cognoscuntur, quia innotuerunt revelatione superna, quae nisi mentis oculos collustrasset, numquam homines in eam sententiam descendissent, vel universalem admittendum esse praepositum, vel hanc dignitatem illi deferendam qui Petro in romana cathedra legitime succederet. Talia enim haec sunt, quae cum nativo rerum idearumque ordine ex se non cohaerent, sed hunc praetergressa supernaturali ordine comprehenduntur. *Articuli revelati.*

237. Nihilominus si semel de eorumdem revelatione constiterit, nihil complectuntur, quod notitiis propriis non praecipiatur, nihil quod congenitae mentis potentiae ac virtuti non attemperetur, nihil uno verbo quod ea superet quae rationis vi accomodata censentur. An forte vim excedit rationis propria universalis moderatoris notitia? An limites mentis praescriptos transgreditur, quod is qui Petro in romano episcopatu rite sufficitur ejusdem oeconomicam auctoritatem adipiscatur? Immo sunt haec intelligentiae pervia et prope dixerim cognata, et licet intelligendo a nobis non possent anticipari et a priori, ut ajunt, animo praecipi: praedicata tamen semel ac revelata divinitus apprime intelliguntur. *Articuli praeterrationales.*

238. Quamquam vero utrique capiti commune sit, ut inter mysteria, quaeque simpliciter superrationalia sunt, referri non debeant, sed inter praeterrationalia [1] apte recenseantur, haud tamen consequitur, nullo ea discrimine ab invicem differre. Quonam vero? Aperiam brevissime.

Hoc interest inter utrumque caput, quod primum cum certis exploratisque christianae revelationis articulis totoque doctrinarum συστήματι ac corpore ita ex sese aptum nexumque est, ut inde *1. Articulus cum analogia fidei consertus.*

---

[1] Cf. quae de his statuimus thes. theol. de habit. scient. inter ac fid. c. III. §. 11. thesi XIX.

validissime deducatur, neque sejungi ab eo possit, quin vacillare, fluere, dissipari omnia videantur.

2. *Articulus ab analogia fidei alienus.*

239. Alterum contra ejusmodi est, quod ad corpus atque systema quidem revelationis christianae pertinet, verum non ita illud ex sese pervadit ac penetrat, neque cum reliquis partibus ita ex sese vincitur atque cohaeret, ut vel ex iis argui necessario possit et debeat, vel consistere illae absque eo absolute nequeant. Sane systema veritatis a Christo revelatum requirit necessario et ex sese generatim primatus vim: sed ut nominatim Petrus primatum gerere debuerit non exigit, neque rursum exigit, ut idem primatus romanae cathedrae adnexus in eos propagetur omnes, qui ad eamdem uti par est eligerentur. Haec speciatim revelata esse praeclare evinces, sed haec ex sese juncta copulataque esse cum tota revelationis compage non probabis.

3. *Discrimen tractationis.*

240. Sed hinc [1] tractationis discrimen assequimur, qua primum et qua alterum caput exponi, asseri vindicarique conveniat. Ut quod posterius est enarres apteque confirmes, velis nolis ad instrumenta et testes te convertas oportet. Emolumentum nullum ex analogia fidei sive christianae revelationis, nullum ex nexu et partium cohaesione, quibus *τὸ σύστημα* christianae doctrinae coalescit, polliceri tibi poteris: individua illa ac personalia sunt, de quorum exsistentia a priori vel ex genericis ac specificis, ut loqui mos est, rationum momentis non constat, sed a posteriori, historicis ac positivis sive testibus sive tabulis monumentisque comprobari unice possunt. Sed fons iste rationalibus rerum tractatoribus plerumque gratissimus, qui quod ad caput posterius attinet obsignatus apparet, resignatur illico, si manum ad primum admoveris, ac ita fluit atque aquis abundat, ut copia potius et satietate fatigeris, quam inopia et egestate labores.

---

[1] De his videsis rursum quae l. c. statuimus in thes. theol.

INDEX.

CAPUT III.

De romanae unitatis principio.

CAPUT IV.

De romanae unitatis oeconomia.

Scribe:

Pag. 4. Qui, inquit, loco Qui inquit.
„ 9. in adnotatione: *εἶναι* loco *ειναι.*
„ 14. adnotat. 5. suppeditatem. loco suppeditatim.
„ 18. n. 23. loco n. 22. et ita porro numeri agendi.
„ 47. ad marginem: civilis loco civiles.

CLEMENTIS SCHRADER S. J.

DE

UNITATE ROMANA

COMMENTARIUS.

LIBER II. πραγματικός.



VINDOBONAE.
SUMPTIBUS MAYER & SOC.
MDCCCLXVI.

DILECTO FILIO RELIGIOSO VIRO

CLEMENTI SCHRADER,

PRESBYTERO SOCIETATIS JESU

VINDOBONAM.

PIUS PP. IX.

Dilecte Fili Religiose Vir salutem et Apostolicam Benedictionem. Cum pietas egregia, et doctrina Tua multis argumentis Nobis perspecta fuerit, summa cum benevolentia excepimus obsequium literarum Tuarum, opusque a Te confectum, editumque **de unitate Romanae Ecclesiae.** Licet vero propter multiplices curas, quibus distinemur, illius lectioni vacare, prout optaremus, nequeamus, consilium tamen Tuum mirifice commendamus non dubitantes, quin pro religione, et prudentia Tua, spectata maxime ratione temporum, thema propositum graviter, et concinne explicaveris. Iis enim praesidiis Te instructum novimus, ea te pollere acie ingenii comperimus, qua digne possis tueri causam, quam suscepisti, et Sedis Apostolicae auctoritatem ab impiis osorum Ejus conatibus vindicare. Te itaque hortamur, ut alacriter pergas in incoepto itinere: non enim modice de universa Ecclesia mereberis, si illius Caput strenue propugnaveris, non minus apertis hostium viribus, quam nefariis amicitiam simulantium insidiis impetitum. Interim in signum Pontificiae charitatis Nostrae Apostolicam Benedictionem, quam postulas, Tibi, Dilecte Fili Religiose Vir, laboribusque Tuis amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die 13. Decembris 1862.

Pontificatus Nostri Anno XVII.

Pius PP. IX.

PROLOGUS.

1. Iacto fundamento ductisque superiori libro principalibus lineis, quibus essentia ac natura, species ac forma unitatis, quae iure et merito vocatur romana[1]), innititur, describitur, definitur: pronum est, ad contemplandam propinquius accedere nativam eius explicationem, rationem et viam qua se movet ac proficit, organa per quae genuine semet exserit et operatur: ipsam nimirum vitam eius socialem ac veluti organicam, vires eius et nervos, artus et membra, iuncturas et nodos; tum etiam necessaria vitae suae praesidia, et exsistentiae suae conditiones normales, quibus in tanto temporum continuo fluxu tantaque mutabilium rerum inconstantia semper sibi ipsa similis manet, inmutata consistit, illius perspicue corpus repraesentans, qui[2]) est „Jesus Christus heri et hodie: ipse et in saecula„; qui[3]) ut „est caput omnis principatus et potestatis„: ita eius „regnum[4]) immobile„ est regnum gratiae, veritatis et iustitiae. *Propositum declaratur.*

2. Porro universa illa, quae ad vitam romanae unitatis referuntur ac faciunt, eo duximus maiori diligentia et sollicitudine perquirenda et exponenda, quod ad stabiliendum propagandumque mendacii et iniquitatis regnum adversarius[5]) Dei et hominum multo quam in contemplativa illius principia directius in *Rationes illius ac gravitas.*

---

[1]) Vide lib. sup. c. I. nn. II. sqq. pp. 4. sqq. et hoc ipso lib. passim.

[2]) Hebr. XIII. 8. Ἰησοῦς Χριστὸς χθὲς καὶ σήμερον ὁ αὐτὸς, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας.

[3]) Coloss. II. 10. Ὅς ἐστιν ἡ κεφαλὴ πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας.

[4]) Hebr. XII. 28. Διὸ βασιλείαν ἀσάλευτον παραλαμβάνοντες ἔχωμεν χάριν.

[5]) Cf. prolog. ad. lib. sup.

Ephes. II. activam ipsam eiusdem vitam facere vim idque consectari maxime satagat, ut vitam inducat inter homines, quasi forent [1]) uti „aliquando gentes in carne„ qui erant „illo in tempore sine Christo, alienati a conversatione Israel, et hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo„ : scilicet ut morem inducat vivendi contrarium illique prorsus oppositum, qui decet omnes „per Christum habentes accessum in uno Spiritu ad Patrem, qui iam non sunt hospites et advenae; sed, inquit [2]) Paulus, estis cives sanctorum, et domestici Dei: superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu: in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo et vos coaedificamini in habitaculum Dei in Spiritu„. Aedificatio vero haec non est alia ab ecclesia, quam aedificavit Christus Filius [3]) Dei vivi supra Petrum, qui Romae positus fuit et manet, quaeque adeo est ac dicitur ipsa unitas romana.

II. Thessal. II. 3. Huius itaque rationi vivendi, quae in Spiritu et ex Spiritu ducenda tota sit, hostilem fovet et adversam apud hominum *Rom. VIII.* familiam „homo peccati [4]) filius perditionis„ promovet vitam, quae carnis tota sit, et „secundum prudentiam [5]) carnis, quae inimica *Spiritus et carnis prudentia.* est Deo: legi enim Dei non est subiecta: nec enim potest.„ Sed propterea, ad divinam excludendam ab hominibus vitam, id agit iste et molitur, ut lege nulla regatur, sed regnet ipsa caro; adeoque lege vitae et pacis, quae est obedientiae ac subiectionis, remota, contrariam prorsus illi legem vitae actionisque hominum,

---

Homines sine Christo et athei. [1]) Eph. II. 11. 12. *Ὅτι ὑμεῖς ποτὲ τὰ ἔθνη ἐν σαρκὶ . , . ὅτι ἦτε ἐν τῳ καιρῷ ἐκείνῳ χωρὶς Χριστοῦ, ἀπηλλωτριωμένοι τῆς πολιτείας τοῦ Ἰσραὴλ, καὶ ξένοι τῶν διαθηκῶν, τῆς ἐπαγγελίας ἐλπίδα μὴ ἔχοντες, καὶ ἄθεοι ἐν τῷ κόσμῳ.*

[2]) Ephes. II. 18. sqq. *Δι' αὐτοῦ ἔχομεν τὴν προσαγωγὴν οἱ ἀμφότεροι ἐν ἑνὶ πνεύματι πρὸς τὸν πατέρα. Ἆρα οὖν οὐκέτι ἐστὲ ξένοι καὶ πάροικοι, ἀλλὰ συμπολῖται τῶν ἁγίων καὶ οἰκεῖοι τοῦ θεοῦ, ἐποικοδομηθέντες ἐπὶ τῷ θεμελίῳ τῶν ἀποστόλων καὶ προφητῶν, ὄντος ἀκρογωνιαίου αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐν ᾧ πᾶσα οἰκοδομὴ συναρμολογουμένη αὔξει εἰς ναὸν ἅγιον ἐν κυρίῳ· ἐν ᾧ καὶ ὑμεῖς συνοικοδομεῖσθε εἰς κατοικητήριον τοῦ θεοῦ ἐν πνεύματι.*

[3]) Matth. XVI. 16. sqq. de quo cf. lib. I.

[4]) II. Thessal. II. 3. *Ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, ὁ ἀντικείμενος.*

[5]) Rom. VIII. 5. sq. *Οἱ γὰρ κατὰ σάρκα ὄντες, τὰ τῆς σαρκὸς φρονοῦσιν. οἱ δὲ κατὰ πνεῦμα τὰ τοῦ πνεύματος. Τὸ γὰρ φρόνημα τῆς σαρκὸς, θάνατος . . . Διότι τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς ἔχθρα εἰς θεόν· τῷ γὰρ νόμῳ τοῦ θεοῦ οὐχ ὑποτάσσεται, οὐδὲ γὰρ δύναται,*

id est voluntatem carnis, constituit, ipsum, inquam, rebellionis principium. Dum enim prior illa cum natura dependente obnoxias habeat huius potentias et potentiarum actiones, ita ut quod fit et agitur ad id exigendum sit, quod iure faciendum et agendum est, atque *τὸ πρακτικὸν* mensuram *ἀπὸ τοῦ πρακτέον* accipiat: e contrario, malignus iste, *ὁ πονηρὸς* [1]) id ipsum, quod actu per homines fit, quodque in variis ordinibus agitur, instar regulae facit *τοῦ πρακτέον*, eius scilicet quod fieri debet, quod ius est et ipsa hominum summa lex. Quo nihil perniciosum magis ac perversum; quum id unius Dei proprium sit, qui quod dixit et fecit, est veritas ac iustitia.

Novus perversitatis ordo.

4. Eo porro spectat novum ius, quo non quod fas est, sed quod facto consummatum est, veluti iustum habetur: eo nova morum norma, qua non quod supremus legislator praecipit, sed quod naturae placet ac insita propensione concupiscentia perficit iudicatur honestum ac legitimum: eodem nova auctoritas, qua non quod divina una maiestas et sublimior [2]) quae a Deo ordinata est potestas vult, sed quod publica quadam conspiratione manifestatur et edicitur, in publicis rebus sequendum inponitur: eodem nova scientia, qua non quod statis veritatis normis ex certis verorum fontibus percipitur, sed quidquid ab humana inbecillitate excogitatum producitur in medium, id aequo iure salubribus humanae mentis profectibus scientiarumque orbi ac gyro accensetur: et eo tandem ipsa nova quam fabulantur religio, qua non quod dictatur lumine rationis et revelationis lumine docemur, sed quidquid lubet, idipsum conscientiae, quam vocant, religiosae licere profitendumque iubent. Vere „magistri mendaces, inquit [3]) vaticinando princeps Apostolorum, qui introducent sectas perditionis, et eum, qui emit eos, Dominum negant: superducentes sibi celerem perditionem. Et multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur: et in avaritia fictis verbis de vobis *II. Pet. II.*

[1]) Matth. XIII. 19. coll. Eph. VI. 16. II. Thess. III. 3. I. Joan. II. 13. sqq. Isto duce „mutaverunt ius, dissipaverunt foedus sempiternum.„ *Is. XXIV. 5.*

[2]) Rom. XIII. 1.

[3]) II. Pet. II. 1. sqq. *Καὶ ἐν ὑμῖν ἔσονται ψευδοδιδάσκαλοι, οἵτινες παρεισάξουσιν αἱρέσεις, ἀπωλείας, καὶ τὸν ἀγοράσαντα αὐτοὺς δεσπότην ἀρνούμενοι, ἐπάγοντες ἑαυτοῖς ταχινὴν ἀπώλειαν· καὶ πολλοὶ ἐξακολουθήσουσιν αὐτῶν ταῖς ἀσελγείαις, δι᾽ οὓς ἡ ὁδὸς τῆς ἀληθείας βλασφημηθήσεται· καὶ ἐν πλεονεξίᾳ πλαστοῖς λόγοις ὑμᾶς ἐμπορεύσονται· οἷς τὸ κρίμα ἔκπαλαι οὐκ ἀργεῖ, καὶ ἡ ἀπώλεια αὐτῶν οὐ νυστάζει.*

negotiabuntur: quibus iudicium iam olim non cessat: et perditio eorum non dormitat."

Mali origo. 5. Quae quidem uti plenissima veritate deprehenduntur iam expleta, quod ad ream emptoris nostri Domini negationem spectat: ita non tardat perditio atque ruina; quae profecto postquam "mysterium [1]) iniquitatis" per tot saecula usque adhuc operatum *Gregor. nazianz.* est, multo maior ac funestior necesse est illa sit, quam spectato ordine fidei ac scientiae magnus describens nazianzenus theologus [2]) lamentatur ac deflet: "Fuit quondam tempus, cum res nostrae florerent, ac praeclare se haberent, cum nimirum superflua haec, et verborum lepore atque arte fucata tractandae theologiae ratio, ad divinas caulas ne aditum quidem habebat: verum idem erat calculis ludere, inversionis cele- *Novitatis pruritus.* ritate oculorum obtutum fallentibus, aut omnigenis et lascivis corporis flexibus spectatores ludificari, quod novi quidpiam ac curiosi de Deo vel dicere vel audire: simplex contra ingenuusque sermo atque doctrina, pietas existimabatur Verum posteaquam Sexti et Pyrrhones, et contradicendi libidine incitata lingua, velut gravis quidam ac malignus morbus, in ecclesias nostras magno nostro malo irrepserunt, et nugacitas doctrinae atque *Actt. XVII. 21.* eruditionis opinionem tulit, (quodque Actuum liber de Atheniensibus narrat) ad nihil aliud vacamus, quam ut novi aliquid dicamus vel audiamus: O quis Jeremias confusionem nostram caliginemque deplorabit! Ipse solus lamentationes calamitatibus exaequare novit." Perversa nimirum et profana novitas contra Pauli [3]) *I. Tim. VI.* praeceptum nimis quam par est curiosos sic abripit, ut opposi-

---

[1]) II. Thessal. II. 7. *Τὸ γαρ μυστήριον ἤδη ἐνεργεῖται τῆς ἀνομίας.*

[2]) Or. XXI. opp. t. I. p. 393. n. 12. *Ἦν ὅτε ἤκμαζε τὰ ἡμέτερα, καὶ καλῶς εἶχεν, ἡνίκα τὸ μὲν περιττὸν τοῦτο, καὶ κατεγλωττισμένον τῆς θεολογίας καὶ ἔντεχνον, οὐδὲ πάροδον εἶχεν εἰς τὰς θείας αὐλάς· ἀλλὰ ταυτόν ἦν ψήφοις τε παίζειν, τὴν ὄψιν κλεπτούσαις τῷ τάχει τῆς μεταθέσεως, ἢ κατορχεῖσθαι τῶν θεατῶν παντοίοις καὶ ἀνδρογύνοις λυγίσμασι, καὶ περὶ θεοῦ λέγειν τὶ καὶ ἀκούειν καινότερον καὶ περίεργον· τὸ δὲ ἁπλοῦν τε καὶ εὐγενὲς τοῦ λόγου, εὐσέβεια ἐνομίζετο. ἀφ' οὗ δὲ Σέξτοι καὶ Πύῤῥωνες, καὶ ἡ ἀντίθετος γλῶσσα, ὥσπερ τι νόσημα δεινὸν καὶ κακοηθὲς, ταῖς ἐκκλησίαις ἡμῶν εἰσεφθάρη, καὶ ἡ φλυαρία* *Nugacitas instar doctrinae.* *παίδευσις ἔδοξε, καὶ ὅ φησι περὶ Ἀθηναίων ἡ βίβλος τῶν πράξεων, εἰς οὐδὲν ἄλλο εὐκαιροῦμεν, ἢ λέγειν τι καὶ ἀκούειν καινότερον. ὢ τὶς Ἱερεμίας ὀδύρεται τὴν ἡμετέραν σύγχυσιν καὶ σκοτόμαιναν· ὁ μόνος εἰδὼς ἐξισοῦν θρήνους πάθεσιν.*

[3]) I. Tim. VI. 20. sq. *Ὦ Τιμόθεε! τὴν παρακαταθήκην φύλαξον, ἐκτρεπόμενος τὰς βεβήλους κενοφωνίας καὶ ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως· ἥν τινὲς ἐπαγγελλόμενοι περὶ τὴν πίστιν ἠστόχησαν.*

tiones falsi nominis scientiae foveant ac promoveant, antiquum fidei depositum perdant, et circa fidem eiusque sequelas excidant: quae quidem novitas eo perniciosior est, quo eius contra antiquitatis veritatem oppositio latentior; et quo haec ab incautis sentitur minus minusque percipitur, eo illa paratiorem campum amplioremque invenit et occupat.

6. Sed eiusmodi ratio est ac indoles directae in hominum vitam novitatis, quae quum hinc quidem expresse apertaque fronte cum capitalibus ipsis christianae fidei professionisque dogmatibus pugnare minime videatur nec videri velit; inde autem practicas, quas dicere amant, commoditates et praesentes nunc vitae utilitates adferre polliceatur: a prudentia carnis eiusdemque universali suffragio adserta illa in omnem christianam vitam involat atque invadit: invadit novis in vitam privatam usibus ac moribus, quibus in ipsa familiari societate filii Dei ex Spiritu sancto regenerati in transversum a piis honestisque christianorum institutis ad liberiorem eiusmodi cogitandi, loquendi et semet gerendi rationem abripiuntur, quae quantum similis est exclusae [1]) a Christo gentilium pristinae„ conversationi veteris hominis, qui corrumpitur secundum desideria erroris„: tantum est dissimilis „conversationi [2]) sanctorum, bonae [3]), castae [4])„ quam ab antiquo princeps Apostolorum Petrus apud romanam fidelium unitatem observandam dixit: sed invadit etiam in vitam hominum publicam externamque totius societatis politiam, quam sive diserte sive tacite novis adoptatis probatisque normis principiisque iuris, honestatis, felicitatis socialis et publicae ab omni religione aeque avellit, ac

Christianae perversio vitae.

Ephes. IV.

---

[1]) Describit Paulus Ephes. IV. 17. sqq. morem quo „gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei per ignorantiam, quae est in illis, propter coecitatem cordis ipsorum, qui desperantes, semet ipsos tradiderunt impudicitiae, in operationem immunditiae omnis in avaritiam„ tum subdit com. 20. „Vos autem non ita didicistis Christum„; quid igitur didicimus, qui Christum induti Christum sequimur? Addit Paulus com. 22. „Deponere vos secundum pristinam conversationem, *κατὰ τὴν προτέραν ἀναστροφὴν τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον τὸν φθειρόμενον κατὰ τὰς ἐπιθυμίας τῆς ἀπάτης*: hinc postulat a christianis hominibus et fidelibus, ut „renoventur spiritu mentis suae, et induant novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis.„

Vita gentilis.

[2]) I Pet. I. 15. *Καὶ αὐτοὶ ἅγιοι ἐν πάσῃ ἀναστροφῇ γενήθητε.*

[3]) I. Pet. II. 12. *Τὴν ἀναστροφὴν ὑμῶν ἔχοντες καλὴν ἐν ἔθνεσιν:* col. Jac. III. 13. *ἀναστροφὴ καλή:* I. Pet III. 16. *τὴν ἀγαθήν.*

[4]) I. Pet. III. 2. *Ἐποπτεύσαντες τὴν ἐν φόβῳ ἀναστροφὴν ὑμῶν,*

I. Pet. I. II. III.

romanae eidemque necessariae catholicae unitatis πολιτείᾳ e diametro opponit. Quo illud profecto efficitur et obtinetur, ut tota paulatim divinae ecclesiae oeconomia et nominatim universa romani illius primatus ratio, quam ore licet ac θεωρητικῶς profiteantur, ex animis tamen et πρακτικῶς ex hominum vita omnino deleatur.

Eversio ecclesiae romanique primatus.

Pius VI.

7. Id diu animadvertit sextus Pius, qui adeo in sua ad quatuor Germaniae metropolitanos data responsione [1]) scripsit: „Cavendum Vobis est diligenter a fraudibus eorum, qui quem Primatum amplissimis verbis profitentur, eum factis negant, et adeo illum elevandum deprimendumque curant, ut fere ad nihilum redigatur. Cavete ab iis, qui dum Vobis non solum callide eos fontes occultant, ex quibus suas doctrinas hauserunt, sed exitiales etiam effectus celandos Vos curant, qui ex hisce doctrinarum portentis [2]) consequuntur.„ Videlicet artificiosus agendi modus novatorum huiusmodi, ut ibidem Pius dicit, non est nunc penitus recens: crevit is quidem ad maturitatem usque, et vires sumpsit efficacissimas, tum intentione, spectata fraudulentia hinc et inde aperta perfidia, potestate et auctoritate, quibus fovetur ac promovetur; tum extensione, considerata locorum itemque multitudinum copia, quae irretita fuit: sed quemadmodum ille aetate elapsa [3]) certe uberrime floresceret, ita iam tertio ecclesiae saeculo idem per rerum perturbatores suas radices egerat.

Malevolorum artes.

---

[1]) „Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae Sexti Responsio ad Metropolitanos, Moguntinum, Trevirensem, Coloniensem, et Salisburgensem super Nuntiaturis Apostolicis. Romae MDCCLXXXIX.„ Cf. c. VIII. n. 3. pp. 171. sq.

[2]) Huc illico eorum perversitatem referendam esse significat pontifex „qui Vobis divenditant, Ecclesiam fuisse a Christo ad instar Reipublicae institutam, eiusque regimen aequaliter fuisse Pontifici Episcopisque concreditum ac demandatum, istiusque Reipublicae pro bono unitatis ita caput esse Pontificem, ut auctoritas Ipsius supra Episcopos non sit immediata, sed mediata, utque exerceri illa nequeat ab Ipso, nisi ubi casus aliquis insuetus acciderit, scilicet: „allorquando l'unità della Fede, la purità de' costumi, la Costituzione della Gerarchia, gli usi essenziali spettanti alla conservazione dell'unione, particolarmente per mezzo de' proprj Prepositi della Chiesa dovessero correre rischio„; verba sunt Auctoris „Historiae pragmaticae §. 29.„

[3]) Id tum temporis editus manifestum facit libellus cui titulus: „La lega della Teologia moderna colla Filosofia a danni della Chiesa di Gesù Cristo„ qui in cit. respons. l. c. dicitur integre legendus, et praesertim pp. 12. sqq. et in supplementis 2. editionis Add.„ idemque complectitur Dr. H. Brück „Die ration. Bestrebung. im kath. Deutschl.„ Mainz, 1865.

8. Eorum fraudes Cyprianus [1]) graphice depingens: „Cum moneat, inquit, Dominus et dicat: Vos estis sal terrae, cumque esse nos iubeat [2]) ad innocentiam simplices, et tamen cum simplicitate prudentes, quid aliud, fratres dilectissimi, quam providere nos convenit, et sollicito corde vigilantes, subdoli hostis insidias intelligere pariter et cavere, ne qui Christum sapientiam Dei Patris induimus, minus sapere in tuenda salute videamur? Neque enim persecutio sola metuenda est et ea quae subruendis ac deiiciendis Dei servis aperta impugnatione grassantur. Facilior cautio est, ubi manifesta formido est, et ad certamen animus ante praestruitur, quando se adversarius confitetur. Plus metuendus est et cavendus inimicus, cum latenter obrepit, cum per pacis imaginem fallens occultis accessibus serpit; unde et nomen serpentis accepit. Ea est eius semper astutia, ea est circumveniendi hominis caeca et latebrosa fallacia. Sic ab initio statim mundi fefellit, et verbis mendacibus blandiens rudes animas incauta credulitate decepit. Dominum ipsum tentare conatus, quasi obreperet rursus et falleret, latenter accessit. Intellectus tamen est et retusus (al. retrusus); et ideo prostratus, quia agnitus atque detectus.„ Vult igitur Cyprianus iuxta mandatum Salvatoris, ut serpentes errores et ii etiam subtiliores [3]) agnoscantur, detegantur, tum prosternantur atque removeantur. Hinc pergit: „Cavenda sunt autem, fratres dilectissimi, non solum quae sunt aperta atque manifesta, sed et astutae fraudis subtilitate fallentia. Quid vero astutius, quidve subtilius, quam ut Christi adventu detectus ac prostratus inimicus, postquam lux gentibus venit et sospitandis hominibus salutare lumen effulsit . . . exco-

S. Cyprianus.

Matth. V. 13.

Hostium pessimus est fraudulentus.

Pugnandi officium.

---

[1]) De unitate ecclesiae illico ab initio nn. 1. sqq. ap. Mign. lat. PP. t. 4. pp. 495. sqq.

[2]) Matth. X. 16.

[3]) Quod Cyprianus secundum Salvatorem monuit, idem inde ab Apostolis iugiter ecclesiae Patres, Doctores, scholarumque catholicarum theologi sive sanciverunt sive ratum fixumque habuerunt; adeo ut, qui gliscentes contra orthodoxas doctrinas errores vellent qua velut ignoratos, qua non retectos, qua non confutatos, qua non delatos ad legitimos iudices, et qua nulla tribunalis legitimi sententia notatos atque proscriptos: ii praecepto consilioque nec dominico, neque apostolico, neque ecclesiastico, neque theologico utantur, sed neque sanae politices. Libertas enim atque inmunitas istiusmodi errorum tam ab ecclesiae praesidibus quam a viris theologis haudquaquam salutaris habebatur reipublicae sacrae. Verum illam civili quoque reipublicae, quum ea christiana iam esset, minime salubrem existimatam fuisse a viris iuris peritis, e codicibus Theodosii et Justiniani, tum vero e legibus Francorum aliorumque mediae aetatis christianorum regnorum

Errorum libertas.

gitaverit novam fraudem, ut sub ipso christiani nominis titulo fallat incautos? Haereses invenit et schismata, quibus subverteret fidem, veritatem corrumperet, scinderet unitatem. Quos detinere non potest in viae veteris caecitate, circumscribit et decipit novi itineris errore. Rapit de ipsa Ecclesia homines; et dum sibi appropinquasse iam lumini atque evasisse saeculi noctem videntur, alias nescientibus tenebras rursus infundit, ut cum evangelio Christi et cum observatione eius et lege non stantes christianos
II. Cor. XI. se vocent, et ambulantes in tenebris habere se lumen existiment, blandiente adversario atque fallente, qui, secundum Apostoli vocem, transfigurat se velut angelum lucis, et ministros suos subornat velut ministros iustitiae, asserentes noctem pro die, interitum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub praetextu fidei, antichristum sub vocabulo Christi; ut, dum verisimilia mentiuntur, veritatem subtilitate frustrentur.„

Salutis via. 9. Quae sunt insignia plane et praeclara omnia ad hostilia artificia, molimina ac studia designanda, quibus per haec quoque tempora, ipso superius teste Pio nono, societatem catholicam, id est romanam, eiusque vitam universam innovare, inficere, ever-
S. Cyprian. tere serpens sibi antiquus proposuit. „Hoc eo fit, ait concludendo Cyprianus, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quaeritur, nec magistri coelestis doctrina servatur.„ Atqui „loquitur Dominus ad Petrum: Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam,
Matth. XVI. et portae inferorum non vincent eam. Et tibi dabo claves regni coelorum: et quae ligaveris super terram, erunt ligata et in coelis; et quaecumque solveris super terram, erunt soluta et in coelis.„ Inde Cyprianus unitatis, inde veritatis originem ducit: sed inde [1]) quoque mediolanensis maximus doctor „totius orbis Romani

---

abunde docemur; immo quod amplius est, docemur vel ab ipsis viris gentilium iuris historiaeque gnaris, sapientibus atque philosophis, libertatem inmunitatemque contra vigentem religionem ac cultum perniciosam exitialemque iudicatam cuivis societati fuisse, et reipublicae bono ac felicitati plane contrariam: uti testes praeter alios sunt Plato et Aristoteles, Cicero et Livius. At vero quidvis opinandi libertatem conducere scientiae, quae nisi in recta veritatis cognitione non est, a nullo, qui serio cogitet, dici serio potest contendique, normam illi obesse legitimae auctoritatis, cuius tribunali citra gravia damna subrogari nequit sive opinionis publicae ludibrium, sive sectae, ut Canus ait, praeiudicium, sive profecta inde censura ac publica veluti proscriptio.

[1]) Imperatt. Gratiano, Valentiniano, et Theodosio ep. XI. n. 4. ap. Mign. lat. PP. t. 16. p. 946.

caput Romanam Ecclesiam„ vocat; „inde enim in omnes venerandae communionis iura dimanant„: idem, inquam, ille Ambrosius „cuius pro catholica fide gratiam, constantiam, labores, pericula, sive operibus sive sermonibus, et ipse, ait [1]) Augustinus, sum expertus, et mecum non dubitat orbis Romanus„; in cuius libris auctore eodem [2]) Augustino „praecipue fides lucet Romana„; qui protestatur [3]) ipse, eam esse Ecclesiam Romanam „cuius typum in omnibus sequimur et formam„, quique adeo [4]) fatetur diserte: „In omnibus cupio sequi Ecclesiam Romanam.„ Scilicet, ne iam in maxima rerum omnium perturbatione a via veritatis ac salutis abstrahamur, convenit et necesse est, mente animoque fidem et vitam servare et sequi romanam.

S. Ambrosius. *S. Augustinus.*

10. Ut si non multum, pro viribus tamen forte nonnihil ad illud conferrem, permotus fui ad hunc alterum de Romana Unitate edendum librum, quem *πραγματικὸν* vocare placuit. Complectitur enim et exhibet ipsam rei *πραγματείαν*, hoc est, tum organicam universalis Christi ecclesiae structuram, tum vitale quo haec animatur informaturque principium, ipsum scilicet romanum, quodque specificam totius distinctamque naturam finit atque determinat, unde unitas prodit romana: tum utriusque illius compositionem et habitum: tum vero universam etiam quam idem principium illud exserit et explicat vitam, huius potentias et causas, eius *ὄργανα* ac media, auxilia illius atque praesidia, postulata propemodum ad vitam eiusdemque conditiones. His autem enarratis, uti quilibet sane intelligit, non quaecunque contemplanda praebetur romanae unitatis imago; sed in ipsum eius actuosum introspicitur spiritum, in vias eiusdem rationesque agendi, in effectuum vim et fructus et fines; sed etiam in iura aliorum aliorumque officia, a quibus norma dependet rectaque linea, non cogitandi modo, ut oportet, in unitate romana, verum operandi quoque atque vivendi.

Scripti partes.

11. Memor porro illorum [5]) magni Basilii: „Patrum vestigiis

Servata methodus.

---

[1]) Con. Jul. l. I. n. 19. cf. lib. sup. de variis methodis pp. 95. sqq.

[2]) Ibid. n. 30.

[3]) De sacram. l. III. c. 1. n. 5. ap. Mign. lat. PP. t. 16. p. 433.

[4]) Ibidem.

[5]) Ad canonicas ep. LII. al. CCC. ap. Mign. gr. PP. t. 32. p. 392. *Το μὲν γὰρ πατράσι μὴ ἀκολουθεῖν, καὶ τὴν ἐκείνων φωνὴν κυριωτέραν* (sup. *μὴ*) *τίθεσθαι τῆς ἑαυτῶν γνώμης, ἐγκλήματος ἄξιον, ὡς* (al. *καὶ*) *αὐθαδείας γέμον.*

S. Basilius. non insistere, nec sua sententia vocem illorum potiorem ducere, res est reprehensione digna, ut (al. atque) plena arrogantiae:,, conscientiae mihi duxissem, si pro re nata facultateque aliunde, quam ex limpidis uberrimisque Maiorum fontibus, huius provinciae campum irrigare studuissem. Saluberrimas itaque antiquitatis ecclesiasticae aquas deduxi: et eas quidem sufficientes, uti arbitror; quis enim haurire illas omnes valeret? Sed ne quid alieni iisdem admisceretur, purissimas ipsas ex suis fontibus in varias partes meas omnes, quo fieri id melius videretur, apte diducendas curavi. Nihil enim hac in re periculosius, quam, dum exponere doctrinas Veterum praetendis, tuas ipsius sententias adponere; et ad turpem aeque ac perniciosam pro rei gravitate illusionem totum comparatum esset, si quis suam, quam vocant, subiectivam et animo praeconceptam opinionem in ipsa illatam monumenta produceret; nullatenus vero obiectivam documentisque comprehensam rerum veritatem exprimeret expressamque rite patefaceret. Hinc, quod apud graves ac celebres scientiarum tractatores in more semper positum erat, ipsos ad rem induximus Veteres suis loquentes verbis et iis etiam prolixioribus, quando id consultum videbatur; commentariis illorum dicta, ubi erat opportunum, instruximus; atque ita propositam causam adseruimus, illustravimus, confirmavimus. Quare si cuipiam gravia aliqua viderentur, si molesta acciderent atque severa: nostra, sciat, ea non sunt, sed Maiorum; quodsi tradita et accepta, vera sunt; tum ad vindicandam ecclesiam „Urbis [1]) illius sunt, ut verbis sancti Caroli mediolanensis archiepiscopi [2]) utamur, mysteriis sacrisque monumentis insignitae, singularibus beneficiis a Deo cumulatae, cum in ea sancti Petri cathedram perpetuo fixerit, infallibilem fidei catholicae veritatem, disciplinae ac morum magisterium collocaverit,,: sunt illa ad caput rei, scilicet, ut cum eodem absolvam, ad adserendam „Sanctam Romanam Ecclesiam, quae omnium Mater est, singularique obsequio ab unoquoque

Patres genuine sequendi.

Carol. Borrom.

---

[1]) Epist. ad greg. dat. 1576. de qua vide Magn. Bullar. rom. t. 18. p. 85. in ep. encyclic. Benedict. XIV. an. 1749.

Urbs. [2]) Eandem porro describit: „Haec quidem Urbs est, cuius tellus, muri, arae, ecclesiae, martyrum sepulcra, et quidquid oculis obversatur, sacrum quid animis ingerit, ut ii experiuntur ac sentiunt, qui rite comparati sacros illos recessus invisunt.„ Quae a veritate sua nihil ad diem usque hodiernam deperdiderunt. Unde Deus illam nunc sospitem velit!

venerandam„: pro sua mecum in hanc Matrem dilectione ac studio veniam certe quisque dabit ac indulgentiam.

12. Iamvero commentationem hanc animo eo laetiori alacriorique composuimus, quo ad eius pertractandum argumentum benignius simul atque efficacius litteris supra adscriptis excitati erectique fuimus a summo fidelium omnium doctore atque pastore, qui ipse est vitale illius unitatis principium ac centrum, de cuius universa politia atque vita in hoc volumine disputatur. Nemo ergo non videt, quot equidem pietatis officiique titulis obliger, ut secundum magnum sanctumque archiepiscopum cantuariensem [1]) ex animo protester: „Quapropter, mi Pater et Domine, christianis omnibus cum reverentia amande, et cum amore reverende, Papa Pie, quem Dei providentia in sua Ecclesia summum constituit pontificem, quoniam nulli rectius possum, Vestrae Sanctitatis praesento conspectui subditum opusculum, ut Eius auctoritate, quae ibi suscipienda sunt, approbentur, et quae corrigenda sunt emendentur.„ *S. Anselm.*

---

[1]) Lib. de fid. Trinit. et de incarnat. Verbi praefat. ap. Mign. lat. PP. t. 158. p. 261.

DE

ROMANAE UNITATIS

POLITIA UNIVERSE.

1. Principatus ratio ac rerum consuetudo, secundum quam vivere unumquemque et conversari decet, auctore Aristotele τῆς πολιτείας nomine effertur, quod propterea Plato suo de republica operi inscripsit. Porro „de vera et perfecta politia contingit, ait[1]) sanctus Thomas, quemadmodum de corpore bene disposito, in quo vires organicae sunt in perfecto vigore. Et si virtus suprema, quae est ratio, ceteras dirigat inferiores potentias, ut ad suum moveantur imperium, tunc insurgit quaedam suavitas et perfecta delectatio virium in alterutrum, quam harmoniam vocamus. Unde Augustinus dicit in tertio de civitate Dei, quod res publica sive civitas bene disposita melodiae vocibus comparatur, in qua diversis sonis proportionatis ad invicem, fit cantus suavis et delectabilis auribus: quae proprie fuit in statu innocentiae regulata ex virtute originalis iustitiae praeter actum divinae cognitionis: unde causabatur contemplativa felicitas, et etiam modo secundum quamdam participatam virtutem in viris perfectis, ut nihil velint nisi quod regula mandat rationis et quod Deo placet. Et ex hac quidem ratione motus fuit philosophus assimilare rempublicam seu politiam naturali et organico corpori, in quo sunt motus dependentes ex uno movente sive ex duobus, ut sunt cor et cerebrum; et tamen in qualibet

Nominis vis ac potestas.

Thomas.

Harmonia.

Augustinus.

Reipublicae politia.

[1]) De regim. princ. opusc. XX. l. IV. c. 23.

parte corporis est operatio propria primis motibus correspondens et in alterutrum subministrans: unde hoc corpus divini muneris beneficio animari asserit et, quod summae aequitatis, nutu Dei agitur moderamine rationis: quod et Apostolus confirmat in prima epistola ad Corinthios ostendens totam ecclesiam esse unum corpus distinctum in partibus sed unitum vinculo caritatis.„ Et ne caritatis socialis, qua de agitur, indoles sive ignoraretur sive

Vera civilitas. perverteretur, angelicus doctor[1]) concludit: „Ad veram igitur civilitatem sive politiam requiritur, ut membra sint conformia capiti et ad invicem non discordent, et sint omnia sic disposita in civitate, ut iam est dictum.„

Politia ecclesiastica.

2. Quae quum de societate civili atque humana dicuntur, multo tamen maiori iure de ecclesiastica nominatimque romana societate valent. Cuius quum singularem unitatem unitatisque speciem ac formam superiori libro διδακτικῶς exposuerimus: reliquum est, ut respondentem illi ecclesiae vitam, conversationem, actionem, verbo τὴν πολιτείαν[2]) qua romana semet unitas exserit et explicat, menti oculisque subiiciamus. Quo fiet

I. ut quum statutae legis interpres ipsa sit exacta ad illam agendi consuetudo, lux nova ac firmitas iis accedat, quae de constituta divinitus lege qua romana unitas regeretur exposuimus: tum fiet

II. ut unde perpetua romanae unitatis stabilitas hinc, et inde

Thomas. perturbationum pericula oriantur, πρακτικῶς prope sentiatur. Etenim quae rursum est[3]) insignis Aquinatis doctrina: „Ordo est parium

Augustinus. dispariumque rerum sua cuique tribuens dispositio, ut Augustinus dicit decimo octavo de civitate Dei: per quam definitionem ha-

Ordo politiae. bemus diversum gradum in politia tam in exsequutione officiorum quam in subiectione sive obedientia subditorum: unde tum est perfecta socialis congregatio, quando quilibet in suo statu debitam habet dispositionem et operationem. Sicut enim aedificium est stabile, quando partes eius sunt bene sitae, sic de politia contingit, quod firmitatem habet et perpetuitatem, quando quilibet in suo gradu sive rector sive officialis sive subditus debite operatur,

---

[1]) Ibidem.

[2]) Vide Hesych. ad h. v. βίος, ἀναστροφή, πρᾶξις: unde apparet, quo sensu s. Cornelius usus sit plurali πολιτείαις, de quo secundum Valesium et Heinichen disputat Routh. reliq. sacr. vol. III. p. 63.

[3]) Ibidem.

ut suae conditionis requirit actio. Et quia ibi nulla est repugnantia, consequenter ibi erit summa suavitas et perpetua firmitas status; et hoc est proprium felicitatis politicae, ut philosophus tradit." Atqui promisit Dominus, cuius verbum manet in aeternum, firmitatem perpetuam aedificio suo, quod aedificavit supra Petrum, romanae urbis episcopum; et quamvis ab inferorum portis excitatum iri pacis perturbatores idem Salvator significarit, fore tamen numquam praedixit, ut praevaleant. *Felicitas politica.*

3. Quare unitatis romanae *πολιτείαν* spectaturi praeter quam quod mira perfundemur animi suavitate [1]) tutam percipiemus normam agendi a Christo in sua ecclesia praeceptam: „Omnia enim, Cyrillo [2]) teste, facta sunt in ipso et per ipsum nova, et foedus et lex, *καὶ πολιτεία*, et vitae genus": tum certissimam deprehendemus regulam, qua devii reputentur ab institutis Christi Jesu, qui solus est via, veritas et vita, quicunque aliam sentiendi operandique semitam ingredi ausi fuerint. Sed ad rem illico veniamus: et quum *ἡ πολιτεία* iure respondeat *τῷ πολιτεύματι*, id [3]) vero pro grege singulari in pastore singulari, pro grege autem universali in universali pastore situm sit, enarrabimus ab initio illius, politiam deinde huius subiecturi. *Politiae fructus.* *Cyrillus.*

---

[1]) De qua suavitate insuper l. c. b. Thomas: „Si igitur, inquit, talis est ordo superiorum ad inferiora, et e converso, in qualibet natura creata; multo magis esse debet in natura intellectuali, quanto perfectior est inter entia. Si ergo talis dispositio suavitatem facit contemplando, multo magis operando. Et hinc Pythagorici moti fuerunt in coelestibus corporibus ponere melodiam, ut philosophus dicit in secundo de coelo, propter ordinatos motus quos habent et indeficibiles, unde insurgit summa suavitas; et quia ipsa fore dicebant animata, ex hac parte eisdem dabant felicitatem. Ergo sic politice vivere perfectam et felicem vitam facit." Sed quis non videt, quanto maiori meliorique iure haec omnia de divina supernaturalique societate valeant? *Thomas.* *Melodia.*

[2]) In Luc. c. VI. ap. Mai N. PP. Bib. t. II. p. 197. A. *Πάντα γὰρ γέγονεν ἐν αὐτῷ τε καὶ δι' αὐτοῦ καινά, καὶ διαθήκη, καὶ νόμος, καὶ πολιτεία.*

[3]) Vide libro superiore caput III.

CAPUT I.

De ratione *πολιτείας* gregum particularium.

4. Quemadmodum in regnis creaturarum, quae necessitati obnoxiae sunt, ordinatissime omnia fluunt, propterea quod secundum statas physicas leges congenitosve instinctus suam quaeque *Thomas.* vitam exserunt, quodque beato Thoma[1]) auctore in causis et causatis et moventibus et motis... est debita proportio ipsorum ad invicem, quantum ad influentiam: quia inferiora moventur secundum superiorem motum, et superiora movent quantum est inferiori conveniens, cum natura non deficiat in necessariis:„ ita liberarum regnum creaturarum „perfectam et felicem[2]) vitam„ habere nullo modo potest, nisi „ordo superiorum ad inferiora„ servetur, tanto- *Antiquus ecclesiae ordo.* que amplius a vitae perfectione recedit, quanto est regni illius vis ac ratio perfectior atque praestantior. Id luculenter sanctus Thomas animadvertit; sed quam aetate dignitateque superior tam lucu- *Clemens romanus.* lentior Clemens romanus, qui ecclesiasticam *πολιτείαν* exponens ordine peragenda esse cuncta[3]) praecepit: ab unoquoque fratrum in suo ordine, in bona conscientia, in honestate Deo gratias agendas praescribit atque collatione inter V. ac N. T. instituta monet, quanto graviori periculo obnoxii perturbatores ordinis in tanta veritatis cognitione nunc sint, si olim qui praefiniti ordinis regulam transgressus esset mortis supplicio puniretur? Ex qua gravissima omnium poena profecto colligitur, quanti in ecclesia Dei statutus ordo fieri debeat.

---

[1]) De regim. princip. l. IV. c. 23. opusc. XX.

[2]) Idem ibid.

[3]) Ep. ad Cor. I. n. 40. *Ἐγκεκυφότες εἰς τὰ βάθη τῆς θείας γνώσεως πάντα τάξει ποιεῖν ὀφείλομεν ὅσα ὁ δεσπότης ἐπιτελεῖν ἐκέλευσεν κατὰ καιροὺς τεταγμένους.* Et c. 41. *Ἕκαστος ὑμῶν, ἀδελφοὶ, ἐν τῷ ἰδίῳ τάγματι εὐχαριστείτω θεῷ ἐν ἀγαθῇ συνειδήσει ὑπάρχων, μὴ παρεκβαίνων τὸν ὡρισμένον τῆς λειτουργίας αὐτοῦ κανόνα ἐν σεμνότητι.* Rursum ibidem: *Οἱ οὖν παρὰ τὸ καθῆκον τῆς βουλήσεως αὐτοῦ ποιοῦντές τι, θάνατον τὸ πρόστιμον ἔχουσιν. Ὁρᾶτε, ἀδελφοὶ, ὅσῳ πλείονος καθηξιώθημεν γνώσεως τοσούτῳ μᾶλλον ὑποκείμεθα κινδύνῳ.*

5. Sed quod est potissimum, in eo illico[1]) Clemens est ut seriem[2]) determinet illorum, a quibus fundatum per Salvatorem regnum totusque eius ordo ex Dei decreto iugiter pendet, et a quorum voluntate recedere uti flagitium summum, ita gravissimo mortis supplicio dignum habet. Haec porro series augustissima est, altissima et ab ipso Patre luminum ordinata. „Missus est igitur Christus[3]) a Deo et Apostoli[4]) a Christo, et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei„. Verum haec sunt initia ordinatissimae illius divinitusque determinatae seriei, quid iamvero de eiusdem continuatione? Atqui pergit Clemens: „Itaque acceptis mandatis et per resurrectionem Domini nostri Jesu Christi plena certitudine imbuti Deique verbo confirmati cum certa Spiritus sancti fiducia egressi sunt annunciantes regni Dei adventum. Per regiones igitur et urbes verbum praedicantes primitias[5]) earum spiritu quum probassent, constituerunt episcopos et diaconos

Episcoporum institutio.

---

[1]) Ibid. n. 42. *Ἐξεπέμφθη ὁ Χριστὸς οὖν ἀπὸ τοῦ θεοῦ καὶ οἱ ἀπόστολοι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ· ἐγένοντο οὖν ἀμφότερα εὐτάκτως ἐκ θελήματος θεοῦ. Παραγγελίας οὖν λαβόντες, καὶ πληροφορηθέντες διὰ τῆς ἀναστάσεως τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ πιστωθέντες ἐν τῷ λόγῳ τοῦ θεοῦ μετὰ πληροφορίας πνεύματος ἁγίου ἐξῆλθον εὐαγγελιζόμενοι τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ μέλλειν ἔρχεσθαι. Κατὰ χώρας οὖν καὶ πύλεις κηρύσσοντες καθίστανον τὰς ἀπαρχὰς αὐτῶν δοκιμάσαντες τῷ πνεύματι εἰς ἐπισκόπους καὶ διακόνους τῶν μελλόντων πιστεύειν. Καὶ τοῦτο οὐ καινῶς· ἐκ γὰρ δὴ πολλῶν χρόνων ἐγέγραπτο περὶ ἐπισκόπων καὶ διακόνων. Οὕτως γάρ που λέγει ἡ γραφή· καταστήσω τοὺς ἐπισκόπους αὐτῶν ἐν δικαιοσύνῃ καὶ τοὺς διακόνους αὐτῶν ἐν πίστει.*

[2]) Cf. Joan. IV. 34. V. 23. sqq. VI. 38. sqq. VII. 16. sqq. Rom. VIII. 3. alibi.

[3]) Cf. Matth. XXVIII. 18. Marc. XVI. 15. sqq. Joan. XX. 21. sqq.

[4]) Cf. Luc. XXIV. 47. sqq. Act. I. 4. sqq.

[5]) *Ἀπαρχαὶ* dicebantur primae in quocunque genere res, quae quum praestantis ex se vigoris esse soleant tum illud singulare habent, quod communi nondum usu vulgares exsistant: hinc velut eximium aliquid praeferentes sacro iudaeorum ipsorumque passim gentilium iure Numini superno sacrae erant. Hanc principatus praestantiaeque ideam vocabulum *ἀπαρχὴ* usu non minus sacro N. T. quam ecclesiastico complectitur. Id ex commentariis patet quos ad Rom. XVI. 5. I. Cor. XVI. 15. tradiderunt Theodoretus, Chrysostomus, Theophylactus et Oecumenius, qui de posteriore Pauli loco ita habet: *Ἀπαρχὴν λέγει τὸν οἶκον διὰ τὸ πρώτους αὐτοὺς πιστεῦσαι ἢ τὰ πρῶτα ἔχειν ἐπ᾽ εὐλαβείᾳ.* Utrumque praeclare quadrat in superiorem Clementis sententiam; sed et illud quadrat quod tradit Chrysostomus commentario ad I. Cor. XV. 20. sqq. *Ἡ γὰρ ἀπαρχὴ καὶ τοὺς ἐπακολουθοῦντας ἔχει· οἷον ὅταν ἐκ πολλῶν ποιήσῃ εἷς πρῶτος ἀρξάμενος μέλλουσι καὶ οἱ λοιποὶ ποιεῖν ἐφεξῆς*: atqui primitiae in fide credituros alios praeibant, utque alii crederent episcopali ministerio aucti praeficiebantur.

Ἀπαρχαί.

Oecumenius.

Chrysostomus.

eorum[1]) qui credituri erant. Neque hoc quidem novum institutum fuit; multis enim retro saeculis de episcopis et diaconis scriptum est: Sic enim alicubi[2]) dicit Scriptura: Constituam episcopos eorum in iustitia et diaconos eorum in fide.„ Legitima igitur divinoque nutu per Apostolos propagata series eorum, in quibus ecclesiasticae vitae principium collocatum est, non aliis constat, quam qui episcoporum nomine distinguuntur episcopalique auctoritate[3]) insigniuntur. Quorum quum hinc tanta sit ad conservandum tuendumque Dei regnum necessitas, id erat agendum, ut fixa ac firma stabiliretur successio; quumque inde a portis inferi timenda iure esset summa conflictatio, prospiciendum erat, ne quid illa ex perturbationibus pateretur detrimenti. „Apostoli quoque

---

[1]) Hoc Apostolos fecisse idemque fieri rursum a suis discipulis voluisse, e *Hierarchiae genesis.* pastoralibus Pauli ad Timotheum et Titum epistolis apparet, ex iisque nominatim quae leguntur ad Titum capite primo commate quinto. Verum ex accurata illa *Paulus.* Clementis enarratione viam praeclare ac modum docemur, tum quo aetate apostolica nascentium ecclesiarum fundamenta iacerentur, tum quo semet hierarchicus ordo explicare incepit: et utrumque quidem apte cohaerenterque cum ipsis quas vocant rerum naturis. De primo itaque docemur, ubi Apostolis per praedicationem verbi gignenda colligendaque christiana quaedam familia videretur, ibi ab iisdem positum fuisse episcopum, qui pro Christo legatione fungens credentes in ecclesiam colligeret, collectos pasceret, sancteque doceret et regeret, quemadmodum significavimus pariter de eccles. Christi lib. III. c. VI. n. 79. De altero autem *Via descensionis.* docemur, plenam hierarchici ordinis explicationem via descensionis obtinuisse, qua illius principium non duceretur ab infimo sed a gradu supremo, neque prius inferiores statuerentur ac comparerent ministerii τάξεις, quam summa ac princeps in episcopatu constituta exsisteret. Videlicet centrum figas oportet ut circulum efformes, fundamentum iacias ut domum construas; sed centri fundamentique instar est in ecclesia episcopus, sacerdos primi ordinis, per quem sacerdos fit ordinis secundi. Unde hos ait Clemens ab Apostolis illico constitutos pro credituris, id est pro iis quibus fidelium coetus particularis esset conflandus. Sed episcopo adsit diaconus sive sacer minister. Quare ad Xystum Pon- *Ambrosius.* tificem martyrem Laurentius apud Ambrosium l. offic. I. c. 41. „Quo progrederis sine filio pater? quo sacerdos sancte sine diacono properas? Nunquam sacrificium sine ministro offerre consueveras.„ Hinc delectis e credentium primitiis episcopis adiuncti itidem diaconi fuerunt. At pro necessitate, opportunitate ac utilitate tuendi propagandique fidelium coetus, fieri ab episcopis institutis per sacros ritus tam diaconi quam sacerdotes simplices tantum poterant atque debebant. E quibus inferendo discimus, gravissimae Clementis auctoritati illorum opinionem adversari, qui ecclesiasticae hierarchiae γένεσιν, profectum plenamque explicatio- *Via ascensionis.* nem gradatim factam volunt ascensionis modo, quo paulatim ab infimo fidelium gradu per successivos altiores progressio demum ad fastigium contigisset. Quod ut ab antiquissimis ecclesiae documentis devium apparet, ita cum rerum qua de agitur naturis conciliari plane nequit. Verum de his alibi.

[2]) Is. LX. 17. Advertatur quaeso antiqua Scripturas citandi ratio.

[3]) Ita accipi ὄνομα posse et heic debere nemo dubitabit: cf. ad h. l. adnot, cl. Hefele PP. ap. ed. III. p. 115.

nostri per Jesum Christum Dominum nostrum cognoverunt, subdit[1]) Clemens, contentionem de nomine episcopatus oborituram; ob eam ergo causam perfecta praescientia praediti constituerunt praedictos, ac deinceps ordinationem dederunt, ut quum illi decessissent, ministerium eorum alii viri probati exciperent. Constitutos itaque ab illis vel deinceps ab aliis viris eximiis consentiente universa ecclesia quique inculpate gregi Christi deservierunt cum humilitate, quiete ac ingenue, et longo tempore ab omnibus testimonium praeclarum reportarunt, hos putamus munere suo non iuste deiici„. Nimirum hoc fuit ab Apostolis sollicite institutum ut

I. quum ex divina dispositione per episcopos singulares regendae particulares ecclesiae essent, apud collectas fidelium communiones fixas suas stabilesque sedes iugiter haberent pastores itidem particulares: quorum iugi successioni consuleretur *Episcoporum munus.*

II. per ordinatas electiones, ne in irritum cederet suoque fructu careret stabilita divinitus *οἰκονομία*, qua in ecclesia episcopos voluit universorum rectores, ipsos societatis centrum, fundamentum et caput, apud quos socialis vitae principium, a quibus sociales fidelium actus, motus, impulsus vel proficiscerentur vel dirigerentur ac temperarentur.

6. Hoc autem quemadmodum episcopis supremam moderandi auctoritatem potestatemque collatam ostendit, ita respondentem apud fideles subiectionem flagitat, unde christianae societatis *πολιτεία* explicari ex ordine possit. Quae quidem ut rite accurateque e Veterum monumentis enarretur indeque patefiat, qualis eadem in romana unitate sit esseque debeat, in tria inquiremus: *Episcoporum auctoritas.*

I. in subiectum *πολιτείας* determinans:

II. in subiectum illius determinatum: et

---

[1]) Ibid. n. 44. *Καὶ οἱ Ἀπόστολοι ἡμῶν ἔγνωσαν διὰ τοῦ κυρίου ἡμων Ἰησοῦ Χριστοῦ ὅτι ἔρις ἔσται ἐπὶ τοῦ ὀνόματος τῆς ἐπισκοπῆς. Διὰ ταύτην οὖν τὴν αἰτίαν πρόγνωσιν εἰληφότες τελείαν κατέστησαν τοὺς προειρημένους καὶ μεταξὺ ἐπινομὴν δεδώκασιν, ὅπως ἐὰν κοιμηθῶσιν διαδέξωνται ἕτεροι δεδοκιμασμένοι ἄνδρες τὴν λειτουργίαν αὐτῶν. Τοὺς οὖν κατασταθέντας ὑπ' ἐκείνων ἢ μεταξὺ ὑφ' ἑτέρων ἐλλογίμων ἀνδρῶν συνευδοκησάσης τῆς ἐκκλησίας πάσης καὶ λειτουργήσαντας ἀμέμπτως τῷ ποιμνίῳ τοῦ Χριστοῦ μετὰ ταπεινοφροσύνης, ἡσύχως καὶ ἀβαναύσως, μεμαρτυρημένους τε πολλοῖς χρόνοις ὑπὸ πάντων, τούτους οὐ δικαίως νομίζομεν ἀποβαλέσθαι τῆς λειτουργίας.*

III. in obiectum determinationis.

Haec si per partes spectaveris, accuratam totius ecclesiasticae tum particularis tum porro romanae politiae ideam animo informabis.

I. De subiecto *πολιτείας* determinante.

7. Centrum principiumque unitatis in quavis particulari ecclesia episcopum esse, superiori libro [1]) satis nobis comprobatum fuisse videtur. Quare non indigemus nova probatione, verum simplicissima tantum illatione, qua certum sit ac constet, vitale eiusdem unitatis, quatenus viva societas est, principium in episcopo situm esse, et circa illum veluti circa suum centrum fideles christianam suam explicare vitam oportere.

1. Episcopus secundum Apostolos.

Paulus. 8. Ad hoc enim a Spiritu sancto [2]) in medio veluti grege positi episcopi sunt, ut attendentes sollicitique de salute eius regant ecclesiam Dei, quam acquisivit, ipse scilicet Dominus ac Deus Verbum, sanguine suo: et in ipsis [3]) qui seniores sunt auctoritate *Petrus.* impressoque excellentiae charactere, est uti radius in centro Dei grex, cui providere tenentur ac invigilare, non coacte, quemadmodum praestari servitium a mundanis hominibus solet, sed spontanee, et liberaliter, secundum Deum: neque turpis lucri gratia sed voluntarie: neque ut dominantes in cleris [4]) sed forma facti gregis ex animo: ipsi sunt [5]) angeli a quibus ut a stellis ecclesiae *Joannes.* aureorum instar candelabrorum lumen vitae accipiunt et calefiunt. Quibus tum propriis, tum comparatis, tum metaphoricis loquutionibus nihil accommodatius ad determinandum describendumque

---

[1]) Cf. cap. III.

[2]) Act. XX. 23. *Προσέχετε οὖν ἑαυτοῖς καὶ παντὶ τῳ ποιμνίῳ, ἐν ᾧ ὑμᾶς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔθετο ἐπισκόπους ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ κυρίου καὶ* (om. al.) *θεοῦ ἣν περιποιήσατο διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος.*

[3]) I. Pet. V. 1. sqq. *Πρεσβυτέρους τοὺς ἐν ὑμῖν παρακαλῶ . . . ποιμάνατε τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον τοῦ θεοῦ ἐπισκοποῦντες μὴ ἀναγκαστῶς ἀλλ᾽ ἑκουσίως· μηδὲ αἰσχροκερδῶς, ἀλλὰ προθυμῶς· μηδὲ ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων, ἀλλὰ τύποι γινόμενοι τοῦ ποιμνίου.*

[4]) De his vide quae commentarii instar habentur laudato opere de eccles. Christi 1. II. l. 3. c. 19. n. 241.

[5]) Apoc. I. 20. *Τὸ μυστήριον τῶν ἑπτὰ ἀστέρων ὧν εἶδες ἐπὶ τῆς δεξιᾶς μου καὶ τὰς ἑπτὰ λυχνίας τὰς χρυσᾶς. Οἱ ἑπτὰ ἀστέρες ἄγγελοι τῶν ἑπτὰ ἐκκλησιῶν εἰσι· καὶ αἱ ἑπτὰ λυχνίαι ἃς εἶδες ἑπτὰ ἐκκλεσίαι εἰσί.* Quibus cf. ap. Herm. past. l. III. sim. V. n. 6.

fontem ac principium, unde hinc repeti et quo inde revocari in ecclesia Dei omnis, quae tamen genuina sit, socialis vita debeat. „Episcopi id est, ait [1]) Hermas, praesides ecclesiarum„ ipsi vitae *Hermas.* socialis, quippe quae exterior, publica et communis est, reapse causa exsistunt non subiectiva sed obiectiva, non privata sed *Externum ecclesiasticae vitae principium.* publica, non propria sed communis, neque particulari suo coetui obnoxia sed praeposita. Quo fit, ut varia fidelium multitudo in unitate contineatur: eorum voluntates diversae ac multiplices ita contemperentur, ut ordine, harmonia ac concentu semet exserant, *Ecclesiasticae vitae coniunctio.* tota societas in unitate vivat, vigeat, floreat.

2. Episcopus aetate apostolica.

9. Atque eiusmodi est vitae imago, quam in particularibus gregibus antiquissimi quique scriptores postulant expressamque volunt. Expressam illam a suis primordiis in ecclesia corinthiaca fuisse, celebrat Clemens romanus, qui obortum dissidium exstin- *Clemens romanus.* guendi non semel neque inefficax inde petit [2]) argumentum, quod „firmissima et antiqua corinthiorum ecclesia„ a subiectione erga Dei ministros praestita honorificum et illustre sibi nomen compararit, amarique ab omnibus digna exstiterit.

10. Expressam eandem in ephesina fuisse ecclesia testatur [3]) Ignatius martyr, qui ab initio „episcopum respiciendum ut ipsum *Ignatius M.* Dominum„ praecipit, tum illico subdit: „Et ipse quidem Onesimus supra modum laudat vestrum decentem divinumque ordinem, quod omnes secundum veritatem vivatis, et quod inter vos nullus sit haeresi locus„. Unde ad episcopum attendere eumque „revereri quem paterfamilias [4]) misit ad gubernandam familiam suam„ idem est ac divinum servare ordinem, secundum veritatem quae Christus est vivere, et ab haeresi cavere. Neque mirum: ut enim rursum beatus ille martyr testatur [5]) „praesidet episcopus loco Dei„ quique „episcopo

---

[1]) Herm. past. l. III. simil. 9. n. 27.

[2]) Cf. l. c. nn. 1—47. sqq.

[3]) Epist. ad Ephes. n. 6. *Τὸν οὖν ἐπίσκοπον δῆλον ὅτι ὡς αὐτὸν τὸν κύριον δεῖ προσβλέπειν. Αὐτὸς μὲν οὖν Ὀνήσιμος ὑπερεπαινεῖ ὑμῶν τὴν ἐν θεῷ εὐταξίαν, ὅτι πάντες κατὰ ἀλήθειαν ζῆτε καὶ ὅτι ἐν ὑμῖν οὐδεμία αἵρεσις κατοικεῖ:* coll. ep. ad Trall. n. 7.

[4]) Ibid. *Ὃν πέμπει ὁ οἰκοδεσπότης εἰς ἰδίαν οἰκονομίαν, οὕτως δεῖ ἡμᾶς αὐτὸν δέχεσθαι, ὡς αὐτὸν τὸν πέμψαντα.*

[5]) Epist. ad Magnes. n. 6. *Προκαθημένου τοῦ ἐπισκόπου εἰς τόπον θεοῦ:* coll. ep. ad Trallian. n. 3. ad Rom. n. 9.

subiecti sunt, tanquam Jesu Christo, ii [1]) non secundum hominem sed secundum Jesum Christum vivunt: sine episcopo [2]) ut Jesu Christo et presbyteris ut senatu Dei et concilio Apostolorum ecclesia non vocatur„.

Hanc unitatis vitaeque formam beatus idem martyr aliis [3]) quoque praestituit ecclesiis; sed philadelphiensis non minus celebrat pastorem, quam ovium per illum [4]) concordiam exaltat, tum vero smyrnensem honore Dei et gratia dignam non praedicat [5]), quin eius rei rationem haud obscure in eo sitam affirmet, quod smyrnenses honorarent episcopum neque multitudo exsisterent quae ab episcopo seiungeretur.

Acta martyrii. 11. Verum quam Ignatius ab aliis ecclesiis vitae socialis rationem praeferri optabat, eadem in ecclesia antiochena ipso auctore vigebat. Ut enim in actis sui martyrii legimus [6]): „Ignatius, Apostoli Joannis discipulus, vir erat in omnibus apostolicus, et ecclesiam antiochenorum summa cura regebat, cum veteres procellas multarum sub Domitiano persequutionum aegre praeteriisset, quippe qui instar boni gubernatoris gubernaculo precum ac ieiunii et assiduitate docendi et perpetua contentione spiritus tempestati contrariae restitit, veritus ne quem timidiorum aut simpliciorum amitteret... Unde paucis annis adhuc in ecclesia moratus et divinae instar lucernae intellectum cuiusque interpretatione (divinarum)

---

[1]) Epist. ad Trallian. n. 2. *Ὅταν γὰρ τῷ ἐπισκόπῳ ὑποτάσσεσθε ὡς Ἰησοῦ Χριστῷ, φαίνεσθέ μοι οὐ κατὰ ἄνθρωπον ζῶντες, ἀλλὰ κατὰ Ἰησοῦν Χριστόν.*

[2]) Ibid. n. 3. *Χωρὶς τούτων* (dixit *τὸν ἐπίσκοπον ὡς Ἰησοῦν Χριστὸν ὄντα υἱὸν τοῦ Πατρὸς, τοὺς δὲ πρεσβυτέρους ὡς συνέδριον θεοῦ καὶ ὡς σύνδεσμον ἀποστόλων*) *ἐκκλησία οὐ καλεῖται:* coll. ep. ad Philadelph. inscript.

[3]) Cf. epp. ad Magnes. et Trallian.

[4]) Epist. ad Philadelph. n. 2. *Ὅπου δὲ ὁ ποιμήν ἐστιν ἐκεῖ ὡς πρόβατα ἀκολουθεῖτε. Πολλοὶ γὰρ λύκοι ἀξιόπιστοι ἡδονῇ κακῇ αἰχμαλωτίζουσι τοὺς θεοδρόμους· ἀλλ᾽ ἐν τῇ ἑνότητι ὑμῶν οὐχ ἕξουσιν τόπον.*

[5]) Epist. ad Smyrn. nn. 8. sq. *Ὁ τιμῶν ἐπίσκοπον, ὑπὸ θεοῦ τετίμηται. Πάντα οὖν ὑμῖν ἐν χάριτι περισευέτω· ἄξιοι γάρ ἐστε. Κατὰ πάντα με ἀνεπαύσατε, καὶ ὑμᾶς Ἰησοῦς Χριστός.*

[6]) N. 1. *Ἰγνάτιος ὁ τοῦ ἀποστόλου Ἰωάννου μαθητὴς, ἀνὴρ ἦν (ἐν) τοῖς πᾶσιν ἀποστολικὸς, καὶ ἐκυβέρνα τὴν ἐκκλησίαν Ἀντιοχέων ἐπιμελῶς, τοὺς πάλαι χειμῶνας μόλις παραγαγὼν τῶν πολλῶν ἐπὶ Δομετιανοῦ διωγμῶν, καθάπερ κυβερνήτης ἀγαθὸς, τῷ οἴακι τῆς προσευχῆς καὶ τῆς νηστείας καὶ τῇ συνεχείᾳ τῆς διδασκαλίας, τῷ τόνῳ τῷ πνευματικῷ, πρὸς τὴν ζάλην τὴν ἀντικειμένην ἀντεῖχεν· δεδοικὼς μή τινα τῶν ὀλιγοψύχων ἢ ἀκεραιοτέρων ἀποβάλῃ . . . Ὅθεν ἔτεσιν ὀλίγοις ἔτι παραμένων τῇ ἐκκλησίᾳ καὶ λύχνου δίκην θεϊκοῦ τὴν ἑκάστου φωτίζων διάνοιαν διὰ τῆς τῶν (θείων) γραφῶν ἐξηγήσεως ἐπετύγχανεν τῶν κατ᾽ εὐχήν.*

Scripturarum[1]) illustrans, votorum suorum (scilicet martyrii) compos factus est„. Videlicet egregie de sollicitudine pastoris.

3. Episcopus aetate apostolicis temporibus suppari.

Justinus. 12. Quae quidem paterna filiorum suorum cura apprime convenit cum ea ratione socialis vitae, quam Ignatio suppar Justinus veluti omnibus generatim ecclesiis communem describit[2]) eoque pertinentem, ut fideles fratrum instar consociati familiae formam praeferrent subiecti uni, nimirum episcopo „qui fratribus praeesset„. Ab eo ergo uti a patrefamilias filiorum operatio pendebat: illi ut fratrum προεστῶτι debebatur subiectio ac subordinatio: ipse est ecclesiastici regiminis fons atque centrum. *Obedientiae lex.* Hinc porro obedientiae sive ὑποταγῆς lex, quam inde a Petro[3]) et Paulo[4]) veteres universi constantissime inculcarunt cum *Irenaeus.* Irenaeo[5]) colligente: „Quapropter eis, qui in ecclesia sunt, presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis sicut ostendimus, qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt„.

II. De πολιτείας subiecto dependente seu determinato.

Paulus. 13. Sed ad quosnam semet lex illa protendit? quinam sunt obnoxii, quoque pacto ac iure? Laudat Paulus corinthiorum ecclesiam propter omnium obedientiam[6]) quomodo cum timore et tremore exceperint Titum.

---

[1]) Ab ipsis ergo ecclesiae originibus Scripturarum interpretatio fiebat publico eodemque authentico magisterio.

[2]) Apolog. I. pro christ. n. 65. Ἡμεῖς δὲ μετὰ τὸ οὕτως λοῦσαι τὸν πεπεισμένον καὶ συγκατατεθειμένον ἐπὶ τοὺς λεγομένους ἀδελφοὺς ἄγομεν . . . ἔπειτα προσφέρεται τῷ προεστῶτι τῶν ἀδελφῶν ἄρτος καὶ ποτήριον ὕδατος καὶ κράματος. „Quem προεστῶτα vocat Justinus, ita scite Petavius dissertatt. ecclesiast. l. I. c. VI. n. 7. hunc „Praesidentem„ Tertullianus nominat in libro de corona *Tertullianus.* militis capite tertio, ubi „Eucharistiae sacramentum christianos, ait, non de aliorum manu sumere, quam praesidentium.„ Etenim per illa tempora episcopi ipsi fere sacris operabantur, et eucharistiam iis, qui aderant, praebebant. Neque *Petavius.* hoc tantum sacramentum, sed etiam baptismum praecipuo iure administrabant.„

[3]) L. c.

[4]) II. Cor. II. 9. coll. ibid. VII. 15. et Hebr. XIII. 17. de quibus vide sis de eccles. Chr. l. c.

[5]) Advers. haer. l. IV. c. 26. coll. constitutt. apost. l. II. c. 26. ap. Coteler. PP. ap. t. I. pp. 241. sq.

[6]) II. Cor. VII. 14. 15. Ἡ καύχησις ἡμῶν ἡ ἐπὶ Τίτου ἀλήθεια ἐγενέθη· καὶ τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ περισσοτέρως εἰς ὑμᾶς ἐστιν, ἀναμιμνησκομένου τὴν πάντων ὑμῶν ὑπακοὴν, ὡς μετὰ φόβου καὶ τρόμου ἐδέξασθε αὐτόν.

1. Generatim omnes fidelium ordines.

14. Secundum hanc formam apostolicam interrogationi reponit[1]) *Ignatius.* Ignatius: „Ad unum omnes nominatim (et singuli) per gratiam convenitis in una fide et in uno Jesu Christo, qui secundum carnem ex genere David filius est hominis et filius Dei, ut obediatis episcopo et presbyterio mente indivulsa frangentes panem unum, qui pharmacum immortalitatis est, antidotum ne moriamur, sed vivamus semper in Jesu Christo„.

2. Speciatim membra ordinis hierarchici.

15. Neque ab hac universorum obedientia episcopis praestanda sive presbyteros Ignatius excepit sive diaconos; sed ita presbyteris diaconos et utrisque laicos seu populum inferiores esse ostendit, ut eorundem erga episcopos obedientiam vehementer inculcaverit. Eo scilicet vehementius illorum obsequium inculcavit, quo iidem opportuniora magisque necessaria veluti *ὄργανα* exsistant ad reliquos fidelium ordines in unitate cum episcopo continendos. Hoc igitur inculcavit ille celebrando concupiendoque [2]) propterea Sotionem diaconum „quia subditus est episcopo ut benignitati [3]) Dei, et presbyterio ut legi Jesu Christi„. Hoc rursus inculcavit modum

---

[1]) Epist. ad Ephes. n. 20. *Οἱ κατ᾽ ἄνδρα κοινῇ πάντες ἐν χάριτι ἐξ ὀνόματος συνέρχεσθε ἐν μιᾷ πίστει καὶ ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ τῷ κατὰ σάρκα ἐκ γένους Δαβὶδ τῷ υἱῷ ἀνθρώπου καὶ υἱῷ θεοῦ εἰς τὸ ὑπακούειν ὑμᾶς τῷ ἐπισκόπῳ καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ ἀπερισπάστῳ διανοίᾳ ἕνα ἄρτον κλῶντες, ὅς ἐστιν φάρμακον ἀθανασίας ἀντίδοτος τοῦ μὴ ἀποθανεῖν, ἀλλὰ ζῆν ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ διὰ παντός.*

[2]) Ad Magnes. n. 2. *Τοῦ συνδούλου μου διακόνου Σωτίωνος . . . ἐγὼ ὀναίμην ὅτι ὑποτάσσεται τῷ ἐπισκόπῳ ὡς χάριτι θεοῦ καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ ὡς νόμῳ Ἰησοῦ Χριστοῦ.*

[3]) *Ὡς χάριτι θεοῦ* i. e. adnotat Hefele, ut eam Dei gratiam quae illum episcopum constituit: quasi diceret, ut constituto per Dei gratiam sive constituto divinitus episcopo: sed nonne convenientius cum vi dictionis aptiusque ad mentem Ignatii foret, si *χάριν θεοῦ* acceperis similiter ac Paulus loquitur ad Titum III. 4. et II. 11. *ἐπεφάνη γὰρ ἡ χάρις τοῦ θεοῦ ἡ σωτήριος πᾶσιν ἀνθρώποις κ. τ. λ.? ὑποστατικῶς* nimirum ac substantive? gratia enimvero eaque immensa est ipse Deus visibiliter apparens uti Salvator generis et uti pastor animarum nostrarum. Atqui passim praecipit Ignatius obediendum esse episcopo uti Christo ipsi Jesu. Hinc diceret Ignatius „subiectus est episcopo ut Dei gratiae seu benignitati„ h. e. uti Deo qui est benignitas, uti Deo si tanquam gratia et benignitas adhuc praesens compareret; „et presbyterio ut legi Jesu Christi„ altero scilicet gradu subiectus est, non ut ipsi Deo primoque pastori, sed ut legi institutionique ab illo profectae. Quibus praeclare tum graduum tum dignitatis auctoritatisque distinctio inter presbyteros non modo et diaconos, sed etiam episcopos inter atque presbyteros exprimitur.

illico [1]) titulumque obsequii adducendo: „Sed et vos decet non familiarius uti aetate episcopi, sed respectu potentiae Dei Patris omnem impertiri illi reverentiam, quemadmodum cognovi sanctos facere presbyteros, qui non temere diiudicant conspicuam illius conditionem [2]) iuvenilem, sed ut prudentes in Deo ei cedunt; non ei autem, sed Patri Jesu Christi, omnium episcopo„.

16. Hinc autem ordinatum obsequium erga ordinem hierarchicum totum inculcavit praecipiens [3]) trallianis: „Cuncti similiter revereantur diaconos ut mandatum [4]) Jesu Christi, et episcopum ut

---

[1]) Ibid. n. 3. *Καὶ ὑμῖν δὲ πρέπει μὴ συγχρᾶσθαι τῇ ἡλικίᾳ τοῦ ἐπισκόπου, ἀλλὰ κατὰ δύναμιν θεοῦ πατρὸς πᾶσαν ἐντροπὴν αὐτῷ ἀπονέμειν, καθὼς ἔγνων καὶ τοὺς ἁγίους πρεσβυτέρους οὐ προειληφότας τὴν φαινομένην νεωτερικὴν τάξιν, ἀλλ' ὡς φρονίμους ἐν θεῷ συγχωροῦντας αὐτῷ· οὐκ αὐτῷ δὲ ἀλλὰ τῷ πατρὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ τῷ πάντων ἐπισκόπῳ.*

[2]) Haec sunt similia Pauli adhortationi I. Tim. IV. 12. coll. I. Cor. XVI. 10. sq. Porro de vi phrasis *νεωτερικὴ τάξις* vide insignem disputationem J. Pearson. vindic. Ignat. ad lector.

[3]) Epist. ad Trall. n. 3. *Ὁμοίως πάντες ἐντρεπέσθωσαν τοὺς διακόνους ὡς ἐντολὴν Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ τὸν ἐπίσκοπον ὡς Ἰησοῦν Χριστὸν ὄντα υἱὸν τοῦ πατρὸς, τοὺς δὲ πρεσβυτέρους ὡς συνέδριον θεοῦ καὶ ὡς σύνδεσμον ἀποστόλων. Χωρὶς τούτων ἐκκλησία οὐ καλεῖται.*

[4]) Uti superius ex lege Christi diaconos subiectos perhibuit presbyteris, ita hic diaconis obsequium adhibendum praescribit a populo secundum mandatum Jesu Christi: utrumque vero, quia id flagitat repetenda a Christo auctore dignitas ordinis, quo excellunt presbyteri prae diaconis et hi ipsi prae populo. Ita docet iterum Tertullianus de baptismo capite 17. „Dandi quidem (huius sacramenti) habet ius, inquit, summus sacerdos, qui est episcopus. Dehinc presbyteri et diaconi; non tamen sine episcopi auctoritate, propter ecclesiae honorem, quo salvo salva pax est.„ Scilicet ad normam canonis apostolici XXXIX. ap. Bevereg. sed ap. Coteler. XXXII. PP. apost. t. I p. 447. *Οἱ πρεσβύτεροι καὶ οἱ διάκονοι ἄνευ γνώμης τοῦ ἐπισκόπου μηδὲν ἐπιτελείτωσαν· αὐτὸς γάρ ἐστιν ὁ πεπιστευμένος τὸν λαὸν τοῦ κυρίου, καὶ τὸν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν αὐτῶν λόγον ἀπαιτηθησόμενος:* „Presbyteri et diaconi absque sententia et voluntate episcopi nihil peragant: ipse enim est, cui concreditus fuit populus domini, et a quo de animabus eorum ratio reposcetur.„ De quibus vide Petavium dissertatt. ecclesiast. l. I. c. VI. n. 7. Eadem in syntagmate alphabet. litt. K. cap. XVIII. Matthaeus monachus sive Blastaris ap. Bevereg. t. II. p. 159. ita complectitur: „Sanctorum Apostolorum XXXIX canon presbyteris et diaconis non licere iubet, sine episcopi sententia ea facere, quae illi permittuntur et soli, qui sortitus est populi tutelam et a quo pro animabus eorum ratio exigenda est; dico quidem solvere et vincire peccata et vel minuere vel intendere poenas.„ *Ὁ τῶν ἁγίων ἀποστόλων λθ'. κανών, πρεσβυτέροις καὶ διακόνοις μὴ ἐξεῖναι κελεύει δίχα γνώμης τοῦ ἐπισκόπου πράττειν ἅπερ αὐτῷ ἀνεῖται καὶ μόνῳ τῷ τὴν προστασίαν τοῦ λαοῦ ἐπιτετραμμένῳ, καὶ λόγον ὑπὲρ τῶν ψυχῶν αὐτῶν καὶ εὐθύνας μέλλοντι δώσειν· λέγω δὴ τὸ, λύειν καὶ δεσμεῖν τὰ ἡμαρτημένα, καὶ ἢ μειοῦν ἢ ἐπιτείνειν τὰ ἐπιτίμια.*

Tertullianus. *Canon. apost.* *Matth. Blastaris.*

Jesum Christum filium patris, et presbyteros ut senatum Dei et [1]) concilium Apostolorum. Sine his ecclesia non vocatur„. Atque hanc *θεωρίαν* apud trallianos ad *πρᾶξιν* fuisse deductam ostendit [2]) subdens: „De his vos ita sentire persuasum habeo: Exemplar [3]) enim caritatis vestrae accepi et mecum habeo in episcopo vestro, cuius ipse habitus magna disciplina est, mansuetudo vero eius potentia, quem ut existimo et impii ipsi reverentur, quibus etiam placet quod ego mihi non parcam„.

3. Ordinatae subiectionis necessitas.

17. Hanc vero *πρᾶξιν* atque *πολιτείαν* tam necessariam antiquus ille habuit [4]), quam concordiam mutuam omniumque caritatem, quae in episcopo diligendo maxime emicaret. Unde iterum universos monuit:„Decet enim singulos vestrum et praecipue presbyteros, recreare episcopum in honorem Patris, Jesu Christi et [5]) Apostolorum„: fontis nimirum supremi, e quo omnis potestas in coelo et in terra collata, atque selectorum ab eodem ministrorum, in quos potestatis plenitudo derivata fuit. Quare eadem tandem cum in reliquis epistolis inculcavit tum ad Polycarpum [6]) scribens: „Episcopo attendite, ut Deus vobis attendat. Utinam ego vicissim recreare eos possim, qui subditi sunt episcopo, presbyteris, diaconis„. Quibus Ignatius

I. ordinem indicat hierarchiae: significat

---

[1]) Incisum hoc *ἐπεξήγησιν* dixeris incisi prioris: senatus enim Dei **τοῦ θεανθρώπου** ipsum erat Apostolorum concilium.

[2]) Ibid. *Περὶ ὧν πέπεισμαι ὑμᾶς οὕτως ἔχειν. Τὸ γὰρ ἐξεμπλάριον τῆς ἀγάπης ὑμῶν ἔλαβον καὶ ἔχω μεθ᾽ ἑαυτοῦ ἐν τῷ ἐπισκόπῳ ὑμῶν, οὗ αὐτὸ τὸ κατάστημα μεγάλη μαθητεία, ἡ δὲ πραότης αὐτοῦ δύναμις· ὃν λογίζομαι καὶ τοὺς ἀθέους ἐντρέπεσθαι ἀγαπῶντας ὡς οὐ φείδομαι ἑαυτοῦ.*

[3]) Exemplar, *ἐξεμπλάριον* I. ad Tim. IV. 12. coll. Tit. II. 7. **τύπος** vocatur, forma sive norma, quam episcopi in seipsis praeferre fidelibus ex Pauli praecepto debent.

[4]) Ibid. n. 12. *Πρέπει γὰρ ὑμῖν τοῖς καθ᾽ ἕνα ἐξαιρέτως καὶ τοῖς πρεσβυτέροις ἀναψύχειν τὸν ἐπίσκοπον εἰς τιμὴν πατρὸς, Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ τῶν ἀποστόλων.*

[5]) Apostolorum quibus episcopi succedunt: Jesu Christi, pro quo iidem legatione funguntur: Patris, qui filium suum unigenitum misit in mundum.

[6]) Epist. ad Polycarp. n. 6. *Τῷ ἐπισκόπῳ προσέχετε, ἵνα καὶ ὁ θεὸς ὑμῖν. Ἀντίψυχον ἐγὼ τῶν ὑποτασσομένων τῷ ἐπισκόπῳ, πρεσβυτέροις, διακόνοις.* Cum his plane conspirant quae in collectione canonum synodicorum epit. can. apost. can. XXX. sqq. leguntur ap. Mai scriptt. vett. t. X. par. I. pp. 10. sq. quaeque ibid. par. II. pp. 4. sqq. habentur in eccles. antioch. syror. nomocan. c. I. „De ecclesia eiusque regimine.„

II. supremum hierarchicum gradum: exprimit

III. necessitatem omnium subiectionis: et eam quidem *Rei summa.*

IV. tantam quanta est Dei cura de nobis: et quanta est

V. salutis necessitas; „qui [1]) enim se maiorem episcopo censeat, interiit„.

18. Qua antiqua norma imbutus Constantium imperatorem sic alloquitur Lucifer [2]) calaritanus: „Apprehende amoeniter quod te ducat ad convivium Abrahae, Isaac et Jacob, Dei amicorum, tu qui ausus fueris homo totius iniustitiae iustum te aestimare, omnibus te praeponens Dei iudicio sanctae ecclesiae constitutis episcopis; fidemque sanctam, quam semper tenuit ac tenet ecclesia, reprobans fueris nisus blasphemiam sacrilegi tui Arii ore prolatam nunc per satellites tuos, nunc edicto tuo, nunc spiritibus immundis referto ore tuo praedicare, et iuste (iure te) perfectum cultorem Dei et omnia sancte agentem vocitare, cum adhuc te neque crudelior, neque detestabilior, neque in blasphemiis maiorum quam (maior umquam) quisquam eorum regum, qui tyranni nuncupantur, fuisse reperiatur„. Verum si admonitione hac gravissima calaritanus praesul auctoritatem episcopalem in imperatorem ostendit, multo eam disertius expressit [3]) subdens: „Nobis igitur scias magis datam divinitus potestatem, ut te, dum damnare nos putas, damnemus; dum punire nos posse praesumis, te Constantium sacrilegum puniamus. Siquidem ille, quem negas, dare nobis episcopis suis fuit dignatus auctoritatem, ut quaecunque ligaverimus in terris, sint ligata et in coelis.„

Lucifer calar.

In Constantium imperat.

19. Subiectum ergo determinatum necessariae *ὑποταγῆς* ministri erant sacri omnes et laici tam nobiles quam ignobiles, ita ut nullus in Dei ecclesia esset, qui potestati episcopali non subiiceretur. Unde illustre illud Ignatii [4]) interpollati epiphonema: „Quid est episcopus, nisi supra omnem principatum et potestatem omnibus imperans: quatenus homo imperare potest, qui pro facultate factus est imitator Christi Dei?„ Tum singulare hoc [5]) constitutionum apostolicarum

---

[1]) Ibid. n. 5. *Ἐὰν γνωσθῇ πλέον τοῦ ἐπισκόπου, ἔφθαρται.*

[2]) In libro „moriendum esse pro Dei Filio„ ap. Galland. t. VI. n. 22. p. 253.

[3]) Ibid. n. 29. p. 255.

[4]) Ad Trallens. n. 7. ap. Coteler. t. II. p. 63. *Τί γάρ ἐστιν ἐπίσκοπος; ἀλλ' ἢ πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας ἐπέκεινα πάντων κρατῶν, ὡς οἷόν τε ἄνθρωπον κρατεῖν μιμητὴν γινόμενον κατὰ δύναμιν Χριστοῦ τοῦ θεοῦ.*

[5]) Lib. II. cap. 11. ap. Coteler. t. I. pp. 221. sq. coll. c. 18. *Διὰ τοῦτο οὖν, ἐπίσκοπε, σπούδαζε καθαρὸς εἶναι τοῖς ἔργοις, γνωρίζων τὸν τρόπον σου καὶ τὴν*

Constit. apost. caput: „Quocirca, episcope, stude immaculatis actibus locum dignitatemque tuam patefacere, quia inter homines figuram obtines Dei praesidendo cunctis mortalibus, sacerdotibus, regibus, principibus, patribus, filiis, doctoribus, cunctis, qui omnes pariter tibi subiecti sunt„.

III. De obiecto *πολιτείας* obnoxio.

20. Verum quum de hac ab omnibus episcopo praestanda *ὑπακοῆς* et *ὑποτάξεως* ratione nullum obversari dubium apud eos possit, qui episcopos non modo laicis, sed diaconis quoque et presbyteris [1]) superiores habent; tum illud iam in controversiam adducitur gravissimam, quod sit *πολιτικῆς* determinationis obiectum? nimirum quaenam sit obiecti amplitudo, ad quod semet protendit episcopalis potestas, vi cuius *ἡ πολιτεία* ecclesiastica determinatur.

1. Obiecti universitas generatim.

21. Atqui novimus episcopum in terris uti Patris aeterni altissimique episcopi vicarium et ipsius Salvatoris Christi vices gerentem: inde cognoscitur tanquam potestatis regiminisque ecclesiastici fons ac vitae socialis omnis in sua ecclesia centrum. Quare praeter et contra ipsum nihil quod ad ecclesiam attinet rite iubetur, sine ipso nihil quod eiusmodi sit rite agitur.

22. Et haec quidem est non mea conclusio, verum disertissima est Veterum omnium doctrina ac traditio constans. Ita tradit praeter Clementem romanum [2]) cuius sententiam exposuimus, beatus rursum Ignatius, idque omnibus modis: tam affirmando quam negando, universim atque per partes. Affirmando [3])

ἀξίαν, ὡς θεοῦ τύπον ἔχων ἐν ἀνθρώποις, τῷ πάντων ἄρχειν ἀνθρώπων, ἱερέων, βασιλέων, ἀρχόντων, πατέρων, υἱῶν, διδασκάλων, καὶ πάντων ὁμοῦ τῶν ὑπακόων.

[1]) De quibus vide sis Petavium theol. dogm. t. III. de hier. eccl. coll. Joan. Pearson. vindic. Ignat. ap. Coteler. PP. apost. t. II. pp. 332. sqq.

[2]) Cf. epist. I. ad. Cor. n. 41. de quibus superius diximus.

[3]) Epist. ad Magnes. n. 13. *Σπουδάζετε οὖν βεβαιωθῆναι ἐν τοῖς δόγμασιν τοῦ κυρίου καὶ τῶν ἀποστόλων, ἵνα πάντα ὅσα ποιῆτε κατευοδωθῆτε σαρκὶ καὶ πνεύματι, πίστει καὶ ἀγάπῃ ἐν υἱῷ καὶ πατρὶ καὶ ἐν πνεύματι, ἐν ἀρχῇ καὶ ἐν τέλει μετὰ τοῦ ἀξιοπρεπεστάτου ἐπισκόπου ὑμῶν καὶ ἀξιοπλόκου πνευματικοῦ στεφάνου τοῦ πρεσβυτηρίου ὑμῶν καὶ τῶν κατὰ θεὸν διακόνων. Ὑποτάγητε τῷ ἐπισκόπῳ καὶ ἀλλήλοις ὡς Ἰησοῦς Χριστὸς τῷ πατρὶ κατὰ σάρκα, καὶ οἱ ἀπόστολοι τῷ Χριστῷ καὶ τῷ πατρὶ καὶ τῷ πνεύματι· ἵνα ἕνωσις ᾖ σαρκική τε καὶ πνευματική:* „Studete igitur confirmari in doctrinis Domini et Apostolorum, ut omnia quae facitis prospere vobis succedant carne et spiritu (quae simillima sunt verbis Pauli I Thess. V. 23.) fide et caritate in Filio et Patre et Spiritu, in principio et in fine cum dignissimo episcopo vestro et digne contexta

praescribit, ut fideles omnia faciant cum episcopo, et vetando negat [1]) quidquam debere absque episcopo fieri: tum necessarium esse [2]) dicit, ut fideles omnes episcopo subiecti sine episcopo universim nihil agant, atque nemini separatim ab episcopo licere [3])

---

spirituali corona presbyterii vestri et cum diaconis Deo placentibus. Subiecti estote episcopo et vobis mutuo ut Jesus Christus Patri in humana sua natura, et Apostoli Christo et Patri et Spiritui, ut unio sit et carnalis et spiritalis„ in humanis nimirum negotiis atque divinis, in temporalibus et aeternis, in terrenis ac coelestibus.

[1]) Ibid. n. 7. *Ὥσπερ οὖν ὁ κύριος ανευ τοῦ πατρὸς οὐδὲν ἐποίησεν ἡνωμένος ὤν οὔτε δι' ἑαυτοῦ, οὔτε διὰ τῶν ἀποστόλων· οὕτως μηδὲ ὑμεῖς ἄνευ τοῦ ἐπισκόπου καὶ τῶν πρεσβυτέρων μηδὲν πράσσετε. Μηδὲ πειράσητε εὔλογόν τι φαίνεσθαι ἰδίᾳ ὑμῖν· ἀλλ' ἐπὶ τὸ αὐτὸ μία προσευχή, μία δέησις, εἷς νοῦς, μία ἐλπὶς, ἐν ἀγάπῃ, ἐν τῇ χαρᾷ τῇ ἀμώμῳ. Εἷς ἐστὶν Ἰησοῦς Χριστὸς οὗ ἄμεινον οὐδέν ἐστιν:* „Quemadmodum igitur Dominus sine Patre ipsi unitus nihil fecit, neque per se ipsum neque per Apostolos; ita neque vos sine episcopo et presbyteris quidquam peragatis. Neque aggrediamini, ut quidquam a vobis separatim factum decens appareat. Sed in unum convenientibus una sit oratio, una precatio, una mens, una spes, in caritate, in gaudio sancto. Unus est Jesus Christus, quo nihil praestantius est.„

[2]) Ep. ad Trall. n 2. *Ὅταν γὰρ τῷ ἐπισκόπῳ ὑποτάσσεσθε ὡς Ἰησοῦ Χριστῷ, φαίνεσθέ μοι οὐ κατὰ ἄνθρωπον ζῶντες, ἀλλὰ κατὰ Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν δι' ἡμᾶς ἀποθανόντα, ἵνα πιστεύσαντες εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ τὸ ἀποθανεῖν ἐκφύγητε. Ἀναγκαῖον οὖν ἐστιν ὥσπερ ποιεῖτε, ἄνευ τοῦ ἐπισκόπου μηδὲν πράσσειν ὑμᾶς, ἀλλ' ὑποτάσσεσθαι καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ ὡς τοῖς ἀποστόλοις Ἰησοῦ Χριστοῦ, τῆς ἐλπίδος ἡμῶν, ἐν ᾧ διάγοντες εὑρεθησόμεθα:* „Quum enim episcopo subiecti sitis ut Jesu Christo, videmini mihi non secundum hominem, sed secundum Jesum Christum vivere, qui propter nos mortuus est, ut credentes in mortem ipsius mortem effugiatis. Necessarium itaque est, quemadmodum facitis, ut sine episcopo nihil agatis, sed et presbyterio subditi sitis, ut Apostolis Jesu Christi, spei nostrae, in quo conversantes inveniamur„ (accuratius: in quo si conversemur inveniemur): ubi b. martyr 1. rursus per episcopos Christum ipsum, per presbyterium autem Apostolos repraesentari significat: inde vero 2. episcopis presbyteros non inferiores tantum sistit, verum etiam indicat simili ratione ad episcopos referri presbyteros, qua ad Christum Apostoli, et hinc ut a Christo potestas omnis in Apostolos ita ex episcopis presbyterorum potestatem descendere.

[3]) Ep. ad Smyrn. n. 8. *Μηδεὶς χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου τι πρασσέτω τῶν ἀνηκόντων εἰς τὴν ἐκκλησίαν. Ἐκείνη βεβαία εὐχαριστία ἡγείσθω ἡ ὑπὸ τὸν ἐπίσκοπον οὖσα ἢ ᾧ ἂν αὐτὸς ἐπιτρέψῃ. Ὅπου ἂν φανῇ ὁ ἐπίσκοπος, ἐκεῖ τὸ πλῆθος ἔστω· ὥσπερ ὅπου ᾖ Χριστὸς Ἰησοῦς, ἐκεῖ ἡ καθολικὴ ἐκκλησία. Οὐκ ἐξὸν ἔστιν χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου οὔτε βαπτίζειν οὔτε ἀγάπην ποιεῖν· ὃ ἂν ἐκεῖνος δοκιμάσῃ τοῦτο καὶ τῷ θεῷ εὐάρεστον, ἵνα ἀσφαλὲς ᾖ καὶ βέβαιον πᾶν ὃ πράσσεται:* „Separatim ab episcopo nemo quidquam faciat eorum, quae ad ecclesiam spectant. Valida eucharistia habeatur illa, quae sub episcopo peragitur vel sub eo cui ipse concesserit. Ubi comparuerit episcopus, ibi et multitudo sit; quemadmodum ubi fuerit Christus Jesus, ibi catholica est ecclesia. Non licet sine episcopo

contendit, eorum quidpiam pertractare, quae ad ecclesiam spectant, nisi cui episcopus ipse idem concesserit. Enimvero ab auctoritate eius solius, inquit, ecclesiasticos actus mutuare, ut sani sint ac firmi: ab unitate cum episcopo repeti, ut ecclesiae unitas expressa sit [1]) ad divinum Trinitatis exemplar et ad terrestre Christi cum Apostolis *πρωτότυπον*: sed neque christianam esse neque ad Christi voluntatem exactam fidelium vitam, nisi obedientia episcopo praestetur, neque ullum, ut oportet, christianum, quippe qui sui potestatem [2]) non habet, Deo vacare, nisi profectis ab episcopo decretis morigeras aures praebuerit.

2. Summa rei obnoxiae per partes.

23. Jamvero decreta eiusmodi, quibus per Ignatium obediendum ab omnibus sit, non ad sacramenta tantum sacrosque ritus respiciunt, sed ambitu suo ad negotia ecclesiae universa semet extendunt, ita ut universitati subiecti obnoxii, quo ecclesia constituitur, universitas respondeat obiecti, quod itidem episcopali auctoritati obnoxium sit: scilicet quisquis ad ecclesiam spectat, ab episcopo dependet, et quidquid ad ecclesiam pertinet, pastorali illius sollicitudini ac curae subiicitur. Hanc esse exploratam Ignatii mentem praestituta patefaciunt, tum ea persuadent, quibus de pastorali suo officio beatum Polycarpum admonet. Porro sollicitudini eiusdem singulos commendat [3]) et cunctos: dominos cum servis [4])

Ignatius.

---

neque baptizare neque agapen celebrare, sed quodcunque ille probaverit hoc et Deo est beneplacitum, ut firmum et validum sit omne quod peragitur.„ Cf. Thomassin. vet. et nov. eccl. discipl. p. I. lib. I. c. 2.

[1]) Cf. op. c. de eccles. Christi l. III. c. 33. de causa exemplari.

[2]) Ep. ad Polycarp. n. 7. *Πρέπει, Πολύκαρπε θεομακαριστότατε, συμβούλιον ἀγαγεῖν θεοπρεπέστατον, καὶ χειροτονῆσαί τινα ὃν ἀγαπητὸν λίαν ἔχετε καὶ ἄοκνον, ὃς δυνήσεται θεόδρομος καλεῖσθαι· τοῦτον καταξιῶσαι, ἵνα πορευθεὶς εἰς Συρίαν δοξάσῃ ὑμῶν τὴν ἄοκνον ἀγάπην εἰς δόξαν Χριστοῦ. Χριστιανὸς ἑαυτοῦ ἐξουσίαν οὐκ ἔχει, ἀλλὰ θεῷ σχολάζει:* „Decet, Polycarpe divinitus benedictissime, concilium cogere ad Deum decentissimum, et eligere aliquem, quem valde carum habeatis et impigrum, qui poterit divinus cursor appellari, illumque eo dignari honore, ut in Syriam profectus impigram caritatem vestram ad Dei gloriam celebret. Christianus sui potestatem non habet, sed Deo vacat:„ huic igitur principi suo officio, quo cum Deo vincitur, reliqua vitae negotia christianus subordinet, opusque Dei habeat, quod episcopi nomine in ecclesiae commodum perficit: „Hoc est opus Dei et vestrum, quando id in illius honorem perfeceritis„ *τοῦτο τὸ ἔργον θεοῦ ἐστιν καὶ ὑμῶν, ὅταν αὐτῷ ἀπαρτίσητε*: cf. ibid. n. 8.

[3]) Ep. ad Polycarp. n. 1.

[4]) Ibid. n. 4.

et ancillis, nuptos, innuptos [1]) et viduas [2]); atque curam eidem totius illorum vitae praescribit: coniugii et nuptiarum, libertatis ac servitutis, usque ad modum, quo [3]) servi in libertatem asserendi non sint. Scilicet hanc generatim legem [4]) episcopo dicit: „Nihil sine tua voluntate fiat, neque tu quidquam sine voluntate Dei agas„. Eccur? Ut „omnia [5]) ad honorem Dei fiant„. Tum credentibus [6]) omnibus hoc scribit officium: „Episcopo attendite, ut et Deus vobis attendat„.

24. Quam insignem doctrinam tradere continuat Justinus [7]) qui episcopum non modo *τὸν προεστῶτα* fidelium iugiter nuncupat, sed eidem quoque prae omnibus [8]) fidelibus potestatem tribuit, tum [9]) ad sacra et sacramenta tractanda, tum [10]) in ipsa beneficentiae opera, quibus pauperes, pupilli ac viduae, aegroti et advenae subleventur. „Etenim qui abundant, inquit, et bonae voluntatis exsistunt, suo arbitrio quod quisque vult largiuntur, et quod colligitur apud eum, qui praeest, deponitur, ac ipse subvenit pupillis et viduis et iis, qui vel ob morbum vel ob aliam causam *Justinus.*

---

[1]) Ibid. n. 5.

[2]) Ibid. *Αἱ χῆραι μὴ ἀμελείσθωσαν.*

[3]) Ibid. n. 4. *Ἐξ ὀνόματος πάντας ζήτει. Δούλους καὶ δούλας μη ὑπερφάνει· ἀλλὰ μηδὲ αὐτοὶ φυσιούσθωσαν, ἀλλ᾽ εἰς δόξαν θεοῦ πλέον δουλευέτωσαν, ἵνα κρείττονος ἐλευθερίας ἀπὸ θεοῦ τύχωσιν. Μὴ ἐράτωσαν ἀπὸ τοῦ κοινοῦ ἐλευθεροῦσθαι, ἵνα μὴ δοῦλοι εὑρεθῶσιν ἐπιθυμίας:* „Nominatim omnes quaere; servos et ancillas ne contemnas; sed nec ipsi superbiant, verum ad gloriam Dei plus serviant, ut potiorem libertatem a Deo consequantur. Non desiderent communibus sumptibus e servitute redimi, ne servi inveniantur cupiditatis.„ *Servitus.*

[4]) Ibid. *Μηδὲν ἄνευ γνώμης σου γινέσθω, μηδὲ σὺ ἄνευ θεοῦ (γνώμης) τι πρᾶσσε· ὅπερ οὐδε πράσσεις εὐσταθής:* „Nihil sine tua voluntate fiat, neque tu quidquam sine Dei voluntate agas; quod nec facis quum sis constans.„

[5]) Ibid. n. 5. *Πρέπει δὲ τοῖς γαμοῦσι καὶ ταῖς γαμουμέναις μετὰ γνώμης τοῦ ἐπισκόπου τὴν ἕνωσιν ποιεῖσθαι, ἵνα ὁ γάμος ᾖ κατὰ θεὸν, καὶ μὴ κατ᾽ ἐπιθυμίαν. Πάντα εἰς τιμὴν θεοῦ γινέσθω:* „Decet vero ut sponsi et sponsae de sententia episcopi coniugium faciant, ut nuptiae secundum Dominum sint non secundum cupiditatem. Omnia ad honorem Dei fiant.„ *Matrimonium.*

[6]) Ibid. n. 6. *Τῷ ἐπισκόπῳ προσέχετε, ἵνα καὶ ὁ θεὸς ὑμῖν.*

[7]) Apolog. I. pro christian.

[8]) Ibid. nn. 65. 66. 67.

[9]) Ibid.

[10]) Ibid. n. 67. *Οἱ εὐποροῦντες δὲ καὶ βουλόμενοι, κατὰ προαίρεσιν ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ, ὃ βούλεται δίδωσι· καὶ τὸ συλλεγόμενον παρὰ τῷ προεστῶτι ἀποτίθεται, καὶ αὐτὸς ἐπικουρεῖ ὀρφανοῖς τε καὶ χήραις, καὶ τοῖς διὰ νόσον, ἢ δι᾽ ἄλλην αἰτίαν λειπομένοις καὶ τοῖς ἐν δεσμοῖς οὖσι, καὶ τοῖς παρεπιδήμοις οὖσι ξένοις, καὶ ἁπλῶς πᾶσι τοῖς ἐν χρείᾳ οὖσι κηδεμὼν γίνεται.* *Externa misericordiae opera.*

egent, tum etiam iis, qui in vinculis sunt, et advenientibus peregre hospitibus: uno verbo omnium indigentium curam suscipit„.

25. Aetate igitur apostolica eidemque suppari ad episcopum non pertinebat tantum theoretica, ut ita dicam, populi in verbo Dei institutio, neque practica sacramentorum dumtaxat administratio; verum ad illius sollicitudinem ac curam spectabant, cum vita necessitatesque sacerdotum et cleri, tum vita necessitatesque viduarum ac pauperum, quin imo vitae ratio spectabat gregis universi. Hoc namque munus iniunctum sibi esse censebat sanctus

Cyprianus. martyr Cyprianus, qui propterea[1]) de Felicissimo conquerens: „Vehementer contristatus sum, scribit, fratres carissimi, acceptis litteris vestris, ut quum mihi propositum semper et votum sit, universam fraternitatem nostram incolumem continere et illibatum gregem, secundum quod caritas exigit, reservare; nunc nuntietis, Felicissimum multa improbe et insidiose esse molitum; ut praeter fraudes veteres et rapinas, de quibus iam pridem multa cognoveram, nunc quoque cum episcopo portionem plebis dividere, idest a pastore oves et filios a parente separare, et Christi membra dissipare tentaverit. Cumque ego ad Caldonium, Herculanum et ceteros, vos pro me vicarios miserim, ut expungeretis necessitates fratrum nostrorum sumptibus, si qui etiam vellent suas artes exercere, additamento quantum satis esset desideria eorum iuvaretis, simul etiam et aetates eorum et conditiones et merita discerneretis, ut etiam nunc ego, cui cura incumbit, omnes optime nosse, ut dignos quosque et humiles et mites ad ecclesiasticae administrationis officia promoverem, ille intercesserit, ne quis posset expungi, neve ea quae desideraveram possent diligenti examinatione discerni, comminatus sit etiam fratribus nostris, qui primi expungi accesserant, potentatu improbo et terrore violento, quod secum in morte non communicarent, qui nobis obtemperare voluissent„.

26. Atque totum id operis reapse iniunctum sibi antiquitus episcopos ecclesiae existimasse, docemur[2]) tum auctoritate canonum apo-

---

[1]) Epist. XXXVIII.

[2]) De vindiciis autem codicis canonum ecclesiae universalis praeclare disseruit idem Guil. Bevereg. ap. Coteler. Pat. apost. tom. II. p. II. coll. quae nunc em. Pitra de iisdem exposuit iur. eccl. graec. hist. et monum. t. I. synops. hist. art. I.

stolicorum ita [1]) statuentium: „Omnium rerum ecclesiasticarum episcopus curam gerat, et eas administret tanquam Deo intuente. Ne liceat autem ex iis aliquid sibi vendicare vel propriis cognatis, quae Dei sunt, largiri. Si autem sint pauperes, ut pauperibus suppeditet, sed non eorum praetextu vendat, quae sunt ecclesiae„: tum praescriptis constitutionum apostolicarum, quibus[2]) episcopi dignitate auctoritateque in totum fidelium coetum declarata hoc colligitur: „Quemadmodum igitur alienigenae, qui non erat de tribu levitica, non licebat offerre aliquid, aut ad aram accedere sine sacerdote; ita et vos sine episcopo nihil agite. Quodsi quis sine episcopo aliquid faciat, illud frustra facit, nec ipsi in opus reputabitur„. Sicut ergo ordo rerum sacrarum atque divinus est profecto praestantissimus omnium et supremus, ita suprema in eodem potestas est episcopalis, qua spectata videri [3]) debeat „aequissimum, venerari in antistitibus Dominum Deum, et existimare episcopos esse os Dei„: qui uti Moyses per Aaron [4]) ita loquantur per diaconos, perque eosdem ita operentur, ut „quaecunque [5]) diaconus erga quempiam facit, manifesta fiant episcopo, per quem et perficiantur. Nihil vero [6]) prorsus sine episcopo diaconus faciat, nec ulli quidpiam absque illius voluntate largiatur„. *Bona eccles.*

---

[1]) Can. XXXVIII. ap. Bevereg. *Συνοδικ.* sive pandect. canon. t I. p. 26. *καν. λή. Πάντων τῶν ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων ὁ ἐπίσκοπος ἐχέτω τὴν φροντίδα καὶ διοικείτω αὐτὰ ὡς τοῦ θεοῦ ἐφορῶντος· μὴ ἐξεῖναι δὲ αὐτῷ σφετερίζεσθαί τι ἐξ αὐτῶν ἢ συγγενέσιν ἰδίοις τὰ τοῦ θεοῦ χαρίζεσθαι· εἰ δὲ πένητες εἶεν, ἐπιχορηγείτω ὡς πένησιν, ἀλλὰ μὴ προφάσει τούτων τὰ τῆς ἐκκλησίας ἀπεμπωλείτω.* Quibus simillima et alibi in illis leguntur et complectitur conc. VII. can. 12. *Canon. apostol.*

[2]) Libro II. cc. 26. 27. ap. Coteler. PP. ap. t. I. p. 242. *Ὡς οὖν οὐκ ἦν ἐξὸν ἀλλογενῆ, μὴ ὄντα Λευίτην, προσενέγκαι τι ἢ προσελθεῖν εἰς τὸ θυσιαστήριον ἄνευ τοῦ ἱερέως, οὕτω καὶ ὑμεῖς ἄνευ τοῦ ἐπισκόπου μηδὲν ποιεῖτε. εἰ δέ τις ἄνευ τοῦ ἐπισκόπου ποιεῖ τι, εἰς μάτην ποιεῖ αὐτό· οὐ γὰρ αὐτῷ εἰς ἔργον λογισθήσεται.* *Constitutt. apost.*

[3]) Ibid. p. 245. *Δίκαιον . . . τιμᾷν διὰ τῶν προεστώτων κύριον τὸν θεὸν, ἡγουμένους στόμα θεοῦ εἶναι τοὺς ἐπισκόπους.* Neque aliter cc. sqq.

[4]) Ibid. c. 30. *Νῦν γὰρ ὑμῖν ὁ Ἀαρὼν ἐστιν ὁ διάκονος, Μωσῆς δὲ ὁ ἐπίσκοπος· εἰ οὖν ἐῤῥέθη Μωυσῆς ὑπὸ κυρίου θεὸς, καὶ ὑμῖν ὁ ἐπίσκοπος εἰς θεὸν τετιμήσθω, καὶ ὁ διάκονος ὡς προφήτης αὐτοῦ.* Atque haec alia rursum similitudine explicare auctor studet ex divinissimo Trinitatis exemplari ducta, quae allatis superius b. martyris Ignatii comparationibus gemina apparet.

[5]) Ibidem. *Πάντα τὰ ἐπιτελούμενα ὑπ᾽ αὐτοῦ εἴς τινα ἐμφανῆ τῷ ἐπισκόπῳ γινέσθω καὶ δι᾽ αὐτοῦ τελειούσθω.*

[6]) Ibid. c. 31. p. 246. *Μηδὲν δὲ ποιείτω τὸ σύνολον ἄνευ τοῦ ἐπισκόπου μηδέ τινι διδότω τι ἄνευ τῆς ἐκείνου γνώμης.*

3. Continua orientis cum occidente conspiratio.

27. Rata itaque erat prioribus ecclesiae saeculis, praescripta atque definita ecclesiastica politia, vi cuius membrorum rerumque ecclesiae omnium perfecta subordinatione greges singuli non secus ac una familia per positos a Spiritu sancto episcopos regerentur et ad salutem adducerentur. Hanc in ecclesiis *οἰκονομίαν* cum beato Ignatio martyre voluerunt apostolici Patres: eandem observandam statuerunt adscripti Apostolis canones ac constitutiones: et conservatam illam porro fuisse insequuti [1]) ecclesiae doctores

Isidor. pelus. atque scriptores testantur in oriente cum Isidoro pelusiota qua [2]) de ordine episcopi scribente eiusdemque forma: „Episcopus enim, qui Christi typum gerit, ipsius munere fungitur, atque ipso etiam habitu illud omnibus ostendit, se boni illius ac magni pastoris imitatorem esse, qui gregis infirmitates sibi ferendas proposuit„: qua [3]) vero in sacerdotii detrectatores sic animadvertente: „Episcopatus quidem nomen et res ipsa cum divinum quiddam sit, atque omni alio munere ac dignitate praestantius, paucis quibusdam convenit, hoc est iis, qui paternam curam, non autem tyrannicam vitae licentiam, hanc dignitatem esse existimant„. Episcopi igitur patrum instar familias per adlectos in ministerium inferiores ministros uti per primo- ac secundogenitos filios universam commissam sibi familiam credentium eiusque rem potestate regunt, sollicitudine curant.

28. Et eandem oeconomiam occidentalium nomine e sacris litteris

Hilarius. exponit [4]) sanctus Hilarius: „Quis namque, inquit, est fidelis servus et prudens [5]) quem constituit Dominus super familiam suam?

Matth. XXIV. 45. Quamquam in commune nos ad indefessam vigilantiae curam adhortetur; specialem tamen populi principibus id est episcopis in

---

[1]) Cs. Petav. de eccles. hierarch. l. I. cc. 2. sqq. coll. Lud. Thomassin. vet. et nov. eccles. disciplin. l. c. et J. Pearson. l. c. c. XI. ap. Cotel. PP. apost. tom. II. pp. 334. sqq.

[2]) Epistolarum libro I. ep. CXXXVI. ad Herminum comitem: *Ὁ γὰρ ἐπίσκοπος εἰς τύπον ὢν τοῦ Χριστοῦ, τὸ ἔργον ἐκείνου πληροῖ, καὶ δείκνυσι πᾶσι διὰ τοῦ σχήματος, ὅτι μιμητής ἐστι τοῦ ἀγαθοῦ καὶ μεγάλου ποιμένος, ὁ τὰς ἀσθενείας φέρειν τοῦ ποιμνίου προβεβλημένος:* coll. Greg. naz. or. IX. al. XIX. de s. serm.

[3]) Ibid. l. II. ep. CXXV. *Τὸ μὲν τῆς ἐπισκοπῆς καὶ ὄνομα καὶ πρᾶγμα θεῖον ὂν καὶ κρεῖττον πάσης πολιτείας καὶ ἀξίας, ὀλίγοις δή τισι πρέπει, τοῖς πατρικὴν κηδεμονίαν, ἀλλ᾽ οὐ τυραννικὴν αὐτονομίαν εἶναι αὐτὸ οἰομένοις.*

[4]) In Matth. c. XXVII. n. 1.

[5]) Matth. XXIV. 45.

exspectatione adventuque suo sollicitudinem mandat. Hunc enim servum fidelem atque prudentem, praepositum familiae significat, commoda atque utilitates commissi sibi populi curantem. Qui si dicto audiens et praeceptis obediens erit, idest, si doctrinae opportunitate et veritate infirma confirmet, disrupta consolidet, depravata convertat, et verbum vitae in aeternitatis cibum alendae familiae dispendat, atque haec agens hisque immorans deprehendatur[1]), gloriam a Domino tamquam dispensator fidelis et villicus utilis consequetur, et super omnia bona constituetur, idest, in Dei gloria collocabitur, quia nihil sit ultra, quod melius sit.„

IV. Politiae ecclesiasticae hypotyposis.

29. Quodsi ab analysi hac, qua seorsum singula prope elementa *τῆς πολιτείας* in particularibus antiquitatis ecclesiis considerantur, ad synthesin veniamus, qua nexa illa iunctaque veluti membra simul spectentur; viva earum facies prodit, nec non concreta earum ac integra vivendi ratio ipseque habitus vitae conspicitur. Is autem, quod sane contingere secus neque potuit neque debuit, non est alius quam qui vitalibus principiis ad coetus fidelium colligendos ac continendos, excolendos perficiendosque institutis [2]) apprime respondeat. Huc enim expressa vitae ecclesiasticae imago eaque prorsus antiqua revocatur: *Priorum synthesis.*

1. Dioecesis descriptio.

30. Ecce definitam aliquam christiani gregis portionem [3]) quae nunc dioecesis [4]) vocari consuevit: habes fidelem determinati cuiusdam loci, civitatis, habitantium apud eam ad eamque spectan-

---

[1]) Ita die VI. Decemb. descriptum legimus s. Nicolaum ep. myr. saec. IV.

[2]) De his libro superiori *διδακτικῷ* data opera egimus.

[3]) Cyprian. ad Cornel. ep. 55: „Singulis pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat unusquisque et gubernet, rationem sui actus Domino redditurus.„ *Cyprian.*

[4]) De voce dioecesis haec animadverte: spectato 1. etymo, *διοίκησις* administrationem seu gubernationem significat; spectato autem 2. illius usu et quidem antiquo apud profanos tam graecos quam latinos, ditionem denotat a praefecto administrandam praesidisque iurisdictioni obnoxiam; hinc 3. vim praefert notionemque praefecturae apud Strabon. l. XIII. de Asiae regionibus exponentem: *Εἰς δὲ τὴν σύγχυσιν ταύτην οὐ μικρὰ συλλαμβάνει τὸ τοὺς Ῥωμαίους μὴ κατὰ φῦλα διελεῖν αὐτοὺς, ἀλλὰ ἕτερον τρόπον διατάξαι τὰς διοικήσεις, ἐν αἷς τὰς ἀγοραίους ποιοῦνται καὶ τὰς δικαιοδοσίας:* „Ad quam confusionem haud parum fecit, quod non per gentes Romani loca ista diviserunt, sed alio modo guber- *Διοίκησις.*

tantium[1]) populum, qui e iusta spectabilique multitudine in unitatem coaluit, apostolica norma et lege antiqua ordinatum atque dispositum.

---

nationes sive praefecturas instituerunt, in quibus fora sunt et ius dicitur„; eodemque rursus sensu apud eundem: *ἐν ταῖς μεγίσταις ἐξετάζεται διοικήσεσι τῆς Ἀσίας ἡ κιβυρατική* „cibyratica una ex maximis Asiae dioecesibus perhibetur.„ Neque secus vocem adhibet Cicero l. XIII. ad famil. epp. 53. et 67. ad Servil.: „Ex provincia mea cilicensi, cui scis tres *διοικήσεις* asiaticas attributas fuisse„ et lib. III. 8. ad Appium Pulchrum: „Quid enim erat . . . ut me omnium illarum dioecesium, quae cis Taurum sunt, omniumque earum civitatum magistratus legationesque convenirent?„ Itaque 4. dioecesis erat provinciae quaedam portio, cuius administratio ac iurisdictio propraetori erat permissa. Porro 5. diviso post Constantinum imperio dioecesis potestas latius protensa plurium complectebatur provinciarum administrationem, quae praefecto praetorio vel eius vicario conferebatur, ut est apud Ammianum XVII 7. et codicis Theodos. VII. 6. Iamvero 6. eiusmodi politica imperii romani divisio derivata ad ecclesiam fuit, quae adeo similiter in *διοικήσεις* distingueretur. Quodsi iam 7. usus *διοικήσεως* in monumentis ecclesiae consideretur, haud aegre innotescit, apud orientales vocabulum hoc communiter accipi sensu exposito posteriori, priori autem communiter apud latinos. Et quum latinorum acceptio usitata nobis fere unice sit, determinata scilicet gregis credentium pars seu portio ab uno administrata episcopo, ad receptam apud orientales notionem quod spectat, eo faciunt concilii constantinopolitani I. can. II. (coll. cann. VI. XXVIII.) de episcopis *τῆς Ἀσιανῆς διοικήσεως*, et *τῆς ἀνατολικῆς διοικήσεως*, tum concilii ephesini de synodo *ἐκ τῆς Αἰγυπτιακῆς διοικήσεως* et *τῆς ἀνατολικῆς διοικήσεως κ. τ. λ.* Unde Balsamon ad concilii chalcedonensis canones IX. ac XVII. *Διοίκησίς ἐστιν ἡ πολλὰς ἐπαρχίας ἔχουσα ἐν ἑαυτῇ* „dioecesis est, quae plures sub se continet provincias„: quae repetita invenies apud Macarium ancyranum contra Barlaam. et Acyndyn. cap. XIX. Vide Joan. Casp. Suicer. thes. eccles. ad h. v.

Παροικία. [1]) Huc facit *παροικίας* nomen, quod 1. apud graecos olim adhibitum fuit ad illam *χώραν* dictionemque efferendam, cuius fidelem coetum, i. e. *τὴν ἐκκλησίαν*, sua iurisdictione episcopus regeret. Unde 2. vulgatissima est secundum Luc. XXIV. 18. coll. Act. XIII. 1. Hebr. XI. 9. in antiquis monumentis loquendi ratio, qua ad denotandam dioecesin in epistola utitur Polycarpus: *Ἡ ἐκκλησία τοῦ Θεοῦ ἡ παροικοῦσα Σμύρναν τῇ παροικούσῃ ἐν Φιλομιλίῳ;* nec non secundum Act. XIII. 1. Euseb. h. e. III. 29. *τῆς κατὰ Ἀλεξάνδρειαν παροικίας* coll. VII. 28. 29. *τῆς ἐν Τάρσῳ παροικίας* atque *τῶν κατὰ Πόντον παροικιῶν ποιμένες.* Scilicet 3. *παροικίας* nomen, quod sensu biblico iuxta Genes. XII. 10. XX. 1. Exod. VI. 4. Levit. XVIII. 3. Esdra. VIII. 35. Ps. CXX. 5. Act. VII. 6. 29. XIII. 17. Ephes. II. 19. Hebr. XI. 13. I. Pet. I. 17. II. 11. incolatum ac peregrinantium commorationem significat, ecclesiastico ad priorem exacto sensu cohabitationem coetumque exprimit incolentis alicubi (*παροικία* enim, ait Suida, *ἡ παροῦσα ζωή. ὅτι πάροικος ἐγὼ καὶ ἐπίδημος*) ac peregrinantis populi fidelis, qui hinc quidem topographice loci, quem inhabitat, territoriive coniunctione, iuridice vero divinitus instituto ecclesiae regimine ad unitatem rationemque portionis gregis dominici atque partis totius ecclesiae Dei adducitur, quae propterea et ipsa nomine *τῆς ἐκκλησίας* distinguitur: atque ita apud Routh. reliq. sacr. vol. I. pp. 182. sq. dicitur s. Dionysius *τῇ ἐκκλησίᾳ δὲ τῇ παροικούσῃ Γορτύναν ἅμα ταῖς λοιπαῖς κατὰ Κρήτην παροικίαις ἐπιστείλας . . , καὶ τῇ ἐκκλησίᾳ δὲ τῇ παροι-*

Praesidet secundum beatum Ignatium Christi Domini auctoritate ac nomine episcopus, quem doctore Paulo posuit Spiritus sanctus regere ecclesiam Dei: praesidet porro universis regitque omnes, qui ad

---

κίαις ἐπιστείλας . . . καὶ τῇ ἐκκλησίᾳ δὲ τῇ παροικούσῃ Ἀμάστριν ἅμα ταῖς κατὰ Πόντον ἐπιστείλας; tum apud Augustinum ep. 261. al. 209. ad Coelestinum R. P. n. 2. „Fussala dicitur hipponensi territorio (en *παροικίας* descriptionem) confine castellum: antea ibi numquam episcopus fuit, sed simul cum contigua sibi regione ad paroeciam hipponensis ecclesiae pertinebat.„ Inde autem apparet 4. *παροικίαν* materialiter prope definito cohabitantis populi coetu non citra definitum tamen territorii ambitum consistere, quem ille inhabitat; formaliter vero eandem contineri propria in ecclesiam iurisdictione: sicut porro 5. ecclesiastica iurisdictio et administratio ipsa proprie est et vocatur *διοίκησις*, ita *παροικίαν* dici partem portionemque ecclesiae, iurisdictione eadem administratam; quod sane 6. apertissime exprimitur dictione, qua *παροικιῶν διοικήσεις* frequentantur, uti speciminis causa videre est apud Balsamon. ad can. LX. concilii carthag. in *συνοδικ.* canon. Bevereg. t. I. p. 592. Iamvero 7. ecclesiae *διοίκησις*, administratio ac iurisdictio ex auctoritate divina penes episcopos est, et *ἐπισκοπῆς* nomine in antiquissimis ecclesiae monumentis excellit; quare liquet 8. ratio, qua factum sit, ut a) episcopalis administratio generatim *διοίκησις* nominetur, sive territorium episcopi sive id amplius sive angustius exsistat; ut b) episcopalis administrationis, *τῆς ἐπισκοπῆς*, territorium simplex saltem sit dictumque olim fuerit *ἡ παροικία*: ita apud Routh. reliq. sacr. vol. I. pp. 181. sqq. de s. Dionysio legitur *ὅτι τε τῆς ἐν Κορίνθῳ παροικίας τὸν τῆς ἐπισκοπῆς ἐγκεχείριστο θρόνον . . . πρῶτος τῆς ἐν Ἀθήναις παροικίας τὴν ἐπισκοπὴν ἐγκεχείριστο κ. τ. λ.* coll. ap. Bevereg. l. c. p. 8. sq. apostol. can. XIV. coll. p. 450. conc. antioch. can. XXI. ut c) *διοικήσεως* vox modo idem obiective significet ac *ἡ παροικία*, modo vero ab ea differat, ac latius patens de episcopali administratione usurpetur, quae ad plures paroecias, ad totam aliquam *ἐπαρχίαν* integrasque semet etiam ecclesiasticas provincias protendat: quo spectant quae habentur rursum ap. Bevereg. l. c. p. 87. conc. constantinop. can. II. p. 581. conc. carthag. can. LVII. p. 592. Balsam. ad conc. carthag. can. LX. Praeterea 8. e praestitutis facile apparet, cur a) paroeciae episcopali iurisdictione dignae in urbibus potissimum iisque spectabilibus essent, et constituendae praescriberentur ap. Bevereg. l. c. p. 479. conc. laodic. can. LVII. coll. Matthaei monach. sive Blastar. syntagmat. alphabet. lit. E. cap. XXX. ap. Bevereg. t. II. p. 131. Theodoret. ep. ad Flavian. constant. coll. Hincmar. rhemens. opusc. et ep. in causa Hincm. laudun. c. 15. de quibus plura ap. Thomassin. vet. et nov. eccles. disciplin. t. I. p. I. l. I. c. 3. Phillips ius eccles. t. II. §§. 68. sqq. cur adeo b) civitas ac *πόλις* velut centrum sistatur *τῆς παροικίας*, sed quandoque haud secus ac *διοίκησις* ipsa accipiatur, ut a Balsam. ad can. I. conc. sardic. ap. Bevereg. t. I. p. 482. coll. p. 24. ss. apost. can. XXXVI. conc. neocaesar. can. XIII. apud Routh. reliq. sacr. vol. IV. p. 185. c) cur eiusmodi *πόλις* tanquam una *παροικία* nonnisi unum iussa sit habere episcopum, cuius illa iurisdictionem constituat eamque definitam et suis circumscriptam limitibus, quod cautum est ap. Bevereg. t. I. p. 24. ss. apost. can. XXXV. pp. 591. sq. conc. carthag. can. LX. coll. tom. II. p. 264. Matth. Blastar. syntagm. alphab. lit. X. cc. XVI. sqq. coll. Aug. ep. ad Coelest. l. c. Routh. reliq. sacr. tom. IV. p. 124. conc. ancyr. can. XVIII. Ex his facile pariter 9. intelligitur, cur a) definita

Augustinus.

Ἐπισκοπή.

Dionys. cor.

hanc suam ecclesiam spectant. Regit autem omnes et singulos adlectis sibi adhibitisque in adiutorium ministris [1]) quorum alii aliis ordine inferiores sunt ac dignitate, quorum cuique sua inposita officia, sua iura tributa, atque potestas collata sive ea ad sacra cultumque divinum pertineat, sive ad perficiendos sanctos, quales a Paulo vocantur omnes quicunque fidei sacramento abluti normamque sequentes, veram Christi ecclesiam constituunt.

31. Ecce itaque portionis ecclesiasticae praesulem: apex in eo sacerdotii inest ac fons: totus ab ipso ministrorum [2]) ordo hierarchicus pendet, proficiscitur, vivit et agit: per ipsum adeo mediate immediateque tum praestantissimus Deo tribuitur cultus, tum fidelis populus sacris mysteriis imbuitur et sanctificatur. En hierarcham ordinis, per quem divina omnis consecratio in homines effunditur, et sine quo humana nulla consecratio ad Deum debite assurgit. Sed ecce illum identidem hierarcham iurisdictionis: missio in eo apostolica emicat ad commissum sibi gregem pascendum: eius potestate rursum sive mediate sive immediate res statuuntur universae, et cuncta disponuntur quae ad augendum Dei cultum, ad promovendam hominum sanctificationem ordinemque ecclesiasticum perficiendum conducunt: auctoritate sui magisterii una servatur credentium [3]) mens ac sententia, suique auctoritate regiminis mores christiani custodiuntur atque disciplina ecclesiastica inter fidelium multitudinem sarta tecta conservatur.
Constitutt. apost. Hinc insignis illa proponitur episcopi forma [4]): „Qui episcopus est, hic verbi est minister, scientiae custos, mediator Dei et

---

quaedam iurisdictionis dioecesisque pars, minori cohabitantium fidelium coetu constans, cui sacerdos secundi ordinis accepta ab episcopo potestate praesit, vocari apte *παροικία* possit, et reapse ita vocetur; ubi tamen b) animadvertere oportet, cum *παροικίας* nomine ac vi vocem parochiae nihil commune habere. Tandem 10. apparet, in non paucis ad v. *παροικία* castigandum esse Suicerum tam in iis quae statuit atque affirmat, quam quae inprobat ac negat.

[1]) Cf. rursum praestituta superius de ecclesiastica hierarchia tam ordinis quam iurisdictionis, cuius veram rationem ac vim praeclare exponit ac tuetur Joan. Devoti institutt. can. tom. I. tit. 2. Bolgeni diatrib. della giurisdiz. ecclesiast.

[2]) I. Cor. IV. 1.

[3]) Act. IV. 32. coll. II. 44.

[4]) Constitutt. apost. l. II. c. 26. *Ὁ ἐπίσκοπος, οὗτος λόγου διάκονος, γνώσεως φύλαξ, μεσίτης θεοῦ καὶ ὑμῶν ἐν ταῖς πρὸς αὐτὸν λατρείαις· οὗτος διδάσκαλος εὐσεβείας· οὗτος μετὰ θεὸν πατὴρ ὑμῶν, δι᾽ ὕδατος καὶ πνεύματος ἀναγεννήσας ὑμᾶς εἰς υἱοθεσίαν· οὗτος ἄρχων καὶ ἡγούμενος ὑμῶν. οὗτος ὑμῶν*

vestrum in divino cultu: hic est magister pietatis: hic post Deum pater vester, quia per aquam et spiritum vos in adoptionem regeneravit: hic princeps et dux vester: hic vester rex et dynastes: hic vobis post Deum terrenus Deus, cui honorem debetis praestare, de eo quippe et de similibus aiebat Deus: „Ego dixi, dii estis et filii excelsi omnes„: et: „Diis non maledices„. Igitur episcopus vobis praesideat, tamquam Dei dignitate condecoratus, ob quam clero praeest et plebi universae imperat.„

2. Episcopale regimen.

32. Quibus non minus episcopalis regiminis veritas ac proprietas, quam amplitudo et universitas exprimitur. Sane illius potestas, quum ad regendum [1]) collata sit, regalis est, eademque in ordine eorum omnium, quae ad Deum sunt, prorsus universalis. Quae enim recepta est [2]) in iure partitio, episcopalis regiminis potestas semet ad ecclesiae res omnes omnesque ecclesiae personas extendit. Sed quum *πραγματικῶς* rem habeamus, expedire visum est paucissimis singula commemorasse.

33. Episcopi igitur tutelae et administrationi concredita commissaque sunt quaecunque sive ad Deum rite cognoscendum digneque colendum, sive ad mortales salutariter instituendos, in veritate confirmandos [3]) riteque sanctificandos ordinantur et faciunt:

βασιλεὺς καὶ δυνάστης· οὗτος ὑμῶν ἐπίγειος θεὸς μετὰ θεὸν, ὃς ὀφείλει τῆς παρ' ὑμῶν τιμῆς ἀπολαύειν· περὶ γὰρ τούτου καὶ τῶν ὁμοίων αὐτῶν ὁ θεὸς ἔλεγεν· Ἐγὼ εἶπα, θεοί ἐστε, καὶ υἱοὶ ὑψίστου πάντες· καὶ θεοὺς οὐ κακολογήσεις. Ὁ γὰρ ἐπίσκοπος προκαθεζέσθω ὑμῶν, ·ὡς θεοῦ ἀξίᾳ τετιμημένος, ᾗ κρατεῖ τοῦ κλήρου και τοῦ λαοῦ παντὸς ἄρχει. Sunt haec fere ad b. M. Ignatii mentem expressa et ex pseudepigrapha eius ad trallianos epistola derivata.

[1]) Act. XX. 28. „Spiritus s. posuit episcopos regere ecclesiam Dei.„

[2]) Vide sis J. Devoti institutt. canonic. tom. I. ll. 1. 2.

[3]) Hinc exstant speciales canones de hac erudiendi populi tuendaeque fidei cura, quae episcopis ac presbyteris incumbit: puta canon. apost. LVIII. coll. concil. trull. can. XIX. de quo pastorali officio ita egregie con. Cels. l. III. Origenes: *Καὶ δῆλον ὅτι ἐν τῷ χαρακτηριστικῷ τῶν καλουμένων ἐπισκόπων διαγράφων ὁ Παῦλος, ὁποῖον εἶναι χρὴ τὸν ἐπίσκοπον, ἔταξε καὶ τὸν διδάσκαλον, λέγων δεῖν αὐτὸν εἶναι δυνατὸν καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, ἵνα τοὺς ματαιολόγους καὶ φρεναπάτας ἐπιστομίζῃ διὰ τῆς ἐν αὐτῷ σοφίας:* „Et manifestum est, quod in ipso characteristico eorum qui episcopi vocantur Paulus describens, qualem virum oporteat esse episcopum, posuit et doctorem, inquiens eum oportere esse potentem et contradicentes redarguere, ut vaniloquis et seductoribus obturet os per propriam sapientiam.„ Quibuscum consona sunt, quae in collect. can. syn. can. Timoth. can. 2. praescribuntur ap. Mai vett. scriptt. t. X. p. I. *Origenes.*

et tam quidem ea quae eiusmodi sunt immediate, ex sese ac suopte ingenio [1]) quam quae talia habentur mediate, ex instituto factoque humano; scilicet tam sacra et sanctificantia quam sacrata et sanctificata; tam quae mere spiritualia [2]) quam quae sacris mixta iisque connexa temporalia vocantur et sunt.

3. Res ab illo pendentes.

34. Quare sicut illius *ἐπισκοπὴ* non ad divinissimum modo cultum, verum ad templa [3]) quoque et altaria, tum vero ad reliquam

---

Em. Mai. p. 98. quaeque ibidem in praefat. p. V. monet em. editor: „Praediti celsis dignitatibus homines, qui ad regendam Dei ecclesiam curas suas transtulerunt, nihil fere suo muneri utilius vel magis necessarium facere possunt, quam diversorum populorum unde grex christianus componitur, sacros ritus, leges, consuetudines, religiosam denique politiam cognoscere. Itaque ut is, qui administrandae in humanis negotiis reipublicae operam dat, Platonem, Aristotelem, Xenophontem, Polybium, Plutarchum, iuris libros basilicos; et ex latinis Ciceronem, Caesarem, Sallustium, Livium, Tacitum, Justiniani pandectas, et hodiernos demum politicos leget ac meditabitur; ita ecclesiasticus rector, praeter sanctos Patres, dogmatis disciplinaeque christianae doctores, iuris canonici regulas in episcopalibus synodis conditas, atque eius scientiae praecipuos tractatores diurna nocturnaque manu versabit.„

Theodor. stud. 1) Unde Theodorus cognomento studitae epp. l. II. ep. C. ap. Mign. gr. PP. t. 99. pp. 1115. sq. ita ad iconomachicam synodum scribit: *Νόμοις θείοις καὶ κανονικοῖς θεσπίσμασιν ἑπόμενοι, τοῦ μὴ δεῖν παρὰ τὴν τοῦ οἰκείου ἐπισκόπου γνώμην πράττειν τι ἢ λέγειν τῶν ὅσα εἰς ἐκκλησιαστικὴν φέρει ἐνταξίαν, πολλοῦ γε εἰπεῖν εἰς δογματικὴν ἐξέλκει συζήτησιν· τούτου χάριν τῆς ὑμετέρας ἐξουσίας ἅπαξ καὶ δὶς ἐκκαλεσάσης πρὸς τὰ τοιαῦτα τὴν καθ᾽ ἡμᾶς εὐτέλειαν, οὐκ ἐτόλμησεν ἔξω τι τῶν νενομισμένων πράττουσα παραγενέσθαι· ὡς ὑπὸ την ἱερὰν χεῖρα Νικηφόρου τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου πνεύματι θείῳ τελοῦσα:* „Divinis legibus canonicisque decretis obsequentes, quae praeter episcopi sui sententiam in iis quae ad ecclesiasticam disciplinam pertinent, nedum quae ad dogmaticas quaestiones deducunt, nihil agi vel dici oportere definiunt; quum ab auctoritate vestra semel atque iterum ad talia nos humiles evocaremur; ausi non fuimus, praeter ea quae statuta sunt agentes accedere; ut qui sub sacra manu *Synod. tevin.* Nicephori sanctissimi patriarchae divino Spiritu constituti sumus.„ Quibuscum haec concilii tevinensis conspirant ap. Mai scriptt. vett. t. X. par. II. p. 310. „Episcopos oportet suae dioecesis monasteriorum, eremorum, scholarum, atque xenodochiorum curam gerere . . . Item oportet presbyteros atque monachos suis praesulibus obedire. Si quis autem episcopus aut presbyter contempserit canones sanctorum patrum, poena quam canon edicit puniatur.„

2) Vide Devoti l. c. l. II. coll. iis quae de voce „spiritalis„ disputavimus superiori libro c. II. nn. III. sqq. tum G. Phillips iur. eccles. t. II. c. 10. §§. 110. sqq.

3) Qua fortitudine haec sibi custodienda antiqui praesules censuerint, indicavimus sup. lib. l. c. XII. 2. adnotat. Huc praeclare faciunt, quae reliquis omissis Isaac armeniorum patriarcha constituit ap. Mai scriptt. vett. t. X. par.

universam eodem spectantem supellectilem attendit; ita suarum ambitu [1]) curarum complectitur quidquid oblatum [2]) ad debite eum observandum iusteque celebrandum, ad augendum illum promovendumque pietas ac religio consecraverit. Et sicut ad eandem rursus *ἐπισκοπὴν* sacramenta spectant quaeque ad eorundem exercitium et usum referuntur; ita illius sunt quaecunque ad ipsa solemnius augustiusque frequentanda pro ministeriis non minus quam pro ministris sacris conferuntur bona ac dona elargiuntur. Tum vero etiam *ἐπισκοπῆς* praesidio ac munimento totum illud regitur atque protegitur, quod ad proprium aliorumque salutis commodum credentium devotio ac in Deum observantia sponsae Christi possidendum addixit sancteque dedicandum [3]) decrevit. Videlicet quidquid sacrum est, id omne quatenus est eiusmodi, sacrae potestati subiicitur, quae alia ab *ἐπισκοπῆς* potestate nulla datur. Unde liquet, rato licet definitoque potestatis huiusce cum subiecto tum ambitu, pro varia tamen ratione ac indole sacrorum,

---

II. pp. 287. sqq. „Quomodo episcopi thesauros ecclesiae custodire debeant, vel quomodo eos administrare.„ Coll. ibid. pp. 310. sq. concilii tevinensis canones 5. sqq. *Isaac. armen.*

[1]) Vide Georg Phillips Lehrb. d. Kirchenr. sec. I. c. 3. §§. 131. sqq.

[2]) Quo egregie facit can. 4. synod. Timoth. in collect. can. synod. Ebediesu metropol. sobens. ap. Mai scriptt. vett. t. X. par. I. p. 99. ubi praeter alia haec: „Quod summa cura et sollicitudo debeat haberi de substantiis, eleemosynis et donariis ac redditibus ecclesiarum, ut nimirum cum omni timore Dei custodiantur . . . Omnia . . cum iussu, scientia ac licentia episcopi dioecesani fiant et cum consilio optimatium congregationis, nec possint ullatenus oppignerare, aut vendere res ecclesiae, neque permittere valeant, ut principes et magistratus sese intromittant cum episcopo in hasce administrationes„ : coll. ibidem pp. 11. sq. epitom. can. apost. cann. XXXVIII. sqq. par. II. pp. 4. sqq. eccles. antioch. syror. nomocan. c. I. sect. 2. „De rebus ac redditibus ecclesiae.„ *Ecclesiae redditus.* *Canon. syr.*

[3]) Hinc tot de bonis ecclesiae tum accipiendis tum administrandis tum elargiendis tum contra raptores asserendis decreta, leges et canones, uti videre est apud Bevereg l. c. p. 28. can. apost. can. XLI. coll. Pitra l. c. p. 22. Bevereg. l. c. p. 142. can. concil. chalced. can. XXVI. coll. Pitra l. c. p. 531. concil. VII. oecum. can. XII. ap. Bevereg. l. c. p. 303. concil. constantinop. can. I. ap. Bevereg. l. c. p. 331. can. X. ibid. p. 349. concil. ancyr. can. XV. ibid. p. 390. coll. Pitra l. c. p. 446. concil. antioch. cann. XXIV. sq. ap. Bevereg. l. c. p. 451. coll. Pitra l. c. p. 464. concil. carthag. can. XXIX. ap. Bevereg. l. c. p. 551. can. XXXVI. p. 560. quae complectitur in syntagm. alphabet. lit. E. ap. Bevereg. l. c. t. II. pp. 121. sq. Matthaeus monachus seu Blastares c. XVI. inscribens: *Ὅτι τὰ τῶν ἐκκλησιῶν πράγματα ἀνεκποίητα εἶναι δεῖ, καὶ ὅπως δεῖ τοὺς ἐπισκόπους ταῦτα διοικεῖν.* : „Quod ecclesiae bona inalienabilia esse oportet, et quomodo debent episcopi illa administrare.„ Et conc. oecum. lateran. I. an. 1123. can. 4. „Praeterea iuxta beatissimi Stephani papae sanctionem *Conciliorum canones.* *Matth. Blastar.* *Conc. lateran.*

quae talia sunt vel ex sese suaque natura vel per accessionem factoque humano, variam esse administrandorum illorum legem atque rationem, quae ex rerum naturis pro aliis immutabilis est, necessaria, universalis, pro aliis vero secundum ecclesiae iudicium mutabilis exsistit, ab adiunctis dependens ac libera, particularis ac tempore non modo sed etiam loco circumscripta.

4. Personae ex ordine illi subiectae.

35. Neque secus res est de personis obnoxiis. Licet enim ea sit sacra *ἐπισκοπῆς* auctoritas ac praerogativa, quae sacratis adeoque omnibus ecclesiae membris et singulis [1]) praesit, ut sanctificentur et porro aeternum beentur, pro diversa tamen ratione varioque gradu, quo varii illorum ordines sacri Deo sunt, diversimode ab illa singulorum vita actionesque reguntur ac temperantur, ut in sua omnes conditione et statu per misericordiam redemptoris salvi [2]) fiant et sancti. Quapropter pastoralis anti-

---

De rebus ecclesiae disponendi ius. statuimus, ut laici, quamvis religiosi sint, nullum tamen de ecclesiasticis rebus aliquid disponendi habeant facultatem: sed secundum apostolorum canones omnium negotiorum ecclesiasticorum curam episcopus habeat, et ea velut Deo contemplante dispenset: si quis ergo principum aut laicorum aliorum dispensationem vel donationem rerum sive possessionum ecclesiasticarum sibi vindicaverit, ut sacrilegus iudicetur.„ His cf. ib. can. 10. quaeque huc spectantia ap. Denzing. l. c. p. 136. n. 303. de potestate magisterii et ministerii ecclesiastici a civili independente statuere Gregor VII. in synod. rom. II. V. VII. Victor II. in synod. Apul. et Calab. Urban. II. in Troian. Claromont. Rom. Paschal. II. in Guastall. Trecen. Benevent. Lateran. an. 1110. Viennens. Lateran. 1116. Calixt. II. in Rhemens. Lateran. II. can. 25. III. can. 14.

[1]) Vis nosse hierarchicum veluti ordinem populi Dei in facie ecclesiae? Confer sequentia ex sacra liturgia exposita l. VIII. constitutt. apostol. ap. em. *Constitutt. apostol.* Pitra iur. eccles. t. I. p. 407. *Καὶ μετὰ τοῦτο μεταλαμβανέτω ὁ ἐπίσκοπος ἔπειτα οἱ πρεσβύτεροι καὶ ὑποδιάκονοι καὶ οἱ ἀναγνῶσται καὶ οἱ ψάλται καὶ* *Fidelium ordo.* *οἱ ἀσκηταὶ, καὶ ἐν ταῖς γυναιξὶν αἱ διακόνισσαι καὶ αἱ παρθένοι, καὶ αἱ γῆραι. εἶτα τὰ παιδία, καὶ τότε πᾶς ὁ λαὸς κατὰ τάξιν μετὰ αἰδοῦς καὶ εὐλαβείας ἄνευ θορύβου:* „Et postea communicet episcopus, deinde presbyteri et diaconi et subdiaconi et lectores et cantores et ascetici, et ex feminis diaconissae ac virgines et viduae; postea pueri, deinde cunctus populus ex ordine cum pudore et reverentia sine strepitu.„ Quibus simillimus est ordo quo ibidem p. 397. deprecatoriae preces pro omni anima Deo adhibentur.

Monachi. [2]) Huc faciunt omissis aliis, quae ad clerum generatim spectant, antiqui canones de iis, qui vitam sequerentur monasticam, uti sunt: inter canones concilii chalcedonensis cann. IV. VIII. ap. Bevereg. l. c. t. I. p. 116. coll. em. Pitra iuris eccles. t. I pp. 524 sqq. reg. 4. sqq. concil. VII. oecumen. can. XIV. ap. Bevereg. l. c. p. 314. concil. constantinop. cann. VI. sq. ap. Bevereg. ib. p.

stitum regiminis erat, qui se Deo eiusque servitio totos dedissent, in perfectionis vitae instituto tueri, confirmare, erigere: qui in sortem ministerii dominici vocati essent, his auctores exsistere, ut convenientem illi scientiae gradum atque dignum illa conversandi modum haberent atque servarent. Quod quidem quum probari aliis heic non debeat, utiliter tamen hoc orientali [1]) canone illustratur, quo praecipitur: „Quod pastoribus et rectoribus ecclesiarum summa inesse debet sollicitudo stabiliendi doctrinam ecclesiasticam, et ut in omnibus ecclesiis constituant doctores peritos, qui timeant Deum, et strenuam curam gerant, docendi et exercendi convenienter discipulos, et quidem summa diligentia et sedulitate absque socordia et negligentia, ita ut brevi temporis spatio in alumnis cernantur fructus scientiae et intelligentiae.„ Et similiter [2]) Isaacus armeniorum archiepiscopus: „Quam ob rem, inquit, necesse est continuo scholas ornatas constituere in monasteriis, et in aliis locis decentibus, ubi clerici illuminati lumine mandatorum Dei, ceteros homines illuminent. Si enim clerus, qui caput est ecclesiae, praeluceat bonis exemplis, sitque observantissimus ac integerrimus, ita erit et populus„.

Clerus eiusque studia.

Can. orient.

Isaac. armen.

36. Sed si sacer priorum character sacra episcopalis potestatis iura et officia ad se suumque bonum primo convertit, nullatenus tamen illa exhaurit: latius eadem patent, eosque complectuntur omnes, qui sacro baptismatis charactere insignes [3]) Christum induerunt. Hi enim omnes indelebili signo adscripti Christo Christi potestati subiiciuntur: atqui Christi, pastoris atque episcopi principis, ea potestas est, qua obnoxii pastores et episcopi in Dei ecclesia mittuntur ac ponuntur. Propterea novimus, iure suo eoque necessario [4])

Baptizati omnes.

---

341. synod. laodic. can. 24. ap. em. Pitra l. c. p. 498. alibi, coll. eccles. antioch. syror. nomocan. c. VII. sect. X. „De coetu monachorum„ ap. Mai scriptt. vett. t. X. par. II. pp. 56. sqq. et armenior. canon. ibid. p. 310.

[1]) Collect. canon. synodic. can. Timoth. can. 2. ap. Mai scriptt. vett. t. X. par. I. p. 98. col. 2.

[2]) De chorepiscopis cap. 10. ap. Mai l. c. par. II. p. 278.

[3]) Hoc iure usus statim ab initio praeclari sui regiminis Pius IX. litteras pastorales dedit ad fideles orientales schismate inplexos, et eodem nunc usus Henricus, paderbornensis episcopus, ad baptizatos in sua dioecesi extra ecclesiam degentes pastoralem scripsit epistolam.

[4]) Hinc in eadem orientali synodo ap. Mai l. c. statuit Timotheus patriarcha can. 1. „Quod Apostolorum et antiquorum Patrum canones in synodis occidentalibus atque orientalibus (orientis nomine, inquit em. editor, Chaldaeam, Assyriam, Persidemque intelligunt) statuti sicut pupilla oculi custodiantur, neque

Timoth. patriarch.

Occidentis canones in oriente custodiendi.

ac indispensabili plane ministerio semper sategisse sanctos piosque praesules, ut quicunque baptizati essent, in Christi Salvatoris lege rite instituerentur [1]) et ad vitam agendam christianam debite educarentur. Speciminis ergo haec sint, quae [2]) iuxta „Apostolorum et antiquorum canones in synodis occidentalibus et orientalibus statutos„ iterum inculcata[3]) apud orientem fuerunt: „Praeterea fidelibus (laicis) canonem imponant verbi Domini nostri, ut filios suos tradant erudiendos in Dei timore, qui fundamentum est christianitatis, et eis ad memoriam revocent verbum Apostoli coelestis: patres

Synod. orient.

Populi institutio.

---

ulli eos transgredi fas sit, omnesque religiosi patres, et ecclesiarum rectores diligenter ac sedulo eosdem meditentur et exerceantur in lectione eorum et discant et observent eosdem: duos praesertim tomos brevioris collectionis canonum synodicorum, et alterum de ordine iudiciorum ecclesiasticorum, opus Ebediesu metropolitae Sobensis: et (ut sciant) qualiter iustas sententias ferant in iudicio, et cum convenientia (aequitate) permittant sponsalia et coniugia; et iuste dividant hereditates, et ad normam canonum sacerdotii gradus conferant, atque gubernent ecclesias; namque omnino necesse est, ut ille, qui rector et director constitutus est, sciat viam, in qua dirigat„: coll. Isaac. armen. l. c. cc. 1. sqq. et ser. I. ibid. p. 279. et pp. 285. sqq. „Quomodo episcopi sanctae ecclesiae domesticorum curam gerere debeant.„

[1]) De decem mill. talent. debit. ap. Mign. gr. PP. t. 51. p. 23. s. Joannes Chrysostomus haec egregie habet: *Οὐχ οἱ ἔξωθεν δὲ μόνον ἄρχοντες, ἀλλὰ καὶ οἱ τῶν ἐκκλησιῶν προεστῶτες τῆς οἰκείας ἀρχῆς ὑφέξουσι τὸν λόγον· καὶ μάλιστα οὗτοί εἰσιν οἱ ἐπὶ πλέον τὰς πικρὰς καὶ βαρείας εὐθύνας ὑπέχοντες. Καὶ γαρ ὁ τοῦ λόγου τὴν διακονίαν ἐγκεχειρισμένος ἐξετασθήσεται μετὰ ἀκριβείας ἐκεῖ, εἰ μήτε ὄκνῳ, μήτε φθόνῳ παρεῖδέ τι τῶν δεόντων εἰπεῖν, καὶ διὰ τῶν ἔργων ἐπέδειξεν, ὅτι πάντα διεστείλατο, καὶ οὐδὲν ἔκρυψε τῶν συμφερόντων. Πάλιν ὁ τὴν ἐπισκοπὴν λαχὼν, ὅσῳ πρὸς μείζονα ὄγκον ἀναβέβηκε, τοσούτῳ πλείονα ἀπαιτηθήσεται λόγον, οὐχὶ διδασκαλίας μόνον καὶ πενήτων προστασίας, ἀλλὰ καὶ χειροτονιῶν δοκιμασίας καὶ μυρίων ἑτέρων:* „Non solum autem saeculares magistratus, sed et illi, qui ecclesiis praesunt, suae praefecturae rationes dabunt, et praecipue isti sunt, qui maiores, acerbiores et graviores poenas sustinebunt. Cui enim verbi administratio commissa est, diligenter ibi examinabitur, an non segnitie aut invidia aliquid omiserit eorum, quae dicenda erant, et per opera exhibuerit, an omnia explicuerit, nihilque ab illo occultatum sit, quod dictu operae pretium erat.„ Coll. Orig. *περὶ ὀφειλῶν*, de debitis, in orat. domin. apud Coteler. PP. apost. t. II. p. 335.

Chrysostom.

[2]) Vide l. c. adnotat. sup.

[3]) Can. syn. Timoth. can. 2. l. c. Quo pariter spectant hae ex syrorum nomocanone cap. VII. sect. IX. ap. Mai l. c. par. II. p. 55. directiones: „Omnis episcopus in primis magistrum constituat, ubi non adest, et nomina describat puerorum, qui ad doctrinam hauriendam apti sunt, eorumque parentibus praecipiat, ut illos vel invitos ad scholam adducant. Quodsi orbi fuerint, aut inopes, ab ecclesia victus eis subministretur. Si vero ecclesia inops fuerit, procurator ecclesiae singulis diebus dominicis collectam a fidelibus faciat pro eorum alimentis. Et stipendium magistri partim ab ecclesia partim a parentibus puerorum solvatur.„

Scholae.

nolite ad iram provocare filios vestros, sed educate eos in disciplina et doctrina Domini nostri. Sciant insuper (pastores et rectores) certissime, quod omnis ecclesia, in qua non existant alumni, similis sit mulieri sterili, quae non habet filios, et cuius domestica hereditas *Scientia cum fide.* vertitur ad alienos, et quod quantum augetur doctrina, tantum corroboratur et ditatur fides; et quoties crescit ignorantia, minuitur timor Dei et debilitatur christianitas. Honoremus ergo doctrinam Domini nostri magis quam vitam nostram: quicunque vero neglexerit haec, inimicus erit Christi, eritque sub canone verbi Domini nostri, et ab ecclesia sancta reprobatus.„ Tanti semper et ubique ecclesia Dei scientiam fecit[1]) nec cleri tantum, sed etiam fidelis populi educa-

---

Tum haec: „Tirones primum psalmos David legant, deinde novum (testamentum), *Studiorum universa dispositio.* deinde vetus, deinde doctores, deinde expositiones. Quodsi ad sacerdotium non sint promovendi, post psalmos, selectas per anni circulum lectiones discant, tum vero ad artem procedant. Qui autem vocem habent ad cantum parum idoneam, ii praeter simplex feriale officium, nullum alium cantum addiscant.„ E quibus antiqua orientalium persuasio de iure ecclesiae in scholas nec non episcopalis illarum cura manifeste apparet. Quibus conferri ea debent, quae prius ex armeniorum canonibus prolata fuere.

[1]) Hanc porro doctrinam scientiamque ut pro sua parte orientales intactam ab erroribus conservarent, in syrorum nomocanone c. VII. sect. 9. ap. Mai l. c. par. II. pp. 53. sqq. census habetur „de numero librorum sanctorum, et exterorum, et canonibus scholarum, et gradibus (seu artibus) reprehensibilibus.„ In directione vero subiecta p. 55. ita ad rem legitur: „Liber itaque ecclesiasticus, *Librorum censura.* qui recens producitur, a patriarcha in occidente, a catholico in oriente, examinetur: et siquidem in spiritu compositus est, permittant, ut recipiatur.„ Cum his porro conferenda sunt quae ibidem tr. IX. c. 6. p. 165. sqq. „de librorum compositoribus„ omissis reliquis traduntur: „Mos antiquus est, inquiunt, qui etiam nunc in ecclesia Dei viget, ut nemo magistri munus sponte sua sibi praesumat, neve interpretem agat, aut libros componat absque permissu et mandato illius, qui universalis ecclesiae regimen et gubernacula obtinet (hoc posito principio pro rei veritate supremus librorum docentiumque iudex statuitur romanus pontifex, qui solus vere est universalis ecclesiae rector et gubernator; sed pro intentione loquentis et statuentis significatur ipse orientalis patriarcha). Et hac quidem lege sese continuere, quicunque tractatus et commentaria elucubrarunt. Libros enim, quos componebant, et interpretationes, quas elaborabant, antequam ad vulgi manus venirent, ad patriarcham aut transmittebant aut ipsi per se deferebant, qui, si ad id idoneus foret, suo ipse ingenio intelligentiaque eorum libros examinabat; factaque inquisitione, siquidem eae lucubrationes approbationem et coronam mererentur, approbabantur et coronabantur. Sin vero approbatione illas indignas patriarcha censuisset, reiiciebat veluti legibus ecclesiasticis contrarias, damnabatque, quemadmodum Sabariesus catholicus Hanani Adiabeni scripta, et Iesuiabus Sahadunae fabulas commentaque Esaiae Tahalensis. Nosque similiter blasphemias illius Apameensis et Josephi atque Joannis Daliathensis proscripsimus. Si vero patriarcha ob defectum scientiae examen perficere non sufficeret, ad id operis episcopos eruditos, et doctores exercitatos vocabat, qui collata opera definiebant,

tionem ac institutionem, tantamque habendam illorum sollicitudinem gregum pastoribus constanter praecepit. Tum vero novimus, secundum divinum eiusdem Salvatoris exemplar singulares ipsorum curas[1]) derelictis hominibus pauperem Christi vestem indutis sedulo *Nominatim inopes.* esse inpensas, viduis videlicet atque pupillis [2]) egenis atque paupe-

---

utrum libri suscipiendi an reiiciendi viderentur. Et haec sane fuit antiquorum regula, quae nostris quoque temporibus obtinet. Nam Ephraemus, qui cathedram et thronum Elamitarum tenet, et ille alter pudicus castusque Raban Moses presbyter et doctor, tertius etiam doctus et acutus Abu-Noe lucubrationes ab ipsis elaboratas, antequam a quopiam viderentur, ad nos transmisere, scripseruntque in haec verba: cognitionis tuae fornace eas explorato, et sapientiae tuae igne expurgato. Et siquidem in ecclesiae archivia recipiendos iudicaveris, easdem recipi iubeto; sin hoc honore indignas censueris, fac ut in mare proiiciantur aut igne absumantur. Et isti quidem viri Dei amantes sic fecerunt.„ Quae uti praeclara sunt, quod attinet ad supremum de iudicandis libris tribunal et ad usum exercitiumque antiquum iudicii eiusdemque effectum; ita a vero absunt, quod spectat ad determinatum iudicem supremum, ad dotes qualitatesque supremi iudicis iudiciique adeo vim, quae apud sedem romanam obtinet.

Concil. carthag. [1]) Specimen huius rei prorsus insigne praebet sequens concil. carthagin. can. LXXVIII. ap. Bevereg. t. I. q. 612. „De defensoribus ecclesiarum, qui ab imperatoribus peti debent. Omnibus visum est, petere ab imperatoribus propter pauperum vexationem, quorum molestiis assidue fatigatur ecclesia: ut iis defen- *Defensores ecclesiarum.* sores cum episcoporum providentia eligantur adversus divitum tyrannidem.„ Qui canon in universo receptus imperio et per novellam XV. a Justiniano accuratius exsequutioni mandatus praeclare illustratur cum a Zonara et Aristeno tum a Balsamone, qui canonis explicationem his exorditur: *Ἀνάγκη πᾶσα ἐπίκειται τοῖς ἐπισκόποις ἀντιλαμβάνεσθαι τῶν ἀδικουμένων:* „Necesse habent omnino episcopi, eos qui iniuria afficiuntur defendere.„ Tum concil. trull. can. LXXXV. ibid. p. 255. statutus in favorem servorum „qui a suis dominis sub tribus testibus manumittuntur„: de quibus cf. si libuerit, Balsamonem aliosque enarratores.

[2]) De horum cura adnotat Mart. Jos. Routh. reliq. sacr. t. III. p. 35. ad Cornelii ep. rom. epistolam datam s. Cypriano, quibus conferenda ibidem p. 63. *Cornel. rom.* quae idem animadvertit de epistola eiusdem Cornelii ad Fabium ep. antioch. in qua p. 23. n. 3. de exemplari omnium ecclesia romana haec leguntur: „Ergo ille (Novatianus) evangelii vindex ignorabat, unum episcopum esse oportere in ecclesia catholica. In qua tamen sciebat (quomodo enim illud nescire potuisset?) presbyteros quidem esse quatuor (sex in textu graeco) et quadraginta: septem autem diaconos: acoluthos duos et quadraginta: exorcistas et lectores cum ostiariis quinquaginta duos: viduas denique cum infirmis et egentibus plus quam mille et quingentas. Quibus universis gratia et benignitas Dei alimenta suppeditat. Et tamen tanta tamque necessaria in ecclesia multitudo: coetus ille divinae providentiae copiis opulentus et numerosus, cum immenso ac pene innumerabili populo, ab huiusmodi desperatione et audacia illum deterrere et ad ecclesiam revocare non potuit.„ Atqui haec obtinebant temporibus et epocha christianae persecutionis: sed quantum ordinis perfectionisque incrementum sumebant pastorales eiusmodi de egenis curae, quum ecclesia Christi paci data universam hominum societatem pervadere coepisset? De quibus praeter alia consulenda etiam reliq. sacr. t. IV.

ribus, ut terrenis solatiis destituti facilius uberiusque thesauros sortirentur coelestes: communi tandem sollicitudine amplexos esse reliquam multitudinem [1]) universam, ut e Christi fide morumque lege in omni pietate et castitate [2]) vitam agerent suosque singulos actus coram Salvatore suo Deo acceptos redderent et salutares.

5. Actiones ad idem referendae.

37. Haec est praeclara mens ac sententia, qua a vetustissimis [3]) fideles ad episcopum omnia referre iubentur. Videlicet quae a christianis fidelibus aguntur bifariam considerari possunt, vel subiective ac prope formaliter prae fine ac modo quo fiunt, vel obiective, ut aiunt, ac prae materia obiectoque circa quod eorum actus versantur. Priori spectatae ratione actiones humanae dirigi universae in gloriam Dei debent secundum Apostoli [4]) praeceptum: „Sive ergo manducatis sive bibitis sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite„: atque id monere, exponere et praedicare instituti divinitus ministerii est, ad cuius etiam potestatem iudicialem pertinet, de ethico eiusmodi actionum omnium valore ac pretio arbitrari iudicioque authentico statuere. Porro caput, principium ac centrum ministerii instituti collataeque divinitus potestatis situm in episcopo est. Apparet ergo manifesta causa, ob quam Ignatius universam fidelium vivendi agendique rationem episcopo commendatam voluerit.

A subiecto.

38. Quodsi iam alio modo actus fidelium considerentur, eorundem obiectum aut res est ecclesiae, illam constituens, ad eam pertinens, et cum eadem conserta, aut res est a divinis, sacris iisdemque innexis aliena ac dissita. Quodsi prioris generis exsistunt, tum enimvero quatenus ad ecclesiam

Ab obiecto.

---

p. 185. can. neocaesar. can. XIII. pars postrema de officio chorepiscoporum: *Οἱ δὲ χωρεπίσκοποι εἰσὶ μὲν εἰς τύπον τῶν ἑβδομήκοντα· ὡς δὲ συλλειτουργοὶ διὰ τὴν σπουδὴν τὴν εἰς τοὺς πτωχοὺς προσφέρουσι τιμώμενοι:* „Chorepiscopi quoque ad exemplum quidem et formam septuaginta videntur esse: ut comministri autem propter studium, quod erga pauperes exhibent, honorandi. His porro similia habentur in collection. canon. synodicor. can. apost. epitom. ap. Mai scriptt. vett. t. X. par. I. p. 18.

Can. neocaes.
Chorepiscopi.

[1]) Cf. F. Walter. iur. eccl. l. I. c. 1. nn. 9. sqq. ed. 12. pp. 14. sqq.

[2]) I. Tim. II. 2.

[3]) De quibus plura superius allata fuerunt potissimum ex b. Ignatio M.

[4]) I. Cor. X. 31. *Εἴτε οὖν ἐσθίετε εἴτε πίνετε εἴτέ τὶ ποιεῖτε, πάντα εἰς δόξαν θεοῦ ποιεῖτε.* Coll. Rom. XIV. 6.

I. Cor. X 31.

spectant, ab ecclesiae regimine unice pendent; in ecclesiastica enim negotia ius nullum, nisi quod a potestate divinitus collata repetitur, quae suprema est in episcopatu. Hinc fidelium actiones circa tale obiectum ad episcopi curas non subiective tantum sed etiam obiective spectatae referuntur, eius ordinationem directionemque postulant, atque moderamini eiusdem ac temperamento etiam directo ac positivo, ut aiunt, omnino subsunt: aliter autem iudicare oportet, quod ad res alterius ordinis attinet: istae enim quum ex sese nullum ad ecclesiae negotia obiectivum habitum dicant, apparet, fidelium circa easdem actus obiective spectatos ab ecclesiae praesidibus sollicitudinem aliam non flagitare, nisi quam negantem vocares, qua nimirum caveant, ne cum ecclesiasticis negotia saecularia praepostere commisceantur, neve illis haec aut opponantur aut anteponantur. Itaque diversissimo licet pacto, aliquo tamen omnia credentium negotia ad ecclesiae praesides habitum dicunt, sive is subiectivus dumtaxat sive etiam obiectivus dicatur et sit.

6. Communis fidelium vita ab illo moderanda.

Saeculare negotium tractare vetatur, iudicare inponitur.

39. Inde profecto liquet aliud esse, saecularia, quae vocant, tractare negotia, quod est a sacerdotio alienum plurimumque antiquitus [1]) vetitum; et aliud esse, saecularia saecularium hominum negotia ad trutinam revocare, ad normam sive naturalis rationis ac iuris [2]) sive positivae legislationis aut divinae aut humanae illa exigere, deque eorundem iustitia et aequitate,

---

Conc. orient.

[1]) Ita clerici prohibentur 1. exercitui vacare can. apost. LXXXII. 2. saecularia negotia exercere conc. chalced. can. III. 3. saecularibus possessionum administrationibus semet ingerere ibidem: 4. fideiussionem praestare can. apost. XX. coll. Justinian. novella CXXIII. 5. splendidis et insignibus vestibus, unguentis alioque ad luxum facto ornatu corpus colere conc. VII. oecum. can. XVI. 6. magos, incantatores, astrologos seu mathematicos facere, quae philacteria dicuntur conc. laodic. can. XXXVI.: verum iubentur secundum Paulum Apostolum, ut Deo militantes negotiis secularibus se non inplicent. Cum illis, quae orientalis ecclesiae potissimum sunt propria, conspirant haec ap. Routh. rel. sacr. t. IV. p. 309. ex conc. arelat. I. can. XII. „De ministris, qui fenerant, placuit eos iuxta formam divinitus datam a communione abstineri.„ Quibus conferenda Eliberit. can. XX. Ivo part. XIII. c. 10. ex conc. arelat. I. c. 12. tum plura ap. Lud. Thomass. de vet. et nov. eccles. discipl. t. II. l. III. cc. XXXVI. sqq. ubi etiam de non frequentanda principum aula.

II. Tim. II. 3. *Conc. arelat.*

Jus naturae.

[2]) Abusu potissimum nominis reique significatae perversione profecta maxime a falsitate perversitateque cuiusdam philosophiae factum esse dixeris, ut vel ipsos inter catholicos sint, qui a nomine aeque ac re iuris vel legis naturalis abhorrere videantur, nec nisi positivum ius ac historicum dictum velint et sectari.

honestate moralitateque ferre iudicium. Atque ita aliud est, rem agere bellicam vel oeconomicam, et aliud, de belli possessionisve alicuius justitia arbitrari. Illud est rei bellicae agrariaeve periti, hoc est periti legis iurisque tam naturae et gentium, quam humani atque divini.

Actus credentium ethici.

40. Jamvero hoc cuicunque salutaribus undis abluto dictum officium est, ut semet in cunctis actionibus suis ad statutum divinitus ordinem exigat. Inde enim actus singuli, quos humanos vocant, sortiuntur ethicum ac meriti pretium idque supernaturale. Atqui prout ethici actus sunt, meritorii salutis eiusque supernaturalis, iudici subsunt *τοῦ ἤθους*, qui est ex sese Deus solus, cuius tamen in terris ministerio ac legatione funguntur missi divinitus Apostoli eorumque successores, qui sunt episcopi, ecclesiae pastores atque doctores. Quare quum in ordine illo supremum iudicium penes forum *τῆς ἐπισκοπῆς* sit, mirum foret, si nulla iuris adhibiti, nulla officii ab episcopis praescripti et a fidelibus praestiti vestigia in pristinis ecclesiae actis recurrerent.

Antiquitatis documenta.

41. Atqui omnigena recurrunt, non obscura, inquam, vestigia sed documenta perspicua eaque continua, quibus explicata illa ecclesiarum *πολιτεία* clare deprehenditur ac innotescit. Eiusmodi porro argumenta ecclesiae iuribus continentur et factis, legislatione atque historia. In suis enim praescriptis ac decretis episcopi

Iuridica.

I. non ad spiritualia vitamque tantum internam, verum etiam ad externam fidelium conversationem bonosque mores [1]) attendebant; neque

---

Pallavicini.

Quibus quum opponendus praeter alia sit continuus ecclesiae usus et doctrina inde a Paulo ad Rom. II. usque ad Pium IX. in errorum syllabo, tum faciunt ad declarationem discriminis inter utrumque ius haec Sfort. Pallavicinii S. J. hist. concil. trident. l. XII. c. 10. n. 20. „Quonam pacto Suavis libido sui fellis undique in ecclesiam evomendi prohibuit, ne ipsius memoriae recurreret vetustissima et cunctis obvia distinctio legis naturalis et positivae; quum haec posterior ita nuncupetur, quia obligatio quam affert, in ipsius rei immutabili natura non fundatur (quemadmodum lex naturalis), sed in sanctione scripta et posita pro arbitrio sive Dei sive magistratus humani? Profecto secundum hanc significationem usurpatum est hoc vocabulum legis positivae a s. Thoma in 1. 2. q. 45. a. 4. ante quadringentesimum annum.„

Canon. oriental.

[1]) Huc facit in laudato frequenter syrorum nomocanone c. VII. sect. IX. ap. Mai l. c. p. 56. „Diataxis Apostolorum 6. Idolorum fabricator, auriga certans, cursor stadii, vorator vitrorum (fortasse, ait editor, calicum seu vini), cursor in olympiade, cantator, citharoedus, lorarius, saltator, caupo, magus, incantator, cir-

Prohibitae vitae rationes.

II. in his ipsis ad ordinem clericorum dumtaxat, verum ad omnium fidelium ordinem [1]) respiciebant; tum vero

III. singulariter consulendum meliori quovis modo illis esse censebant, qui suo vitae statu ac conditione vel terrenis humanisque praesidiis destituti essent ac prope derelicti, vel etiam propensi amplius ad coelestia quaerenda solatia et ad spem divinorum erigendi. Id patefaciunt illorum canones circa viduas ac virgines, circa egenos ac pauperes, circa servos omnesque oppressos. Ita enimvero continuat ecclesia oeconomiam Christi, qui [2]) Joanni renunciare iussit „pauperes evangelizari„: tum divinae missionis suae spiritum eo itidem manifestat, quod illos dilectione amplectitur singulari, a quibus spiritus huius mundi abhorret potius ac refugit: ideoque actu ipso commonstratur, sic suas ab ecclesia vires actionesque supernaturales explicari, ut naturalis hominum ordo non patiatur quidpiam detrimenti, verum iuvetur etiam atque omnigenis locupletetur commodis ac beneficiis.

Viduae ac virgines.

Egeni ac pauperes.

Historica.

42. Quodsi vero haec satis nunc sint ad ostendendum, existimatum fuisse antiquitus, fidelium partis sive classis haud exiguae vitam ac conversationem praeter ac citra curas episcopales, quemadmodum par est, non duci; profecto non desunt sed abun-

---

culator, praestigiator, astrologus, interpres somniorum, divinator, insidiator, sortilegus, purgator, augur, haruspex, vates, interpres volatuum, incantator per aves, observator occursuum aut macularum membrorum aut arietum aut vocum aut auditionum aut tinnitus aurium aut pulsationum; isti omnes cessent, aut repellantur.„ Quae nunc eo maiorem merentur attentionem, quo praesentius ab observatoribus manifestationum, quas spiritisticas vocant, periculum imminet.

Synod. trull.

Iuventus litteraria.

[1]) Animadversione dignissimus est hic trullanae synodi can. LXXI. ad studiosam spectans iuventutem ap. Bevereg. tom. I. p. 240. *Τοὺς διδασκομένους τοὺς πολιτικοὺς νόμους μὴ δεῖν τοῖς ἑλληνικοῖς ἔθεσι κεχρῆσθαι, μήτε μὴν ἐπὶ θεάτρων ἀνάγεσθαι, ἢ τὰς λεγομένας κυλίστρας ἐπιτελεῖν, ἢ παρὰ τὴν κοινὴν χρῆσιν στολὰς ἑαυτοῖς περιτιθέναι· μήτε καθ᾽ ὃν καιρὸν τῶν μαθημάτων ἀπάρχωνται, ἢ πρὸς τὸ τέλος αὐτῶν καταντῶσιν· ἢ καθόλου φᾶναι διὰ μέσης τῆς τοιαύτης παιδεύσεως, εἰ δέ τις ἀπὸ τοῦ νῦν τοῦτο πρᾶξαι τολμήσοι, ἀφοριζέσθω:* „Eos qui docentur leges civiles, graecis moribus uti non oportere, et neque in theatrum induci, neque quae dicuntur cylistrae peragere, vel praeter usum communem sibi vestes induere, nec quo tempore disciplinam aggrediuntur, vel ad finem eius perveniunt, vel, ut in summa dicam, in eius doctrinae dimidio: si quis autem deinceps hoc facere ausus fuerit, segregetur.„ Tanta videlicet sollicitudo ecclesiae erat, ut ab iuventute litteris incumbente christiani mores, ut oportet, colerentur. Ceterum ad publicum honestatis ordinem conservandum facit ibid. p. 257. can. LXXXVI.

[2]) Matth. XI. sq. *Πορευθέντες ἀπαγγείλατε Ἰωάννῃ ἃ ἀκούετε καὶ βλέπετε . . . πτωχοὶ εὐαγγελίζονται.*

dant historiae documenta, e quibus deprehendatur, reliquam credentium summam eamque potentium, terrenis etiam bonis affluentium et copiis, et necessariam duxisse *ἐπισκοπῆς* normam ac legem et utilia eiusdem studia atque consilia, ad vitam suam omnem rite ac debite instituendam. Quum enim ratione intelligerent atque revelatione docerentur, tum potestatem, qua pollerent, a Deo esse, tum opes, quibus ditescerent, desursum [1]) sibi uti prudentibus fidelibusque oeconomis concessas fuisse [2]), quibus benefacerent hominibus Deique gloriam amplificarent, nihil videri consonum magis ac necessarium poterat, quam in usu tam illius quam istarum divinae voluntatis ac legis interpretes legitimos ac institutos divinitus iudices consulere, atque porro audire. *Potentes ac divites.*

43. Unde hoc exsistit omnino praeclarum, quo vitae prope circulatio inter diversas credentium classes continetur et emicat, proficiscens videlicet ab instituto divinitus pastorali ministerio ac redundans in singulos hominum ordines et omnes eorum conditiones; sed via quodammodo ac ratione inversa, ita quidem ut in societate christiana *Mutua inter pauperes ac divites circulatio vitae salutaris.*

I. Christus per suos legatos pauperes quaerat, et vicissim ipse in suis ministris quaeratur a divitibus ac potestate pollentibus; verum utrumque ad propriam tam illorum quam istorum salutem: et ut

II. dum bonis abundantes terrenis per *ὄργανον* prope mediumque divini legatorum ministerii naturales suas divitias ad gloriam Altissimi propriamque sanctificationem referunt, eiusdem ope ministerii simul sanctificentur vicissim egeni quique terrestribus destituuntur auxiliis, et Deus ita in ipsis glorificetur, ut naturalibus quoque eorundem necessitatibus ac indigentiis pro facultate auxilium praesidiumque adhibeatur.

44. De adhibito posterioribus hisce cura diximus: quod vero ad illos iam attinet, amplissimum documentorum ac speciminum segetem ex omni antiquitate collegit in vetere et nova ecclesiae disciplina [3]) *Illustria nominatim specimina.*

---

[1]) Jacob. I. 17. *Πᾶσα δόσις ἀγαθὴ καὶ πᾶν δώρημα τέλειον ἄνωθέν ἐστι:* „Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est.„

[2]) Matth. XXIV. XXV.

[3]) Cf. t. II. l. 3. cc. XXVI. sqq. de legationibus episcoporum quinque prioribus ecclesiae saeculis, ubi pp. 391. sqq. speciminibus petitis a prioribus ecclesiae aetatibus iisque depromptis ex omnibus ecclesiae plagis desumptisque etiam a celeberrimis fidei doctoribus ss. Chrysostomo, Flaviano, Martino, Ambrosio, Germano, Epiphanio, ostendit, susceptas ab episcopis ad exemplum Apostolorum curas pridem fuisse rerum non modo spiritualium, sed temporalium quoque,

Thomassin. Ludovicus Thomassinus: unde constat, gravia[1]) olim negotia in societate christiana sive a principibus sive a subditis suscepta et tractata sine ecclesiae praesulibus atque ministris vix ulla fuisse.

7. Rei expositae rationes et causae.

Institutus ordo salutis. 45. Scilicet quod persuasum omnibus fideque insitum penitissime esset, homini christiano cuiuslibet ordinis, conditionis et status ex fide in omnibus agendum, operandum et vivendum[2]); fidei porro christianique iuris regulam et normam audiendam

---

nimirum necessitatum fidelium calamitosorum, pupillorum, privatorum ac principum, particularium ac totius nonnunquam hominum societatis, idque postulantibus ipsis gregibus atque praepositis.

S. Remigius. [1]) Memoria dignum s. Remigii conc. Gall. t. I. p. 275. ep. ad Clodovaeum hoc datum regi consilium: „Consiliarios ibi adhibere debes, qui famam tuam possint ornare: et beneficium tuum castum et honestum esse debet, et sacerdotibus tuis honorem debebis deferre, et ad eorum consilia semper recurrere. Quod si tibi bene cum illis convenerit, provincia tua melius potest constare.„ Consilium *Clodovaeus.* haud semel sequuti Clodovaeus et successores, uti videre est ap. Du Chesne hist. Franc. t. I. qui vel in ipsis suis dissidiis arbitros deligerent episcopos. Porro de *Dagobert.* felicissimae recordationis Dagoberto I. legitur quod „Ab initio, quo regnare coeperat, consilio b. Arnulphi metensis episcopi et Pipini Maioris domus usus, tanta *Carolus M.* prosperitate regebat.„ Quaenam fuerit Caroli M. consuetudo ac norma cum sit exploratissimum omnibus his tantum illustrasse satis est, quibus magnus ille a Sangallensi monacho l. II. c. 9. describitur: „Radians sicut sol in ortu suo, gemmis et auro conspicuus, innixus super Hettonem. Hoc quippe erat nomen episcopi ad Constantinopolin quondam delegati. In cuius undique circuitu circumsistebant instar militiae coelestis tres iuvenes filii eius, iam regni participes effecti filiaeque cum matre etc. Pontifices forma et virtutibus incomparabiles, praestantissimi nobilitate simul et sanctitate abbates.„ Neque aliam fuisse vivendi sentiendique rationem magni Anglorum regis Alfredi, enarrat Spelman. life of King. Aelfred ap. Christ. et Fried. Leop. com. a Stolberg vit. Alfred. M. opp. *Alfred. M.* t. X. pp. 209. sqq. nn. XIV. sq. ubi legitur non tantum de eius pietate, sed quod Alfredus ipse a) plura Gregorii M. opuscula fecerit anglica; sed quod b) Plegmond. archiep. cantuar. eidem esset a consiliis; quod c) scholas, inter quas etiam Oxoniensis, instituere fecit per Grimbaldum abbatem, quem e Galliis ab episcopo rhemensi accersivit et acquisivit; quod d) uti fundamentum suae legumlationis posuit decalogum cum apostolicis constitutionibus; et e) „inter stridores lituorum, ita Malmesbury, inter fremitus armorum leges tulit, quibus sui cum divino cultui tum disciplinae militari assuescerent„: hinc ibid. pp. 236. sqq. eius proverbia ob christianae sapientiae plenitudinem, quam spirant, memoria omnium sed potissimum illorum dignissima, qui in sublimitate sunt. Neque minus *Tiridat. armen.* praeclara ea sunt, quae de Tiridate armeniorum rege, quem Gregorius illuminator regeneravit, leguntur apud em. Mai scriptt. vett. t. X. par II. pp. 289. sq. 310 sq.

[2]) Rom I. 17. *Ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται:* „Justus autem (qualis esse quilibet credentium debet) ex fide vivit.„ Coll. Rom. III. 22. Gal. III. 11.

accipiendamque, tum vero etiam casuum speciminibus potissimum difficilioribus atque maioris momenti aptandam esse a magisterio eorum, qui potestate plena missi sunt, ut homines servare doceant[1]) *Matth. XXVIII. 18.* quaecunque Christus dixit. Id sane flagitat ordo christianus idemque salutis, in quo per Salvatorem nostrum Jesum constituti invenimur, ut actiones omnes, tam externae quam internae, tam privatae quam publicae, sive circa obiectum versentur divinum ac coeleste sive circa humanum ac terrestre, ad supernum finem colliment atque dirigantur. Quod ut tranquilla fiat pacataque conscientia, ubi maxime actionum ad supernam normam habitudo obscura, directio in debitum finem incerta sit, ex instituto Salvatoris nostri Dei adsunt probati legis interpretes, qui propterea de actionibus creditorum [2]) sibi fidelium rationem reddere debent. Ii episcopi sunt ecclesiarumque pastores, ad quos adeo positos in dioecesibus suis fideles sibi subditi omnes tam privati quam publici, ut vitam christianam omnem [3]) omnemque actionem ordinate perficiant, attendere et iure tenentur et usu inde ab Apostolis communi consuevere.

---

[1]) Matth. XXVIII. 19. sqq. *Ἐδόθη μοι πᾶσα ἐξουσία ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς. Πορευθέντες* (al. *οὖν*) *μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη . . . διδάσκοντες αὐτοὺς τηρεῖν πάντα ὅσα ἐνετειλάμην ὑμῖν:* „Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes: docentes eos servare omnia quaecunque mandavi vobis.„

[2]) Ita apost. canon. XXXIX. col. can. XLI. ap. Bevereg. t. I. pp. 27. sq. *Canon. apost.* ap. Pitra can. XL. iur. eccles. graec. t. I. p. 21. *Οἱ πρεσβύτεροι καὶ οἱ διάκονοι ἄνευ γεώμης τοῦ ἐπισκόπου μηδὲν ἐπιτελείτωσαν· αὐτὸς γάρ ἐστιν ὁ πεπιστευμένος τὸν λαὸν κυρίου καὶ τὸν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν αὐτῶν λόγον ἀπαιτηθησόμενος:* „Presbyteri et diaconi praeter episcopum nihil agere pertentent, nam Domini populus ipsi commissus est, et ipse rationem pro animabus eorum redditurus est„ secundum illa Hebr. XIII. 17. *Πείθεσθε τοῖς ἡγουμένοις ὑμῶν, καὶ ὑπείκετε·* *Hebr. XIII. 17.* *αὐτοὶ γὰρ ἀγρυπνοῦσιν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ὑμῶν ὡς λόγον ἀποδώσαντες:* „Obedite praepositis vestris et subiacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.„

[3]) Commemoratione dignus videtur ap. Bevereg. t. I. p. 273. conc. trull. *Synod. trull.* can. XCVI. *Οἱ δὲ Χριστὸν διὰ τοῦ βαπτίσματος ἐνδυσάμενοι, τὴν ἐν σαρκὶ αὐτοῦ πολιτείαν μιμεῖσθαι καθωμολόγησαν· τοὺς οὖν τὰς ἐν τῇ κεφαλῇ τρίχας* *Cultus mundanus.* *πρὸς λύμην τῶν ὁρώντων, ἐν ἐπινοίαις ἐμπλοκῆς εὐθετίζοντας καὶ διασκευάζοντας, καὶ δέλεαρ προτιθέντας ἐντεῦθεν ταῖς ἀστηρίκτοις ψυχαῖς, ἐπιτιμίῳ προσφόρῳ πατρικῶς θεραπεύομεν, παιδαγωγοῦντες αὐτοὺς καὶ σωφρόνως βιοῦν ἐκδιδάσκοντες, πρὸς τὸ, ἀφέντας τὴν ἐκ τῆς ὕλης ἀπάτην καὶ ματαιότητα, πρὸς τὸ ἀνώλεθρον καὶ μακαρίαν ζωὴν τὸν νοῦν μετάγειν διηνεκῶς, καὶ ἐν φόβῳ ἁγνὴν ἔχειν ἀναστροφὴν, καὶ θεῷ πλησιάζειν κατὰ τὸ ἐφικτὸν διὰ τῆς ἐν βίῳ καθάρσεως καὶ τὸν ἔνδον ἢ τὸν ἔξω ἄνθρωπον μᾶλλον κοσμεῖν ἀρεταῖς καὶ*

Apostolicum ius et iugis ecclesiae usus.

46. Profecto ius illud apud ecclesiam obtinuit [1]) semper, idemque facto exsequi consuevere quavis aetate tam singuli seorsum quam integrae societates, et quidem pro gradu [2]) ac proportione, qua in illis et istis spiritus Christi vel primas ageret radices, vel augeretur ac cresceret, vel laete floreret, uberesque fructus ederet. Id quod aliter esse ac contingere non potuit, quum descripta hucusque ratio ecclesiasticae *πολιτείας* exemplar et legem haberet in constitutis ab ipsis Apostolis ordinatisque ecclesiis.

Generale praeceptum.

47. Sane flagitarint iidem nec ne, ut fideles quaecunque interius moliuntur exteriusque operantur ad salutem a Christo sibi partam referant, quavis prope pagina Scripturarum declaratur, et generali hac complexione Paulus[3]) edicit „Sive ergo manducatis sive

I. Cor. X. 31.

χρηστοῖς καὶ ἀμώμοις τοῖς ἤθεσιν· ὥστε μηδὲν λείψανον φέρειν ἐν ἑαυτοῖς τῆς τοῦ ἐναντίου σκαιότητος· εἰ δέ τις παρὰ τὸν παρόντα κανόνα διάγοιτο, ἀφοριζέσθω: „Qui Christum per baptismum induerunt, eius in carne vitae agendae rationem imitari professi sunt. Eos ergo, qui capillos ad videntium detrimentum scite excogitatis nexibus adornant et componunt, et infirmis animis escam ea ratione obiiciunt, convenienti supplicio paterne curamus, ipsos instituentes et temperanter vivere docentes, ut relicta fraude et vanitate, quae ex sordibus mundanis oritur, ad interitus expertem beatamque vitam mentem assidue traducant, et in timore puram et sanctam conversationem habeant, et Deo quoad eius fieri potest, appropinquent, per vitae puritatem et internum magis quam externum hominem virtutibus et bonis inculpatisque moribus exornent, ut nullas in se ferant reliquias perversitatis usque adeo repugnantis; si quis autem praeter hunc canonem versatus sit, excommunicetur.„ Ita praeclare ista ceteroquin pseudo-synodus.

Petav.

[1]) Derisit *ψευδώνυμος* trapezita Catharus seu Salmasius prolatam a Dionysio Petavio in dissertatt. eccles. sententiam, qua iuris canonici eiusque apostolici mentionem fecerat. Cui derisioni aurelianensis noster de eccles. hierarch. l. III. c. 9. n. 5. reponit: „O hominem acutum! Ergone ius nullum, canones nulli, et quod ex utroque vocabulo componitur ius canonicum Apostolorum saeculo nullum fuit? Quid imperitius ac iocularius excidere potuit homini litterarum qualicunque notitia perfuso? Etenim Apostoli quod nemo nescit multa constituerunt, multa ecclesiis servanda praescripserunt. Hinc illae, quae dicuntur, apostolicae traditiones, quorum frequens est apud antiquos scriptores mentio, ut Irenaeum, Clementem alexandrinum, Tertullianum, Basilium, Epiphanium, Chrysostomum, Hieronymum, Augustinum, de quibus in primo libro obiter egimus. Quid autem pleraeque sunt earum, quam leges et canones ac iura, quae magistri illi ac duces et principes ecclesiae dixerunt?„ Quibus ad rem nihil praeclarius.

Canon. Apostol. ius.

Apostasia.

[2]) E proportione inversa atque opposita deprehenditur tam in singulis seorsum quam in societatibus integris varia ratio et multiplex gradus apostasiae a Christo et ab ecclesia eius et a spiritu eius: porro *ἀποστατικὸν* quendam spiritum invaluisse iam suaque potestate dominari ubique merito dixeris.

[3]) I. Cor. X. 31. *Εἴτε οὖν ἐσθίετε, εἴτε πίνετε, εἴτε τι ποιεῖτε, πάντα εἰς δόξαν θεοῦ ποιεῖτε.*

bibitis sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.„ Atqui ut haec completa disiunctione, quemadmodum logici loquuntur, negotium hominum nullum excipiunt vel excludunt, ita necessarium cuiusvis salutaris actionis praeceptum involvunt. Sed salutaris omnis praecepti promulgatio, interpretatio, suaque ad specimina casuum aptatio non est nisi penes institutos ab auctore salutis arbitros atque ministros [1]) qui *τῇ ἐπισκοπῇ* excellunt. *I. Tim. IV. 16.*

48. Hinc est quod doctor gentium [2]) ubi selectos a se gregum pastores de officiis episcopalibus instituit, opus [3]) eorum extendit tam ad omnes [4]) homines generatim, quam speciatim ad singulos hominum ordines [5]), utrumque [6]) sexum, singulas [7]) aetates, singulas [8]) conditiones, singulosque [9]) status: quodque eidem illorum *Particularium specimina casuum.* *I. Tim. II. 1. sqq.* *I. Tim. V. 1. sqq.* *I. Tim. VI. 7. sqq.*

---

[1]) I. Tim. IV. 16. *Ταῦτα ὑποτιθέμενος τοῖς ἀδελφοῖς, κάλος ἔσῃ διάκονος Χριστοῦ Ἰησοῦ, ἐκτρεφόμενος τοῖς λόγοις τῆς πίστεως καὶ τῆς καλῆς διδασκαλίας, ᾗ παρηκολούθηκας:* „Haec proponens fratribus, bonus eris minister Christi Jesu enutritus verbis fidei et bonae doctrinae, quam assecutus es.„ Eos porro instructos potestate, imperio sive *ἀρχῇ* fuisse tuetur ac vindicat de eccles. hierarch. l. III. cc. 9. sqq. eximius Petavius id contra Salmasium evincens, „Petrum et Paulum Apostolosque ceteros non tantum ministros ac velut officiales, apparitoresque, sed fuisse imperio ac potestate praeditos„ quibus excellit magistratus, cuius „haec est vis, secundum Ciceronem de leg. l. III. ut praesit, praescribatque recta et utilia et coniuncta cum legibus. Ut enim magistratibus leges, ita populo praesunt magistratus, vereque dici potest, magistratum legem esse loquentem; legem autem mutum magistratum.„ *Petavius.* *Magistratus.*

[2]) II. Tim. II. 7. col. I. Tim. I. 11. *Εἰς ὃ ἐτέθην ἐγὼ κηρὺξ καὶ ἀπόστολος (ἀλήθειαν λέγω ἐν Χριστῷ, οὐ ψεύδομαι) διδάσκαλος ἐθνῶν ἐν πίστει καὶ ἀληθείᾳ:* „In quo positus sum ego praedicator et Apostolus (veritatem dico, non mentior) doctor gentium in fide et veritate.„

[3]) I. Tim. III. 1. „Bonum opus„ est episcopatus, *εἴ τις ἐπισκοπῆς ὀρέγεται, καλοῦ ἔργου ἐπιθυμεῖ.*

[4]) I. Tim. II. 1. *Παρακαλῶ οὖν πρῶτον πάντων ποιεῖσθαι δεήσεις, προσευχὰς, ἐντεύξεις, εὐχαριστίας ὑπὲρ πάντων ἀνθρώπων:* „Obsecro igitur, primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus.„

[5]) I. Tim. II. 2. coll. Tit. III. 1. Reges et principes, subditi et inferiores: illi sint pii et casti, hi vero obedientes et subiecti.

[6]) I. Tim. II. 8. sqq. Viros hortatur et mulieres.

[7]) I. Tim. V. 1 sq. Tit. II. 2. sqq. Senes et iuvenes, anus et iuvenculas commoneri iubet.

[8]) I. Tim. VI. 7. 9. 17. II. Tim. I. 15. Pauperibus non minus ac divitibus curam adhibendam praecipit.

[9]) I. Tim. VI. 1. sqq. coll. Tit. II. 9. sqq. Servis aeque ac dominis consultum vult. Hinc Hieronymus in ep. ad Titum II. 9. sq. „Quoniam Dominus et Salvator noster, qui in evangelio ait: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, *Hieronymus.*

I. Tim. II. 3. sq. operi addicit non solum generatim [1]) curam humanae salutis, sed speciatim etiam sollicitudinem de pace [2]) tranquillitateque publici ordinis a regibus conservandi et principibus, ut summus ordo [3]) salutis obtineatur: de ordine domestico eoque familiae,
I. Tim. II. 11. ut iustus servetur [4]) habitus dependentiae mulieris a viro: de
Tit. II. 9. interno [5]) sentiendi non minus quam externo agendi modo servorum, qui dominis obnoxii suis, sive ii gentiles essent sive
I. Tim. VI. 5. fideles: tum de affectione interna ac studio [6]) temporalium bonorum,
Tit. III. 14. tum de salutari [7]) eorum externoque usu: de mansueta virorum [8]) et honesta conversatione, deque mulierum modestia ac decentia
I. Tim. II. 8. sqq. cum in omni ornatu et habitu tum in vestibus et crinibus.

---

et ego reficiam vos (Matth. XI. 28.) nullam conditionem, aetatem, sexum, a beatitudine arbitratur alienum: propterea nunc Apostolus et servis praecepta constituit, scilicet ut parti ecclesiae membrisque corporis Christi.„

[1]) I. Tim. II. 3. sqq. IV. 10. sq. „Qui (Deus) omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire„ *ὃς πάντας ἀνθρώπους θέλει σωθῆναι, καὶ εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν.*

[2]) I. Tim. II. 2. sq. „Ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate„ *ἵνα ἤρεμον καὶ ἡσύχιον βίον διάγωμεν ἐν πάσῃ εὐσεβείᾳ καὶ σεμνότητι.*

[3]) Quibus apertissime ordo publicus atque civilis uti conditio prope ac medium statuitur ordinis salutis eiusdemque divini, adeo ut ille ad hunc ordinetur referrique debeat.

[4]) I. Tim. II. 11. *Γυνὴ ἐν ἡσυχίᾳ μανθανέτω ἐν πάσῃ ὑποταγῇ:* „Mulier in silentio discat cum omni subiectione.„

[5]) I. Tim. VI. 1. Tit. II. 9. „Quicunque sunt sub iugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur„ et „Servos dominis suis subditos esse, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes.„

[6]) I. Tim. VI. 5. „Conflictationes hominum mente corruptorum, qui veritate privati sunt, existimantium quaestum esse pietatem„ *διαπαρατριβαὶ διεφθαρμένων ἀνθρώπων τὸν νοῦν καὶ ἀπεστερημένων τῆς ἀληθείας, νομιζόντων πορισμὸν εἶναι τὴν εὐσέβειαν.*

[7]) Tit. III. 14. „Discant autem et nostri bonis operibus praeesse ad usus necessarios: ut non sint infructuosi„ *μανθανέτωσαν δὲ καὶ οἱ ἡμέτεροι καλῶν ἔργων προΐστασθαι εἰς τὰς ἀναγκαίας χρείας, ἵνα μὴ ὦσιν ἄκαρποι.*

[8]) I. Tim. II. 8. sqq. „Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira et disceptatione . . . similiter et mulieres in habitu ornatu cum verecundia et sobrietate ornantes se et non in tortis crinibus aut auro, aut margaritis vel veste pretiosa, sed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona„ *βούλομαι οὖν προσεύχεσθαι τοὺς ἄνδρας ἐν παντὶ τόπῳ, ἐπαίροντας ὁσίους χεῖρας χωρὶς ὀργῆς καὶ διαλογισμοῦ· ὡσαύτως καὶ τὰς γυναῖκας ἐν καταστολῇ κοσμίῳ μετὰ αἰδοῦς καὶ σωφροσύνης κοσμεῖν ἑαυτὰς, μὴ ἐν πλέγμασιν, ἀργυρίῳ ἢ χρυσῷ ἢ μαργαρίταις ἢ ἱματισμῷ πολυτελεῖ, ἀλλ' ὃ πρέπει γυναιξὶν ἐπαγγελλομέναις θεοσέβειαν δι' ἔργων ἀγαθῶν.* Ad quae allatus prius canon trullanus aperte expressus videtur.

49. Sed haec minuta sunt et specialissima, tum desumpta ex omni atque ipsa prope quotidiana vita. Nihilominus praecipiuntur [1]) a Paulo et docenda et inculcanda: ut intelligatur visum esse Apostolo, functiones τῆς ἐπισκοπῆς a nemine restringi debere vel posse ad suprema eaque theoretica fidei morumque praecepta: sed enimvero quum in sua paroecia proximum vitae centrum episcopus sit, actiones episcopales vitales illius exsistunt, suae pastoralis functiones muneris in universam vitam illius practicam influunt, cuius varios ordines et status sacris ecclesiae benedictionibus potestate ordinis imbuit et sanctificat, statuumque officium et opus vi iurisdictionis ab impietate ac iniustitia intactum ita iubet ordinare et explere, ut quisque per suos actus ad supernam directus salutem meritum consequatur aeternum.

Institutae ἐπισκοπῆς vis in omnem christianam vitam.

I. Tim. IV. 11.

50. Videlicet quod accepta a Domino [2]) potestate Apostoli agebant ubique terrarum apud universos credentes, idem pro sua ratione apud suae dioecesis fideles ab episcopis agendum Paulus docet. Atqui Apostoli praecepta ac monita salutis omnibus omnino [3]) hominibus proponere satagebant, nec vel unquam vel unum eximebant negotium sive privatum vel parvum sive magnum vel publicum, in quo illa servanda esse negassent. Ergo ut idem in suis paroeciis ab episcopis fieret, Paulus praescripsit hortatusque est.

51. Enimvero particularis πολιτεία ecclesiae similis est ex eodem Apostolo [4]) gubernationi domesticae, cui paterfamilias praeest, qui per statos ministros rem universam administrat, neque sub-

Apostolica ecclesiae imago.

I. Tim. III. 4.

---

[1]) I. Tim. IV. 11. VI. 2. 17. Tim. II. 2. sqq. IV. 2. sqq. Tit. II. 1. sqq.

[2]) Matth. XXVIII. 18.

[3]) Hieronymus com. in epist. ad Titum cap. I. ad verba Pauli: „Apostolus autem Jesu Christi„ ita commentatur: „Tale mihi videtur, quale si dixisset, praefectus praetorio Augusti Caesaris, magister exercitus Tiberii imperatoris. Ut enim iudices saeculi huius, quo nobiliores esse videantur ex regibus, quibus serviunt et ex dignitate, qua intumescunt, vocabula sortiuntur; ita et Apostolum grandem inter christianos sibi vindicans dignitatem, Apostolum (al. apostolorum) se Christi titulo praenotavit, ut ex ipsa lecturos nominis auctoritate terreret; indicans omnes qui in Christo crederent, debere sibi esse subiectos.„ Dicit omnes; ergo neminem excipit. Huc autem inprimis faciunt quae Dionys. Petavius contra Salmasium disputat de eccles. hierarch. l. I. cc. 11. sqq.

Hieronymus.

[4]) I. Tim. III. 4. sq. Qui ecclesiae in episcopum praeficitur, hunc Apostolus vult „suae domui bene praepositum: filios habentem (non dixit generantem ait iuxta Hieronymum Turrianus S. J. adv. Anton. Sadeel. defens. c. XII.) subditos cum omni castitate„ εἰ δέ τις τοῦ ἰδίου οἴκου προστῆναι οὐκ οἶδε, πῶς ἐκκλησίας θεοῦ ἐπιμελήσεται; quasi diceret, si domui hominis, quae est familia,

iectos tantum obedientesque servos, sed etiam subditos cum omni castitate habet filios ad commune familiae bonum sua prosequentes negotia, ita tamen ut contra citraque praeceptum, deliberatum consilium nutumve patris haudquaquam moliantur quidpiam vel agant. Ita patris instar familias praesul et antistes certae cuiusdam fidelium multitudinis per subiectos electorum ordines ministrorum ecclesiasticam rem [1]) universam administrat, quae cum eadem cohaerent moderatur [2]) ac temperat, et filios Dei com-

---

nescit praeesse, quomodo domui Dei, quae est ecclesia, praeesse noverit? Quo

Isaac. armen. facit inter capitula Isaaci Armeniorum catholici apud Mai l. c. par. II. p. 285. illud quo praescribit: „Quomodo episcopi sanctae ecclesiae domesticorum curam gerere debeant.„

Dionys. areopag. [1]) Id secundum vulgatum Dionysium eccles. hierarch. c. V. §. 5. enarrat Pachymeres: *Οὐκοῦν ἡ θεία τῶν ἱεραρχῶν τάξις, πρώτη ἐστὶ καὶ ἀκροτάτη καὶ ἐσχάτη ἡ αὐτή· πρώτη, ὅτι ἐξ ἐκείνης τοῖς ἄλλοις μεταδίδονται τὰ οἰκεῖα· ἐσχάτη, ὅτι εἰς αὐτὴν ἀποτελευτᾷ πᾶσα ἱερατικὴ διακόσμησις. Ὥσπερ γὰρ πᾶσα ἱεραρχία εἰς τὸν σωτῆρα ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἀποπληροῦται, ὁ πρώτιστος γὰρ ἱεράρχης οὗτός ἐστιν· οὕτω καὶ ἑκάστη ἱεραρχία εἰς τὸν οἰκεῖον ἱεράρχην τὴν ἀναφοράν ἔχει, ὡς αὐτοῦ διὰ τῶν ὑπ᾽ αὐτὸν ταγμάτων πάντα ἐνεργοῦντος, οἷς καὶ παρέσχε τὴν δύναμιν τοῦ ταῦτα ἐνεργεῖν κ. τ. λ.* „Itaque divinus ordo pontificum (episcopos vocat) idem est et primus et supremus et ultimus, quoniam in ipsum omnis ecclesiasticus ordo desinit. Quemadmodum enim hierarchia omnis in Salvatore nostro Jesu Christo consummatur, ut qui primus hierarcha est; sic etiam quaelibet hierarchia in proprium suum hierarcham refertur, ut qui omnia per ordines sibi subditos operetur, quibus praebuit potestatem haec agendi„ etc. „Propterea, inquit, Turrianus adv. Ant. Sadeel. defens. l. II. c. 6. p. 231. presbyter

Hieronym. est, quemadmodum Hieronymus scribit in Tit. c. II. in episcopo tamquam *ἐν πρώτῳ κινητικῷ*, id est, in primo movente; sicut enim res regni sunt in rege, sic ecclesiasticae in episcopo: nihil in ecclesia ab ullo ministro eius fieri potest sine voluntate et concessu episcopi; est item presbyter in episcopo *ὡς ἐν τέλει*, id est, tamquam in fine, qui est praestantissimus. Episcopi enim est perficere, sicut divinus Dionysius in ecclesiastica hierarchia tradit, quia ipse ordinat ministros: ipse consecrat altaria, sine quibus presbyter non consecrat corpus Domini: ipse chrisma conficit et adhibet iis, quos presbyter illuminat.„ Neque alio modo,

Cyprian. ait ibid. p. 224. Franc. Turrianus, affirmat Cyprianus, ecclesia est in episcopo, scilicet tamquam *ἐν πρώτῳ κινητικῷ*.„

[2]) Nihil ad rem patefaciendam accommodatius, quam ius ipsum, quod ecclesia uti canonicum habebat, statuebat, vindicabat, suisque omnibus custodiendum praecipiebat. At quemadmodum nati illius tutores sunt ipsi ecclesiae praesules, ita ad diversissimos omnes humanarum rerum ordines semet idem protendit. Quae res quum sit vel tenuissime cultis explorata, haud inutiliter tamen capitum

Ius canonic. syror. hac ecclesiae antiochenae syrorum nomocanonis serie ap. Mai scriptt. vett. t. X. par. II. pp. 3. sqq. omnium oculis liquido subiicitur: cap. I. de ecclesia eiusque regimine: cap. II. de baptismo: cap. III. de myro sive chrismate: IV. de oblatione sive eucharistia: V. de ieiuniis et festis et orationibus: VI. de exequiis defunctorum: VII. de ordinibus sacerdotalibus: VIII. de sponsalibus: IX. de

missos adhaerentesque sibi ita habet morigeros, ut eorum nullus, qui spiritu Dei agatur, contra ipsius sive mandata sive hortamenta quidpiam vel suscipiat vel operetur. Est enim auctore [1]) Petavio episcopatus, secus ac catharis visum fuit sive puritanis, tum ipsa sua institutione tum continuo inde ab Apostolis iure ac usu non tantum munus, nec opus modo ac curatio quaedam, sed est verissimus isque spiritualis ac sacer magistratus, et honor et potestas. Atque his fit, ut ecclesia particularis sistatur tanquam domus una, una familia, unaque dominici gregis portio, quum ex habitu fidelium ad episcopum unitas in eadem compareat ad unitatem expressa domus familiae et gregis. *Petavius.*

CAPUT II.

Πολιτεία unitatisque habitus plurium invicem ecclesiarum particularium.

52. Ex eiusmodi porro domibus, familiis, gregibus, conflatur in terris ac constat civitas, regnum totumque Dei ovile, sed ex iis rursum inter se ordine vinctis, atque in maiores minoresve regiones, provincias portionesque gregum invicem iunctis.

---

testamentis: X. de haereditate: XI. de emptione et venditione: XII. de mutuo et commodato: XIII. de pignore: XIV. de turbatione sive vicissitudine temporum sive impedimento usus rerum: XV. de consensu: XVI. de translatione iuris: XVII. de fideiussione: XVIII. de societate: XIX. de tutela: XX. de confessione: XXI. de deposito: XXII. de usufructu: XXIII. de donatione: XXIV. de legato: XXV. de censu: XXVI. de mercatura: XXVII. de irrigatione: XXVIII. de cultu terrae desertae: XXIX. de mercenaria conductione: XXX. de inventis: XXXI. de puerorum proiectorum inventione: XXXII. de manumissione servorum: XXXIII. de raptu: XXXIV. de facinoribus gravibus: XXXV. de macello et venatione: XXXVI. de iuramentis: XXXVII. de votis: XXXVIII. de iudiciis: XXXIX. de testimoniis: XL. de causis. — Explicit numerus capitum, quae continentur hoc libro directionum.„ Atqui nemo non videt, directiones has ambitu suo complecti universum prope humanarum rerum commercium. Et ad idem pertinent, quae ibidem pp. 269. sqq. ecclesiae armeniacae canonibus selectis, partim ad s. Gregorium illuminatorem saeculi medii tertii assurgentibus, continentur. Scilicet ad hoc ut hominum commercium christianum fiat et sit, ecclesiastico iure praecipitur, episcopali munere efficitur. Quo pertinent pariter capitula et canones ecclesiae antioch. syror. ap. Mai l. c. p. II. pp. 3. sqq. et apud eundem N. PP. B. p. III. ad Boniz. praef. pp. V. sq. partit. op. canon. s. Anselm. lucens.

[1]) De eccles. hierarch. l. III. c. 8. nn. 3. sqq. coll. dissertatt. eccles. l. I. c. 4.

I. Ecclesiarum ordinata coniunctio.

53. Quod enim in physicis iisque organicis obtinet corporibus, ut ex aptis invicem membris integrae corporis partes constituantur, idem ἀναλόγως in corporibus moralibus iisque sapienter ordinatis *Imperium roman.* maxime plenis ac perfectis sua natura usuvenit. Vastorum [1]) imperiorum suae semper erant provinciae, quae a praesidibus praefectisque suis e lege ac norma ab imperatore praescripta administrabantur. Ita pariter inde ab antiquis in regno Dei, quod auctore Christo ita universum occupat orbem, ut re non minus quam nomine uti domus una ac civitas, regnum unum unumque ovile sit. Finitimae namque ac confines sibi episcoporum paroeciae plures paucioresve, prouti ratum opportune esset, ecclesiasticam efficiebant provinciam, quam in unitate unus ex ipsis episcopis continebat, qui reliquis statuta lege [2]) praeesset, non secus ac ipsae rursum provinciae in nnitatem etiam ampliorem colligebantur per episcopalem quandam sedem [3]), quae capitalis haberetur ac princeps. Quod in delectu civitatis eiusmodi ea praehaberetur, quae externis commodis maximeque civilibus quoque excelleret praerogativis, ex apertis nascebatur rationibus tum mutui inter utramque societatem civilem et ecclesiasticam commercii, tum facilitatis commoditatisque ad propagandam continendamque ecclesiam, tum missionis divinae, qua fidei praedicatores apud humanam ipsam societatem ad eius salutem funguntur.

Em. Schelstrat. [1]) De imperii romani in provincias ac dioeceses partitione cf. Em. a Schelstrat. antiq. illustrat. p. I. diss. I. c. 3. a. 1. ubi praestitutis quatuor praefectis praetorio, Orientis cum dioecesibus quinque, Illyrici cum dioecesibus duabus, Italiae cum dioecesibus tribus, et Galliarum cum tribus dioecesibus, animadvertit sapienter, hanc imperii romani distributionem licet plerique M. Constantino adscribant „nullatenus tamen dubitandum, quin ordo imperii utcumque ex antiqua provinciarum dispositione fuerit desumptus . . . et ad hanc imperii constitutionem conformiter institutas ab Apostolis ecclesias . . . Hoc enim ex pluribus antiquitatis monumentis *Christ. Lupus.* colligitur, quod habet Christianus Lupus p. I. ad can. 3. syn. constant.: „Romanarum provinciarum metropoles, civitates et fines, fuisse metropoles, civitates et fines provinciarum ecclesiae.„

[2]) Huc faciunt inprimis conc. nicaen. cann. 6. sq. ad quos constanter sequiores tam synodi quam Pontifices in hac causa respexere.

[3]) Apex sacerdotalis, uti libro superiori patefecimus, continetur episcopali ordine, adeo ut supremus in Dei ecclesia honor ac suprema potestas sit honor atque potestas ordinis episcopalis; quicunque ergo episcopi, ii omnes excellunt eodem honore eademque potestate ordinis. Sed si idem est omnium illorum ordo idemque inde genus honoris ac potestatis, quis inferret, exclusam propterea

II. Episcopalium sedium subordinatio.

54. Inde autem factum est [1]), ut apud eundem summi sacerdotii ordinem tanta exsisteret episcopalium sedium varietas, et in pari episcopatus dignitate inpar esset iurisdictionis contemplatio, qua alii aliis eminentiores nominibus distinguerentur [2]) vulgatissi-

---

omnem distinctionem et differentiam pariter iurisdictionis? Idipsum de aequalitate distinctioneque Apostolorum dicatur, ad quorum ordinatum iunctumque chorum ordo episcoporum teste Leone exactus est: par idemque apostolatus ordo, idem inde genus apostolici honoris ac potestatis apud omnes Apostolos; sed quis inde inferret atque colligeret, absque omni plane discrimine parem apud omnes eandemque fuisse vim iurisdictionis? Audiat qui talis est Chrysostomum in Joan. hom. LXXXVIII. n. 1. ap. Mign. gr. PP. t. 50. p. 480. *Εἰ δὲ λέγοι τις, πῶς οὖν ὁ Ἰάκωβος τὸν θρόνον ἔλαβε τῶν Ἱεροσολύμων; ἐκεῖνον οὐ τοῦ θρόνου, ἀλλὰ τῆς οἰκουμένης ἐχειροτόνησε διδάσκαλον:* „Quodsi quis dixerit: Cur ergo Jacobus Jerosolymorum thronum accepit? respondebo, quod Petrum non throni huius, sed orbis doctorem Christus consecravit.„ Est ergo Petri et Jacobi nonnulla distinctio. Atqui aliter tamen infertur ac colligitur apud Pichler Geschichte der kirchl. Trenn. t. I. p. 108. De Cypriani porro mente sententiaque vide, si lubet, disputata lib. sup. c. IV. pp. 114. sqq. alibi.

Apostolicae iurisdictionis distinctio.

Chrysostomus.

[1]) Nomina sunt propter res, quibus illa inponuntur: quamvis igitur nomina *ἀρχιεπίσκοπος, μετροπολίτης, πατριάρχης,* spectatis etymis ex idiomate peterentur, quo utebantur gentiles, foret tamen valde absonus, qui rem quoque per illa apud christianos significatam a gentilibus repetitam esse colligeret. Hinc Antonius Sadeel a Francisco Turriano in sua adversus illum defensione merito carpitur, quod confusionem istam tribuit Petro Lombardo „qui in quarto sententiarum disserens de archiepiscopis, primatibus et metropolitanis, horum, ait, discretio a gentilibus introducta videtur, qui suos flamines alios simpliciter flamines, alios archiflamines, alios protoflamines appellabant„: in quibus sententiarius sequitur vetustiores, uti est apud Hincmarum rhemens. opusc. et ep. in causa Hincmari laudun. c. 15.

Petr. Lombard.

[2]) Sane spectata praerogativa civitatis, nomen obtinuit metropolitani ad eum designandum, qui illius provinciae metropolin regeret; spectata praerogativa principatus, nomen archiepiscopi venit, qui inter alios episcopos *ἀρχῆς* dignitate praestaret; spectato autem ordine prioritatis ac superioritatis, nomen inductum primatis qui inter metropolitas caput interque archiepiscopos primus haberetur; atque nomen denique patriarchae illi datum, qui spectata ecclesiae origine cathedram haberet vere patriarchalem et omnibus prioribus excellentiorem. Porro spectata exemtione inmunitateque dioecesis atque provinciae, receptum nomen exarchi, qui iurisdictioni patriarchali non esset subiectus. E quibus manifestum est, nominum eiusmodi titulos fuisse partim externos partim internos: alios e causa iuris obortos, et alios pendentes ab adiunctis historiae, tum ita esse comparatos, ut non omnes invicem excludant, verum tituli quique sequentes relativi sint ad priores, eosdem prope supponant, illosque etiam, uno tantum seposito exarchatu de quo rite apud Em. Schelstrat. antiq. illustrat. p. I. diss. I. c. 3. a. 3. sua eminentia includant. Et ne de reliquis dicam, de metropolitis animadvertisse iuverit 1. nomen hoc e charactere civitatis ductum fuisse: 2. nomen esse antiquissimum tributumque illico centralibus fidei sedibus: sed idem 3. relativum esse ac varium, ita ut de

Metropolitae nomen.

mis metropolitae, archiepiscopi, primatis, exarchi, atque patriarchae, unde varia hierarcharum series effloresceret illaque ordinatissima, quamvis pro temporum, locorum aliorumque adiunctorum varietate omnino varia. Ad rem eximius [1]) Petavius: „Sepositis illis diversisque inter se comparatis ordinibus, episcopi iure divino simplicibus sacerdotibus, cuiusmodi sunt hodie, maiores sunt, et auctoritate iis antecellunt. Neque vero humano iure maior illa dignitas et auctoritas constat. At metropolitanorum potestas in subiectos episcopos ecclesiastici iuris est, et ab humanis (id est non simpliciter divinis, sed simpliciter ecclesiasticis) orta decretis ac iudiciis eorumdem arbitrio temperatur, hoc est aut amplificatur aut minuitur, aut funditus aboletur. Quod innumera docent exempla synodalium canonum vel pontificiarum sanctionum, quibus metropolitanae sedes alibi constitutae sunt, ubi nullae erant antea; alibi sublatae alioque translatae, nonnunquam earum dilatata vel contracta iurisdictio ac potestas. Atqui episcopatus

Petavius.

---

centris frequentetur respondentium provinciarum sive maioribus sive minoribus: hinc 4. fieri potuisse factumque reapse fuisse, ut antiquissimae et praestantissimae sedes, quae sine praerogativae suae praeiudicio ac detrimento vocarentur prius communi metropolitanarum titulo, accedentibus deinceps aliis iunioribus minoribusque dioecesium centris ad efferendam iuris sui praestantiaeque ἐξοχὴν suamque excellentiam propriis titulis nominibusque suum ius distinguere sategerint. Jus, inquam, non comparatum ad elationem dominationemque in clero, sed collatum ad necessarium ecclesiae ordinem custodiendum, quo ad unitatem corporis suprema et infima conspirent, vincula non dissolvantur antiqua, sed societas apta cum novis tam credentium partibus quam eorundem pastoribus contrahatur atque stabiliatur. Huc facit nomen τοῦ ἀρχιεπισκόπου: propterea idem iuxta biblicam τοῦ ἀρχιερέως formam usitatum, eique adeo tributum, cui inter episcopos ἡ ἀρχὴ competeret. Haec autem omni competit metropolitae prae suffraganeis suis. Quare si de potioribus rursum sedibus ageretur metropoliticas recapitulantibus, nova pariter necessitas tum ἀρχῆς tum nominis ἀρχὴν denotantis. Atqui haec inter eminet ὁ πατριαρχής. His, uti convenit, geminisque veritatis capitibus accurate expensis, facile redditur ratio non tantum, cur alexandrinus inprimis antistes archiepiscopi titulo insigniretur, sed etiam cur eiusdem ἐξοχὴ in nicaeno concilio et efferetur et confirmaretur. Cur vero huiusce praerogativae forma et exemplar e romana sede nominatim desumeretur, quae de singulari illius ecclesiae praestantia enarravimus atque probabimus porro universa patefacient.

Archiepiscopus.

[1]) De eccles. hierarch l. III. c. 7. nn. 6. sqq. ubi confutat „Putidum illud .. et Wiclefi ac Waldensium amicorum patronorumque Cathari (Salmasii) indolem sapiens„ commentum, quo pseudonymus iste Catharus statuit: „Non maior auctoritas est iure divino data episcopo in presbyteros, qui etiam olim erant episcopi ac dicebantur, quam metropolitano in episcopos ceteros eiusdem provinciae.„ At vero uti de hac posteriori hypothesi valet superius a Petavio prolatum iudicium, ita de priori thesi Petavius iudicium dixit ibidem l. I.

Salmas.

praerogativa, qua presbyteratu simplici praestantior est, neutiquam humana lege et ordinatione nititur, sed illius, qui sacros in ecclesia ordines eorumque discrimen hoc est hierarchiam instituit, Christi Domini ac Dei„.

1. Metropolium genesis.

55. Licet porro varia in variis ecclesiae epochis et plagis iura illorum exstiterint atque officia; ad rem tamen ipsam eiusque substantiam quod attinet, affirmare nullus dubito, tum illam et ortum suum habuisse et suum profectum, quum id primum per christiani nominis propagationem ecclesiarumque amplitudinem aeque ac multitudinem liceret. Quum enim ea ex ipsa ratione [1]) ac prope natura εὐταξίας socialis exsistat, quam sapientissimus auctor [2]) in domo ac civitate sua perfectam splendescere voluit; plane infertur, illius exordia misceri cum ecclesiae ipsius primordiis.

56. Quae quidem illatio ab historia firmatur non tantum sed praeclarissime illustratur. Quod enim e re acceptae missionis ad omnes in universo mundo gentes erat, Apostoli evangelium praedicaturi non in angulis et latebris nomen Christi annuntiabant, verum in lucem progressi celeberrimas errorum vitiorumque sedes et ipsa provinciarum capita ac centra petebant, ut hoste maligno

[1]) Causa igitur atque ratio inpellens ad partitiones illas faciendas insita est, et ex ipso ecclesiarum ordine nascebatur: attamen nexus multiplex et intimus habitus inter civilem societatem et inter ecclesiasticam intercedens, de quibus libri prioris cap. II. pp. 251. sqq. et de ord. supernat. praetern. et nat. c. III. pp. 188. sqq. statuimus, praeter alia superius dicta postulare omnino videbantur, ut in iisdem determinandis ratio magna divisionum reipublicae civilis haberetur. Unde liquet quo pacto haec et similia accipienda, quae apud Suicer. thesaur. leguntur ad verb. πατριάρχης n. 3. *A. β.* „dioeceses politica imperii dispositio distinxerat.„ *Suicer.*

[2]) Hoc praefert s. Leonis ad Anastasium thessalon. ep. 84. sententia: „Inter Apostolos in similitudine honoris fuit quaedam discretio potestatis, et cum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut ceteris praeemineret, de qua forma episcoporum quoque est orta distinctio, et magna discretione provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum ratio inter fratres haberetur prima sententia: et rursus quidam in maioribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri sedem universalis ecclesiae cura conflueret, et nihil usquam a suo capite dissideret.„ Discretio ergo potestatis facta in choro Apostolorum ad successores transiit suasque obtinuit progressiones in amplissimo episcoporum choro. Quibus etiam consonat s. Gregorius VII. ad episc. Rotomag. Turon. et Senon. epp. l. VI. 35. ubi ad Apostolos immediatosque eorum successores revocat provinciarum divisionem. *Leo M.* *Gregor. VII.*

in virtute Dei [1]) superato in illis, eundem uno veluti ictu itidem et dominio suo in totam ditionem privassent et Christum crucifixum palam in media locorum regionumque luce collocassent. Atque huic praeconum apostolicorum oeconomiae tribui non minus debet, ut tanta celeritate fides romana [2]) in universo mundo praedicaretur, quam ut capitales regnorum provinciarumque urbes pariter metropoles fierent, a quibus fidei lux egressa per provincias latius diffunderetur, atque fundatae circum cathedrae episcopales facilius commodiusque penderent. Neque fastu moti vel ambitu, neque meris profanarum rerum imitationibus inpulsi, sed gravissimis [3]) de causis itemque sapientia et spiritu repleti ac ducti Apostoli praeeunte Petro deligebant Hierosolymam primum, ubi evangelica praedicatione fungerentur, tum vero Antiochiam et Romam, ubi illorum princeps principatus sui cathedram posuit, Alexandriam porro, Ephesum atque Corinthum, Philippos ac Thessalonicam, ut religionis circum per regiones evaderent metropoles, celebratae amplius per fidem christianam, quam per civiles distinctiones olim inclaruerant.

2. Ecclesiasticarum origo provinciarum.

Petrus. 57. Hinc oborta provincialis ecclesiarum constitutio, ad cuius ritum princeps Apostolorum aeque respexisse videtur in litterarum suarum inscriptione [4]) quam a provinciis petit fide illustratis, ac gentium Apostolus, qui non modo Titum [5]) universae Cretae praefecit, sed varias quoque eiusdem regionis ecclesias [6]) non semel in unitatem [7]) ecclesiasticae provinciae comprehendit: tum *Joannes.* Joannes evangelista, non modo quod ad septem principes Asiae

---

[1]) I. Cor. II. 1. sqq.

[2]) Rom. XV. 18. sq.

[3]) De his vide adnotata paulo superius.

[4]) I. Petr. I. 1. „Petrus Apostolus Jesu Christi, electis advenis dispersionis Ponti (cuius metropolis Amasea), Galatiae (cuius metropolis Ancyra), Cappadociae (cuius metropolis Caesarea), Asiae (cuius metropolis Ephesus), et Bithyniae (cuius metropolis Nicomedia).„

Tit. I. 5. [5]) Tit. I. 5. Unde Gortyna remansit Cretensium metropolis.

[6]) I. Cor. XVI. 1. 19. coll. Act. XV. 31. 41. XVI. 5. I. Thess. II. 14. II. Cor. VIII. 1. Galat. I. 2. 22. alibi, plurali numero ecclesias Asiae, Judaeae, Galatiae, Macedoniae etc. Apostolus commemorat.

[7]) Act. XVI. 6. coll. XX. 17. sqq. Rom. XV. 26. XVI. 5. I. Cor. XVI. 8. 15. I. 2. II. Cor. I. 1. IX. 2. Philipp. IV. 15. sq. I. Thess. IV. 10. I. 17. sq. Hebr. XIII. 24. alibi, Asia et Achaia, Macedonia, Galatia, Iudaea, Italia, per modum

ecclesias apocalyptica daret monita, sed quod in illarum capite ac metropoli[1]) communiter sedem figeret, unde ecclesiis Asiae reliquis praesideret.

58. Quae declaratione egregia[2]) a Tertulliano illustrantur: „Percurre, inquit, ecclesias apostolicas, apud quas[3]) ipsae adhuc cathedrae Apostolorum suis locis[4]) praesident: apud quas ipsae authenticae litterae eorum recitantur, sonantes vocem et repraesentantes faciem uniuscuiusque. Proxima est tibi Achaia? habes Corinthum. Si non longe es a Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiae adiaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est.„ Quibus provincialium capitum non minus originem quam exsistentiam docemur. Quo etiam pertinet apostolicus[5]) canon statuens: „Episcopos uniuscuiusque gentis nosse oportet eum, qui in eis est primus et existimare eum ut caput.„ *Tertullian.* *Canon. apost.*

---

unius, ut aiunt, ab Apostolo ecclesiae perhibentur, non citra singularum prope istarum provinciarum metropoles, ad quas suas etiam omnes fere idem Paulus epistolas dedit: quae reipsa est ad II. Cor. I. 1. Ambrosii et Chrysostomi explicatio.

[1]) Illam profecto excellentiam ephesinae ecclesiae diserte a Joanne asseri epist. II. 1. diffitebitur nemo, qui appellatione *τῆς ἐκλεκτῆς κυρίας*, electae dominae, venire Ephesum existimaret; nec plane detrahet, si quis in J. P. Secchii S. J. viri ad stuporem eruditi concederet sententiam singulari expositam dissertatione, qua non aliam titulo illo nisi ecclesiam Romanam distingui arbitratus est. Sed ad rem haec sunt Hieronymi de scriptt. eccles. c. 9. „Sub Nerva principe redit (Joannes) Ephesum, ibique usque ad Traianum principem perseverans Asiae fundavit totas rexitque ecclesias.„ *Hieronym.*

[2]) Lib. de praescriptt. c. 36.

[3]) Est etiam Rigaltius, qui ad h. l. commentatus est „Cathedras Apostolorum dici principales ecclesias, ab ipsis videlicet Apostolis constitutas, quae adhuc aetate Tertulliani suis locis praesidebant tanquam aliarum matrices, qualis in Achaia Corinthus; in Macedonia Philippi, Thessalonica; in Asia Ephesus; in Italia Roma. Quaenam porro fuerint universim antiquae metropoles, enarrat Hieron. a Benet. privil. s. Pet. t. IV. p. II. §. VII. pp. 6. sqq. Sed et illud animadverte, quod *μετονυμικῶς* ipsae cathedrae dicuntur praesidere. *Rigalt.*

[4]) His simillima sunt quae scribit s. M. Ignatius ad Romanos: „Quae praesidet in loco Romanae regionis„ *ἥτις προκάθηται ἐν τόπῳ χωρίου Ῥωμαίων.* Atqui praesidere eam dicit simpliciter, infinite et universe, iure ergo censueris a b. Ignatio romanae sedis primatum in universam ecclesiam significatam esse. *Ignat. M.*

[5]) Ap. Bevereg. can. ss. apost. p. 22. can. XXXIV. *Τοὺς ἐπισκόπους ἑκάστου ἔθνους εἰδέναι χρὴ τὸν ἐν αὐτοῖς πρῶτον καὶ ἡγεῖσθαι αὐτὸν ὡς κεφαλήν.* Vide varias lectiones huius canonis ap. em. Pitra iur. can. graec. t. I. p. 20.

3. Ordinata ecclesiarum unitas.

59. Sed hinc ecclesiarum in iisdem provinciis ordinata unitas. Enimvero de necessitudinis habitu inter earundem pastores, et quae inde exstiterit vitae actionisque communitas commentatus et harmonia, laudatus idem canon explicare[1]) pergit: „Et nihil facere (idem episcopus debet) quod sit magni momenti praeter illius (primi) sententiam: illa autem sola facere unumquemque (licet), quae ad suam paroeciam pertinent et pagos qui ei subsunt: sed nec ille absque omnium sententia aliquid agat. Sic enim erit concordia et glorificabitur Deus per Dominum Jesum Christum, et Pater per Dominum in Spiritu sancto: Pater et Filius et Spiritus sanctus.„

Synod. antioch. Quae ab antiochena synodo recepta ita explicantur[2]), ut qui in apostolico canone inter gentis episcopos dicitur primus, is alius non sit quam episcopus „qui in metropoli praesit curam totius provinciae gerens.„

Metropolis centrum locale.

60. Hoc pacto metropolis erat provincialium communicationum[3]) centrum locale prope ac materiale, ut aiunt, „in quod undequaque omnes concurrerent[4]) qui negotia haberent„; sed formale ac vitale provincialis unionis principium episcopus erat metro-

Metropolita centrum formale.

---

[1]) Ibid. *Καὶ μηδέν τι πράττειν περιττὸν ἀνεὺ τῆς ἐκείνου γνώμης. ἐκεῖνα δὲ μόνα πράττειν ἕκαστον, ὅσα τῇ αὐτοῦ παροικίᾳ ἐπιβάλλει, καὶ ταῖς ὑπ᾽ αὐτὴν χώραις. ἀλλὰ μηδὲ ἐκεῖνος ἄνευ τῶν πάντων γνώμης ποιείτω τι, οὕτω γὰρ ὁμόνοια ἔσται καὶ δοξασθήσεται ὁ θεὸς διὰ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ ὁ πατὴρ διὰ Κυρίου ἐν ἁγίῳ πνεύματι, ὁ πατὴρ καὶ ὁ υἱὸς καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον.* Quibus, quod supra statuimus, ss. Trinitas velut paradigma unitatis ecclesiasticae proponitur.

[2]) Synod. antioch. can. IX. ap. Bevereg. l. c. p. 438. *Τοὺς καθ᾽ ἑκάστην ἐπαρχίαν ἐπισκόπους εἰδέναι χρὴ τὸν ἐν τῇ μητροπόλει προεστῶτα ἐπίσκοπον καὶ τὴν φροντίδα ἀναδέχεσθαι πάσης τῆς ἐπαρχίας.* Ad quae exigi debent haec *Isidor.* Isidori etymolog. l. VII. c. Cleros. d. 21. „Metropolitani a mensura civitatum (cogitavit sc. de *μέτρου* non de *μητρὸς* etymo) vocantur (vel a mitros quod est mater et polis quod est civitas, adnotat erudita glossa). Singulis enim provinciis praeeminent. Sollicitudo enim totius provinciae archiepiscopis commissa est.„ *Is. Habert.* Inde, subdit observat. III. ad III. p. liturg. lib. pontif. eccl. graec. Is. Habert. „per totam canonistarum gentem metropolita et archiepiscopus, inquiunt, *ἀντιστρόφως*, reciproce, dicuntur.„ Sed plenissime de graduum inter episcopos diver- *Hincmar.* sitate disserit Hincmar. opusc. et epist. in causa Hincmar. Laudun. c. 15. „De paternitatibus et incolatibus in coelo et in ecclesia et republica.„

[3]) Sequitur ibidem: *διὰ τὸ ἐν τῃ μητροπόλει πανταχόθεν συντρέχειν πάντας τοὺς τὰ πράγματα ἔχοντας.*

[4]) Hinc in synodo eliberit. can. 58. metropolis vocatur locus, in quo prima cathedra constituta est episcopatus.

poleos „qui [1]) propterea honore praecederet, et sine quo reliqui episcopi nihil magni aggrederentur„. Certe non eo haec spectabant, ut singulorum in suis paroeciis praesulum actio vel tolleretur vel impediretur, verum eo potius, ut obtineretur ampliusque promoveretur in eadem provincia episcoporum conspiratio in rebus agendis, atque uniformitas in iis maxime negotiis, quae forent gravioris momenti. Ea [2]) namque diserte ab antiochenis patribus excipiuntur „quae ad uniuscuiusque paroeciam conferunt et regiones, quae ei subsunt„: immo huiusce illico exceptionis rationem ac causam exponentes „Unumquemque enim episcopum, inquiunt, habere suae paroeciae potestatem (ut regat iuxta reverentiam singulis competentem, et providentiam gerat omnis possessionis, quae sub eius est civitate), et administrare [3]) pro unicuique conveniente religione, et totius regionis quae suae urbi subest curam gerere: ut etiam ordinet presbyteros et diaconos, et unaquaeque cum iudicio tractet.„ Tantum ergo abest, ut per similes ecclesiae canones subverteretur episcoporum in dioecesibus suis, quam vocant *αὐτονομίαν* [4]), ut ea stabiliretur maioremque etiam vim ex omnium *συμπρεσβυτέρων* coniunctione sortiretur.

Autonomia.

Unio.

---

[1]) Ibidem: *Ὅθεν ἔδοξε καὶ τῇ τιμῇ προηγεῖσθαι αὐτὸν, μηδέν τε πράττειν περιττὸν τοὺς λοιποὺς ἐπισκόπους ἄνευ αὐτοῦ, κατὰ τὸν ἀρχαιότερον κρατήσαντα ἐκ τῶν πατέρων ἡμῶν κανόνα:* scilicet secundum collatum superius Apostolorum canonem, quem vetustis patribus asserunt; unde alia praestat ap. em. Pitra l. c. p. 459. lectio: *κατὰ τὸν ἀρχαῖον κρατήσαντα τῶν πατέρων ἡμῶν κανόνα.*

[2]) Subdunt ibidem: *Ἢ ταῦτα μόνα ὅσα τῇ ἑκάστου ἐπιβάλλει παροικίᾳ, καὶ ταῖς ὑπ' αὐτὴν χώραις. ἕκαστον γὰρ ἐπίσκοπον ἐξουσίαν ἔχειν τῆς ἑαυτοῦ παροικίας, διοικεῖν τε κατὰ τὴν ἑκάστῳ ἐπιβάλλουσαν εὐλάβειαν, καὶ πρόνοιαν ποιεῖσθαι πάσης τῆς χώρας τῆς ὑπὸ τὴν ἑαυτοῦ πόλιν* (his praeclara continetur ratio, ob quam vocabulo *παροικίας* territorium episcopalis iurisdictionis exprimatur, de qua videsis quae supra exposuimus) *ὡς καὶ χειροτονεῖν πρεσβυτέρους καὶ μετὰ κρίσεως ἕκαστα διαλαμβάνειν.* Quibus cf. concil. constantinopolit. can. II. cum adnotatt. Balsamon. ap. Bevereg. t. I. p. 88.

[3]) Quae sic leguntur ap. em. Pitra l. c. ex version. isidor. „Ut regat iuxta reverentiam singulis convenientem.„

[4]) Ad rem haec faciunt Theodoreti ad Flavian. ep. constantinop. de Dioscoro alexandrino, quem de conculcatis canonibus accusat, scribentis: *Ἐν ἐκείνῃ γὰρ τῇ βασιλευούσῃ πόλει συνελθόντες οἱ μακάριοι πατέρες συμφώνως τοῖς ἐν Νικαίᾳ συναθροισθεῖσι, τὰς διοικήσεις διέκριναν, καὶ ἑκάστῃ διοικήσει τὰ ἑαυτῆς ἀπένειμαν, ἄντικρυς ἀπαγορεύσαντες ἐξ ἑκατέρας τινὰς διοικήσεως ἑτέρᾳ μὴ ἐπιέναι, ἀλλὰ τὸν Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπον τὰ τῆς Αἰγύπτου μόνα διοικεῖν, καὶ ἑκάστην διοίκησιν τὰ οἰκεῖα:* „In illa quippe regia urbe (sc. con- *Theodoret.*

Eiusdem fructus. 61. Quare quod per illos intendebatur, quodque ab eorundem observatione canonum pendebat, regiminis ecclesiastici in quavis ecclesiae provincia conformitas erat spectabilis, et commendata tantopere ab Apostolo visibilis unitas, qua non minus dioeceses quam provinciae ecclesiasticae tanquam partes verae veri Christi gregis dignoscerentur. Quae ratio quum tanti sit et valeat, mirum esse nemini debet, summo semper studio cautum ecclesiae constitutionibus [1]) fuisse, ut vinculum tale mutuumque inter episcopos commercium conservaretur, quo actionum apud omnes totiusque *πολιτείας* [2]) concentus atque concordia efficeretur.

III. Sedes patriarchales.

62. Enimvero aeque abest a Christi corpore membrorum divisio atque illorum confusio; comparata autem sic sunt omnia, ut ad unionem adspirent, sed eam *κατὰ τάξιν*, cum ordine vinctam. A quo ordinis unionisque principio, quod proprium ecclesiae Dei insitumque est, repeti profecto illud pariter debet, ut inter metropolium episcopos alii rursum aliis superiores ab antiquis haberentur, ita ut per gradus [3]) veluti a minoribus et minimis ad centra maiora assur-

---

stantinopolitana) congregati beati Patres, cum iis qui apud Nicaeam convenerant conspirantes, dioeceses distinxerunt et suam unicuique dioecesim assignarunt, aperte interdicentes ex altera quosquam dioecesi alteram invadere, sed Alexandriae episcopum Aegypti tantummodo res administrare, et sua singulas dioeceses.„

Synod. antioch. [1]) Concluditur can. c. antioch. ibidem: *Περαιτέρω δὲ μηδὲν πράττειν ἐπιχειρεῖν, δίχα τοῦ τῆς μητροπόλεως ἐπισκόπου, μηδὲ αὐτὸν ἄνευ τῆς τῶν λοιπῶν γνώμης.* Ad hos canones antiochenos prae ceteris in causa Hincmari laudun. c. II. provocabat maxime Hincmar. rhemens. archiepisc. ap. Mign. lat. scriptt. t. 126. p. 295. ut iura sua metropolitana tueretur. Sed de illis vide sis Petav. l. s. c.

Synodi provinciales. [2]) Inter praescripta porro unionis media locum profecto principem occupabant synodi provinciales, quae praeire deberent synodos dioecesanas frequentandas propterea, ut rectus ecclesiasticae politiae ordo in singulis etiam dioecesibus procuraretur. Hinc apparet, cur tanta diligentia et gravitate a prioribus ecclesiae saeculis usque ad concilium tridentinum sess. XXIV. decret. de reformat. c. 2. et deinceps frequens mediorum eiusmodi usus, qui ad summum ecclesiae bonum tantopere necessarius semper videbatur, et inculcatus fuerit et praescriptus.

Conc. trident. [3]) Per gradus descensionis connumerantur conc. trid. sess. XXIV. c. 3. „Patriarchae, Primates, Metropolitani et Episcopi, de quibus sic res habet, uti adnotant ad III. part. liturg. observat. III. l. pontif. eccles. graec. p. 35. III. *TT. Wirceburg.* Is. Habert. tum praeclare theologi wirceburgenses p. VIII. de principiis directiv. n. 123. „Sicut ecclesiae per episcopos proprie constituuntur, sic et per diversos *Episcoporum per gradus distinctio.* episcoporum gradus distinguuntur. Deducitur autem gradualis episcoporum

gendo porro deveniretur ad maxima illa et antiquissima, per quae in vastis regionum tractibus dispersi copularentur pastores et in unum invicem varii greges coniungerentur.

1. Vis ac ratio ecclesiae patriarchalis.

63. Atqui praestantia haec competebat profecto et asserebatur continuo sedibus patriarchalibus, quae nimirum supremum ipsum fidelium patremfamilias [1]) suae fundatorem cathedrae vel haberent reipsa vel aequipollenter habere censerentur. Ecclesia itaque patriarchalis olim non ea ducebatur, quae titulis tantum [2]) *Titulus proprius.* excelleret civilibus, sed quae emineret inprimis sui episcopatus origine [3]) qua primum in serie ac catalogo episcoporum suorum vel ipsum recenseret principem [4]) Apostolorum, vel esset ipso

differentia ex imperio, quo iidem gaudent. Si enim episcopo competit imperium in universa ecclesia, audit episcopus oecumenicus seu summus Pontifex aut Papa: si ni parte ecclesiae, ita tamen, ut plurium regnorum episcopos sibi habeat subiectos, Patriarcha: si totius regni episcopos, Primas seu Exarchus: si episcopos in parte regni, Archiepiscopus seu Metropolita: si nullum episcopum sibi habeat subordinatum, nec tamen sit archiepiscopo subiectus, Exemptus: si Archiepiscopo pareat, Episcopus simplex item suffraganeus appellatur.„

[1]) Quum fidelium in ecclesia universitas unius instar familiae sit et esse debeat, profecto Petrus eiusdem paterfamilias isque supremus fuit. Eo nomine idem reapse apud Veteres dicitur et sistitur patriarchae Abrahae veluti typi verus ectypus. De quo vide sup. l. I. c. 4. nn. 185. sqq.

[2]) De provinciarum ecclesiasticarum partitione deque Patriarcharum, Exarcharum, Primatuum, Metropolitarum et Episcoporum origine disputaturus Hieremias a Benettis privil. s. Pet. t. IV. p. 2. a. 7. prolegomena de partitione romani imperii praemittenda duxit „quandoquidem (vero) provinciarum ecclesiasticarum divisiones a divisionibus praefecturarum romani imperii valde quam pendent;„ nimirum ob intimum nexum inter societatem civilem et ecclesiasticam; de quo cf. l. I. c 2. et superius et infra. Ceterum non serviliter provinciis civilibus ecclesiasticas semper respondisse, patefacit Innocentii I. ad Alexandrum antiochenum ep. 24. al. 29. c. 2. datum responsum: „Nam quod sciscitaris, utrum divisis imperiali iudicio provinciis, ut duae metropoles fiant, sic duo metropolitani episcopi debeant nominari, non esse vere visum est ad mobilitatem necessitatum mundanarum Dei ecclesiam commutari, honoresque aut divisiones perpeti, quas pro suis causis faciendas duxerit imperator. Ergo secundum pristinum provinciarum morem metropolitanos episcopos convenit numerari.„ E quibus tum pontificia auctoritas tum ecclesiae in suis dispositionibus libera ac independens potestas elucet. *Ecclesiastica provinciarum divisio et civilis.* *Innocent. I.*

[3]) De patriarcharum vi ac ratione apud Hebraeos vide quae disputat Petavius hierarch. eccl. l. I. c. VI. nn. 4. sqq. coll. H. a Benett. l. c. a. VII. §. 1. pp. 130. sqq. Calmet. diction. biblic. ad h. v. et J. P. Secchi. S. J. „La cattedra Alessandrina„ p. I. c. 5. p. 31.

[4]) Ita romana inprimis ecclesia: tum vero etiam antiochena, de qua sic Innocentius I. ad Alexandrum Antiochiae episcopum ep. XVIII. „Unde advertimus, non tam pro civitatis magnificentia hoc (a Nicaeno concilio) eidem attributum, quam *Patriarchalis ecclesia romana.*

eiusdem principis nomine directaque [1]) auctoritate fundata ac constituta, vel etiam [2]) immediata illius opera ac cura collecta.

Titulus aequivocus. 64. Quodsi deinceps hisce erga primum [3]) omnium pastorem pietate ac religione plenissimis nominibus adderetur titulus alter spiritalis quidem ac divinus, alter vero profanus ac civilis, neuter illorum plenum apud antiquos perfectumque suffragium tulit. Et quod ad titulum posteriorem nominatim attinet, quo eadem patriarchalis eminentia acquireretur, a civili potissimum excellentia imperiique sede [4]) repetitum, ab hisce originibus utcunque prae-

---

quod prima primi Apostoli sedes esse monstretur, ubi et nomen accepit religio christiana, et quae conventum Apostolorum apud se fieri celeberrimum meruit, quaeque urbis Romae non cederet, nisi quod illa in transitu meruit, ista susceptum apud se consummmatumque gaudet.„ Quibus consonant haec ex Gelas. Pap. decret. de script. apocr. „Tertia vero sedes apud Antiochiam eiusdem beatissimi Petri nomine habetur honorabilis: eo quod illic, priusquam Romam venisset, habitavit et illic primum nomen christianorum novellae gentis exortum est.„ Et Gregor. M. epp. l. VIII. ep. 2. al. 3. coll. Pet. Damian. epp. l. II. ep. 16. et Bonizo l. II. de epp. n. 6. ap. Mai N. PP. B. t. VII. p. III. p. 4. *Gelas. Pap. It. Antiochena.*

[1]) Ita alexandrina ecclesia, cui gregis formam Petrus ipse contulit, quum illi pastorem daret Marcum ipsumque suae praedicationis haeredem et annuntiati a se evangelii inspiratum auctorem. Ad rem Gelas. Pap. decret. de apocryph. scrip. ap. Harduin. collect. concil. t. II. p. 938. „Secunda autem sedes, apud Alexandriam beati Petri nomine a Marco eius discipulo et evangelista consecrata est. Ipseque a Petro Apostolo in Aegyptum directus verbum veritatis praedicavit, et gloriosum consummavit martyrium.„ Coll. Hieron. de vir. illustr. c. 8. Euseb. h. e. l. II. c. 15. Gratian. decret. p. I. dist. 22. c. 2. §§. 3. 4. G. P. Secchi op. c. *It. Alexandrina.*

[2]) Ita ecclesia hierosolymitana, quae eo praeterea exsorti titulo decorabatur tum quod a pastorum auctore et animarum nostrarum episcopo Christo consecrata esset, tum quod esset prima ecclesia, quae incunabulorum veluti locus totum ab initio Apostolorum chorum complecteretur, unde porro illi in universum mundum proficiscerentur, quod propterea etiam s. civitas fideique metropolis audiret, quodque tandem ab ipso Petro Jacobus sedem illam recepisse diceretur, ut est ap. Baron. ad an. 34. annal. t. I. n. CCXC. pag. 263. ubi memorabilis traditio ab Eusebio h. e. l. II. c. 1. ex Clemente alex. hypotypos. l. VI. et a Pseudo-Anacleto ep. ad epp. Ital. de Jacobi sacra inauguratione a Petro, Joanne et Jacobo facta legitur. *It. Hierosolymitana.*

[3]) Gregor. M. epp. l. V. ep. 43. ad Eulog. al. et Anastas. antioch. ap. Mign. t. III. p. 773.

[4]) Apud civitatem constantinopolitanam, quae ἐξοχὴν ecclesiasticam sibi a civili primatu vindicabat. Atqui factum inde frequenter esse, ut idem thronus patriarchalis turbarum causa scissionumque sed minime sane ordinis coniunctionisque ecclesiarum exsisteret, annales Romae secundae aeque atque primae abunde docent. Excepisse iuverit, quae Nicolaus Papa I. ad consulta Bulgar. respons. XCII. ap. Mansi concil. t. XV. p. 430. declarat: „Constantinopolitanus autem, inquit, et Jerosolymitanus antistes, licet dicuntur patriarchae, non tantae tamen auctoritatis, quantae superiores (romanus, alexandrinus, antiochenus) exsistunt. Nam constantinopolitanam ecclesiam, nec Apostolorum quisquam instituit, nec Nicaena *It. Constantinopolitana. Nicolaus I.*

sagiendo timere licuisset pro futura sedis eiusmodi sorte, quae ex alieno prope sato [1]) enata in adversum etiam a patriarchali semine ramos suos protenderet.

2. Sedes κατ' ἐξοχὴν patriarchalis.

65. Enimvero haec est et erat patriarchalis ecclesiae presse ac proprie vis ac ratio plena atque perfecta, ut eius non apostolica dumtaxat esset origo, sed ea data ab illo, qui institutus fuit τῆς πατριᾶς ἄρχων [2]), totius familiae [3]) princeps, a Petro inquam: adeo ut quemadmodum patriarchalis ecclesia a Patrum [4]) principe

---

synodus, quae cunctis synodis celebrior et venerabilior est, eius aliquam mentionem fecit: sed solum, quia Constantinopolis nova Roma dicta est, favore principum potius, quam ratione patriarcha eius pontifex appellatus est. Hierosolymitanus autem praesul, licet et ipse patriarcha dicatur, et secundum antiquam consuetudinem ac nicaenam synodum honorandus sit; salva tamen metropoli propria dignitate: sed et in eadem sancta et magna synodo nequaquam Jerosolymitanus, sed Aeliae episcopus dicitur.„ Quibus cf. Leon. M. ep. CVI. al. 80. vel 53. ad Anatol. ep. constplt. et Hieron. ep. 61. ad Pammach. adv. Joan. hierosolymit. qui adhuc subiectus caesareensi metropolitae et patriarchae antiocheno, in origeniana tamen causa semet ad alexandrinum patriarcham coverterat: quam ob rem sic ab Hieronymo reprehenditur: „Aut ad caesareensem episcopum referre *Hieronymus.* debueras, aut si procul expetendum consilium, Antiochiam potius dirigendae litterae: maluisti occupatis auribus molestiam facere, quam debitum metropolitano tuo honorem reddere.„

[1]) Hac imagine utitur in laudata superius epistola ibid. p. 772. Gregorius *Gregor. M.* M. gratias agens „fermento illi (Matth. XIII. 33.) quod tribus farinae satis totius humani generis massam in unitate conspersit.„ Tria porro haec sata tres esse patriarchales sedes, romanam, alexandrinam et antiochenam, quibus tota per orbem ecclesia in unitatem coalescat, idem declarat epp. l. VII. ep. 40. de quibus paulo post.

[2]) Num. VII. 2. XXXI. 26. XXXII. 28. XXXVI. 1. Paralip. VII. 40. VIII. 6 10. 13. 28. IX. 9. 13. 33. XXIV. 6. 31. Esdr. III. 12 רָאשֵׁי אָבוֹת a 70. interpretibus redditur ἄρχοντες πατριῶν et ἄρχοντες πατριῶν πατριάρχαι: quae si conferantur cum I. Chron. XXVII. 22. II. Chron. XXIII. 20. XXVI. 12. XIX. 8. et Act. II. 29. VII. 8. 9. Hebr. VII. 4. nemo dubitabit, quin πατριάρχου vocabulum eiusque conceptus a ss. litteris depromptus sit. Ad nominis vero interpretationem haec faciunt e decreto Gra- *Gratian.* tiani p. I. dist. XXI. c. 1. „Unde nomina §. 2. Patriarcha graeca lingua summus Patrum interpretatur: quia primum id est apostolicum retinet locum, et ideo quia summo honore fungitur, tali nomine censetur, sicut Romanus, Antiochenus, Alexandrinus.„

[3]) Hoc sensu patriarchae nomen translatum quoque fuit ad sacrarum fundatores familiarum, quae religiosos ordines efficiunt.

[4]) De appellatione Patris propria episcopo cf. observat. III. ad hom. Pontif. consecrant. ap. Habert. lib. Pontif. p. 380.

haberet principium, ita ipsa princeps aliarum [1]) ecclesiarum principium esset ac porro maneret. Rem magnus Leo [2]) clare significat: „Nihil alexandrinae sedi, inquiens, eius, quam per sanctum Marcum evangelistam beati Petri discipulum meruit, pereat dignitatis; nec

Leo I.

Discrimen patriarchalis ecclesiae et ecclesiae apostolicae.

[1]) Videlicet fas non est sive cum ecclesia simpliciter apostolica ecclesiam eminenter perfecteque patriarchalem confundere, sive etiam quamlibet ecclesiae fundationem Petro assertam instar tituli ducere valentis, ad efficiendam illam ecclesiam vere proprieque patriachalem. Huius enim vera vis et adaequata potestas duplici coalescit elemento altero genetico, quo conditio eius prope naturalis et ontologica continetur, et altero iuridico, quo illius vis prope formalis constat: nimirum talis dicenda patriarchalis ecclesia est, ut eadem absolute et prae sua spectata genesi ecclesia sit τοῦ πατριάρχου κατ᾽ ἐξοχὴν, scilicet Petri, qui adeo illam uti suam ipse gubernarit vel habuerit; ut vero relative ac comparate ad alias ecclesias considerata principium constitutum declaratumque exsistat, per quod illae unitate invicem contineantur cumque patriarcha ipso supremo ac principe naturaliter veluti cohaereant atque vinciantur. Quum igitur utraque illa pars propriam ac pressam, plenam perfectamque rationem ecclesiae patriarchalis conflet, si pars prior vel accipiatur laxius vel praecisione ab ea facta teneatur dumtaxat altera, et ea rursum varia fuerit ac magis minusve pressa, laxior quoque vel inadaequata etiam, imperfecta ac inpropria ratio illius prodit; atque hinc varia sedium patriarchalium species, quas TT. Wirceburg. l. c. ita accurate percensent: „Sedes patriarchales, quas prima iam ecclesia suspexit et a s. Petro fundatas docet traditio; tres praecipue sunt: Romana scilicet, Alexandrina et Antiochena. His postmodum et quidem ordine secundo a Graecis in concilio generali II. inserta est Constantinopolitana; in concilio generali IV. autem addita postremo Hierosolymitana. Maioribus his ac veri nominis (de quo tamen animadverte prius observata) patriarchis accesserunt deinceps alii minores nec amplitudine imperii pares; vel inveterata consuetudine aut summi Pontificis indulgentia hunc titulum adepti, scilicet Aquileiensis, Gradensis, Venetus, Indicus, Aethiopicus et Lusitanus: vel ex ruinis patriarcharum orientalium exorti; quales sunt Armenorum, Coptorum, Ruthenorum etc. a quibus tamen Aquileiensis nuper admodum in archiepiscopatus Goritiensem et Utinensem dissectus desiit.„

TT. Wirceburg.

Patriarchae maiores et minores.

Nicolaus I.

[2]) Ad Anatol. constantinopol. ep. 106. al. 53. vel 80. c. 5. Quibus gemina haec sunt Nicolai papae I. ad Michael. imp. ep. VIII. ap. Mansi conc. t. XV. p. 205: „Sicque demum Alexandrinam ecclesiam suam fecerunt (Petrus et Paulus) per beatum scilicet Marcum unius (Petri) horum filium ac discipulum. Haereditas quippe filii in potestate parentis exsistit, et gloria discipuli ad magistrum sine cunctatione refertur. Fecerat autem beatissimus Petrus praesentia corporali et ecclesiam Antiochenam iam suam quae (sicut beatus papa dicit Innocentius) urbis Romae sedi non cederet, nisi quod illa in transitu meruit, ista susceptum quippe beatum Petrum apud se consummatumque gauderet. Per has igitur tres praecipuas ecclesias, omnium ecclesiarum sollicitudo beatorum Apostolorum principum Petri ac Pauli procul dubio moderamen expectat.„ Quum porro Dr. A. Pichler „Geschichte der kirchl. Trennung„ vol. II. p. 621. Leonis verba t. I. de s. apost. Pet. et Paul. „Jam antiochenam ecclesiam fundaveras„ inexacta dicere et generatim ecclesiae antiochenae factam a Petro fundationem in dubium vocare attentat, incredibilem hominis temeritatem opponentis semet universis Veterum traditionibus ac monumentis mirari vix satis vales.

Dioscoro impietatis - suae pertinacia corruente, splendor tantae ecclesiae tenebris obscuretur alienis. Antiochena quoque ecclesia, in qua primum praedicante beato Apostolo Petro christianum nomen exortum est, in paternae constitutionis ordine perseveret, et in gradu tertio collocata numquam se fiat inferior.„ Scilicet significat, paternae ordinem constitutionis, qua patriarchalis ipsa dignitas continetur, a Petro in utramque illam ecclesiam defluxisse.

66. Idipsum porro Gregorius cognomine itidem magni [1]) non innuit modo, sed enarrat et explicat: „Itaque, ait, cum multi sint Apostoli, pro ipso tamen principatu (quo scilicet *ἡ ἀρχὴ ἡ πατρία* sive *τῆς πατριᾶς* vis continetur) sola Apostolorum principis sedes in auctoritate convaluit, quae in tribus locis unius scilicet Petri est. Ipse enim sublimavit sedem (scilicet romanam) in qua etiam quiescere [2]) et praesentem vitam finire dignatus est. Ipse decoravit sedem (scilicet alexandrinam) in qua evangelistam discipulum [3]) misit. Ipse firmavit sedem (scilicet antiochenam) in qua septem annis quamvis discessurus sedit. Cum ergo unius atque una sit sedes, cui ex auctoritate divina tres nunc episcopi praesident, quidquid ego de vobis boni audio, hoc mihi imputo. Si quid de me boni creditis, hoc vestris meritis imputate, quia in illo unum sumus, qui [4]) ait: Ut omnes unum sint, sicut et tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint„. Quibus doctor ob auctoritatem, qua pollebat in orientali non minus quam in occidentali ecclesiae plaga, vocatus maximus distincte vindicat I. patriarcharum[5]) vim, qua auctoritate excellunt:

Gregor. I.

Joan. XVII. 21.

---

[1]) Epp. l. VII. ep. 40. ad Eulog. ep.

[2]) Quasi significatum esset, perpetuo mansurum Petri patriarchatum, ubi ipse permansit: transiturum ibi, ubi ipse pertransiit. Cf. allata ex Innocent. I. et Nicol. I.

[3]) Hinc idem Gregor. epp. l. X. ep. 35. ad Eulog. patriarch. „Sit ergo illi laus, sit in eccelsis gloria, cuius dono adhuc in sede Petri clamat vox Marci.„ Scilicet Petri erat cathedra eiusque praedicatio, Marci vero illius occupatio et vox: hinc cathedrae dignitas, et praedicationis rectitudo: „Recta itaque, subdit, et valde laudabilis est vestra praedicatio„. Cf. Hieronym. de vir. illustrib. c. 8.

Gregor. M.

[4]) Joan. XVII. 21.

[5]) Hanc declarat nicaen. conc. can. 6. „Antiqua consuetudo servetur per Aegyptum, Libyam et Pentapolim, ita ut alexandrinus episcopus horum omnium habeat potestatem; quia et urbis Romae parilis mos est. Similiter autem et apud Antiochiam, ceterasque provincias suis privilegia serventur ecclesiis„ ap. em. Pitra iur. eccles. graec. t. I. pp. 429. sq. *Τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω τὰ ἐν Αἰγύπτῳ καὶ Λιβύῃ, καὶ Πενταπόλει, ὥστε τὸν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐπίσκοπον πάν-*

Can. nicaen. VI.

II. eorum originem ac causam [1]) qua descendentes a Petro, ab ipso haereditatem praestantiae accepere: et

III. eorum finem atque [2]) *σκοπὸν*, quo totidem vincula unitatis cum romana sede exsistunt. Atqui nemo est qui non intelligat, tribus his capitibus praestitutam sententiam aperte probari.

3. Varius patriarchalium sedium census.

67. Sed quae inde perspicua fiunt, minimi momenti haud esse duxeris. Hinc enim facile innotescit

I. cur non quaevis apostolica ecclesia et diceretur *ἐξόχως* et vere esset patriarchalis: cur

II. a primordiis tres tantum, nec deinceps *κατ' ἐξοχὴν* plures sedes patriarchales numeratas vellent. Utriusque rei rationem

---

των τούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν· ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο σύνηθές ἐστιν. Ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὴν Ἀντιοχείαν καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις, τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις.

Theodoret. [1]) Sed eandem causam probat quoque Theodoretus, qui ad Flavian. episc. constantinopolit. ep. 86. ap. Mign. t. IV. p. 1280. de Dioscoro scribens excellentiam antiochenae ecclesiae a Petri episcopatu arguit: *Ὁ δὲ τούτοις ἐμμένειν τοῖς ὅροις οὐ βούλεται, ἀλλ' ἄνω καὶ κάτω τοῦ μακαρίου Μάρκου τὸν θρόνον προβάλλεται· καὶ ταῦτα σαφῶς εἰδὼς ὡς τοῦ μεγάλου Πέτρου τὸν θρόνον ἡ Ἀντιοχέων μεγαλόπολις ἔχει, ὃς καὶ τοῦ μακαρίου Μάρκου διδάσκαλος ἦν, καὶ τοῦ χοροῦ τῶν ἀποστόλων πρῶτος καὶ κορυφαῖος. Ἀλλ' ἡμεῖς τοῦ μὲν θρόνου τὸ ὕψος ἐπιστάμεθα, ἑαυτοὺς δὲ καὶ γινώσκομεν καὶ μετροῦμεν:* „Hic vero legibus istis (nicaenis) acquiescere non vult, sed sursum ac deorsum beati Marci sedem obtendit: idque quum liquido intelligat, quod Antiochenorum megalopolis sedem magni Petri possidet, qui beati Marci magister erat, chorique Apostolorum princeps et coryphaeus. Verum nos sedis sublimitatem novimus (id est non negamus): nos ipsos vero cognoscimus (id est non efferimus) et metimur.„

Leo M. [2]) De hoc fine superiora omnia testantur tum Leo M. ad Maximum antiochenum episcopum ep. 119. al. 92. ita loquitur c. 2. „Et ideo, frater carissime, oportet dilectionem tuam toto corde perspicere, cuius ecclesiae gubernaculis te Dominus voluerit praesidere, et eius meminisse doctrinae, quam praecipuus Apostolorum omnium beatissimus Petrus per totum quidem mundum uniformi praedicatione, sed speciali magisterio in Antiochena et Romana urbe fundavit: ut illum in suae glorificationis domicilio praeeminentem ea intelligas reposcere instituta, quae tradidit, sicut ad ipsa quam confessus est veritate suscepit. Neque ullo modo sinas in orientalibus ecclesiis, maximeque in his quas antiochenae sedis sacratissimorum Patrum canones deputaverunt, ab improbis haereticis evangelio resultari, et vel Nestorii vel Eutychis a quoquam dogma defendi„. Igitur patriarchae munus est, magisterio patriarchali praedicationem institutionemque apostolici patriarchae Petri in sua ditione conservare conservandamque curare. Quibus conferenda denuo sunt, quae Gregorius M. scribit tum ad Anastas. episc. antioch. epp. l. V. indict. 13. ep. 39. al. l. IV. ep. 37. tum ad Eulog. episc. alex. epp. l. VI. ep. 60. al. l. V. ep. 60.

complectitur Hincmarus rhemensis archiepiscopus in causa Hincmari laudunensis [1]) scribens: „Quamobrem sicut sedes ecclesiarum, scilicet Romanae, Alexandrinae atque Antiochenae, idcirco specialiter legimus sedes dici, cum plurimae sedes et Apostolorum, sicut Jacobi Hierosolymae, et Joannis apud Ephesum, in qua sedit et Timotheus beati Pauli discipulus, et multae aliae principalium civitatum quoniam sedes sunt, quin potius, licet disparentur longinquitate terrarum, una sedes sunt magni Petri Apostolorum [2]) principis: ita pro modo suo [3]) Rhemorum metropolis et Laudunensis parochia specialiter inter ceteras sedes provinciales Rhemorum provinciae una est sedes, quia beatus Remigius eandem sedem Laudunensem in subsellio Rhemensis metropolis consedere fecit, quam a sua [4]) parochia, non autem a dioecesis provincia, scidit. Quia vero Alexandrina et Antiochena sedes sicut et Romana, beati Petri sunt sedes, Leo ad Dioscorum Alexandrinum episcopum monstrat [5]) dicens: Cum enim beatissimus Petrus apostolicum a Domino acceperit principatum, et Romana ecclesia in eius permaneat institutis, nefas est credere, quod sanctus discipulus eius Marcus, qui Alexandrinam primus ecclesiam gubernavit, aliis regulis traditionum suarum decreta formaverit, cum sine dubio de eodem fonte gratiae unus spiritus et discipuli fuerit et magistri, nec aliud ordinatus [6]) tradere potuerit quam quod ab ordinatore suscepit. Non ergo patimur, ut cum unius nos corporis et fidei fateamur, in aliquo discrepemus, et alia doctoris, alia discipuli instituta videantur„. Tum vero *Hincmar. rhem.*

III. cur deinde quartae quintaeque [7]) ecclesiae in eundem ordinem insertio graves suas excitaverit difficultates atque contro-

---

[1]) Opusculo LV. c. 16. ap. Mign. lat. scriptt. t. 126. Hincmari t. II. p. 334.

[2]) Haec expressa plane sunt ad allatas superius Gregorii M. sententias.

[3]) Hoc apposito Hincmarus excludit paritatem, ac retinet dumtaxat analogiam ac similitudinem, quemadmodum in allato prius VI. canon. Patres nicaeni fecisse dicendi sunt.

[4]) Quibus rhemensis antistes vocabula parochiae et dioecesis ex antiquiori, de quo supra diximus, usu accipit.

[5]) Ep. 9. al. 11. initio.

[6]) Duplici proinde titulo cathedra alexandrina ad auctorem Petrum refertur, tum titulo ordinationis, qua fuit erecta, tum titulo doctrinae qua resonabat; quare quum ab apostolico ipso patriarcha in ordine ecclesiarum perfectam vitae plenitudinem esset sortita, patriarchalis vere erat et vocari merebatur.

[7]) Sane praeter documenta iam prolata in citatis ad Maximum antiochenum litteris Leo M. trium dumtaxat sedium privilegia vindicanda statuit iuxta „Ni- *Leo M.*

versias, quae si paulo spectentur diligentius, mere formales atque puri honoris neque dici possunt neque censeri, sed plane reales erant, ipsumque petebant principium, a quo proprietas ac dos antiquae praerogativae patriarchalis [1]) esset ducenda. Insuper

IV. innotescit, cur et quo pietatis titulo addi potuerit uti quinta adiectaque sit antiquissima Hierosolymarum ecclesia, cuius primitias collegit atque pavit ipse Petrus. At enimvero

V. etiam illud haud aegre intelligitur, cur in toto occidente praeter sedem, quam princeps Apostolorum Romae tantum fun-

---

caenorum canonum reverentiam, ut ea quae sunt a sanctis Patribus constituta nec permiserim nec patiar (al. nec permisceri patiar nec) aliqua novitate violari. Etsi enim diversa nonnunquam sunt merita praesulum, iura tamen permanent sedium (al. ecclesiarum); quibus etsi possint aemuli perturbationem aliquam fortassis inferre, non tamen possunt minuere dignitatem„. His generatim praestitutis de firmitate inviolabili antiqui iuris patriarchalis c. 4. speciatim reprehendit cupiditatem et appetitum supra mensuram, quo „in ephesina synodo, quae impium Nestorium cum dogmate suo perculit, Juvenalis episcopus ad obtinendum Palaestinae provinciae principatum credidit se posse proficere et insolentes ausus per commentitia scripta firmare. Quod sanctae memoriae Cyrillus alexandrinus episcopus merito perhorrescens, scriptis suis mihi quid praedicti cupiditas ausa esset indicavit, et sollicita prece multum poposcit, ut nulla illicitis conatibus praeberetur assensio.„

Suicer. [1]) Ad v. πατριάρχης. n. 2. affirmat Suicer. „anno Domini 380. patriarchas nullos nisi inter haereticos fuisse„: verum id praepostere et contra historiae antiquiora documenta; praepostere etiam ac contra vim potestatemque sententiarum, quibus ad illud probandum utitur, uti Hieronymi ad Marcellam ep. 54. e quibus oppositum potius colligeres: tum praepostere et minus accurate ibid. B. e casu et ex urbium magnitudine rationem dignitatis ac numeri patriarchalium sedium repetit, dum identidem analogiam, qua Veteres quinque eiusmodi ecclesias cum quinque corporis sensibus comparant, acerbius habet, eandemque cum ratione insitae causae strictaque probationis confundere videtur. Ceterum hoc trium sedium illarum institutum absque omni analogia respectuque ullo ad imperium non habuisse locum *Em. Schelstrat.* aperitur l. c. a. 2. apud Em. Schelstrate scribentem: „Orbem dictionis romanae ex tribus potissimum regnis coadunatum; ex regno Asiae, quod obtinuerant successores Seleuci, ex regno Aegypti, quod tenuerant successores Ptolomaei Lagi filii, et Occidentis quod iamdudum tenuerant imperatores romani, ut sic tres potissimum partes extiterint orbis romani seu monarchiae Alexandri, in quibus tres metropoles antiquorum eminebant imperiorum: asiani Antiochia, quam Joseph. de *Chrysostom.* bello iudaic. l. III. c. 3. nominat tertiam civitatem orbis romani et s. Chrysostomus h. 5. ad pop. antioch. caput et matrem orientis: „Civitatum enim (inquit) sub oriente positarum caput et mater est civitas nostra„; Aegyptiaci Alexandria, quam Dio Chrysostomus or. 32. vocat secundam civitatem sub sole, utpote quae erat aegyptiani regni princeps: et occidentalis Roma, unde et antiquiores Hebraei Romam appellare consueverant imperium Edom, et Titum subnominabant Idumaeum, quod Roma respectu Judeae meridionalis esset versus occidentem„.

davit suoque sanguine consecravit, ecclesia alia nulla distingueretur veritate proprietateque excellentiae patriarchalis. Denique

VI. intelligitur, cur nicaeni Patres[1]) exemplar velut ac formam sedium patriarchalium romanam habuerint, non tantum quod haec e patriarchali fonte scaturivit, purissimosque eius latices hausit; verum quod et diutius uberiusque ibi fons ille fluxit, et ibidem quiescendo, ut cum Gregorio magno loquamur, iugiter ibidem fluit.

4. Opinionum commenta corollariis excluduntur.

68. Sed haec iam ad altiora nos vocarent, nisi pretium esset operae, ex iis non paucis, quae de praestantissimo patriarcharum ordine enarravimus, quaedam brevissime colligere, quibus pro sincera rerum veritate vanis eorum rationibus occurratur, qui spretis contemptisque communiter omnibus priorum aetatum methodis atque sententiis, viam quam historicam vocant et criticam sectantes ad nova penitus atque receptis universim Maiorum suffragiis plane contraria[2]) adducuntur opinionum placita, quibus antiqua pariter probataque semper patriarchalium sedium fundamenta subruere adgrediuntur.

69. Jamvero haec facile ex superioribus inferuntur:

---

[1]) Vel levitatis vel praeiudicii non boni iudicium foret, infitiari, exemplaris instar ecclesiae in VI. nicaeno canone praestitutam ecclesiam fuisse romanam: *Can. VI. nicaen.* idque non alexandrini tantum patriarchatus, sed antiocheni pariter nec non reliquorum exarchatuum provinciarumque ecclesiasticarum. Haec quae obvia verborum sententiarumque enarratione continentur, gravis eruditorum interpretum auctoritas confirmat, uti est apud Phillips iur. can. t. II. c. 8. §§. 69. sq. et apud Hefele hist. conc. t. I. pp. 371. sqq. neque meris illa adsertionibus absque ulla probatione convelluntur, uti est apud Pichler l. c. pp. 110. sqq. quemadmodum contra Salmasium diu propugnavit theologorum facile princeps Dionys. Petavius de ecclesiast. hierarch. l. III. c. 7.

[2]) Aliter profecto qui rerum tantum corticem fere spectaverit; et aliter qui in earum quoque nucleum ipsum investigaverit: ita simili quadam ratione *Veterum a sequiorum diversa methodus.* aliter qui intimas rerum rationes, et aliter qui historica illarum phaenomena contemplando consideraverit: in priora illa quae sane potiora sunt, vetustiores maxime erant μεταφυσικῶς sapienterque intenti, quin tamen pro sua quique ratione haec secunda penitus neglexerint; in ista vero, quae ex illis pendent et circa eadem propemodum uti circa nucleum cortex versantur, sequiores plurimum historice ac non raro φυσιολόγων ad instar inquirunt, neque hoc inutiliter, dummodo ordine fiat ac via, qua superiora illa non excludantur simpliciter neque temere inpugnentur, sed neque in secundis omnino habeantur, neque ut praesentium progressuum nostrorum commodis nostrisque rationibus minus apta ac veluti indigna spernantur.

Antiqua Orientis cum Occidente consensio.

I. unam ab initiis eandemque fuisse tam Orientis quam Occidentis sententiam de natura, vi ac ratione [1]) patriarchalis ecclesiae: proinde

Posterior dissensio praepostera.

II. a vera atque antiqua non modo Occidentalium [2]) sed Orientalium [3]) quoque sententia posteriores abesse graecos con-

---

Leo Allat.

[1]) Idem quoque Leo Allatius de eccles. occid. et orient. consens. l. I. c. 2. iudiciis graecorum iuniorum prolatis a Niceph. Calixt. l. II. c. 35. Nilo Doxop. de patriarchis et Melet. patriarch. alex. ep. ad Ruthen. his complectitur verbis: „Petrus patriarchatum Antiochiae erigit: isque adhuc eo vivente et iubente dum ipse rebus universalioribus incumbit, ab aliis comministratur. Interim ipse ecclesiam romanam fundat et sedem collocat, et Marco evangelistae alexandrinam ecclesiam erectam commendat; hinc Petrus patriarchatuum fundator iure merito dicitur.„

Clemens IV.

Non iniuria ergo nec inmerito Pontifices cum Clemente IV. anno 1267. ap. Pichler l. c. pp. 340. sqq. „dignitatem ac praerogativam patriarchalem a Petri cathedra derivandam esse praecipiebant.„ Itaque patriarchales omnes sedes, inquit F.

Hier. a Benett.

Hierem. a Benettis privileg. in pers. s. Petri rom. pontif. a Christo Domino collator. vindic. par. II. tom. IV. a. VII. §. 1. p. 133. institutas a s. Petro fuisse, ita tamen, ut romana omnibus potestate dignitateque praeemineret, sacrata pridem in ecclesia sententia est, quam inficiari pro temeritate ausi M. Antonius de Dominis lib. III. de republ. eccles. cc. 2. et 10. Basnagius uterque, Beveregius, Richerius, Launoius, Dupinius, Janonus etc. dignis vapulant a doctissimis viris Henrico Valesio l. 3. observat. in Socratem et Sozomenum, Hadriano Valesio in vita Henrici Valesii fratris, Schelestratio l. II. antiq. illustr. dissert. 5. Thomassino vet. et nov. discipl. par. I. l. I. c. 8. et sqq. et Blanco de potestate et polit. eccles. t. IV. l. 2. c. 1.„ Ecquis porro temerarius adeo foret, ut ad proscriptos priores illos ab ecclesia homines accedere non reformidaret?

[2]) Adductis vel ipsius Blondelli de primat. in eccl. verbis, quibus „Protestantes, ait, neque apostolicae cathedrae dignitatem unquam veteri Romae denegasse, neque primatum, quem habet in vicinas ecclesias, immo etiam quem aliqua ratione obtinet in universas, ita tamen ut ecclesiastico iure duntaxat, non divino romanis pontificibus ista conveniant„ subdit de eccles. hier. l. III. c. 7. n. 11.

Petav.

Petavius: „Quocirca saltem apostolica traditione fatebitur, primatum illum in omnes ecclesias romano constare pontifici, si Augustini regulam illam sequimur, quam in primo libro cc. 1. et 2. proposui: Id ab Apostolis traditum videri, quod et perpetuo servatum sit in ecclesia, et nullius concilii decreto primitus constitutum fuerit, qualem esse praerogativam romanae sedis alio in loco disputabitur; ubi et divino iure id est Christi auctoritate ac praecepto stabilitam esse demonstrabimus.„ Idem demonstratum dedimus libro superiore: idem demonstrat „author inextinctae sacri concilii tridentini veritatis„ in opere cui titulus: „Oecumenica cathedrae apostolicae authoritas„ art. III. disquisit. 9. „Quanta sit romani pontificis authoritas circa patriarchalia et archiepiscopalia et consequenter episcopalia iura: idemque habet ap. Mai N. PP. B. t. VII. p. III. pp. 77. sq. Deusdedit card. con. invas. et simon. l. I.

Asseman.

[3]) Hoc contestantur vel ipsi syri nestoriani, quorum hac de re mentem habes in collect. canon. synodic. Ebediesu, metropolitae sobensis id est Nisibis ap. em. Mai scriptt. vett. nov. coll. t. X. ubi Aloys. Asseman. p. VII. haec praefatur: „Plures ad haec usque tempora collectiones canonum a Chaldaeis ac

tendentes [1]) ecclesiarum distinctionem a civili urbis praerogativa esse repetendam: porro

---

Nestorianis factae noscuntur, de quibus vide Asseman. sen. t. III. B. O. et nostrum commentarium de patriarchis et catholicis Chaldaeorum ac Nestorianorum. At me iudice collectio omnium melior et ordinatior est illa, quam saec. XIV. ineunte fecit clarissimus inter Syros Nestorianos metropolita Ebediesus sobensis: cuius collectio a Nestorianis in plenaria ipsorum synodo coacta a Timotheo II. eius gentis catholico (i. e. universali) patriarcha anno Christi 1318. fuit comprobata, atque in publicum fori ecclesiastici usum praescripta.„ Jamvero ille l. c. p. I. pp. 154. sq. tract. IX. loquitur „de iis, quae spectant ad magnam patriarchatus dignitatem, deque eiusdem sublimitate, et quaenam honori ipsius congruant, atque debeantur.„ In quibus licet doctore Assemano cod. lit. eccles. univ. t. XIII. pp. 178. sqq. ad exaltandum suae gentis patriarchatum plura a Syrochaldaeis exaggerata deprehendantur, ipsius tamen patriarchalis praerogativae causa haec redditur: „In his ergo quinque urbibus post revelationem Dei Verbi in carne, a beatis Apostolis constituti fuerunt quinque episcopi metropolitani, qui et patriarchae nominantur. Et quoniam praedictis civitatibus non ex principatu et antiquitate solummodo patriarchalis dignitas et praerogativa accessit, sed etiam propter Apostolum, qui in ea docuit, et regem qui in ea regnavit, magnae Romae data fuit (praerogativa) propter geminas columnas in ea positas, Petrum, inquam, Apostolorum principem et Paulum, doctorem gentium: ipsaque est sedes prima et caput patriarcharum„ quos Alexandriae tribuit, Epheso et Antiochiae: tum vero subdit: „Reapse causa propria huius rei est excellentia Apostolorum, qui illas sedes condidere atque rexere, Simonis, inquam, Petri, Marci evangelistae, Lucae et Joannis evangelistarum.„ Concludit denique „propter Thomam, Indorum et Sinensium Apostolum, et Bartholomaeum, qui et Natanael, Armaeorum et Adaeum, unum ex 70. qui fuit magister Aghaei et Maris et Apostolus Mesopotamiae et universae Persidis, plenam patriarchicae dignitatis praerogativam . . . Seleuciae et Ctesiphontis throno . . . concessam esse.„ Etsi porro facile quilibet intelligat, ob suos fines in hisce 1. patriarchae nomen laxius accipi, non secus ac 2. laxius accipitur nomen Apostoli: nihilominus perspicue pariter intelligitur 3. inter sedes patriarchales universe sedi romanae haud secus tribui primas easque capitis partes, ac Petrus inter Apostolos princeps erat et caput: tum autem 4. praestantiae dignitatisque patriarchalis causam veram ac propriam non esse civilem atque profanam, sed apostolicam et a sacris nominibus derivandam. Quibus cf. ep. syn. in collect. can. syn. Ebedies. sobens. ser. l. ap. Assem. l. c. p. 182. ap. Mai l. c. p. 161. *Ebediesu. sob.*

[1]) Ita photiani passim commentar. in 28. can. conc. I. constant. uti est ap. Balsamon. et alios quos Leo Allat. l. c. confutat, et quorum argumentum Nilus thessalon. de primatu l. II. ita proponit: Papam obtinuisse *τὸ πρωτεῖον τῶν ἄλλων ἐκκλησιῶν . . διὰ τὸ εἶναι τὴν Ῥώμην τῶν πόλεων βασιλεύουσαν.* Hanc vero excellentiam deinceps Constantinopolim translatam fuisse; hinc *τῷ αὐτῷ σκοπῷ κινούμενοι οἱ ἑκατὸν πεντήκοντα θεοφιλήστατοι ἐπίσκοποι* (constantinopolitani) *τὰ ἴσα πρεσβεῖα ἀπένειμαν τῷ τῆς νέας ἁγιωτάτῳ θρόνῳ.* Gemina repetuntur a quodam graeco in disputat. cum romanae ecclesiae aliquot cardinalibus ap. Salmas. de primat. Pontif. tum a Barlaam. monacho de pap. principat. ibid. pp. 107. sq. Sed quo pertineant patriarchales sedes et inter eas eminens ecclesia romana, ostendit insigni oratione G. Trapezuntius ad Cretenses de una, sancta, catholica ecclesia ap. Allat. graec. orthod. t. I. pp. 555. sqq. 564. sqq. *Photiani.* *Nilus thess.*

A Petro patriarchatus. III. eo Veteres pertinuisse, ut distinguentem characterem proprietatemque τῆς πατριαρχῆς a Petro auctore mutuarent: ut insuper

Patriarchatus finis cum Petro coniunctio. IV. quemadmodum originem eius ac causam a Petro repeterent, ita finem illius ac fructum in unione [1]) coniunctioneque cum Petro eiusdemque romana sede [2]) collocarent: hinc

---

Gregor M. [1]) Finem hunc declarat iterum ap. Mign. lat. PP. t. 77. p. 843. Gregorius M. ep. LX. ad Eulogium episcopum alexandrinum, quorum semet singulari caritatis vinculo iunctum affirmat. „Scilicet, inquit, longe a nobis non sumus, qui unum sumus. Hanc autem esse nobis cum caeteris fratribus communem semper optamus. Est tamen aliquid quod nos erga alexandrinam ecclesiam quadam peculiaritate constringit, et in eius amore proniores existere speciali quodammodo lege compellit. Nam sicut omnibus liquet, quod beatus evangelista Marcus a sancto Petro Apostolo magistro suo Alexandriam sit transmissus, sic huius nos magistri et discipuli unitate constringimur, ut et ego sedi discipuli praesidere videar propter magistrum, et vos sedi magistri propter discipulum.„ *Patriarchalia in Urbe templa.* Quae quidem patriarchatuum in una sede romana copulatio non potuit manifestari illustrius, quam erectis in ipsa Urbe patriarchalibus ecclesiis, quarum singulae singulis responderent sedibus patriarcharum. Cf. Becan. p. 81. coll. F. Hier. a Benett. l. c. pp. 132. sqq.

Coniunctionis via. [2]) Res longe exploratissima evadet, si vel modum ipsum rationemque expendamus, quibus communionis unitas totius catholicae ecclesiae cum romano pontifice inde ab antiquis conflaretur. Scilicet mox ac novus pontifex creatus erat, illico ad patriarchas omnes et autocephalos litteras pontificias seu communicatorias dabat, quibus eos sua in communione et unitate esse, non secus ac illas ecclesias omnes, quae sub iisdem patriarchis atque autocephalis continebantur, declarabat. Similiter patriarchae et autocephali statim post electionem litteras eiusdem generis Romam mittebant, ut se romanae sedi unitos cumque ipsa communicantes demonstrarent. Iamvero in hac pacificarum litterarum mutuo commercio praecipuam catholicae communionis tesseram fuisse repositam, neminem praeterit ac libro superiori exposuimus. Ex his ergo colligere fas est, non solum quae esset ad unitatem catholicam habendam servandamque necessitas communionis cum romana ecclesia, sed etiam quae essent huius obtinendae vinciendaeque annuli prope ac vincula. Auctore porro Gelasio ad Laurentium episcopum ep. 2. in more erat positum romanae ecclesiae, cum ut illorum solummodo reciperet tum ut ad illos dumtaxat daret pacificas epistolas, qui eandem cum romano pontifice fidem tuerentur. Unde factum est, ut episcoporum litterae exploratam non exhibentes fidei professionem nequaquam reciperentur. Atque ita quum non satis arrideret fidei professio, quam Epiri veteris episcopi ad Hormisdam dederant, misit ipse, uti videre est epp. 8. et 9. formulam fidei cum romanae ecclesiae fide apprime consonam, cui una cum Joanne nicopolitano metropolita ceteri quoque subscriberent, si communicatorias litteras sibi reddi cuperent. Similia leguntur tum de Anatolio constantinop. ut liquet ex epp. 69. 70. 71. 111. Leonis, tum de Proterio alexand. quemadmodum ex eiusdem epistolis 129. sq. compertum est. Quare non inmerito Garnerius append. ad diurn. adnott. c. II. n. 24. adseruit, unitatem communionis pacificis litteris compactam ita ad unitatem fidei fuisse directam, ut alteram sine altera cum romana sede obtinere nemo potuerit. Haud imus tamen inficias, litteras pacificas et communionis unitatem aliquando fuisse negatam intacta fide ob laesum aliquod caput disciplinare: nunquam vero fidei diversae hominibus fuisse illam concessam comperimus. Quo spectat apud Theodoret. h. e. l. V. c. 3. Flavianus ecclesiae antiochenae presbyter de fide Paulini.

V. patriarchalem a Petri sede discessionem cum genesi non minus ac scopo, quam cum ipsa patriarchali natura pugnare. Unde *Discessio a Petro opposita patriarcharum naturae.*

VI. scribi de Orientalium schismate accurate non posse, nisi, ut par est, naturalia haec atque congenita Orientis cum romana sede vincula patriarchalia, eorum genesis et scopus, adiumenta ac inpedimenta, internae non minus quam externae perturbationum solutionumque causae secundum historiam vere ac sincere expendantur: ideoque *Cognitio rei necessaria historicis.*

VII. leves nimium esse, mancos, incorrectos et falsos eos historiae scriptores, qui de Orientis ab Occidente scissione exponentes [1]) vel illa penitus silentio premunt, vel, si quae attingunt, contemplationem suam ad intimam rerum naturam non provehunt, sed nonnisi externa promunt eaque a suis nexibus ita abrupta, ut ipsius necessitudinis nomina ac tituli convertantur in totidem praeiudicia propemodum praetensionesque, ut aiunt, romanae Petri sedis, quotiescunque ausa haec fuerit, vincula illa sarta tecta vel adserere, vel laxata fortius rursum adstringere. *Rei perversio.*

IV. Patriarchalium ecclesiarum primas ac caput.

70. Sed ad faciendum gradum supremum iam pervenimus. Eo namque gressus promovimus, ut hoc tandem quaeratur, num sive in tribus sive in quinque illis patriarchis sistendum, a quibus ecclesiae *πολιτεία* ad quoddam unitatis fastigium advehatur, atque ad invisibile unicum caput *ἀμέσως* adsurgendum sit: an deveniendum progressione ulteriori ad visibile *ἱεραρχῶν* omnium caput, unumque fontem in quem illi relabantur non secus ac inde dimanarunt?

---

[1]) Vide Dr. A. Pichler Geschichte der kirchl. Trennung zwischen dem Orient und Occident. Monach. 1864. cuius contra romanam sedem exceptiones plerasque omnes diu disiecit laudatus supra „Author inextinctae sacri concilii tridentini veritatis„ op. c. quo „vindicat Eman. a Schelestrate adversus Maymbourgum de sensu et auctoritate decretorum constantiensis concilii sess. IV. et V. circa potestatem ecclesiasticam: tum quae author regalis sacerdotii ac leodiensis ss. theologiae doctor M. C. in lucem ediderunt circa cleri gallicani praeinsinuatas propositiones . . . discutiuntur praeterea, quae Ludov. Ellies du Pin theol. paris. de antiqua ecclesiae disciplina disserens molitur contra dictos Schelestratum atque authorem leodiens. de libertatibus ecclesiae gallicanae: Expenditur denique causa regaliae speciatim contra Alexandrum Natalem.„ Porro a. III. disquis. 9. §. 2. tuetur: „Ecclesiarum patriarchalium dignitas ostenditur orta fuisse a b. Petro eiusque successoribus cum debita ac perpetua ab iis dependentia.„

1. Una sedes princeps ac primas.

71. Atqui suprema ecclesiae ἀρχὴ non est penes plures paucioresve patriarchas, sed penes Papam eundemque Pontificem maximum cui tres quatuorve antiquissimi illi patriarchatus haud secus subsunt, ac corporis unius ὄργανα ad unum caput ordinantur, per quod corpus totum disponatur apte atque regatur. Scilicet

I. postulari primatum ad perfectam ecclesiae τάξιν et πολιτείαν, probatum pluribus superiori libro dedimus; sed

II. primatum illum in vivo perennique capite esse reponendum, vis ac ratio flagitat ecclesiae divinitus institutae ad modum corporis vivi itemque pleni ac perfecti: hinc autem

III. idem flagitat totius unitas corporis, quod ecclesia est: repudiato namque primatu admittas necesse est pro patriarchatuum numero corpus sive quintuplex sive triplex sive utcunque multiplex, et quod eodem redit πολυκέφαλον ecclesiam arbitreris. Quum enim a capite visibili, cuiusmodi fuit Petrus teste Cypriano [1]), origo sit et exordium ecclesiasticae unitatis, si eius successorem quemlibet patriarcham admiseris, pro numero patriarcharum multiplicem habebis ecclesiasticam unitatem seu multiplex ecclesiasticum corpus; si vero illius successorem quemlibet dixeris episcopum, tot esse sequetur capita unius fidelium corporis, quot episcopi exsistunt: id quod praeposterum ostendimus. Porro flagitat idipsum

Sedes patriarchales cum quinque sensibus collatae.

IV. desumpta a corpore frequentataque passim apud photianos scriptores [2]) analogia ac comparatio quinque patriarchatuum cum quinque corporis sensibus. Quodsi enim vivum hominis

---

[1]) Vide Turrian. l. c. p. I. pp. 212. sq. coll. p. II. p. 59. Cf. de his pariter Vincent. Bolgen. op. inscript. „esame dell' opera intitolata, vera idea della s. sede„ ed. Fulgin. 1791. quod quidem postremum opus editum erat Patav. 1784. a Tamburinio romanae sedis infensissimo hoste, tum cf. Muzzarelli opusc. de orig. iurisdict episc. ed. gal. Aven. 1826. opusc. 21—27.

[2]) Quamvis ratio eiusmodi adscita sit tardiusque invecta, semel tamen quinque patriarcharum thronis permissis, adhiberi utcunque potest ad ecclesiasticam oeconomiam secundum humani corporis ἀναλογίαν quadantenus explicandam. Sed enimvero cavendum ne ultra, quam fas sit, extendatur et urgeatur. Si enim huiusce analogiae iuridicum fundamentum universim, sit biblicum et plane divinum est tamen huius speciatim membri seu materiae, de qua agitur, constructio historica ecclesiasticae originis nec minimum ab studiis profecta humanis. Quare ita illa accipi nec potest nec debet, quasi foret a) simpliciter divina, vel b) simpliciter apostolica, vel c) ad constituendam perficiendamque ecclesiam simpliciter necessaria, atque d) adeo arguenda determinandaque inde ecclesiae veritas atque essentia. Sed ad haec advertere graeci scriptores photiano schismate imbuti, quum ista analogia uteren-

corpus absque organis illis quinque nec explicatum rite neque perfectum censeri possit, multo minus esse vivum perfectumque idem potest citra suum caput, ad quod illa non in eodem tantum genere eademque specie, sed ordine quoque ac proportione sint disposita. Quare uti ridendus ineptusque videretur, qui de politia vitaque humana, quatenus ea corporeo organismo explicatur ac proditur, sermonem faciens humano capite penitus excluso ad quinque sensus ordinem illius unitatemque revocaret; ita forent praeposteri, qui stabilem ecclesiasticae vitae ordinem unitatemque capite ecclesiae totius excluso ad multiplicem patriarcharum numerum veluti ad totidem sensus reducerent.

2. Habitus patriarchalium sedium ad caput Romanum.

72. Tantum ergo abest, ut graecanica eiusmodi[1]) patriarcharum, quemadmodum loqui amant, theoria principatui romanae ecclesiae obsit, ut in schismatum fautores vehementer retorqueri valeat. Et sane

I. eximie reapse a viro retorquetur non latino sed graeco, Georgio, inquam, trapezuntio, qui data opera [2]) cretensibus hieromonachis rem hisce omnino exponit: „Volo autem id quoque in *E superioribus.* *Georg. trap.*

---

tur, praetermiserunt, pariterque eorum animadversio desideratur apud Pichler, licet is hac de causa plures alias in sua historia de separatione inter Orientem et Occidentem t. I. pp. 267. sqq. in medium adduxerit.

[1]) De hac sermonem haud semel facit Pichler l. c. l. I. 5. I. pp. 267. sqq. Sed conferendae cum ista theoria hae aliae fuissent *ἀναλογίαι* ac similitudines apud Orientales itidem vulgatae, quibus quemadmodum quatuor plagae mundum et sicut Christi doctrinam quatuor evangelia comprehendunt, ita Christi ecclesiam quatuor complectuntur patriarchatus, romanus scilicet, alexandrinus, antiochenus et ephesinus, qui tamen posterior deinceps Constantinopolin ob imperium translatus fuerit. Ita Gregor M. ad Eulog. et Anastas. ep. XLIII. ap. Mign. latt. PP. t. 77. p. 773. coll. ep. synod. patriarch. occid. ad oriental. in collect. can. synod. a Sobensi elaborata ap. J. Al. Asseman. cod. lit. t. XIII. pp. 182. sq. coll. Mai scriptt. vett. t. X. par. I. pp. 161. 163. 164. et par. II. p. 39. Tum conferendae fuissent probae receptaeque vel apud ipsos graecos eiusmodi *θεωρίας* declarationes, cuiusmodi ab trapezuntio Georgio secundum orientalium doctrinam accepimus, de qua vide superius, quibus cf. quae ap. Mign. gr. PP. t. 99. p. 1418. scribit Theodorus Studita ep. CXXIX. de quinivertice ecclesiae potestate, cuius prima sedes romana: *τοῦτο τὸ πενταχόρυφον κράτος τῆς ἐκκλησίας . . . ὁ τῆς Ῥωμαίων νυνὶ πρωτόθρονος.* *Theodor. stud.*

[2]) De una, sancta, catholica ecclesia n. 13. ap. Leo. Allat. graec. orth. t. I. pp. 564. sqq. *Βούλομαι δὲ κἀκεῖνο τόγε νῦν ἔχον ἀναπτύξαι, ὃ παρὰ πολλῶν ἁγίων πατέρων καὶ μάλιστα ἀνατολικῶν γράφεται, ὡς πέντε μεγάλοις θρόνοις ἡ καθόλου ἐκκλησία συνίσταται, ὥσπερ τι ζῶον αἰσθήσεσι πέντε ἁφῇ, γεύσει, ὁράσει, ἀκοῇ, ὀσφρήσει. Ὥσπερ οὖν τὸ καλῶς ἔχον ζῶον καὶ τέλειον ταύταις τελει-*

praesenti exponere, quod a multis sanctis Patribus et praecipue orientalibus scriptis mandatum est, ex quinque dumtaxat magnis sedibus ecclesiam universalem componi, quemadmodum animal quinque sensibus, tactu, gustu, visu, auditu et odoratu. Qua igitur ratione recte se habens animal et perfecte his quinque sensibus plenum atque perfectum est, ea et universalem ecclesiam tradunt hisce quinque sedibus absolutam esse. Cum itaque haec ita se habeant, ut ab ecclesiae doctoribus addiscimus, inquirendum est, cuinam ex dictis sensibus unaquaeque ecclesia assimilatur. Neque enim fieri potest, ut omnes omnibus aut plerasque uni, sed unam ecclesiam uni sensui consimilem esse necesse est„.

Aristoteles. His positis ab initio „naturae interpretem Aristotelem [1]) de sensibus decernentem„ explorat: cuius descripta sententia, qua tactum adeo necessarium asserit „ut absque eo fieri non possit, ut animal sit„ ita [2]) pergit: „Quae quum ita se habeant, apertum remanet, romanam ecclesiam instar tactus esse. Quam enim aliam ecclesiam tactui exaequabimus? Namque ipse est inter alios sensus et propriissimus et primus et quo dempto nullus alius esse potest. Imo neque animal est absque tactu. Est vero et romana ipsa ecclesia prima et principalis, ut in confesso est apud omnes, nec quispiam contradicere audebit. Tactui igitur

---

οὗται, οὕτω φασὶ καὶ τὴν ἐκκλησίαν, τὴν καθόλου λέγω καὶ μίαν, πέντε θρόνοις τελειοῦσθαι. Ἐπειδὴ οὖν ταῦθ᾽ οὕτως ἔχει, ὡς παρὰ τῶν διδασκάλων τῆς ἐκκλησίας μανθάνομεν, χρὴ ζητῆσαι τίνι τῶν αἰσθήσεων ἑκάστη τῶν ἐκκλησιῶν ἀφομοιοῦται. ἀδύνατον γὰρ πάσας πάσαις ἢ πολλὰς μιᾷ, ἀλλὰ μίαν ἐκκλησίαν μιᾷ αἰσθήσει ἀφομοιοῦσθαι ἀναγκαῖον.

[1]) De anima l. III. ad fin. ubi demonstrans nullum animanti sensum tam esse necessarium quam tactum: *Οὐδεμίαν, φησὶ, δύναται τὸ ζῶον αἴσθησιν ἔχειν χωρὶς ἁφῆς:* „Nullum, ait, potest animal sensum habere absque tactu„: et rursum: *δέδεικται γὰρ, ὡς ἀδύνατόν ἐστι ζώῳ εἶναι χωρὶς ἁφῆς.*

[2]) L. c. pp. 565. sq. *Τούτων οὕτως ἐχόντων πρόδηλον ὅτι ἡ τῆς Ῥώμης ἐκκλησία ὥσπερ ἁφή τις ἐστί. τίνα γὰρ ἄλλην τῶν ἐκκλησιῶν τῇ ἁφῇ ὁμοιώσομεν; κυριωτάτη γὰρ τῶν αἰσθήσεων αὕτη καὶ πρώτη καὶ ἧς ἄνευ οὐδεμία τῶν ἄλλων εἶναι δύναται, ἀλλ᾽ οὐδὲ ζῶον ὅλως ἐστὶν ἄνευ ἁφῆς. Ἔστι δὲ καὶ ἡ τῆς Ῥώμης ἐκκλησία πρώτη καὶ κυριωτάτη, ὡς ὡμολόγηται πᾶσι, καὶ οὐκ ἔστιν ἀντειπεῖν. τῇ ἁφῇ ἄρα μόνῃ αὕτη ἀφωμοίωται. Ὥσπερ οὖν ζῶον οὐκ εἶναι δυνατὸν χωρὶς ἁφῆς, οὕτως οὐδ᾽ ἐκκλησίαν ἄλλην συνίστασθαι δυνατὸν χωρὶς τῆς τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίας. Καὶ ὥσπερ θνήσκειν εὐθὺς ἀναγκάζει τὸ ζῶον στερηθὲν τῆς ἁφῆς, οὕτω θνήσκειν εὐθὺς τὸν χριστιανὸν, ὥστε μὴ εἶναι ὀρθόδοξον χωρισθέντα τῆς ῥωμαϊκῆς ἐκκλησίας πάντως ἀνάγκη. Καὶ ὥσπερ τὸ ζῶον στερηθὲν τῶν ἄλλων αἰσθήσεων, δύναταί πως ζῆν μόνον τῇ ἁφῇ, οὕτω καὶ ὁ χριστιανὸς ὀρθοδοξεῖν δύναται στερηθεὶς τῶν ἄλλων ἐκκλησιῶν, καὶ μόνην κατέχων τὴν τῆς Ῥώμης. Οὕτω δὴ ἡ μὲν Ῥώμης ἐκκλησία ἁφῇ παρείκασται.*

soli illa adsimilabitur. Quemadmodum itaque fieri non potest, ut absque tactu animal sit, ita neque fieri potest, ut ecclesia sit absque romana ecclesia. Et uti tactu privatum illico necessario emoritur animal, ita statim et christianus necessario vitam amittit, ut nullo modo recte sentiat, ab ecclesia romana seiunctus. Et veluti animal reliquis aliis sensibus nudatum, solo tactu vitam producere potest, ita et christianus recte sentire poterit a reliquis ecclesiis separatus, dummodo soli romanae adhaereat. Et hoc pacto ecclesia romana tactui exaequatur.„ Tum constantinopolitanam gustui comparat, visui alexandrinam, antiochenam auditui, et odoratui hierosolymitanam ecclesiam: unde colligit [1]), ante schisma orthodoxum mansisse christianum, qui a tribus segregatus ecclesiis per quartam cum romana cohaereret; „post vero graecorum schisma soli romanae ecclesiae salva et integra recta dogmata conservari... et romanam ecclesiam recte quidem de rebus fidei sentire, sed pati aliis ecclesiis spoliatam (quemadmodum animal patitur privatum uno alterove sensu)... solam igitur illam esse [2]) necessariam hominibus, qui rectam atque orthodoxam doctrinam ambiunt: reliquas vero ecclesias ad bene et facilius atque suavius rectam doctrinam tuendam necessarias solummodo esse.„ Quibus praestitutis [3]) concludit: „Haec enim omnia ex adducta similitudine consequuntur, quam sancti Patres et Doctores ecclesiae usurpant, dum quinque magnas ecclesias quinque animantis [4]) sensibus comparant.„ Sed si comparatio haec eo vere spectat, ad efferendam describendamque ecclesiae romanae praestantiam

---

[1]) Ibid. pp. 567. sq. *Μετὰ δὲ τον τῶν Γραϊκων σχίσματος μόνῃ τῇ ἐκκλησίᾳ τῆς Ῥώμης τηρεῖται ἡ ὀρθοδοξία σῶα καὶ ἀκήραιος . . . καὶ ἡ τῆς Ῥώμης ἐκκλησία ὀρθοδοξεῖ μὲν, πάσχει δὲ τῶν ἄλλων ἐκκλησιῶν στερηθεῖσα . . . αἱ δὲ λοιπαὶ τῶν ἐκκλησιῶν πρὸς τὸ εὖ ἔχειν καὶ ῥᾷον καὶ ἡδέως ὀρθοδοξεῖν ἀναγκαίαι μόνον εἰσί.*

[2]) Haec redditio expressa deest in vulgato textu graeco.

[3]) Ibid. p. 568. *Ταῦτα γὰρ πάντα ἐκ τῆς ὁμοιώσεως ἕπεται, ἣν οἱ θεῖοι πατέρες καὶ διδάσκαλοι τῆς ἐκκλησίας ποιοῦνται, τὰς πέντε μεγάλας ἐκκλησίας ταῖς πέντε τοῦ ζώου αἰσθήσεσι παραβάλλοντες.*

[4]) Quaeris forte, quodnam quinque horum sensuum, quae quinque magnae patriarchales ecclesiae dicuntur, fuerit subiectum? Reponit ibidem p. 568. Georgius: *Ὥσπερ οὖν ζῶον ἐστὶ τὸ ἔχον τὰς αἰσθήσεις, οὐκ αἴσθησις. ἄλλο γὰρ τὸ ἔχον καὶ ἄλλο τὸ ἐχόμενον· οὕτως οὐκ ἐκκλησία ἐστὶ τὸ ἔχον τὰς ἐκκλησίας, ἀλλ' ὀρθόδοξος χριστιανός.* Quae quemadmodum praeclare habitum illarum ecclesiarum ad fideles homines declarant, ita ab ipsius comparationis terminis obscuritatem depellunt.

aptius et accommodatius nihil est quod desideres. Jamvero hoc ipsum confirmasse iuverit. Accedit enim

Ex indole patriarchalis ecclesiae. II. quod amplius est, vel ipsa genuina indoles germanaque ratio excellentiae patriarchalis habitum dicit ad unum eundemque patrem ac principem, qui simul est diciturque totius ecclesiae caput, a quo throni patriarchales quemadmodum principatus sui ducebant originem, ita absque eo aut extinguuntur penitus aut bonum omnem rectumque ordinem amittunt, haud secus ac sensus humani sine capite aut nulli essent aut in ordine ad alienum falsumque caput ipsi falsi evaderent [1]) et prorsus monstruosi. Atqui totius ecclesiae caput ac princeps constitutus fuit Petrus, qui adeo, ne unquam ecclesia ἀκέφαλος sit [2]), tamdiu in successoribus suis vivit ac permanet, quamdiu ecclesia Dei divino numine persistet. Ad Petrum ergo eiusque successores uti ad suum caput quicunque patriarchae exsistunt suopte ingenio referuntur, ut amplissima sua potestate amplissimas ecclesiae provincias cum Petro originali fonte et universali centro copulent atque devinciant. Eo namque, uti [3]) constat, illorum facit munus: eo, ut pariter [4]) constat, in conferenda iurisdictione spectant Romae Petri succes-

---

[1]) Haec pariter a Georgio trapezunt. significata percepimus.

Gelas. pap. [2]) Huc faciunt Gelasii ap. Mign. t. 59. p. 89. ep. XIV. sive tractatus, quibus adversus graecos schismaticos sic disserit: „Secundae enim sedis antistitem nec expellere quisquam nec revocare sine primae sedis assensu vel potuit vel debuit. Nisi forte confuso iam ordine rerum atque turbato nec prima nec secunda nec tertia sedes debeat observari vel suscipi secundum antiqua statuta maiorum, et sublato capite, ut videmus, omnia membra vario inter se compugnent certa-*Judic. XXI.* mine, fiatque illud quod de populo scriptum est Israel: In illo tempore non erat dux in Israel: unusquisque quod placitum erat in oculis suis faciebat. Qua enim ratione vel consequentia aliis sedibus defendendum (al. deferendum) est, si primae beatissimi Petri sedi antiqua et vetusta reverentia non defertur, per quam omnium sacerdotum dignitas semper est roborata atque firmata, trecentorumque decem et octo Patrum invicto et singulari iudicio vetustissimus iudicatus (al. vindicatus) est honor? Utpote qui Domini recordabantur sententiam„ quam illico promit ex Matth. XVI. Luc. XXII. Joan. XXI. Quibus simillima illa sunt, quae rursum Georgius trapezunt. disserit de romani throni super omnes regia potestate l. c. pp. 574. sqq. tum ad rem egregie Turrian. l. c. c. XV. p. 177.

[3]) Vide allata superius dicta magni Leonis epp. 84. 89.

[4]) Huc spectant illa Leonis de Anatolio patriarchatum constantinopolitanum ambiente epp. 44. et 45. ad Pulcher. August. et de Acacio illa Simplicii ep. 17. aliaeque patriarcharum a romanis pontificibus et confirmationes expetitae et ordinationes vel concessae vel suspensae, quae Petrus de Marca de concord. l. VI. c. 5. frustra ad mera communionis ecclesiasticae signa revocare conatus est.

sores: et eo, uti notum [1]) est, iidem revocare illos sategerunt, qui primum declinare ac deficere a caritatis communionisque semita utcunque viderentur. Id quod

Ex orientalium sententia.

III. confirmari illustrius nequit, quam recepta apud ipsos orientales syros, chaldaeos, armenios, de patriarchalibus sedibus doctrina. Eam inprimis complectitur canon oecumenicorum [2]), qui ita habet: „Placuit synodo oecumenicae, quatuor Patres esse in universo mundo, veluti quatuor evangelistae; et ut veluti quatuor flumina et etiam quatuor fines orbis, sicut et ipsi sapientes saeculi dicunt, quod quatuor sint elementa, ex quibus mundus fit. Sit autem caput romanus (pater) iuxta praeceptum [3]) Apostolorum quod tulerunt in suis canonibus.„ A quibus minime abludunt, quae ecclesiae antiochenae syrorum nomocanon [4]) de ordinibus sic complectitur: „De hyparchiis (provinciis) et quod quisque suam vocationem teneat. Nicaeae (scilicet canon): Quatuor sunt patriarchae [5]) iuxta numerum quatuor finium mundi. Et caput

Nomocan. syror.

---

[1]) Ad rem nihil manifestius, quam controversiae a romana sede iure merito excitatae tum de celebri chalcedonensi canone tum de titulo „oecumenici.„

[2]) Est is nicaenus .XXXVII. inter arabicos, per Ecchellensem editos. Vide tract. IX. c. 1. ap. em. Mai l. c. p. 155. coll. Asseman. l. c. pp. 166. sq.

[3]) Apte omnino hoc πολιτείας praeceptum ab Apostolis repetunt, quum ab iisdem dogma de Petro capite praedicatum fuerit.

[4]) A. Greg. Abulpharag. Bar-Hebraeo syriace compositus et a Jos. Aloys. Asseman. in lat. ling. conversus: c. VII. sect. 1. ap. Mai. scriptt. vett. t. X. p. II. p. 39.

[5]) De his porro animadvertisse iuverit 1. proponi theoriam a superiori quinque patriarcharum diversam: ea autem 2. manifestum studium praeferri, orientalem maxime Syrorum exaltandi ecclesiam: hinc illam 3. perhiberi ex orientalium opinione antiquam; quum laudatam superius epistolam synodicam Sobensis consignatam praepostere velit anno 40. post martyrium ss. Petri et Pauli, ante nicaenum concilium annis circiter 280: eiusdem nihilominus epistolae etiam meminit patriarcha Timotheus, qui 780. a reparata salute floruit, et de quo ll. cc. ap. Asseman. et em. Mai ll. cc.: 4. singularem tradi causam patriarchatus constantinopolitani, eandemque 5. non minus a communi patriarchatus causa differentem quam inpropriam ex sese atque aequivocam: ita ut 6. mirum non sit, rationem hanc neque semper neque ab omnibus orientalibus fuisse acceptam ac conservatam, minime tum quum praestantia constantinopolitana in quaestionem veniret: animadvertatur tandem 7. haud obscure distingui patriarchalis honoris ac tituli speciem a propria eius veritate ac re, tum insitam eius perfectionem ac plenitudinem ab adscita eiusdem collataque portione ac forma. Quae omnia et singula in historia πραγματικῇ, qua iudicium de originibus ac causis scissurae inter orientalem ecclesiam et occidentalem exponenda adsumitur, in quas sane quaestiones patriarchalis non minimam partem ingreditur, ignorari praetermittique non debent. Sed de aliis animadversionibus hisce similibus porro in superiori textu exponitur.

magnum omnium ille, qui Romae: et cum eo le, qui Alexandriae: et cum eo ille, qui Constantinopoli, ad quam Epheso translatus est patriarchatus, quaeque nova Roma vocata est: et cum eo ille, qui Antiochiae, qui universo orienti praefectus est. Et quia Hierusalem episcopatus fuit sub ditione metropoleos Caesareae Philippi, ab hodierno die, et deinceps honor patriarchatus quintus sit ei, servata metropolitae Caesareae sua potestate. Et metropolitae magno orientis data fuit potestas ex nunc, et deinceps, ut metropolitas, tamquam patriarcha, promoveat in oriente, et catholicus proclametur. Et quum praesens adest synodo occidentalium, supra omnes metropolitas cum patriarcha Hierusalem ordinetur sedes eius.„ Inter patriarchales itaque sedes universas romana veluti caput testibus vel ipsis illis haereticis eminet.

Haereticorum suffragium.

73. Neque satis, cum graecis orthodoxis [1]) apud orientales in suis confessionibus rem iidem illi rursum contestantur auctore Ebediesu, metropolita Sobae et Armeniae, qui [2]) in sua collectione canonum synodicorum etiam canonem titulo „Oecumenicorum„ inscriptum proponit: „Placuit synodo oecumenicae, quod de omnibus gestis, quae incongrue fiunt sive arbitrio episcoporum, potestas sit ipsi patriarchae pro auctoritate cognoscendi; nam patriarcha pater universalis est, et omnes metropolitae ac episcopi sunt filii hereditatis eius. Honor autem patriarchae, tamquam patris super filios, dominatur. Et quemadmodum patriarcha potestatem habet faciendi quodcumque vult congruenter circa eos, qui potestate eius subsunt; similiter potestas sit [3]) patriarchae romano supra omnes patriarchas, sicut beatus Petrus supra totam communitatem, quandoquidem locum etiam Petri tenet in universa ecclesia ille, qui Romae. Illum itaque, qui haec fuerit transgressus, synodus oecumenica anathemati subdit.„ Quae sicuti praeclarissima sunt, ita absolvi iis merentur, quae Timotheus [4]) scribit ad principem fidelium in India, quaeque in nomocanone

Ebediesus.

Timoth. patriarch.

---

[1]) Quorum mens liquet ex ipsius imperatoris epanagnostico act. VI. concil. oecumen. VIII. ap. Harduin. concil. t. V. pp. 856. sq.

[2]) Tract. IX. c. 5. ap. Mai l. c. p 165. cuius de sobensi iudicium vide ib. praefat. p. VII.

[3]) Haec locutio non est primae institutionis sive collationis, sed potius declarationis et praescriptionis: scilicet dicitur „similiter sit„ non quasi patriarchae romano prima institutione conferretur exsors sua potestas, sed quod instituta aliunde iamque collata illa declaratur, eiusdemque ordo servandus similiterque exprimendus praecipitur: de quibus vide infra.

[4]) De hoc vide ll. superius ec.

Benattibi [1]) ita leguntur: „Canon autem ecclesiasticus praecipit, ut inferior superiori pareat, atque ita ab omnibus obedientia in romanum patriarcham terminetur: ipse enim Simonis Petri locum obtinet.„ Sed his quod contendimus diserte effertur.

CAPUT III.

Romanus sedium episcopalium *ἱεραρχίας* apex et vertex.

74. Pronum iam est, ex iis quae praestituta sunt, haec veluti consectaria inferre ac confirmare, quae facta videntur ad singularem romanae sedis supra reliquas ecclesias eminentiam eminentemque eius in omnes potestatem ac vim oculis subiiciendam. Est itaque ratum e praemissis *Antiquum occidentis orientisque suffragium.*

I. suffragium unanime tam orthodoxorum occidentalium quam orientalium neque heterodoxorum minus quam orthodoxorum, romanum episcopum apicem esse ac fastigium totius *ἱεραρχίας*, sua plenitudine varios *τῆς ἀρχῆς* gradus inferiores omnes ita continentem, ut ipse a nullo contineatur, et ad quem per singulos gradus [2]) ita assurgatur, quemadmodum ab ipso veluti vertice, fonte ac sole regiminis rivuli radiique potestatis ac iurisdictionis [3]) defluunt singulosque per gradus dimanant.

---

[1]) Apud J. A. Asseman. l. c. p. 194.

[2]) Unde Nicolaus primus ad Michaelem imperatorem: „Quanto magis ad potioris auctoritatis iudicium tenditur querimonia, tanto adhuc amplius majus culmen petendum est, quousque gradatim perveniatur ad eam sedem, cuius causa aut a se negotiorum meritis exigentibus, in melius commutatur, aut solius Dei sine quaestione reservatur arbitrio„. Ep. data an. 865. apud Denzing. enchir. symb. p. 113. n. 266. edit. III. coll. Stephan. dorens. in concil. lat. sub Mart. pap. ap. Harduin. t. III. p. 714. *Nicolaus I.*

[3]) Huc faciunt quae in ep. decretal. Benedict. XI. extravagant. com. lib. I. tit. 3. c. 3. in ep. monachor. carthus. lecta in conc. rhemens. cor. Innocent. II. an. 1131. ap. Innocent. III. l. XV. ep. 254. ad apocalyps. IV. 6. et ap. ipsum Balsamon. tract. in iure orient. l. VII. p. 442. leguntur. Cf. Hier. a Benett. privil. s. Pet. par. II. t. IV. p. 137. Quo etiam spectat author. de inextinct. conc. trident. verit. l. c. a. III. disquisit. 9. „Conclusio: Nullus ecclesiae sanctae praesul praeter summum pontificem habet formaliter et actu iurisdictionem immediate a Christo vel ex iure divino, sed quaecunque sive patriarcharum, sive primatuum, sive archiepiscoporum, ac metropolitanorum, episcoporumque praerogativae (extra potestatem ordinis et huic connatam radicalem dumtaxat iurisdictionis potestatem) sunt ex concessione summi pontificis.„ Cuius rationem hanc addit: „Quia non tantum huius iurisdictionis exercitium, sicuti in Apostolis erat Petri oecumenicae authoritati subordinatum, sed eiusdem quoque collatio actualis et formalis dependet a summo pontifice; idcirco in huius potestate est, illam vel *Iurisdictionis collatio.*

Εὐταξία hierarchica.

II. Haec unius capitis dispositio non cohaeret modo singulariter cum universa hierarchicae *εὐταξίας* ratione superioribus praefinita, sed ab eadem *κατ'ἀναλογίαν* omnino flagitatur. Quum enim ordinis pacisque causa ab amplissimo episcoporum gradu ad restrictiorem archiepiscoporum ac metropolitarum, et ab hoc rursum ad angustiorem primatuum, et iterum ad numeratum sive trium sive quatuor sive etiam quinque patriarcharum ordinem ascendatur; consonum plane est, ut eandem ob causam ad numeralem summitatis unitatem deveniatur.

75. Maxime quod si singularum partium ecclesiasticarum constitutio et unitas totidem pro ratione ac proportione capitibus, puta episcoporum, metropolitarum, patriarcharum, efficitur ac continetur; multo magis exigitur, ut partium omnium totiusque corporis unitas distincto singularique capite absolvatur ac consummetur. Quo sane philosophorum illud quadrat: „Propter quod unumquodque tale, et illud magis.„ Atqui propter ecclesiae universae unitatem, ordinem et pacem [1]) singulae illius partes sive minores sive maiores sua capita suosque proportione principes habent; multo ergo magis principale universae illius caput exsistere dicendum est.

Georg. trapez.

76. Rem habet praeclare[2]) Georgius trapezuntius ita disserendo: „Propterea quoque christianum illum, in quem multitudo collata in

---

extendere vel coarctare sibique reservare, prout in iure quam plures extant eiusmodi reservationes. Et ideo communi illi adagio: Quidquid Papa potest in universo orbe, potest episcopus in sua dioecesi, non est absolute locus, sed cum restrictione Papae arbitrio subiecta„.

Liturg. orient.

[1]) Ita apud Jos. Aloys. Asseman. cod. liturg. eccles. univ. t. I. p. 184. cap. V. rit. faciend. catechum. eccles. chaldaeor. ac malebaror. orientales deprecantur: „Oremus et pro sanctis patribus nostris, Domino N. catholico patriarcha, et Domino N. episcopo metropolita, qui mediatores facti sunt huius magni et admirabilis doni, cui impares sunt creaturae: ut qui dignatus est tradere eis fontem istum, qui hominibus in remissionem peccatorum collatus est, ut per ipsos aperiatur; ipse tribuat eis, ut in uberrima ecclesiae tranquillitate et in pace totius terrae praesint cunctis gregibus suis, et oves pretioso sanguine redemptos, quae ipsorum regimini commissae sunt, in dies augeant incremento poenitentium et salvas incolumesque custodiant aspiciantque, et cum fiducia mereantur Domino nostro dicere: ecce nos et filii, quos dedisti nobis, pro tua clementia incolumes sumus„.

[2]) De una, sancta, cathol. eccles. ap. Leo. Allat. graec. orth. t. I. pp. 554. sqq. *Διὸ καὶ τὸν χριστιανὸν εἰς ὃν ἀναγόμενον τὸ πλῆθος εἰς μίαν ἐκκλησίαν συνάγεται, τῷ τῆς ἱερωσύνης κοσμοῦμεν βαθμῷ, καὶ ὡς κρείττονα τιμῶμεν τε καὶ σεβόμεθα, ὡς δῆθεν ἅγιον ἀρετῇ τε καὶ τῇ τῶν θείων ἐπιστήμῃ, ἢ εἰ μηδὲν ἄλλῳ τῷ τῆς ἱερωσύνης χρίσματι. Οὕτως ἐκκλησία μία συνίσταται ἡ μικροτάτη, παροικία μὲν παρὰ τῶν νῦν Λατίνων, παρ' ἡμῶν δὲ ἐνορία καλουμένη, ὡς ἑνὶ*

unam[1]) ecclesiam congregatur, sacerdotii dignitate condecoramus, et ut aliis praestantiorem honoramus et colimus, veluti nempe sanctum et virtute et rerum divinarum scientia, et, si cetera deficerent, sacerdotali unctione insignitum. Hac ratione una ecclesia constituitur omnium minima, quae apud hodiernos latinos paroecia, apud nos vero enoria vocatur, tanquam quae uno minimo termino circumscribatur. Cum vero paroeciae multae sint, multaeque similes ecclesiae, et nos ostenderimus, necesse esse, in unum congregari multitudinem, eo quod eiusdem generis est, naturalibus ducti demonstrationibus, multas paroecias unam episcopalem ecclesiam facimus, et per episcopum omnes coniungimus. Simili quoque ratione multos episcopatus in unam metropolim reductos uni metropolitae universas subdimus. Rursusque metropoles uni patriarchali ecclesiae coagmentantes uni patriarchae in unam magnam ecclesiam copulamus. Adeo ut ecclesia archieratica dignitate conspicua sit ecclesiarum multitudo uni ecclesiae per archipraesulem coniuncta. Cum autem quinque sint magnae ecclesiae, Romana, Constantinopolitana, Alexandrina, Antiochena, Hierosolymitana, necesse est omnino easdem una aliqua copulari. Imo necessitas naturalis cogit, in id compellens, ut una exsistens universalis ecclesia possit recta veritatis dogmata praescribere. Demonstratum siquidem est, nihil multitudinem agere posse„. Unde [2]) idem non minus praeclare illico colligit: „Per quam igitur ex his quinque in unam hae quinque cogentur? Manifestum est, non

Sacerdos. *Ecclesia.*

τῷ μικροτάτῳ ὅρῳ περιεχομένη. Ἐπειδὴ δὲ ἐνορίαι πολλαί εἰσι, καὶ πολλαὶ αἱ τοιαῦται ἐκκλησίαι, δεῖν δὲ ἀπεδείξαμεν ἀεὶ τὸ πλῆθος εἰς ἓν συνάγεσθαι τῷ ὁμοειδεῖ, φυσικαῖς ἀνάγκαις κινούμενοι, τὰς πολλὰς ἐνορίας μίαν ἐπισκοπικὴν ἐκκλησίαν ποιοῦμεν, τῷ ἐπισκόπῳ πάσας ἑνοῦντες. Ὁμοίως καὶ τὰς πολλὰς ἐπισκοπὰς, μητρόπολιν μίαν ποιήσαντες τῷ ἑνὶ μετροπολίτῃ πάσας εἰς ἓν συνηγάγομεν. Πάλιν δὲ τὰς μητροπόλεις μιᾷ πατριαρχικῇ ἐκκλησίᾳ συναρμόσαντες ἑνὶ πατριάρχῃ εἰς μίαν μεγάλην ἐκκλησίαν συνήψαμεν, ὥς εἶναι τὴν ἀρχιερατεύουσαν ἐκκλησίαν ἐκκλησιῶν πλῆθος εἰς μίαν ἐκκλησίαν διά τοῦ ἀρχιερέως ἑνούμενον. Ἐπειδὴ δὲ πέντε πᾶσαι εἰσὶν αἱ μεγάλαι ἐκκλησίαι Ῥώμης, Κωνσταντινουπόλεως, Ἀλεξανδρείας, Ἀντιοχείας, Ἱεροσολύμων, δεῖ πάντως καὶ ταύτας μιᾷ συνάγειν, μᾶλλον δὲ ἀνάγκη ἀναγκάζει φυσικὴ εἰς τοῦτο συνωθοῦσα, ἵνα μία οὖσα ἡ καθόλου ἐκκλησία δύνηται τὸν λόγον τῆς ἀληθείας ὀρθοτομεῖν. δέδεικται γάρ, μηδὲν τὸ πλῆθος ἐργάζεσθαι δύνασθαι.

[1]) Habes sacerdotii finem, sacerdotis characterem, opus, definitionem.

[2]) Ibid. n. 9. p. 555. *Τίνι οὖν τῶν πέντε εἰς μίαν αἱ πέντε συνάγονται; Δηλονότι τῃ πρώτῃ. ἤδη γὰρ ἐδείχθη πρωτεύειν ἀεὶ τῶν πολλῶν τὸ συνάγον ταῦτα εἰς ἓν τὸ ἑνοῦν. αὕτη δέ ἐστιν ἡ τῆς Ῥώμης, καὶ τοῦτο παρὰ πάντων*

per aliam quam per primam. Ostendimus enim, multo aliis id praecellere quod reliqua in unum redigit et unit. Et haec est Romana, quod ab omnibus christianis absolute conceditur. Cur itaque per hanc universalis ecclesia obtineat, ut sit una, dum unam, sanctam, catholicam et apostolicam ecclesiam dicimus omnino unam esse, quod Romanae ecclesiae professionem sequatur, nec extra rem iudicantes intelligemus.„ Quae claritatis aeque ac vi veritatis excellunt.

Ecclesiasticarum partium analogia.

77. Verum e contrario III. neque cum *εὐταξίας* ratione totius hierarchici, ut aiunt, organismi neque cum singularum partium analogia cohaeret vel etiam consistere potest, ut ille ac istae morali dumtaxat eodemque synodico capite perfici absolvique dicantur. Ut enim praeclare

Trapezuntius.

1. trapezuntius Georgius affirmavit, unitas in ecclesia Christi conciliatur per sacerdotem: quare unitas omnium eaque summa et maxima fit per sacerdotem omnium [1]) eumque summum et maximum, qui reapse pontifex maximus audit. Quod sanctus

Cornel. pap.

Cornelius papa et martyr significasse [2]) dicendus, quum ad Fabium antiochenum de Novatiano schismatico scriberet: „Ergo ille evangelii vindex ignorabat, unum episcopum esse oportere in ecclesia catholica.„ Nimirum unus supremus pontifex sit super universam Christi ecclesiam. Praeter enim quam quod

---

ἁπλῶς τῶν χριστιανῶν δέδοται. Ἐπειδὴ οὖν διὰ ταύτης ἡ καθόλου ἐκκλησία ἔχει τὸ εἰς μίαν, ὅταν μίαν ἁγίαν καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν λέγομεν, πάντως μίαν εἶναι διὰ τὸ ἕπεσθαι τῇ τῆς Ῥώμης ἐκκλησίας ὁμολογίᾳ νοήσωμεν ὀρθῶς κρίνοντες.

Πρεσβεῖον vis in can. VI. concil. nicaen.

[1]) Ad rem facit haec Francisci Turriani S. J. defens. locor. s. Script. adv. A. Sadeel. lutheran. l. I. pp. 241. sqq. de voce *πρεσβείου* in conc. nicaen. can. VI. animadversio: „Itaque ingnoratione huius vocabuli existimasti, illam partem canonis de servandis privilegiis suis ecclesiis repugnare primatui episcopi romani in omnes ecclesias. Quia vero episcopi romani *πρεσβεῖον* erat universa ecclesia per cunctum orbem diffusa, cui praesidet tamquam unus paterfamilias, quem Christus domui suae, quae est una ecclesia catholica, praefecit, et voluit, ut ab eo ordo sacerdotalis inciperet, et origo esset unitatis ecclesiae, nihil de ea synodus nicaena hic sanxit, sed potius eius formam et exemplum sequuta est, tamquam causam potestatis aliorum et *εὐταξίας*, ut tu recte vocas.„ Quum vero eadem in causa nicaeni Patres ad antiquam apostolicamque consuetudinem provocent, nemo, inquit ibidem pp. 246. sqq. Turrianus, non intelligit, repetiisse illos originem et causam romanae praestantiae ac formae a Christi Domini Apostolorumque institutione.

Turrian.

Routh.

[2]) Ap. Routh. reliq. sacr. t. III. p. 23. V. *Ὁ ἐκδικητὴς οὖν τοῦ εὐαγγελίου, οὐκ ἠπίστατο ἕνα ἐπίσκοπον δεῖν εἶναι ἐν καθολικῇ ἐκκλησίᾳ.* Sed dum ecclesiam urbis Romae hic significari extra dubium ponit Routh. ibid. p. 42. in

2. essentiale itidemque unitati necessarium ecclesiae caput, quod istiusmodi, id est morale tantum sit, nunquam fuerit a Christo constitutum, sed potius constituto singulari capite plane exclusum, manifestum est *Caput synodicum excluditur.*

3. synodalem conventum sua natura posse [1]) quidem commodum ad certos fines medium esse, quo v. g. hierarchae ad consiliorum sententiarumque coniunctionem ineundam sapienter utantur; at vero esse illud hierarcharum quoddam membrum et

---

adnotatt. idque iure e verbis sequentibus probat, quibus Cornelius affirmat, in urbe „presbyteros quidem esse quatuor et quadraginta: septem diaconos totidemque subdiaconos„ et q. s. hoc perspicue sequitur a) ecclesiam catholicam non aliam esse ab ecclesia romana: et ideo b) per unum romanae ecclesiae episcopum unam esse ecclesiam catholicam: hinc c) iniuria Joan. Forbesium instruct. historico-theol. l. XVI. c. 3. §. 40. consentiente Routh. l. c. p. 44. negare, quod ex epistola s. Cornelii iure „Baronius collegit, romani tum episcopi titulum fuisse, ut nominaretur sanctissimae catholicae ecclesiae episcopus, adeoque unum episcopum, id est romanum, in ecclesia esse debere.„ Vide sis inf. de titulo episcopi oecumenici.

[1]) Hinc commendantur toties a romana ecclesia episcoporum conventus, nec nisi praeiudiciis indulgent, qui ecclesiam romanam inimicam pastorum synodis fingunt. Id quidem iustum, ut pontifex nolit monstruosum eiusmodi concilium, quod instar ecclesiae capitis sive habeatur sive se gerat; at vero concilia, quae essent ecclesiastici ordinis quo late patet media, et indixit et habenda etiam praecepit. Id est quod Innocentius III. et patriarchae constantinopolit. ep. CCIX. et Alexio imperatori constantinopol. ep. CCXI. ap. Mign. t. 214. pp. 764. 771. scripsit: „Imperialis nobis celsitudo rescripsit, quod, ut verbis eius utamur, nostrae sanctitatis est, secundum praecedentes synodales operationes pro requisitis dogmatibus synodalem conventionem fieri dispensare, et nostra sic sanctitate faciente, sanctissima quae apud vos est ecclesia non ad conventum tartabit. Licet autem, sicut ex praedictis apparet, ecclesia romana non tam constitutione synodica quam divina caput et mater omnium ecclesiarum exsistat, et ideo nec pro disparitate rituum nec dogmatum diversitate differre debueris, quin nobis, sicut tuo capiti secundum antiquum et canonicum statum benignius et devotius obedires, cum certa non sint pro dubiis relinquenda: nos tamen pro multis necessitatibus ecclesiasticis disposuimus, auctore Domino generale convocare concilium et synodalem celebrare conventum; ad quam si vocatus a nobis iuxta ipsius imperatoris promissionem occurreris, cum haec sint dogmata, quae nostris litteris requisivimus, ut scilicet membrum ad caput et ad matrem filia revertatur, ecclesiae romanae reverentiam et obedientiam debitam impensurus, te sicut fratrem carissimum et praecipuum membrum ecclesiae benigne ac hilariter admittemus.„ Quibus Innocentius 1. repellit graecorum placitum, quasi vero quod iure ipsorum vetere de provinciali regimine continetur, cf. praeter allatos superius canones Ebedies. coll. can. synod. can. apost. epit. can. XXXIII. ap. Mai scriptt. vett. t. x. par. I. p. 11. idem ad totius ecclesiae caput extendi deque regimine universalis ecclesiae accipi similiter deberet: sed 2. affirmat, romani pontificis regimini subesse et obedire etiam citra synodos ac concilia omnes in universa ecclesia debere: sibi tamen 3. ob graves rationes visum esse in Domino expedire, generale convocare concilium.

Deliberatio synodica praescribitur.

Innocent. III.

vel ipsum hierarcharum caput, natura ac indole sua omnino repugnat. Atqui aliud est quaerere de medio regiminis, utrum scilicet et quando hierarchae ad regendam, ut par est, ecclesiam Dei adhibere possint vel debeant synodalem conventum, et aliud est quaerere de regiminis supremaeque potestatis subiecto, quod est diciturque summus ecclesiae hierarcha, quo hierarcharum ordo coronatur ac consummatur. Seposita ergo quaestione priori, de qua nunc nihil ad nos, removeri plane ab altero disputationis argumento concilia debent ac synodi. Jamvero

Discrimen regiminis medium inter ac subiectum.

4. quemadmodum in nulla ecclesiae parte, neque in episcopali, neque in metropolitana, neque patriarchali, regiminis potestas et unitas penes conventum multitudinis vel concilium plurium, sed pro suis singillatim dictionibus penes episcopum, metropolitam, patriarcham est: ita ab analogia alienum et absonum foret, patriarcharum unitatem collocare in synodo sive interpellata sive continuata. Et sane

5. hierarchicus episcoporum omnium organismus, cuius constructio a basi largissima per gradus semper arctiores assurgit [1]) usque ad tres patriarchales thronos, absque unitate foret, si singulus quisque patriarcha esset caput supremum ac independens; foret culminis apice destitutus, incompletus, inperfectus et *ἀκέφαλος*, nisi summus pontifex potestate capitis iisdem esset superior. Ipse igitur vere omnium Patrum [2]) summitas, apud ipsum itidem verissime omnium potestatis regiminisque *ἀνακεφαλαίωσις*.

Ebediesus.

[1]) Singularis est animadversio Ebediesu sobens. tract. VI. ap. Mai scriptt. vett. t. X. par. I. p. 106. sq. qua enumeratis tribus ordinibus hierarchicis, diaconatu, presbyteratu, episcopatu, subdit: „Antiqui autem dicunt, ista typum esse eorum, quae in coelesti ecclesia fiunt. Quemadmodum enim ecclesia illa in tres ordines (hierarchias) dividitur, et unusquisque ordo in tres gradus distribuitur; ita et apud nos: primus ex tribus ordinibus est diaconatus, qui in tres gradus dividitur, nimirum in lectores, hypodiaconos, et diaconos . . . Secundus ordo est presbyteratus, qui dividitur in presbyteros, periodeutas et archidiaconos . . . Tertius aliisque duobus superior ordo est episcopatus, cuius gradus sunt: episcopus simplex . . . secundus, qui et superior est episcopo simplice, est episcopus metropolitanus . . . tertius gradus huius ordinis, qui superior est omnibus sacerdotii gradibus et pater communis, catholicus patriarcha est.„ Ne tamen exclusum videretur ecclesiae caput, addit ibidem p. 107. quae ad patriarchatum pertinent, „qui est principatus principatuum in ecclesia, designatum per traditionem clavium regni coelorum, quas Simoni dedit„ et q. s. uti leges inferius de patriarcha romano.

Hierarchia coelestis ac terrestris.

Joan. Damascen.

[2]) Huc facit descriptio Joan. Damascen. de dormit. Deip. or. II. n. 18. opp. t. II. p. 881. *Πέτρος ἡ κορυφαῖα καὶ πρεσβυτάτη τῶν θεολόγων ἀκρότης:* „Petrus suprema et antiquissima theologorum summitas.„ Coll. geminis super. lib. c. IV. 5. pp. 166. sqq. et Dionys. Petav. de eccles. hier. l. III. c. 7. nn. 10. sqq.

78. Sed IV. quod cum illis consertum omnino est colligitur, romani capitis praerogativam neque meri esse honoris neque adeo metropolitana ac patriarchali minorem; verum potestatis ac iurisdictionis tanto maioris [1]) quanto caput non tantum prae distinctissimis excellit eiusdem membris, sed super totum corpus eminet. Id liceret profecto argumentari ex eo, quod ob ordinem ac pacem orientales non suis tantum patriarchis vim potestatis adserant, sed ad unitatem singularum partium continendam pro ratione ac proportione singulis quoque harum capitibus. Verum id indirectum dumtaxat parumque esset; hinc iuverit tam praemissa quam haec illata confirmasse testimonio neque occidentali neque romano-catholico, verum orientali eodemque nestoriano, quod adeo profectum minime arbitreris a propensionum atque favorum praeiudiciis, sed potius a veritatis conservatae catholicaeque hereditatis sententia.

Romani capitis iurisdictio.

Patriarchalis potestas.

79. Itaque apud Ebediesu in collectione canonum synodicorum [2]) de ordinibus ecclesiasticis haec leguntur, quae ad auctorem ecclesiasticae omnis potestatis spectant: „Ministerium episcoporum simplicium exhibuit (Dominus noster Christus), dum inspiravit in discipulos suos, per quam inspirationem divisim (partialiter) acceperunt retinendi ac dimittendi [3]) peccata potestatem. Ministerium autem metropolitanorum efficienter figuravit, dum extulit manus suas super eos, et signo crucis sanctificavit eos ad institutionem populi (iudaici) et gentium misit eos. Patriarchatum demum, qui est principatus principatuum [4]) in ecclesia, designavit per traditionem clavium regni coelorum, quas Simoni [5]) dedit, cum principem Apostolorum ipse redemptor eum constituit, et praesidentiam super

Orientalium doctrina.

Ebediesus.

Patriarchatuum principatus.

---

[1]) Juverit iterum ap. Ebediesu l. c. de obedientia metropolitis, patriarchis, adeoque multo magis principi principum debita contulisse can. IX. p. 102. et tract. IX. c. 2. ibidem p. 157. can. Jesuiabi et p. 161. ex synod. Timoth. c. 5. „Quinam sint canones, quibus ostenditur potestas patriarchae ad omnia christianorum negotia, deque honore, qui ab universis christianis ei debetur.„

Syn. syr.

[2]) Tom. II. tract. VI. c. 1. apud Mai scriptt. vett. t. X. p. I. p. 107.

[3]) Scilicet iurisdictionis quam vocant potestas omnis in subditos fideles ex sese propria est episcopis.

[4]) Quibus rursum diserte comprobantur, quae suo superius loco de patriarchali idea ac nomine praestituimus.

[5]) Radix ergo ipsumque patriarchatus fundamentum repositum est ac residet in Petro, summo ecclesiae capite et pastore. Unde praeclare sibi constant ac cohaerent egregie, quae de vi ac ratione patriarchatus devincti ac nexi cum Petri principatu comprobata prius dedimus.

communitatem ipsorum dedit ei verbis illis: tu quoque aliquando convertere et confirma fratres tuos. Potestatem autem super totam communitatem [1]) eorum, qui instituuntur (christianorum) concessit ei in pastione agnorum, ovium et ovicularum.„

Petri eminentia.

80. Videlicet episcopus animarum Dominus priusquam in coelos rediret, suum in terris vicarium constituit itemque visibile credentium caput, cui proinde ipsam communicavit potestatis in regimine plenitudinem ac summam, quo fieret, ut non modo potestate super reliquos esset regentes, quales episcopi sunt, metropolitae, patriarchae; sed ut statutus esset auctor in hac visibili oeconomia, a quo singuli regerentur: ut esset fons supremus, de quo desuper sua potestatis portio in patriarchas, metropolitas, episcopos deflueret [2]), atque summum exemplar esset, ad quod in similaribus cunctis ecclesiae portionibus tam maioribus quam minoribus regimen exigi exercerique deberet. Haec sane est expressa [3]) e Scripturarum oraculis Patrum doctrina eademque vel ab ipsis conservata haereticis, ad quam iidem uti ad *θεωρίαν* una cum orthodoxis [4]) *πρᾶξιν* vellent exactam ecclesiaeque *πολιτείαν*, statuentes apprime [5]) de ecclesiarum regimine „baculum patriarchalem tenendum ... ad similitudinem Petri principis Apostolorum et Pauli [6]) architecti ecclesiae.„ Atqui patriarchalis baculus non erat dum-

---

[1]) His aperte duplex universalis capitis supremique pastoris habitus, et pro habitu duplex officii ratio distinguitur: habitus alter ad ipsos hierarchas, alter vero ad totum ipsum coetum atque fidelium omnium gregem.

Leo M. [2]) Id docet Leo M. in anniv. assumpt. suae ser. IV. c. 2. „Quum multa solus Petrus acceperit, nihil in quemquam nisi ipsius participatione transivit:„ *Bonifac. pap.* coll. Bonifac. pap. ep. XIV. „Institutio universalis nascentis ecclesiae de beati Petri sumpsit honore principium, in quo regimen eius et summa consistit; ex eius enim ecclesiastica disciplina per omnes ecclesias religionis iam crescente cultura fonte manavit.„

[3]) Vide sis exposita lib. sup.

[4]) Huc etiam referendus canon nicaenus VI. uti superius monuimus, et ad quem tam hic Jesuiabi quam oecumenicorum canon paulo prius allatus aperte respicit.

[5]) Apud Ebediesu l. c. p. 157. col. 1.

Pauli a Petro discrimen. [6]) Quibus praeclare discrimen horum illustrium duorum Apostolorum exprimitur: est Petrus princeps Apostolorum omnium ac singulorum, qui collectos illius subditos regunt eidemque alios subditos colligunt; et vice versa, si altera spectetur metaphora: est Paulus architectus qui super fundamentum, quod est Petrus, ecclesiam Dei aedificat. Inde feratur de utriusque Apostoli tam excellentia quam necessitate iudicium et colligatur, cur uterque communiter maxime in fundanda ecclesia principali et exemplari coniungatur. Scilicet Petrae fundamentali a Christo iactae additus Paulus, per quem Christus super illam aedificaret ecclesiam suam: prae-

taxat honoris sed [1]) potestatis; multo ergo magis id dici de baculo pontificali debet. Quae quidem argumentis inferre opus non est, quum iidem illi orientales [2]) disertis verbis hunc oecumenicorum canonem subiiciant: „Romae magnae concessa est praecedentia et principatus patriarchatus propter duas columnas, quae in ea positae sunt, Petrum, inquam, caput Apostolorum, et Paulum, ille doctor gentium. Et ipsa est sedes prima, et princeps patriarcharum.„ *Nestorianorum sententia.*

81. Quae ex eorundem orientalium sententia Josephus Aloysius Assemanus hac adnotatione[3]) praeclare illustrat: „Romanum pontificem sancti Petri successorem confitentur vel ipsi nestoriani, eumque patriarcharum omnium et ecclesiae universae caput agnoscunt, ut ex pontificali et Sobensi liquet. Neque primatum solum honoris eidem adiudicant, sed et iurisdictionis propriae dictae, et quidem in totam ecclesiam ac supra episcopos et patriarchas, qui romano episcopo subsunt, quo pacto ipsis subsunt clerici, presbyteri, ceterique fideles suarum dioeceseon. Lector canones, quos oecumenicos et legitimos habent et recipiunt chaldaei et nestoriani, perlegat [4]) et satis superque de ipsorum hac in re sententia edocebitur. Quin eo progressi fuere syri chaldaei nonnulli, ut romani pontificis auctoritate et ordinatione suos patriarchas institutos [5]) dicant. Joseph indus in navigatione novi orbis [6]) interrogatus ab Alexandro VI. qua auctoritate Babylonis patriarcha orientalibus regionibus praeesset, in haec verba respondet: „Olim divus Petrus Apostolus Antiochiae praefectus fuit; et cum sancta Romana ecclesia schismate laboraret atroci duce Simone mago, qui sui nominis monumenta reliquit, sanctus Petrus accersitus est [7]) Romam, ut Simonem confunderet, et laborantibus christianis non deesset. Hic itaque Petrus non prius solvit Antiochia concessurus Romam, quam vicarium[8]) Antiochiae praefecisset: et is est, qui orien- *Aloys. Asseman.* *Joseph. indicopleust.*

---

ferenti normam credendi additus praedicator ipsius normae: principio ac fonti potestatis atque regiminis additum vas electionis ac prope canalis, ad derivandam illam ac in suos usus diffundendam, accommodandam, aptandam.

[1]) Vide superiora coll. canon. poenal. quos sobensis habet l. c. tr. VIII. v. 20. ap. Mai l. c. pp. 149. sq. tr. IX. c. 5. ibid. pp. 160. sqq. de potestate patriarchali, et Asseman. l. c. p. 230. adnot. 6.

[2]) cf. J. A. Asseman. l. c. pp. 167. sq.

[3]) Ibid. adnotat. 3. pp. 179. sq.

[4]) Ex iis plura in medium attulimus, alia indigitavimus.

[5]) Huc enimvero faciunt quae ap. Assem. l. c. p. 168. diserta adduntur.

[6]) Cap. 133.

[7]) Cf. praemissa in praefat. sup. ad lib. I.

[8]) Animadvertas, queso, hanc vicarii ideam, quae cum patriarchatu coniungitur, apud ipsos etiam orientales frequentari.

talem plagam moderatur, et dicitur catholica (sc. sedes seu catholicos) geritque Petri vices: hunc vero catholicam praeficiunt cardinales 12. in Armenia; et id iactant authoritate romani pontificis facere„.

82. Nestoriani (pergit Assemanus) auctores ordinationis Sulakae pariarchae in epistola ad Julium tertium [1]) sic aiunt: Praeterea hoc scito, Pater noster excelse, quod sacerdotium nostrum a priscis temporibus ex Roma sit, quae est sedes Petri principis Apostolorum: verum ex quo confusus est ordo christianorum a filiis Hagar aegyptiae, interrupta est via nostra ad vos inde a spatio

Sulaka nestor.

trecentorum annorum usque ad hunc diem„. Idem Sulaka in professione fidei, quam Romae anno sequenti emisit: „Veneramur quoque, ait, et exaltamus atque laudamus ecclesiam Romanam, et caput eius Papam sanctum, atque omnes proles ipsius benedictas. Nam ita habetur in libris nostris [2]) quod sacerdotium nostrum ex ista ecclesia Romana sit, ac propterea venimus ad accipiendum fermentum a vobis, sicut scriptum est in epistola nostra.„ Quibus haec addit: „Elias patriarcha in epistola ad Paulum quintum[3]) scribens: „Sedes

A sede romana ecclesiarum institutio.

nostra babylonica non ex se electa est, sicut aliorum haereticorum, qui sine lege [4]) multiplicaverunt patriarchas in mundo, sine sede magnae ecclesiae Romae; sed ex praecepto Papae et ex consilio ecclesiae Romanae electa est sedes Babylonis, et ita spriptum invenitur apud nos in annalibus [5]); quod videlicet patres orientales Romae ordinabantur... Propter hoc vocata est sedes Babylonis quinta, propter quatuor sedes quatuor evangelistarum, et

Romana orientalium confirmatio.

ex eo, quod electus est patriarcha cum confirmatione [6]) Romana, et dedit nobis facultatem, ut constituamus pastores, tunc vocata est sedes Babylonis, quae quatuor comitatur sedes etc.„ Quidquid autem sit, concludit Assemanus, de traditionis istius popularis veritate, inde tamen conficitur sententia et fides Chaldaeorum ac

---

[1]) Data anno 1552. apud Andr. Masium p. 265.

[2]) Rem ergo vulgatam ac prius receptam, non vero primum inventam fictamque tradit.

[3]) Apud Strozzam in lib. de dogmat. chaldaeor. prolegom. p. 6.

[4]) Lex porro erat, ut a prima sede romana omnium institutio ecclesiarum penderet.

[5]) Doctrina igitur patriarchalis, quam exhibet, non erat nova neque ex propensione in praesentiarum excogitata, sed vetusta ac tradita.

[6]) Unde orientalium episcoporum confirmatio per summum pontificem explorata res erat. Idem certum dicit et probat Deusdedit cardinal. con. invasor. l. I. nn. 1. sqq. ap. Mai N. PP. B. t. VII. p. III. pp. 77. sqq.

Nestorianorum circa ecclesiae Romanae primatum; unde nescio, quo spiritu, nisi daemonis, ducti patriarchae suo seleuciensi primatialem dignitatem in toto orbe asserant et a Romani episcopi obedientia deficiant„.

83. Sed enimvero ita comparatum natura est, ut qui a veritate ontologica defecerit, a veritate logica deficere pariter cogatur. *Error logicus ex vitio ontologico.* Quare quum Nestorii vindices a plenitudine veritatis in ordine ontologico defecissent, cohaerere sibi logice diu amplius non valebant de reliquis fidei capitibus et nominatim de eo, quod ad catholicae unitatis in fide principium refertur. Hinc adacti prope necessitate, uti proprium sibi Christum fecerant, proprium quoque sibi sui Christi vicarium constituebant, eandem potestatem Babylonis vindicantes episcopo, quam Petrus morte et sanguine suo Romae addixerat. Insignis tamen contestatio illa ex ore [1]) inimicorum eorundemque orientalium tum de romano inter patriarchas universalis ecclesiae principatu, tum de huius doctrinae antiquitate, constantia et communitate ad rem abunde sufficeret, nisi dignum, quo prolixam hanc, sed fructibus nisi fallar omnino plenam, disputationem absolveremus, lateranensis concilii foret decretum, in *Concil. lateran.* quod ad unionem ineundam cum occidentalibus orientales studio et opera excelsi atque invicti Innocentii tertii [2]) convenere: scilicet „Antiqua patriarchalium sedium privilegia renovantes sacra universali synodo approbante sancimus, ut post Romanam ecclesiam, quae disponente Domino super omnes alias ordinariae potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christi fidelium et magistra, Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtineant, servata cuilibet propria dignitate, ita quod postquam eorum antistites a Romano Pontifice receperint pallium [3]) quod est plenitudinis officii pontificalis insigne, praestito sibi fidelitatis et obedientiae iuramento, licenter et ipsi suis suffraganeis pallium largiantur, recipientes pro se professionem canonicam et pro Romana ecclesia sponsionem obedientiae ab eisdem„.

---

[1]) Est enim vetustum hoc argumenti genus, de quo Novatian. de Trinitat. *Novatian.* c. XXIII. al. XVIII. „Hoc in loco licebit mihi argumenta etiam ex aliorum haereticorum parte conquirere. Firmum est genus probationis, quod etiam ab *Argumenti ab haereticis valor.* adversario sumitur, ut veritas etiam ab ipsis inimicis veritatis probetur.„ Quibus cf. Hilar. de Trinit. l. VII. n. 4.

[2]) Conc. lat. IV. cap. 5.

[3]) De pallio veluti symbolo iurisdict. archiepiscop. cf. G. Phillips iur. eccles. t. VI. §. 352. pp. 838. sqq.

CAPUT IV.

De indole atque ratione πολιτείας ecclesiae unitatisque romanae.

84. Adducto, ut fecimus, hierarchico universo episcoporum ordine ad fastigium [1]) ac caput suum, manifestum fit, graduum omnium veluti recapitulationem ac summam in romano pontifice non splendescere minus, quam ab eodem illi maxime pendeant.

I. Indoles et praerogativa romanae ecclesiae.

85. Sane, habet ille non secus ac reliqui episcopi simplices suam dioecesim sive ecclesiam suam localem, quam regit et pascit: habet non secus ac reliqui metropolitae determinatam suam provinciam, cuius episcopis praesidet: habet, ut [2]) alia membra praetermittamus, suum patriarchatum, qui plagam occidentis universam complectitur: sed tandem habet idem principatum supremum, cui ipsi patriarchae reliqui omnes subiiciuntur. Ipse igitur est, qui moderando temperandoque omnes rectores moderatur ac temperat itidem universos, qui ab illis gubernantur atque reguntur. Hoc autem eo vel magis praestantiusque etiam, quod ex praestitutis probatisque

Principatus romanae sedis mediatus.

I. praerogativa illius prae aliis non sit ecclesiasticae, sed originis immediate divinae: inde

II. potestas eius in alios non sit varia atque mutabilis, sed eadem semper suprema ac constans: adeoque

III. talis potestas non sit, qua inter pares ille primus exsistat, verum potestas propriae iurisdictionis, qua verus omnium princeps ac rector constituatur.

II. Sedis romanae principatus catholicus.

86. At a veritate aberraret omnino perfectamque ecclesiae πολιτείαν everteret, qui romano episcopo praeter istam mediatam, aliam nullam

---

Augustinus.

[1]) Ad rem Augustinus ad Bonifacium rom. eccles. ep. l. I. c. I. n. 2. opp. t. X. p 412. „Cum . . . communis sit omnibus nobis, qui fungimur episcopatus officio (quamvis ipse in ea praeemineas celsiore fastigio), specula pastoralis: facio quod possum pro mei particula muneris.„ Tribuit scilicet romano episcopo a) prae reliquis omnibus pastoralis speculae fastigium: et b) totam summam eiusdem muneris prae sua ac reliquorum muneris particula.

[2]) De his bene Hieron. a Benett. privil. rom. Pontif. par. II. t. IV. pp. 59. sqq. tum laudat. auth. inextinct. conc. trid. verit. l. c. coll. Christ. Lup. opp. t. V. pp. 358. sq.

principatus vim rationemque in universam Dei ecclesiam adsereret. Quum enim non modo ποιμεναρχὴς sit [1]) sed etiam ἀρχιποιμὴν, pastorum princeps ac princeps totius gregis pastor, neque episcopus tantum [2]) episcoporum, sed episcopus fidelium omnium, neque modo hierarcharum apex, sed etiam totius corporis caput; liquido patet, vim potestatemque ipsius regiminis ex se ac inmediate semet [3]) ad oves porrigere et agnos, ad membra spectare nobilia aeque ac ignobilia, ad credentium aeque magistros atque discipulos: et episcopum romanum vere esse episcopum ecclesiae catholicae quemadmodum ipso scribente [4]) sancto Cornelio rede-

---

[1]) Praeclare Turrian. l. c. pp. 285. 297. 299. 301. „Verus est ποιμενάρχης, pastorum princeps, cui primo ac soli Salvator dixit „pasce agnos et pasce oves meas:„ per quem propterea et secundum quem pascunt quicunque fidelium gregem in Domino pascunt: at vero identidem est ἀρχιποιμὴν, princeps pastor gregis, sed totius, non alicuius partis sive minoris sive maioris.„ Quo praeclare faciunt haec Hadriani verba ex ep. dogmat. ad Taras. lecta in nicaen. oecumenico concilio act. II. ap. Harduin. t. IV. p. 102. „Cuius sedes (secundum Christi oraculum Matth. XVI. quod Hadrianus commemoraverat) in omnem terrarum orbem primatum tenens effulget et caput omnium ecclesiarum Dei consistit. Unde idem beatus Petrus Apostolus Domini praecepto pascens ecclesiam nihil dissolutum dimisit, sed tenuit semper et retinet principatum.„ *Ποιμενάρχης. Ἀρχιποιμήν. Hadrian I. Nicaen. II.*

[2]) Atque ita romanus episcopus vere est, quod iam a Tertulliano eoque hostili nominabatur l. de pudicit. episcopus, inquam, episcoporum: ad quem locum vide sis Rigaltium et Pamelium; vocatos autem ita alios quoque nonnunquam episcopos et vel ipsos imperatores fuisse, legitur apud Routh. reliq. sac. vol. III. p. 188. verum inproprie aliove plane sensu id frequentatum esse, nemo est qui non intelligat. *Tertullian.*

[3]) Aberraret itaque a veritate totus, qui arbitraretur 1. romanum episcopum non aliter esse ecclesiae caput, nisi quatenus est primus inter hierarchas: neque eundem 2. aliter ad gregem universum referri, nisi per illos ipsos hierarchas: neque etiam 3. ad singulos illum hierarchas referri nisi per gradus medios ac interiectos: neque aliter tandem 4. vocari illum et esse universalem ecclesiae episcopum atque pastorem, nisi mediate. Audiatur doctor et magister quavis exceptione maior Leo M. qui in serm. V. al. IV. de natal. ipsius II. ita loquitur: „Quae conditio si omnes sacerdotes generaliter tenet, quanto magis nos et onerat et obstringit, quibus ipsa suscepti operis magnitudo creberrima est offensionis occasio. Quamvis enim singuli quique pastores speciali sollicitudine gregibus suis praesint, sciantque se pro commissis sibi ovibus reddituros esse rationem, nobis tamen cum omnibus cura communis est, neque cuiusquam administratio non nostri laboris est portio: ut dum ad beati Apostoli Petri sedem ex toto orbe concurritur, et illa universalis ecclesiae a Domino eidem commendata dilectio etiam ex nostra dispensatione deposcitur; tanto amplius nobis instare oneris sentiamus, quanto cunctis maiora debemus.„ Sed haec tum lib. sup. tum vindicata habes in ss. D. N. Pii P. VI. respons. ad metropolit. moguntin. trevirens. coloniens. et salisburgens. super nunciaturis apostolicis. Romae 1789. *Capita falsa reiiciuntur. Leo M. Pius VI.*

[4]) Ep. alt. ad Cyprian. ap. Routh. reliq. sac. vol. III. p. 19. coll. ep. ad Fab. antioch. ib. p. 23. de qua quod ad significationem ecclesiae catholicae attinet superius adnotatum fuit.

Cornel. pap. untes a novatiano schismate unanimi voce clamabant: „Nos Cornelium episcopum sanctissimae catholicae ecclesiae electum a Deo omnipotente et Christo Domino nostro scimus. Nos errorem nostrum confitemur. Imposturam passi sumus. Circumventi sumus perfidiae loquacitate captiosa. Nam etsi videbamur quasi quandam communicationem cum schismatico et haeretico homine habuisse, sincera tamen mens nostra semper in ecclesia fuit. Nec enim ignoramus, unum [1]) Deum esse et unum Christum esse Dominum, quem confessi sumus, unum Spiritum sanctum, unum episcopum in catholica ecclesia esse debere„: scilicet ut una sit universalis ecclesia, unus tantum oportet episcopus supremus omnium et universalis, adeoque catholicus sit, qui non est nisi episcopus romanae ecclesiae.

1. Regimen universale bifariam.

87. Qua in re primum confundi duo haec non debent: scilicet aliud esse, ad regimen subditorum fidelium adhibere rectores subordinatos eosque divinitus statutos ac volitos, seu ministerii adiutores habere eorumque ope rem universam administrare; et aliud esse, rectoris supremi potestatem per se ad ipsos subditos inmediate non spectare, verum mediate tantum ad illos attinere et attingere per adiutores atque ministros: rursum aliud esse, potestatem habere universalem et apud omnes, et aliud est apud omnes facere per se omnia exclusis pro suo gradu et loco obnoxiis gregis rectoribus, sive ii patriarchae sint, sive metropolitae, sive episcopi. Atqui locum habet utrumque in romano totius ecclesiae regimine.

2. Oecumenicae ecclesiae episcopus.

88. Id quod significasse dicendi sunt vel ipsi romani pontifices, qui quemadmodum nomen episcopi oecumenicae ecclesiae ferrent, ita oecumenici appositum non modo de constantinopolitano sed etiam de romano episcopo usurpatum reprehenderent. Atque huc Gregor. M. faciunt ante omnia Gregorii illa magni ad Eulogium alexandrinum [2]) scribentis: „Indicare quoque vestra beatitudo studuit,

---

Cyprian. M. [1]) His gemina habet b. Cyprianus ep. 40. al. 43. ad plebem suam: „Deus unus est, et Christus unus et una ecclesia, et una cathedra supra Petrum voce Domini fundata.„ Unde non aliter dicitur episcopus romanus unus catholicae ecclesiae episcopus, ac cathedra Petri una perhibetur et una ecclesia.

[2]) Ep. XXX. epp. l. VIII. indict. I. ap. Mign. lat. PP. t. 77. quibus gemina sunt in litteris datis ad Mauricium Augustum et Constantinam Augustam

iam se quibusdam non scribere superba vocabula, quae ex vanitatis radice prodierunt, et mihi loquitur dicens: Sicut iussistis. Quod verbum iussionis peto a meo auditu removere, quia scio, qui sum, qui estis. Loco enim mihi fratres estis, moribus patres. Non ergo [1]) iussi, sed quae utilia visa sunt indicare curavi. Non tamen invenio vestram beatitudinem hoc ipsum, quod memoriae vestrae intuli, perfecte retinere voluisse. Nam dixi, nec mihi vos nec cuiquam alteri tale aliquid scribere debere; et ecce, in praefatione epistolae, quam ad me ipsum qui prohibui direxistis, superbae appellationis verbum, universalem me papam dicentes, imprimere curastis. Quod peto dulcissima mihi sanctitas vestra ultra non faciat, quia vobis subtrahitur, quod alteri plus quam ratio exigit praebetur. Ego enim non verbis quaero prosperari, sed moribus. Nec honorem esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus namque honor est [2]) honor universalis ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tunc ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur. Si enim universalem me papam vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse [3]) quod me fatetur universum. Sed absit hoc. Recedant verba quae vanitatem inflant et caritatem vulnerant„. Et tamen

---

epp. l. V. indict. 13. epp. 20. 21. l. VII. indict. 15. ep. 27. ad Anastas. l. IX. indict. 2. ep. 68. ap. Mign. opp. Gregor. t. III. et ibid. ep. 43. ad Eulog. et Anastas. p. 774. A—B. „Si enim, inquit, hoc dici licenter permittitur, honor patriarcharum omnium negatur. Et cum fortasse is in errore perit, qui universalis dicitur, nullus iam episcopus remansisse in statu veritatis invenitur.„

[1]) Quanta haec a pontifice vere magno modestia sinceraque humilitate *Romana modestia.* dictata fuerint, nemo est, qui non sentiat. Animadverti hoc ab illis deberet, qui romanam sedem dominatus accusant et ambitionis: ita nimirum a Gregorio pontificiae sedis iura vindicari, ut statutus reliquorum praesulum ordo non perturbetur, et tantum vanae praetensionis aequivocos honoris titulos repelli, quantum divinitus collatae potestatis iura adserantur. Atqui non alia ac ipse sui successores sibi potestatis iura ac privilegia adrogarunt. Cf. quae porro subiiciemus.

[2]) Nimirum quia ipsius ecclesia erat ecclesia universalis, non secus ac constantinopolitani episcopi honor est constantinopolitana ecclesia. Declarat ergo Gregorius aperte ac profitetur, se papam esse et episcopum totius ecclesiae, adeoque se habere primatum in reliquos episcopos, quorum cuique, ut Cyprianus scribit, portio gregis adscripta sit.

[3]) Receptum legitur ap. Gratian. decret. p. I. dist. 99. c. 3. „Universalis *Gratian.* autem nec etiam romanus pontifex appelletur. Unde Pelagius II. epist. omnibus episcopis illicite a Joanne constantinop. convocatis etc. c. 4. Nec etiam romanus pontifex universalis est appellandus. Nullus patriarcharum universalitatis vocabulo unquam utatur, quia, si unus patriarcha universalis dicitur, patriarcharum nomen ceteris derogatur. Sed absit hoc, absit a fidelis cuiusquam mente, hoc sibi

compertum probe Gregorio erat, praedicationem „oecumenici„ ab universali concilio delatam romano episcopo fuisse; pergit namque:

Synod. chalced. „Et quidem in sancta chalcedonensi synodo, atque post a subsequentibus patribus hoc decessoribus meis oblatum vestra sanctitas novit. Sed tamen nullus eorum uti hoc unquam [1]) vocabulo voluit, ut dum in hoc mundo honorem sacerdotum [2]) diligerent omnium, apud omnipotentem Deum custodirent [3]) suum„.

3. Exceptiones tolluntur.

89. Qua doctrina, quae veritatis plenitudine romanaeque sapientiae cumulata est, frangitur orientalium aeque *σχισματικῶν* ac *σχισματιζόντων* occidentalium levis exceptio, quasi cum adserta romani pontificis in universam ecclesiam potestate eademque inmediatae iurisdictionis, quam vocant, consistere pastoralis reliquorum cura episcoporum, variis distinctorum regiminis gradibus, non posset. Itane vero? Acsi regis regiique [4]) vicarii in omnem subditorum populum potestas cum *ὑπάρχοις* ac ministris, varietate dignitatis officiique distinctis, non valeret consistere? Atqui declarat Gregorius

---

velle quempiam arripere, unde honorem fratrum suorum imminuere ex quantulacumque parte videatur. Quapropter caritas vestra neminem unquam suis in epistolis universalem nominet, ne sibi debitum subtrahat, quum alteri honorem defert indebitum.„ Quibus c. 5. subduntur Gregorii M. ad Eulog. al. conferenda insuper eiusdem Gregorii ep. ad Joan. episc. ep. l. V. epp. 18. et epist. 43. ad Eulog. et Anastas. episcopos l. IX. indict. 2. ep. 68.

[1]) Vocabulum „universalis„ appositum episcopo significare posset, non esse alium in ecclesia episcopum: haud secus ac si aliquis diceretur homo universalis, significari videretur, hunc esse omnem in mundo hominem.

[2]) Simillima leguntur epp. l. V. indict. 13. ep. 43. ad Eulog. et Anastas. apud Mign. l. c. p. 771. Huc facit Christ. Lup. ad can. II. dictat. Gregor. VII. opp. t. III. pp. 167. sqq.

Gregor. M. [3]) Honorem hunc, quem suum dicit, suum non esse, quatenus Gregorii nomen sed quatenus Petri personam praeferret, litteris explicat beatissimus papa ad Constantinam Augustam datis, quae sunt l. IV. indict. 13. ep. 21. ap. Mign. l. c. epp. Gregor. t. III. p. 749. Atqui ibidem p. 854. epp. l. VII. indict. 15. ep. 4. ad Cyriacum episcopum vocat Petrum simpliciter „pastorem sanctae ecclesiae„ cui Dominus dixit: Simon Joannis, amas me? Pasce oves meas„: quemadmodum p. 1005. epp. l. IX. indict. 2. ep. 68. ad Euseb. thessalon. eiusdemque provinciae episcopos scribit: „Ita ergo fraternitas vestra agat, ut quum pastor pastorum in iudicio venerit, de loco regiminis, quem accepit, reatum habere non possit.„

Divina regiminis ecclesiastici basis. [4]) Et sane iure divino est diciturque romanus episcopus vicarius regis Christi in terris. Similiter autem divino iure exsistunt episcopi et ii quidem antistiti romano obnoxii. Haec est inmutabilis basis atque fundamentalis constitutio regiminis ecclesiastici, quod ab ecclesiae originibus exstitit, variis explicatum iurisdictionis episcopalis gra-

1. custodire se honorem Petri, qui principatu totius ecclesiae [1]) continetur: ita tamen

2. ut suus sacerdotum [2]) cuique honor servetur: hinc

---

dibus exsistere perrexit et continuandum exsistet, usque dum regnum Christi in terris commutabitur cum aeterno illius regno in coelis. Ferendum igitur non est, quod universe aliqui affirmant, regiminis formam, quae in ecclesia obtinet, nulli divinae basi inniti, sed esse potius fructum explicationis e variis natum adiunctis temporum rerumque humanarum causis. Ita arbitratur Ludov. Ellies du Pin. dissertat. I. circa antiq. eccles. disciplin. eoque spectant quae leguntur ap. Dr. Gitzler. praefat. de iure ecclesiastico catholicor. et evangelicor. in Borussia et ii de quibus Pii VI. resposio l. s. c. *Pius VI.*

[1]) Idipsum declaravit Nicolaus I. ad Michael. ep. 8. „Privilegia, inquit, illius (romanae) sedis vel ecclesiae perpetua sunt divinitus radicata atque plantata sunt. Impingi possunt, transferri non possunt; trahi possunt, evelli non possunt „ Et quum regina Franciae significasset, Carolum calvum apostolicae sedis iura inpetiturum, nisi votorum compos suorum fieret ep. 36. idem Nicolaus respondit: „Nos certissime credimus, quia privilegia s. rom. ecclesiae nullum possint sustinere detrimentum, nec plantatio, quam coelestis Pater noster plantavit, eradicari, nec fundamenta, quae summus posuit architectus, queunt quibuslibet fluctuationibus amoveri.„ Sed uti haec continua documentorum romanorum serie protendi possent, ita haec ad rem abunde sufficiunt. *Nicolaus I.*

[2]) His conferas, quaeso, disertas Gregorii verba epp. l. V. indict. 13. ad Eulogium et Anastasium episcopos ep. 43. l. c. p. 771. A.—B. „Humilitatem teneamus in mente et tamen ordinis nostri dignitatem servemus in honore, quatenus nec in nobis humilitas timida nec erectio sit superba.„ Scilicet absit utrimque et erectio contra legitimum potestatis fontem auctoritatemque superiorem et timida demissio et abiectio dignitatis ecclesiasticae infra alienam saecularemque potestatem. Quare si qui forent adeo aut inbecilles aut perfidi, ut inmunes a romano ecclesiae principatu nationales quas vocant cum suis primatibus ecclesias exoptarent, haec vellem perpenderent diligenter, quae contra author. tract. de eccles. gallic. libert. laudatus auth. de inextinct. conc. trid. verit. a. III. disq. 9. §. 4. n. 60. egregie animadvertit:„ Verisimilior esset timendi ratio episcopis ipsis gallicanis, si quando in principem aequitatis et religionis minus amantem, ac in archiepiscopum urbis regiae ambitiosum et regis studio atque authoritate fultum inciderent, ne instituto patriarchatu libertate canonica et magna propriae dignitatis parte privarentur. Unde enim orta est episcoporum, metropolitanorum, exarchorum ac denique patriarcharum orientalium depressio, nisi ab episcopis constantinopolitanis ambitionis aestro percitis et imperatorum potentia armatis? A quibus etiam deinde totus oriens in schisma et demum in haeresim attractus est, homines scilicet carnales, dignitates ecclesiasticas ex urbium amplitudine ac principum illic commorantium maiestate, non ex Apostolorum vel ecclesiae primaria dispositione metientes putarunt, sicut civitates regiae ceteris praeeminent, ita qui in eis sedent praesules coepiscopis posse dominari. Qua in re ipsimet coepiscopi eorum apud principem gratiam modo metuentes modo implorantes propriae servituti colla partim sponte partim inviti submiserunt.„ Ad stuporem omnia: enimvero sole clarius est, et quanta sit pro servanda episcopali ipsa dignitate necessitas romani primatus eiusdemque nullis obnoxii saecularibus potentiis, et unde tantus furor principis huius mundi, ut ad arripiendum plenum de hominibus imperium evellat illum atque destruat.

Gregor. M. *Ecclesiae nationales.*

3. depellit a se nomen universalis papae, ne alii episcopi a potestate consortii in regenda ecclesia removeantur: atque adeo

4. pontifex romanus tantum abest [1]), ut aliorum pastorum legitimam potestatem evellat, ut illam tueatur ac vindicet.

Oecumenici titulus. 90. Id vero mireris: videlicet unde deinceps „universalis potestatis„ veritas ac res eidem romano antistiti fuit denegata, ab orientali, inquam, ecclesiae plaga, inde ortum titulum ac nomen „universalis„ oblatumque romano praesuli olim fuisse. Etenim audiente chalcedonensi concilio [2]) et probante non semel, sed quater saltem legitur tributa magno Leoni appellatio „oecumenici archiepiscopi et patriarchae magnae Romae„: uti Domnus cum Agathone pontifice „papa universalis„ vocatur in tertio concilio constantinopolitano ab imperatore Constantino Pogonato. Et rursum mireris, ab iis ipsis „universalis„ titulum, qui uni Christo a se

---

Episcop. iura tuetur. [1]) Huc faciunt pariter magni Gregorii l. c. epp. l. V. indict. XIII. ep. 18. ad Joannem episcopum. Id quod exploratis historiae documentis confirmatur, quibus constat, quoties metropolitanis debita a suffraganeis denegaretur obedientia, toties recurrisse illos ad romanum pontificem. Speciminis ergo sit ep. Joannis *Joan. XIII.* XIII. ad episcopos Britaniae de Arduino turon. archiep. qui „veniens, inquit, ad Apostolorum limina Romam oratum interpellavit nos, quod iura sui archiepiscopatus, quae ab antiquis temporibus per decreta sanctorum pontificum sanctae Romanae Matris ecclesiae suis praedecessoribus concessa et confirmata fuerunt, a vestro archiepiscopo sublata videntur„: et aliud specimen praebet vel ipse Hincmar. rhem. qui contra romanum principatum haud semel recalcitrans ad suam tamen *Concil. suess.* porro dignitatem tuendam, ut est in actis concil. suession. II. an. 853. p. III. „Porrexit etiam epistolam totius Galliae episcoporum manibus superscriptam ad Apostolicam sedem pro confirmatione ipsius ordinationis.„

Orientales. [2]) Apud Harduin. collect. concil. tom. II. pp. 322. sqq. Theodorus et Ischyrion, diaconi alexandrini, Athanasius alexandrinus presbyter nec non Sophronius christianus libellos offerunt *τῷ ἁγιωτάτῳ καὶ μακαριωτάτῳ οἰκουμενικῷ ἀρχιεπισκόπῳ καὶ πατριάρχῃ Λέοντι:* et ibidem pp. 1204. 1395. in concil. constant. sub Mena 536. celebrato vocatur act. I. Agapitus oecumenicus patriarcha et act. V. eodem apposito se communit Mena, tum ut ab aliis adferendis abstineamus ap. Hard. l. c. t. III. p. 1044. concil. VI. oecumen. itemque constantinopol. III. auspicatur divali sacra *ἐν ὀνόματι τοῦ κυρίου καὶ δεσπότου Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν, αὐτοκράτωρ Φλάβιος Κωνσταντῖνος, πιστὸς, μέγας βασιλεύς. Σάκρα Δόμνῳ τῷ ἁγιωτάτῳ καὶ μακαριωτάτῳ ἀρχιεπισκόπῳ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, καὶ οἰκουμενικῷ πάπᾳ:* „In nomine Domini Salvatoris nostri Jesu Christi, imperator Flavius Constantinus, fidelis, magnus imperator. Sacra Domno sanctissimo archiepiscopo antiquae nostrae Romae et universali *Gregor. VII.* papae.„ Cs. insuper Christ. Lup. l. c. schol. in can. Gregor. VII. „Quod solus Romanus Pontifex iure dicitur Universalis.„ De quo cf. sequentia.

proprius[1]) sit, adsumptum fuisse [2]) a quibus romano epicopo vis ac nomen capitis ecclesiae universalis propterea detrahitur [3]) apprime, quod soli Christo capitis ratio conveniat. Atqui priori illa appellatione repudiata romani pontifices hoc alterum nomen vindicantes iure gerebant, quia rei significatae veritatem exprimit, qua romanus pontifex suprema potestate episcopali non particularem tantum dioecesim vel provinciam, sed ecclesiam universalem gubernat.

91. Quapropter in chalcedonensi concilio haec est subscriptio quae primo legitur: „Paschasinus episcopus Lilybetanae, vicarius beatissimae atque apostolicae universalis [4]) ecclesiae papae urbis Romae Leonis, sanctae synodo praesidens, in Dioscori damnatione consensu universalis concilii subscripsi.„ Ubi non aliter concilium dicitur universale ac universalis [5]) dicitur ecclesia, cuius *Concil. chalced.*

---

[1]) Est enim Christus immortalis et invisibilis I. Pet. II. 25. Hebr. XIII. 17. solus episcopus animarum nostrarum, id est omnium, adeoque solus ipse est episcopus universalis. Quod iterum Gregorius l. c. p. 773. C—D. ep. 43. ad Eulog. et Anastas. significat scribens: „Vestrae autem beatitudini indicet omnipotens Deus, quam gravi considerationis huius gemitu torqueor, quod ille quondam mihi modestissimus, ille omnibus dilectus, ille qui in eleemosynis, orationibus atque ieiuniis videbatur occupatus, ex eo in quo sedebat cinere, ex ea quam praedicabat humilitate, iactantiam sumpsit: ita ut universa sibi tentet adscribere, et omnia quae soli uni capiti cohaerent, videlicet Christo, per elationem pompatici sermonis eiusdem Christi sibi suadeat membra subiugare.„ Coll. Greg. ad Mauric. August. epp. l. VII. indict. 15. ep. 13. *Gregor. M.*

[2]) In ipsa professione fidei, quam metropolitae in sua ordinatione emittebant, pollicebantur obedientiam *τῷ ἁγιωτάτῳ καὶ οἰκουμενικῷ πατριάρχῃ*: cf. Habert. lib. pontific. p. 496.

[3]) Scilicet „ut ea, inquit Habert lib. pontifical. eccles. graec. ad profess. fid. observat. IV. p. 505. quae iusto nomine sibi debita sunt modestia plerumque respuit et aversatur: ita quae sibi sunt indebita prosequitur et rapit ambitio.„ *Habert.*

[4]) Neque etiam ipse Leo ad Marcian. August. ep. 64. titulum sibi „universalis„ sumpsisse, sed scripsisse legitur: „Leo episcopus romanae et universalis ecclesiae Marciano Augusto.„ Vide Habert l. c. Sed quid inter utrumque illud, nimirum inter episcopum universalem ecclesiae, et episcopum ecclesiae universalis intersit, obscurum non est. Neque obscurum est, praepostere a Turrettino loc. XVIII. q. 17. §. 23. affirmari „testimonia Patrum, quibus interdum vocant Petrum caput et principem Apostolorum, non intelligi ratione oecumenici pontificatus vel monarchiae, sed ratione primatus ordinis et dignitatis, sive propter dotes quibus prae ceteris eminebat, quo sensu II. Cor. XI. Apostolus vocat quosdam *τοὺς ὑπὲρ λίαν ἀποστόλους* et alibi Gal. II. *στύλους*.„ At quo sensu Petrus in Scripturis princeps perhibetur et caput universalis ecclesiae, libro superiori patefecimus; qua vero potestate successores illius pariter in universam ecclesiam polleant, quae nunc exponuntur abunde demonstrant quaeque leguntur Pii VI. respon. l. c. c. VIII. *Discrimen inter universalem ecclesiae episcopum et episcopum ecclesiae universalis.* *Turrettin.*

[5]) Ut invidiam ex invecta per Joannem cognomento *νηστευτοῦ* adsumptaque porro „universalis„ appellatione constantinopolitani declinarent, hac utebantur *παρερμηνείᾳ*, quam Anastasius bibliothecarius ad Joannem VIII. P. M. ap.

episcopus est ac vocatur papa romanus. Quare episcopi romani *πρεσβεῖον*, ut iuxta nicaenos patres loquamur, universa ecclesia est per orbem diffusa, cui unus ille praesidet veluti paterfamilias, quem Christus domui suae, quae est una ecclesia catholica, prae-

---

Anastas. bibliothecar. Harduin. coll. conc. t. IV. p. 20. praefat. in VII. synodum ita perorando exponit: „In eo sane, quo frequenter universalem (oecumenicum) in hac (VII.) synodo graeci patriarcham suum inconvenienter appellant, apostolatus vester adulationi veniam det, saepe praelatis suis non sine reprehensione placere studentium. Verum cum *Graecorum interpretatio.* apud Constantinopolim positus frequenter graecos super hoc vocabulo reprehenderem, et fastus et arrogantiae redarguerem; asserebant, quod non ideo oecumenicum, quem multi universalem interpretati sunt, dicerent patriarcham, quod universi orbis teneat praesulatum; sed quod cuidam parti praesit orbis, quae a christianis inhabitatur. Nam quod graeci oecumenem vocant, a latinis non solum orbis, a cuius universitate universalis appellatur, verum etiam habitatio, vel locus habitabilis nuncupatur.„ Illusoriam hanc istius vocis acceptionem doctissimus *Cariophylus.* reprobat Cariophylus in antirrhesi seu confutatione Nili thessalonicensis: *Ὃ γάρ φησιν ὁ βιβλιοφύλαξ Ἀναστάσιος παρὰ τῶν ἐν Κωνσταντίνου πόλει προφερόμενον εἰς ἀπολογίαν· ὅτι οὐχ οὕτως οἰκουμενικὸς ὁ Κωνσταντίνου πόλεως, ὡς εἶναι τῆς καθόλου πρόεδρος ἐκκλησίας, ἀλλ᾽ ὅτι μέρους τινὸς ὃ παρὰ χριστιανῶν οἰκούμενον οἰκουμένη καλλεῖται· τοῦτό φημι τὸ πλεύρημα παιζόντων ἂν εἴη τὰ θεῖα οὐ σπουδαζόντων· οὐχ οὕτως ἐξέλαβον τὴν φωνὴν οἱ πολλὰ κατ᾽ ἐκείνης ἀθλήσαντες ἀρχιερεῖς τῆς Ῥώμης Πελάγιος καὶ Γρηγόριος ὁ Διάλογος οὐδ᾽ ἑρμήνευσαν οὕτως οἱ τὴν φωνὴν ταύτην πρῶτοι ἐφαρπάσαντες πατριάρχαι Ἰωάννης νηστευτὴς καὶ Κυριακὸς, τὴν βεβηλὸν φωνὴν, εἰς ὕβριν τῆς ἐκκλησίας, μεγάλων ἀφορμὴν σκανδάλων, ἀλαζωνείας μεστὴν, τοῦ ἀντιχριστοῦ πρόδρομον, ἀπώλειαν τῆς πίστεως, ἀνοσίαν ἀντιλέγουσαν τῷ εὐαγγελίῳ καὶ τοῖς ἱεροῖς κανόσιν, ἀλλοτρίωσιν τῆς πίστεως καὶ οἰκείωσιν αἱρέσεως, φησὶν ἐν τῇ δευτέρᾳ πράξει τῆς ἑβδόμης συνόδου ὁ πάπας Ἀδριανός:* „Quod enim refert Anastasius bibliothecarius responderi in sui defensionem a graecis: quod non ita vocetur oecumenicus constantinopolitanus, ut universi orbis teneat praesulatum, sed quod cuidam orbis parti praesit, quae a christianis inhabitata vocatur oecumene: hoc, inquam, inventum non serio agentium, sed ludentium est in divinis rebus. Non ita vocem hanc intellexerunt, qui contra eam acerrime invecti sunt romani pontifices Pelagius et Gregorius a dialogis cognominatus: nec ita sunt interpretati, qui primi hunc sibi titulum arrogarunt patriarchae Joannes ieiunator et Cyriacus, vocem illam profanam, ecclesiae contumeliosam, magnorum originem scandalorum, plenam superbiae, antichristi viam parantem, eversivam fidei, impietatem contrariam evangelio et sacris canonibus, qua, ut est ap. Harduin. t. IV. p. 94. Hadrianus papa in suis ad imperatores litteris, ait, act. II. synod. VII. fides evellitur et haeresis inducitur.„ Scilicet quum omni *Adhibitae fraudes.* studio orientales conniterentur, ut nova Roma antiquam nisi vinceret saltem aequaret, communitatem quoque nominis ac tituli ambiebant, ad quem tuendum non parcebant interpretamentis, sed neque muneribus; ut enim histor. l. IV. c. 1. *Glaber.* narrat Glaber: „Circa annum Domini millesimum vicesimum quartum constantinopolitanus praesul (Sergius Damascenus) cum suo principe Basilio aliique nonnulli graecorum consilium iniere, quatenus cum consensu romani pontificis (Joannis XX.) liceret ecclesiam cp. in suo orbe sicut Roma in universo universalem dici et

fecit voluitque, ut ab eo ordo sacerdotalis inciperet et unitatis ecclesiasticae ipse esset [1]) origo.

92. Sed ad rem conficiendam nihil adferri illustrius potest, quam quod in responsione ad Metropolitanos, Moguntinum, Trevirensem, Coloniensem et Salisburgensem data Sanctissimus Dominus Papa Pius sextus exponendum curavit adversus opiniones exceptionesque maxime invectas a Marco Antonio de Dominis in opere [2]) *Pius VI.*

---

haberi: qui statim miserunt qui deferrent multa ac diversa donorum xenia Romam tam pontifici quam ceteris . . . Sed quid non pertentat caecus amor habendi? estque proverbium, aureo pugillo murum ferreum frangere etc. Sed nequaquam. Non enim potest falli summa veritas, quae spopondit: Portae inferi non praevalebunt adversus eam.„ Itaque nihil isti obtinuere sive fraude sive corruptione a sede, ad quam talia non habent accessum, quae adeo periculosae voci mansit infensa, quemadmodum manifestum est de Leone IX. qui non semel epistolis ad Michaelem patriarcham cp. datis conquestus est, quod is nec oblatum sibi a quoquam (sicut oblatum erat pontifici romano) nec concessum superstitiosum vocabulum tantae obstinationis contumacia per quadringentos iam et amplius annos usurpare non cessaret. Verum tanta fuit romanae sedis temperantia, ut cum in lugdunensi II. et florentino concilio res unionis ageretur, de oecumenici titulo nulla excitaretur disputatio, licet Josephus cp. patriarcha in posteriori concilio semet hoc titulo distingueret.

[1]) Conc. nicaen. VI. legimus: *Ὡμοίως δὲ καὶ κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις:* „Similiter autem (ac secundum morem romanum alexandrinus episcopus suam habeat potestatem) et apud Antiochiam ceterasque provincias suis privilegia serventur ecclesiis.„ Porro *πρεσβεύειν* II. Cor. V. 20. Eph. VI. 20. significat „legatione fungi„: ideoque *ἡ πρεσβεία* est idem ac legatio pro Christo obeunda, et *πρεσβεῖον* idem ac locus seu campus ubi legatio obitur, non secus ac *διδασκαλία* et *διδασκαλεῖον* doctrinam et scholam denotant. Quum vero non quilibet *πρεσβὺς* sit Apostolus, qui ubique legatione fungi possit; hinc est quod *πρεσβεῖον* idem sit ac provincia seu dioecesis determinata et adsignata. Quas provincias nicaeni intellexerint docet J. A. Blanchin. de polit. eccles. l. I. c. 2. vol. II. ed. taurin. 1857. pp. 149. sqq. *Πρεσβεῖον.*

[2]) Opus 1617. et 1622. in Anglia, in Germania 1658. editum „quo ausus est comminisci, esse ecclesiam reipublicae instar, et nihil aliud esse pontificem, nisi veluti quoddam ipsius caput, ministrum ac ducem, damnatum fuisse constat 1618. ab universitate Sorbonae teste M. Lovis Moveri in dictionar. histor. et per idem fere tempus a facultate theologica coloniensi. Haec enim cum a Ferdinando Coloniae electore atque archiepiscopo de ipsius sententia et iudicio fuerit rogata haec, inquimus, „libro evoluto et spiritu veritatis solemni ritu evocato„ declaravit „totum quidem illum veluti haereticum, schismaticum, scandalosum ac seditiosum abolendum et extirpandum:„ cf. Du Plessis in collect. iudicior. de novis errorib. t. III. p. II. Idem liber decreto diei 2. Decemb. 1617. fuit „a sancta sede damnatus reprobatusque a quo prodierat auctore. Is enim ex Anglia, quo confugerat, Romam reversus 1622. suos eiuravit errores veniamque sibi in publico consistorio deprecatus est; quamquam paullo post, ut homines solent huius generis et ingenii, non leves de sua dubia fide suspiciones ingesserit.„ Ita SS. D. N. Pii VI. respons. l. c. pp. 184. sqq. *Damnatur De Dominis.*

De republica ecclesiastica, et ab Edmundo Richerio in opere [1]) De potestate ecclesiastica et politica, et ab Josepho Valentino Eybel in opere [2]) Quid est Papa. Praestituto itaque ex Scripturis et Patribus [3]) dogmate de Petri eiusque successorum perenni primatu ita [4]) subiungitur: „Quinimo Patres et Concilia, tam ante quam post Gregorium M. inito veluti inter se foedere romanum pontificem certatim appellaverunt [5]) sacerdotem sacerdotum, patrem patrum, pastorem pastorum, episcopum episcoporum, et episcopum universalem [6]) ita ut facultas theologica Parisiensis anno 1413. erroris notam inusserit [7]) huic sententiae: Papa Romanus . . . non est episcopus universalis; eumdemque etiam nuncuparunt iudicem supremum, quippe qui specialiter claves [8]) regni coelorum et principatum iudiciariae potestatis obtinuit: dispensatorem cano-

---

Damnatur Richer.

[1]) Liber editus 1611. „fuit 1612. a concilio senonensi et aquensi pro haeretico habitus, teste Moreri l. c., et Romae damnatus decret. 10. Maii 1613. 2. Decemb. 1622. et 4. Maii 1709. ita ut auctor eiusdem in regum indignationem inciderit, et munere syndaci quod obibat fuerit a facultate parisiensi privatus, et duabus declarationibus 1620. et 1629. editis sua ipsa scripta damnarit ac reprobarit.„ Ita Moreri ib. l. c.

Damnatur Eybel.

[2]) Editus liber 1782. „audito vix nuncio vindobonensis itineris religionis causa a pontifice suscepti, eumque mox in alias linguas versum, et in graecam etiam vulgarem linguam translatum divulgari curarunt hostes apostolicae sedis: in quo temerario ausu iactatum et praedicatum est, quemlibet episcopum vocatum a Deo ad gubernationem ecclesiae non minus quam papam, nec minori praeditum esse potestate . . . voluisse Christum ecclesiam reipublicae more administrari: ei quidem regimini opus esse praeside pro bono unitatis, verum qui non audeat, se aliorum, qui simul regunt, negociis implicare; privilegium tamen habeat cohortandi ad sua implenda munia: vim primatus hac una praerogativa contineri supplendae aliorum negligentiae, prospiciendi conservationi unitatis hortationibus et exemplo: pontifices nihil posse in aliena dioecesi, praeter quam extraordinario casu.„ Liber . . . „fuit solemni ritu proscriptus„ constitutione diei 28. Novemb. 1786. quae incipit, Super soliditate: quae quidem proscriptio licet a perditissimis quibusdam hominibus malignius excepta, a bonis tamen fuit publice commendata ac docte copioseque vindicata.„ Ita ib. pp. 185. sq. Quo pertinet etiam card. Gerdil. op. De Rom. Pont.

[3]) Respons. sect. II. c. 8. pp. 188. sqq.

[4]) Ib. pp. 190. sqq.

[5]) Allegantur plura ex iis quae adducta fuerunt lib. sup. c. IV.

[6]) Allegantur acta conc. chalced. ap. Labb. t. IV. coll. 1267. 1274. 1282. 1290. 1335. conc. lat. 649. ib. t. VII. col. 98. et ib. col. 68. auct. libel. super exilio et morte Martini.

Nota Sorbon.

[7]) „Error, inquit facultas ap. Nat. Alex. h. e. saec. XV. et XVI. c. II. §. 3. ed. Par. t. 17. p. 177. temerarius, scandalosus, et totius ecclesiasticae hierarchiae confusivus.„

[8]) Beda die fest. ss. Apost. Petri et Pauli.

num, et Christi vicarium." Quibus ex sancto [1]) Bernardo probatis subditur: "Haec auctoritas pascendi cum clavium potestate coniuncta Petro peculiarem in modum attributa, sicut auctoritatem prae se fert in omnes fideles ordinariam atque immediatam, ita eamdem prae se fert auctoritatem ordinariam atque immediatam in omnes pastores, qui, quacunque demum praefulgeant dignitate, non solum non sunt pontifici pares, sed ita eius auctoritati subduntur, ut qui pastores appellantur et sunt, si populos respicias, ii si pontificem spectes, nonnisi ovium numero habeantur. Quae quidem oves iuxta divinae institutionis praescriptum debent a pontifice summo pabulum petere, et expectare eo prorsus modo, quo fideles omnes, qui agnorum nomine censentur, pastum ab eodem et alimenta praestolantur. Petro imperatum est, ait Bossuetius [2]) ut amore ceteros Apostolos antecelleret, mox ut cuncta gubernaret et pasceret omnes agnos et oves, filios et matres et ipsos quoque pastores: Pastores, inquam, si populi respiciantur, oves, si Petro comparentur. Unde recte est illud a Gersone [3]) animadversum, quod, quemadmodum episcopi in tota dioecesis parochiis suam iurisdictionem exercent, ita praestare idem possit summus pontifex in tota, qua late patet ecclesia, et in omnibus dioecesibus episcoporum. Quod divina verba patefecerant, quodque concors Patrum sententia prodiderat, id a conciliis quoque luculentissime definitum est; ea quippe summum agnoverunt, et coluerunt in romano pontifice primatum, seu principatum super universam ecclesiam, cumulum scilicet potestatis et ordinariae iurisdictionis super omnes et singulas catholici orbis dioeceses ad causas etiam definiendas, quae aut fidem respiciant aut negotia spectent ad ecclesiasticum forum pertinentia." Id quod illico in medium allatis plurium conciliorum ad rem idoneis documentis [4]) tam orientalibus quam occidentalibus demonstratur. Sed ut his nihil quod desideres ad claritatem deest, ita ad gravitatem auctoritatemque nihil quod addas relinquitur.

Bossuet.

Gerson.

---

[1]) De considerat. l. II. cc. 6. 8. quibus usi sumus lib. sup. l. c.
[2]) Ser. de unit. eccles.
[3]) De statu eccles. considerat. III. ed. Dupin. Antverp. 1706.
[4]) De his pariter exposuimus lib. sup. l. c.

III. Romanae παμβασιλείας oeconomia.

93. Sed ab his iam ad alterum ducimur, quod animadvertendum esse superius innuimus. Scilicet ad rationem oeconomiae ecclesiasticae a romano dependentis pontifice accuratius penitiusque percipiendam attendi ad duplicem ordinem debet, geneticum originis atque principii, et logicum cognitionis, contemplationis, investigationis: e quibus ille methodo[1]) respondet ἀναλύσεως et iste συνθέσεως. Posteriori via ad fastigium in romano situm episcopo ascendimus; sed ad hoc, ut eiusdem episcopi habitus tam ad singulos episcopos eosque variis gradibus hierarchicis distinctos, quam ad ecclesiam universam totamque huius πολιτείαν rite intelligatur, non iuverit modo sed necesse est, ordinem quem geneticum vocant considerasse, quo videlicet orta nataque est hierarcharum oeconomia ad gregem regendum universa.

Ineunda methodus.

1. Genetica ecclesiasticae politiae enarratio.

94. Confidit igitur Christus consignavitque Petro gregem suum et dedit eidem in totum hunc simpliciter potestatem, quae sua in successores propagatione haud secus aequaret gregis durationem et vitam, ac illius amplitudinem sua extensione aequabat. Noluit porro idem Salvator, ut singulae gregis portiones ab unico per se soloque principe illo potestatis possessore regerentur, sed voluit ut etiam per episcopos, qui in consortium regiminis consortiumque potestatis venirent: divinitus igitur institutum ordinatumque est, ut a Petri eiusque successorum plenitudine, quae est tam gregis quam potestatis plenitudo, derivaretur portio quaedam gregis potestatisque in alios episcopos. Sed potestatem ad partes regendas tribuendo curam partium gregis non perdit neque amittit, sed retinet, tuetur, atque exercet. Hinc autem sic:

1. totus grex est immediate romani [2]) episcopi. Ab eo vero

2. regendae partes illius committuntur tribuunturque particularibus pastoribus atque episcopis. Quare

3. potestas regendi pascendique adsignatam gregis partem a romano episcopo derivatur ac defluit. Sed regiminis εὐταξία fla-

---

[1]) De hac vide sis theses theol. ser. I. prolog. nn. 18. sqq. edit. 1862.

[2]) Propterea unus grex unitatem constituit romanam.

gitat, ut tot pastorum partiariorum series ordinata sit et alii aliis per gradus potestatis [1]) subordinentur. Ergo

4. varia iurisdictionis hierarchicae potestas ex plenitudine illa hierarchici fontis pariter ad singulos dimanat atque decurrit.

2. Politia ecclesiae originalis.

95. Tale est visibile Christi regnum in terris, idque secundum mentem [2]) τοῦ φιλοσόφου verissimi nominis παμβασιλεία, regnum inquam plenum eoque perfectius, quo domesticae administrationis ordinem amplius aemuletur. Atqui hoc voluit apprime institutor Deus, ut domus Dei esset ecclesia sua: quare unum dumtaxat voluit patremfamilias, a quo penderent filii omnes tam qui in regiminis magisteriique consortium advocarentur, quam qui in subditorum fidelium audientiumque simplicium ordine consisterent. Jamvero hanc παμβασιλείας formam atque respondentem πολιτείας rationem gubernatio universalis ecclesiae praetulit semper.

96. Eam praetulit profecto ecclesia illa originalis, quam ipse hominum Salvator collegit atque primum inter homines condidit. In

---

[1]) Hoc sane flagitant coelestia παραδείγματα, ad quorum μοναρχίαν expressa a Maioribus hierarchia terrestris perhibetur. Comparatur porro hierarchia ecclesiae cum angelica hierarchia, quando secundum Dionysium vulgo areopagitam de hierarch. eccles. sacerdotalis mystagogia imitatio sit hierarchiae coelestis. Sed multo illustrius illud exemplar est, quod Cyprianus ab ipsa ss. Trinitatis monarchia desumit de unitate ecclesiae adversus Novatianum schismaticum ep. 69. ad Magnum p. 295. ed. Fell. scribens: „Idcirco Dominus insinuans nobis unitatem de divina auctoritate venientem ponit et dicit: Ego et Pater unum sumus. Ad quam unitatem redigens ecclesiam suam denuo dixit: Et erit unus grex et unus pastor." Neque secus confessores a schismate Novatiano redeuntes: „Non ignoramus, unanimes clamant, unum Deum esse, quem confessi sumus, unum Spiritum s., unum episcopum in catholica ecclesia esse debere." Quibus plane alia consonant, quae petita ab Cornelio papa superius attulimus, tum omnino cum his conveniunt, quae scribit Symmachus papa: „Ad Trinitatis instar, cuius una est atque individua potestas, unum est per diversos antistites sacerdotium." De quibus vide sis Petav. diss. de eccles. hierarch. et Bolgeni dell episcopato et in defensione testimonii ex Symmacho.

Coelestia ecclesiasticae monarchiae paradigmata. *Dionys. ar.* *Cyprian.* *Symmachus pap.*

[2]) Aristot. de republ. l. III. παμβασιλείαν habet tanquam genus regni optimum et absolutissimum, in quo summa potestas cum optimis legibus penes unum est. E quibus apparet, monarchiam non dicere regimen arbitrarium vel tyrannicum, ut aiunt, et exlex, sed si ea ad normam sapientiae exacta sit, suis communita legibus ac normis contemperata prudentiae, a quibus in regendo princeps deviare atque deflectere iure non debeat, tantum ab tyrannide, ut veteres dicebant, regimen abest, quantum abesse pessimum vitium necesse est ab ἐκτύπου ratione, qui pro modulo sequitur divinum ipsum πρωτότυπον atque exemplar.

Monarchici et tyrannici regiminis discrimen.

illa enim licet alii essent Apostoli et alii discipuli et ab utrisque alia fidelium multitudo, unus tamen omnium erat magister et dominus, Jesus Christus. Ipse Apostolos discipulosque [1]) vocavit, congregavit, instituit: et ipse illos ad praedicandum misit et ad sanandum misit: sed et ipse populum, tam adultos quam infantes, edocuit, normam perfectionis proposuit, et ad eandem sequendam excitavit, aberrantes revocavit a via perditionis, confutavit legis peritos falsaeque scientiae doctores, inmorigeros a se repulit ac superbos mente cordis sui condemnavit, transiit benefaciendo: unus ipse omnium via, veritas et vita, supremus ipse unus universorum tam docentium quam discentium dux et pastor bonus.

Christus exemplar.

97. At vero sicuti persona Christi Salvatoris mortalem suam oeconomiam absolvens singulorum mortalium tam subditorum quam praepositorum hominum iuge et universale est exemplar et *παράδειγμα* christianae perfectionis; ita non dissimili [2]) plane pacto ratio ac substantia illius ecclesiae, cuius ipse Christus [3]) adhuc mortalis visibile caput erat, exemplar ac *παράδειγμα* iuge est mystici huius corporis, et eiusdem nunc formae ac *πολιτείας*. Atqui ab ipso visibili summo pastore Christo pendebat totum ovile, pascebantur oves et agni, nec minus pastores regebantur quam grex. Ad hanc ergo rationem ac formam expressam deinde fuisse [4]) *πολιτείαν* ecclesiae porro continuatae, a priori, ut aiunt, praecipi potest ac debet.

3. Politia apostolicae ecclesiae.

Petrus Christi vicarius.

98. Et sane eandem formam praetulit ecclesia Apostolorum, in qua vicarias illas unius Christi uti visibilis capitis partes explebat unus Petrus, quem solum pro se Christus adhuc mortalis ovium

---

Becan.

[1]) De his egregius disserit theologus Mart. Becanus man. controv. l. I. c. 4. de capite ecclesiae, ubi: „De Christo supremo ecclesiae capite seu monarcha„ probat adversus M. A. de Dominis 1. Christum in terris agentem fundasse et aedificasse ecclesiam n. 4. tum 2. Christum in terris agentem fuisse visibile aedificatae ecclesiae caput n. 13. et 3. Christum in coelo nunc existentem manere caput ecclesiae non quidem visibile sed invisibile.

[2]) Non est identitas vel paritas: persona enim Christi realis, ecclesia eius est corpus mysticum, ille totus perfectus, hoc perficiendum.

[3]) Vide Becan. l. c. nn. 2. sqq.

[4]) Vide op. de praerogativ. s. Petri nn. 73. sqq.

et agnorum visibilem pastorem ac rectorem constituit [1]), constitutum monstravit ac [2]) declaravit. Hunc iudaei non citra confirmationem Christi Domini, quum adhuc inter mortales [3]) viveret, uti caput discipulorum habebant: hunc uti magistrum doctoremque christiani instituti principem Herodes [4]) perdere attentabat: ad eum veluti ad discipulorum caput redivivus ipse Christus [5]) remisit: ad eum appellarunt [6]) Apostoli: ad eum appellavit accurritque nominatim Paulus: atque ipse est qui in ecclesia apostolica universa capitis personam ac [7]) principis Apostolorum omnium supremi praeferebat semper et [8]) agebat.

99. Et ipse quidem omnes Apostolos discipulosque praeibat

1. nutu ac inpulsu ad hierarchicum Apostolorum ordinem [9]) complendum:

2. sententia consilioque [10]) in communibus Apostolorum deliberationibus:

3. auctoritate in tuendo nomine [11]) vindicandoque munere Apostolorum:

4. virtute [12]) praedicando docendoque evangelium Christi:

5. potestate in colligenda constituendaque universali [13]) credentium societate:

---

[1]) Vide l. superiori c. 4.

[2]) Luc. XXII. 31. sqq. Vide sis de hoc textu inferius.

[3]) De his cf. de praerogat. s. Pet. n. 59. coll. Becan. de cap. eccles. l. I. c. 4. nn. 15. sqq.

[4]) Act. XII.

[5]) Marc. XVI. 7.

[6]) Luc. XXIV. 34.

[7]) Rem prosequitur luculentissime Leo IX. ep. ad Mihael. constant. patriarch. ap. Mign. t. 143. pp. 756. sqq. *Leo IX.*

[8]) Cf. sup. lib. nn. 167. sq. coll. de praerogativ. s. Petri l. I. cc. 17. sqq.

[9]) Act. I. 15. sqq.

[10]) Act. I. 20. sqq. coll. XV. 6. sqq.

[11]) Act. II. 14. sqq. IV. 8. sqq. V. 29.

[12]) Act. III. V. IX. Ad rem haec Ambrosii ex ser. 68. „Petrus petra est super quam (Matth. XVI. 18.) aedificatur ecclesia; ideoque sicut in ecclesia fidei fundamentum continet, ita et in homine membrorum fundamenta confirmat.„ *Ambros.*

[13]) Act. II. 38. III. 19. VIII. 14. sqq. XI. 14. Praeibat praedicationis magisterio Petrus Hierosolymis et in Judaea, praeibat ipse pastoris officio in adsociandis Samaritanis, ipse praeibat apostolica auctoritate cooptando gentiles in *Act. apost.*

6. in praefiniendа apud haesitantes declarandaque lege [1]) propagandae amplificandaeque ecclesiae:

7. in reprobandis expellendisque inpiis [2]) atque haereticis:

8. iure denique ac potestate, qua bona apud ecclesiam [3]) recepta et apostolico administrata consilio tutaretur, direptionem illorum damnaret ac vindicaret. Profecto

9. ad Petrum divino certe nutu, Paulus [4]) accedebat, ut apostolatus sui gratia patefacta evangelium conferret suamque praedicationem certam faceret atque probatam: et

10. Petrum multitudo populi [5]) concurrentis circumdabat, ut

---

christianam salutis oeconomiam, et ipse capitalis testis praeibat Romam, ut ex mundi capite lux fidei toti terrarum orbi adfulgeret. E quibus hoc efficies: In Petro itaque et a Petro Apostolorum capite solo simul omnia, ut par erat, complentur et in actum principaliter deducuntur, quae coniunctim Apostolorum choro Act. I. 8. Dominus praedixerat: *Λήψεσθε δύναμιν ἐπελθόντος τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐφ' ὑμᾶς, καὶ ἔσεσθέ μοι μάρτυρες ἔν τε Ἱερουσαλὴμ καὶ ἐν πάσῃ τῇ Ἰουδαίᾳ καὶ Σαμαρείᾳ καὶ ἕως ἐσχάτου τῆς γῆς:* „Accipietis virtutem supervenientis Spiritus in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem et in omni Judaea (cf. Act. IX. 31. sqq.) et Samaria et usque ad ultimum terrae."

[1]) Act. X. XI. XV. 7.

[2]) Act. VIII. 9. sqq.

[3]) Act. II. 45. IV. 34. V.

[4]) Gal. I. 18. coll. Act. IX. 26. sqq. Gal. II. 2. sqq. Conferri varia haec loca non possunt, quin deprehendatur, talem Petri inter Apostolos eminentiam significari, qua fieret, ut eius solius auctoritas tanta haberetur, quanta Apostolorum discipulorumque sive plurium sive pauciorum cum ipso Petro coniunctorum. Argumentum igitur indiciumque manifestum, Petro collocatam ipsam apostolatus formam ac summam fuisse.

Baronius. [5]) Act. V. 13. sq. De his card. Baronius ad an. 34. n. 274. p. 262. t. I. egregie sic habet: „Quum vero non Petrus tantum, sed et ceteri Apostoli Jerosolymis essent, quidnam est, quod oculi omnium convertuntur in Petrum? quid ista in plateis aegrotantium exhibitio, ut veniente Petro, umbra saltem illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur omnes non ab uno vel altero, sed ab omnibus quibus tenerentur morbis? Certe quidem non per Petrum tantum, sed per ceteros etiam Apostolos fieri solita signa et prodigia idem (ut nuper vidimus) qui haec scripsit testatur Lucas. Verum sicut inter omnes Apostolos Petrus a Christo primatu in omnes est auctus, ita etiam praeclariora quaedam et insigniora ab eo miracula edi concessit. Hinc solius Petri fuisse, curare languentes umbra corporis transeuntis, satis evangelista declarat. Nam si id Apostolorum ceterorum umbra praestitisset, quid tanta compressio in exponendis infirmis, quos Petri transeuntis umbra curaret? Unde Arator diaconus, qui heroico carmine eadem cecinit acta Apostolorum, dum de his agit ita egregie:

bene haberet [1]): et ad vitae institutionem Deo et Christo eius acceptiorem reddendam fideles sua bona ad pedes Apostolorum sic deponebant, ut supremae Petri iurisdictioni [2]) universa subiicerentur.

100. Itaque Petrus erat, circa quem primitiva ecclesia [3]) coniunctissima exsisteret: ipse inter collectos in unum doctores et pastores apostolicos supremus doctor verbum divinum[4]) *αὐθεντικῶς* interpretatur, atque pastoralis officii munus summus item pastor *αὐθεντικῶς* [5]) declarat: ipse collectum universum credentium coetum universalis doctor [6]) summo iure instituit: ipse gregem dispersum[7]) pastor universalis invisens benefaciendo pertransiit: ipse eundem diffusum per orbis provincias perque totidem particulares ecclesias digestum supremus ac universalis magister apostolicis [8]) litteris in unitate [9]) fidei continere unioneque pacis ac caritatis conservare, *Actus Petri authentici.*

Excute Petre gradus: tecum medicina salutis *Arator.*
Ambulat: adde viam: pes is est ad gaudia velox,
In pedibus non esse moram: tua semita vita est,
Si properas, iam nemo iacet: tu motibus umbrae
Corpora cuncta levas; atque hoc simul inscia voti
Sumit turba tacens, quod cum rogat accipit unus;
Quaerite quos agitat tanti reverentia facti,
Quid typicum res ista ferat: librisque volutis
Noscite, quod soli concessa est gloria Petro.„

Sed alia haud minus eximia cs. ap. ipsum Baronium ibidem.

[1]) Ita pariter similis suo magistro exsistebat.

[2]) Cf. Act. V.

[3]) Act. II. 44. IV. 32.

[4]) Act. I. 15. sqq.

[5]) Act. X. 47. XI. 17. XV. 7.

[6]) Act. II. III.

[7]) Act. IX. 32. sqq.

[8]) I. Petri Apostoli Jesu Christi epistola data est electis, scilicet non vocatis tantum ad fidem sed fide inbutis, qui peregrinantur dispersi per diversissimas terrae provincias, *ἐκλεκτοῖς παρεπιδήμοις διασπορᾶς Πόντου, Γαλατίας, Καππαδοκίας, Ἀσίας καὶ Βιθυνίας:* II. vero epistolam inscripsit simpliciter omnibus, qui fidem salutarem amplexi erant: *Σίμων Πέτρος, δοῦλος καὶ ἀπόστολος Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῖς ἰσότιμον ἡμῖν λαχοῦσι πίστιν ἐν δικαιοσύνῃ τοῦ θεοῦ ἡμῶν καὶ σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ:* „Simon Petrus, servus et Apostolus Jesu Christi iis, qui coaequalem nobiscum sortiti sunt fidem in iustitia Dei nostri et Salvatoris Jesu Christi.„ *I. Petri ep.* *II. Pet. ep.*

[9]) I. ep. I. 22. II. 4. sqq. 13. sqq. IV. 8. sqq. II. ep. I. 7.

neque minus subordinatos [1]) gregum pastores quam totum simul credentium gregem [2]) Deique populum αὐθεντικῶς docere[3]), hortari[4]) et [5]) erigere, sed et haereticos homines ac inpios [6]) patefacere, confutare, reprobare, seductionum pericula aperire, eademque vitanda praescribere. Ipsum capitali quidem odio [7]) persequebantur christiani nominis hostes; sed et ipse praesens aderat actor princeps in singulis illis capitalibus stadiis [8]) quibus nomen christianum propagatum stabiliretur: ipse aderat verbo et virtute, ubi [9]) caput rei christianae, ipsa inquam fides, in discrimen advocaretur: et ipse constantia et fortitudine aderat, ubi vi ac potentia principes mundi [10]) ecclesiam Christi universam radicitus conarentur evellere.

Apostolicae ecclesiae centrum.

101. Nimirum Petrus veluti centrum comparet, a quo universa circum ecclesia pendet, quocum vita eiusdem ac motus penitissime iungitur, qui actione sua vires illius omnes moderatur ac temperat, exsertaque potestate non minus consona et morigera attrahit, quam a se rebellia et dissona repellit. Hinc nihil mirum quod Lucas, quum rei christianae origines atque historiam scriberet, vitam [11]) historiamque Petri potissimum descripserit; tot tantaeque

---

[1]) I. ep. V. 1. sqq.

[2]) I. ep. I. II. 7. sqq. V. 5. sqq.

[3]) I. ep. II. 21. sqq. III. 17. sqq. II. ep. I.

[4]) I. ep. II. 1. sqq. 11. sqq. III. 1. sqq. IV. 1. sqq. II. ep. I. 12. III. 1. sqq.

[5]) I. ep. I. IV. 13. sqq. V. 10. sqq. II. ep. III. 11. sqq.

[6]) II. ep. II. III.

[7]) Act. IV. V. 16. sqq. XII.

[8]) Hierosolymis Act. II. Samariae Act. VIII. Antiochiae ubi patriarchalem et Romae ubi sedem fixit principalem.

[9]) Act. VIII. 18. sqq.

[10]) Act. XII.

[11]) Fieri enim non potuit, quin actio et vita Petri capitis ac centri in vitam influeret universalis ecclesiae, et quin cum historia Petri generatim totius ecclesiae, eius status ac historia penitissime consereretur. Sed Petrus capitis visibilis et centri partes continuandas cum romana ecclesia indissolubili vinculo copulavit; patet igitur causa ac ratio perspicua, unde factum sit iugiterque fiat, ut historiam universalis ecclesiae a romanae ecclesiae vita et actione nequeas avellere, sed ex ea et in ea illam compendio veluti aliquo deprehendas. Verum et illud apparet, cur non solum theologicorum dogmatum, sed etiam ecclesiasticae historiae probi cultores tantopere tamque frequenter suum in rebus aestimandis iudicium ab ecclesiae romanae petierint annalibus. Quod quantum abest a praepostera totius ecclesiae cum sede romana confusione, tantum valet ad adserendam dignitatem

Historia ecclesiae vincta cum sede romana.

partes in explicanda ecclesiae primigeniae vita supremo clavigero et universali pastori Petro convenere. Videlicet ab actione centri pendet ac deprehenditur motio totius circuli et orbis. Sed centri vim ac potestatem Petrus divino nutu pro semper devinxit cum sede episcopali urbis Romanae, ab hac ergo sede actio centri dimanabat ac dimanat porro in universam Dei ecclesiam, ad partes Petri iugiter explendas.

4. Apostolicae romani centri functiones.

102. Atqui perfecta centri actio quemadmodum eo pertinet, ut ad corpus totum quantum fieri possit efficiendum unum, harmonicum, homogeneum, omnes corporis partes pro affectionis suae diversitate vel ad centrum et trahantur et petant, vel ab eodem fugiant et a suae ambitu peripheriae repellantur: ita romana sedes actione sua partes omnes et membra ecclesiae cuncta ad se trahit et morigerae quaeque partes in ipsam repetunt[1]; quae autem vi sua neque affectae neque attractae in centrum illud tendunt, eae circumvagantes aberrant et a visibili Christi corpore extorres evadunt: idque ob gravem hanc causam, ut ecclesia catholica una sit et ea quidem unitate, quam Christus voluit, cuius ipse normam praestituit, et cuius singulare specimen Apostolorum saeculo ecclesia exhibuit, quando eam Petrus romanae sedis primus episcopus rexit. *Centri actio.*

103. Si porro quaeras, cuiusmodi illa actio sit, eadem[2]) a sua natura, origine, amplitudine et auctoritate plane apostolica est, adeoque vere habenda dicendaque plena vocis significatione *Functio apostolica.*

I. catholica, *καθολική* [3]) apparet. Et

---

probandamque iustam capitis aestimationem, a quo vita proficiscitur et politia pendet totius ecclesiae. Id ob oculos habendum, ne fabulae adponantur, sed ecclesiasticae historiae *πραγματεία* ex veritate habeatur et vindicetur.

[1]) Quis porro dubitaret, si alii deessent tituli, quos plus semel exposuimus, ex hac sola efficiente causa catholicae unitatis denominari eandem rite posse atque etiam debere unitatem romanam?

[2]) Videsis superiori libro c. IV. nn. 10. sqq. Huc quadrant Leonis M. ser. III. (al. II.) n. 5. coll. ser. V. (al. IV.) c. 4. „Quis gloriae beati Petri tam imperitus erit aut tam invidus aestimator, qui ullas ecclesiae partes non ipsius sollicitudine regi, non ipsius ope credat augeri?„ *Leo M.*

[3]) Unde patet, cur phrases „catholica et apostolica ecclesia„ aequipollent huic alteri „ecclesia apostolica romana„.

1. quidem universalis apparet loco, quum eo usque penetret effectu, quousque semet ecclesia Christi facto protendit, et eo etiam virtute penetrare adnitatur, quo ecclesia [1]) semet protendere iure Christi destinatur. Dein

2. universalis apparet tempore, quum interpellata nunquam continuatione inde a Christo, qui Petrum ἀμέσως misit, una continuo atque ex sese [2]) identica semper atque perennis vere exstiterit ac porro exstitura sit. Tum

3. universalis apparet a subiecto obnoxio, quum a Christi ovibus nulla et nullus ex Christi agnis, sive seorsum singuli sive omnes coniunctim accipiantur, ab illius actionis potestate [3]) eximatur. Et tandem

4. apparet universalis ab obiecto, ad quod iure suo et ordine eadem spectat, ita ut si eandem ab explicatione circa omnigenum [4]) suum obiectum denominaveris, non uniusmodi sed pariter varia esse deprehendatur.

104. Sed quae actio inprimis ἀποστολική est, qua videlicet fidei in mundum universum praedicationi et observationi idque ad finem usque saeculi consulatur, eadem insuper

II. ἱεραρχική, hierarchica est, qua nimirum suprema in ordinem hierarcharum [5]) iurisdictio explicatur, episcopalis ordinis sacerdotibus sua gregis portio adsignatur, pascendi eiusdem potestas tribuitur, regendi forma praestituitur, retinendaque sollicite curatur.

---

[1]) Huc faciunt et perpetuae evangelicorum praedicatorum missiones ad fidem inter gentes propagandam, et continui conatus supremi pastoris ad adducendos reducendosque omnes, qui uti oves errantes ad suum ovile non spectant: cf. Turrian. l. c. p. I. 314. p. II. 10.

[2]) Agendi vis centri οὐσιωδῶς quidem semper eadem est, mutatur vero peripheria, et inde κατὰ συμβεβηκὸς varius deprehenditur illius habitus ad istam.

[3]) Cf. quae paullo prius a Leone M. dicta protulimus.

[4]) Cf. dicta sup. de obiecto episcopatus, quod totum maiori tamen generalitate potestateque principatus romanus amplectitur.

[5]) Hierarchiam per orbem statuit, firmat et pro iudicio inmutat: historici testes sunt acta pontificum, e quibus commemorasse sat est, quod epp. l. XII. ep. 15. habet magnus Gregorius de constituenda per Angliam hierarchia, quae de inmutata per Galliam hierarchia novimus auctore Pio VII. quaeque de eadem restituta per Pium IX. in Anglia et Hollandia nunc contuemur. Ad rem sunt quae de eccles. hierarch. disserit Dionys. Petav. „De primatu et πρωτοκαθεδρίᾳ in ecclesiasticis ordinibus„: coll. ib. l. II. c. 5. n. 10. l. III. c. 6. n. 7. l. V. c. 1. n. 9. et Muzzarel. orig. pot. eccl. opusc. 21—27. ed. Aven. J. A. Blanchin. l. c. l. II. pp. 609. sqq. l. III. cc. 1. sq. vol. III. pp. 5. sqq.

Enimvero „dispensative, inquit [1]) Stephanus dorensis, super omnes ab ipso, qui propter nos incarnatus est Deus, potestatem accipiens et sacerdotalem auctoritatem„.

105. Est porro speciatim romani centri actio

III. *συμβολικὴ* spectans ad normam fideique salutaris ordinem, quatenus ad unitatem in eo continendam dicit *αὐθεντικῶς* regulam theoreticam credendi corde et ore illam profitendi. Ad haec est eadem

IV. *ἠθικὴ*, ethica, ad ordinem pertinens honestatis ac moralitatis christianae, quatenus normam in eo figit practicam agendi operandique. Est illa porro

V. *λειτουργικὴ*, liturgica, quae ad cultum sacrum refertur, quatenus unitati in operationibus sacris tam cultus externi, quo Deum sanctosque prosequimur, quam rituum quoque sanctificantium prospicit, quibus hominum salus perficitur.

106. Est autem eadem praeterea

VI. *νομοθετικὴ* [2]), legifera, statuens et sanciens ecclesiasticam disciplinam, qua externa membrorum totius ecclesiae ratio agendi

---

[1]) In concil. lat. sub. Martino I. ap. Harduin. t. III. p. 713. *Οἷα προνοητικῶς ἐπὶ πάντων αὐτῶν ἐξ αὐτοῦ τοῦ δι' ἡμῶν σαρκωθέντος θεοῦ τὸ κῦρος κεκοσμημένος καὶ τὴν ἱερατικὴν αὐθεντίαν.* *Stephan. dorens.*

[2]) De qua ita M. Becanus man. controv. l. I. c. 4. n. 71. „Quartum privilegium est, quod Pontifex possit sancire leges ecclesiasticas, quae obligent universam ecclesiam. Hoc sequitur ex dictis, quia cum sit caput regni et imperator imperii, non minus potest sancire leges pro tota ecclesia, quam rex pro toto regno aut imperator pro toto imperio.„ Id quod illico ibidem n. 72. explicat „ex tribus generalibus principiis. Unum est, quod praelati ecclesiae habeant potestatem regendi subditos, et quod subditi iure divino teneantur eis obedire. Patet ex Scripturis Luc. X. 16. Matth. XVIII. 17. Act. XX. 28. Hebr. XIII. 17. Et ratio est, quia si subditi non tenerentur obedire, iam non essent subditi. Alterum est, quod praelati ecclesiae non tantum habeant potestatem regendi subditos, sed etiam coercendi et puniendi, si non obediant, ut passim docet Apostolus: I. Cor. II. 21. II. Cor. XIII. 10. Et hac potestate frequenter usus est: 1. quando excommunicavit Corinthium incestuosum: 2. quando reprehendit Corinthios, quod iudicio contenderent apud infideles: 3. quando Hymenaeum et Alexandrum propter haeresim tradidit sathanae: 4. quando Thessalonicensibus scripsit: Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et non commisceamini illi. Tertium sequitur ex praedictis, quod praelati ecclesiae habeant etiam potestatem condendi novas leges obligantes in conscientia. Ratio est, quia habent potestatem regendi et puniendi subditos, et subditi tenentur illis obedire: Ergo habent etiam potestatem condendi leges, secundum quas possint regere et punire subditos, et in quibus subditi teneantur illis obedire.„ Post quae facile est, cum Becano solvere Calvini difficultatem, quasi potestas praelatorum ecclesiasticorum tantum esset regere et punire secundum leges divinas, nec ulterius se extenderet, quam quae sunt iuris presse divini.

Becanus. *Potestas coercitiva.* *Potestas obligandi in conscientia.* *Calviniana limitatio.*

operandique certis legibus [1]) atque praeceptis contemperatur. Est illa deinde

VII. iuridica, *δικαστικὴ* seu *κριτικὴ* [2]) ad praerogativam spectans tribunalis, quo credentibus omnibus ius [3]) redditur, controversiae dirimuntur litesque *αὐθεντικῶς* finiuntur, sive illae ad res sive ad personas ecclesiasticas pertineant. Atque huc facit gravissimum appellationis ad sedem apostolicam ius, quod sicuti auctoritate primatus necessario aperteque [4]) continetur; ita ab originibus ecclesiae continuo orientalium non minus quam occidentalium frequentatum [5]) usu atque celeberrimis [6]) sardicensium canonibus non primo tributum sed declaratum, eiusdem tunc quod inpugnabatur exercitium adsertum, illius ratio et ordo in certis casuum speciminibus definitus atque sancitus. Sed inde est pariter

---

Lex. [1]) Legis est, teste Cicerone de legib. l. I. „sancire quod vult aut iubendo aut vetando„: et eodem rursus auctore Philipp. II. „est enim lex nihil aliud, nisi *Cicero.* recta et a numine deorum tracta ratio imperans honesta, prohibens contraria:„ *Papinian.* tum eiusdem legis est auctore Papin. de leg. l. I secundum Demosthenem con. *Seneca.* Aristog. „coercitio„ sive sanctio; unde ep. 99. Seneca: „Leges, ait, quid aliud sunt, quam minis mixta praecepta?„ Atqui totidem illa, ex quibus civilis potestas magistratusque constat, pro suo tamen ordine suaque ratione, generatim conveniunt ministerio ecclesiastico et sacro, verum nominatim ac tota potestatis plenitudine cernuntur in prima ecclesiae universalis sede, quae est sancta apostolica romana. Cf. J. A. Blanchin. l. c. l. III. c. 3. vol. III. pp. 293. sqq.

Gregor. naz. [2]) Est Gregor. naz. qui or. XIX. al. IX. n. 10. nov. ed. t. I. p. 369. *τοὺς ποιμένας*, ovium pastores sive episcopos non modo *νομοθέτας*, sed etiam *κριτὰς* appellat, quibus obediendum esse affirmat, *μηδὲ ποιῶμον ἀναρχίαν τὴν πολυαρχίαν*, „ne principum multitudo in solutam sine principe licentiam vertatur.„ Atqui haec ratione multo fortiori de obedientia supremo omnium capiti praestanda repetere nos oportet.

Becanus. [3]) Cf. iterum Becanum l. c. n. 63. „Quod omnes episcopi totius orbis, qui in iudiciis ecclesiasticis sentiunt se gravari ab episcopis aut synodis provincialibus, possint confugere ad Romanum Pontificem tamquam ad iudicem superiorem, cui reliqui etiam episcopi subiecti esse debeant, et a cuius sententia non liceat ulterius provocare.„ Et rursum ibidem c. 5. n. 3. „Catholici distinguunt inter *Iudex et norma.* iudicem et normam. Judicem vocant, qui fert sententiam inter partes litigantes. Normam secundum quam fertur sententia a iudice. Posita hac distinctione tria docent: I. ecclesiam esse iudicem controversiarum: 2. normam quam sequitur ecclesia in ferenda sententia non esse solam Scripturam, sed Scripturam et Traditionem simul: 3. ecclesiam iuxta hanc normam dupliciter sententiam pronunciare posse, vel per Pontificem, qui est pastor ecclesiae, vel per concilia a Pontifice approbata, quae repraesentant ecclesiam: Et utroque modo sententiam esse infallibilem.„

[4]) Cf. lib. sup. cc. III. IV.

[5]) Cf. Alzog. h. e. univers. §§. 111. 130. coll. J. A. Blanchin. l. c. l. II. c. 4. pp. 1244. sqq. l. III. par. I. et II. vol. III.

[6]) Cf. Hefele hist. concil. de canon. sardic. t. I. pp. 546. sqq.

VIII. coercitiva, *κολαστικὴ*, vi cuius in refractarios animadvertit, poenas in delinquentes infligit, atque ipsos quoque invitos ac reluctantes [1]) spirituali gladio plectit.

107. Iamvero eadem illa romana potestas et actio est etiam

IX. *πολιτικὴ*, politica, ad habitum respiciens et vinculum ecclesiae cum imperio ac societate civili, ut iura ecclesiae sarta tecta adserantur, eaque vitae tranquillitas comparetur, quae tantopere semet ad fidelis populi salutem ostendit non opportunam modo [2]) sed omnino necessariam. Et est denique

X. potestas vere patria [3]) seu *πατρικὴ*, qua tanquam supremus filiorum Dei in terris pater paterna auctoritate simul ac sol-

---

[1]) De hac ecclesiae potestate coercitiva vide sis Dionys. Petav. de eccles. hierarch. l. III. cc. 11. 13. coll. J. A. Blanchin. l. c. l. I. c. 5. vol. II. pp. 477. sqq. l. II. c. 4. pp. 1244. sqq. edit. taurin. 1857.

[2]) Ad hanc porro conservandam tranquillitatem in societate fidelium necessarium est, ut ecclesiae leges quarum supremus tutor romanus pontifex, sancte custodiantur. Hinc Nicolaus primus epistola ad Michaelem imperatorem: „Vos autem, inquit, quaesumus nolite praeiudicium Dei ecclesiae irrogare: illa quippe nullum imperio vestro praeiudicium infert, cum magis pro stabilitate ipsius aeternam divinitatem exoret et pro incolumitate vestra et perpetua salute iugi devotione precetur. Nolite quae sua sunt usurpare: nolite quae ipsi soli commissa sunt velle surripere scientes, quia tanto nimirum a sacris debet omnis mundanarum rerum administrator esse remotus, quanto quemlibet ex catalogo clericorum et militantium Deo nullis convenit negotiis saecularibus implicari. Denique hi, quibus tantum humanis rebus et non divinis praeesse permissum est, quomodo de his, per quos divina ministrantur, iudicare praesumant, penitus ignoramus. Fuerunt haec ante adventum Christi, ut quidam typice reges simul et sacerdotes existerent, quod sanctum Melchisedech fuisse sacra prodit historia, quodque in membris suis diabolus imitatus, utpote qui semper quae divino cultui conveniunt, sibimet tyrannico spiritu vendicare contendit, ut pagani imperatores iidem et maximi pontifices dicerentur. Sed cum ad verum ventum est, eumdem regem atque pontificem, ultra sibi nec imperator iure pontificatus arripuit, nec pontifex nomen imperatorium usurpavit. Omnium idem mediator Dei et hominum homo Christus Jesus sic actibus propriis et dignitatibus distinctis, et officia potestatis utriusque discrevit, propria volens medicinali humilitate sursum efferri, non humana superbia rursus in inferna demergi, ut et christiani imperatores pro aeterna vita pontificibus indigerent, et pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur: quatenus spiritalis actus carnalibus distaret incursibus „ Quibus tum necessitates tum orta inde officia utriusque erga invicem societatis et utriusque capitum clare distincteque declarantur. Cs. J. A. Blanchin. l. c. de potest. indirect. eccles. l. V. §. 8. vol. I. pp. 960. sqq.

Distinctae pontificis ac imperatoris partes.

Nicolaus I.

[3]) Vide sis allata n. 27. ex Isidor. pelus. tum quae praeter alia disputat idem Petav. l. c. c. 14. n. 11. „Nimirum, inquit, non tam civilis alicuius communitatis, quam *πολιτείαν* vocant, ecclesiam esse similem, quam *οἰκίας*, id est, domus et familiae. Est eim ingens quaedam domus, cuius pater familias est Christus„: eius porro visibilis inter mortales vicarius est romanus episcopus. Eo autem conferunt Matth. XXIV. 45. coll. Luc. XII. 42. XVI. 1. sqq. Hebr. III. 1. sqq.

Petav.

licitudine omnia quae ad familiae huius christianae salutem et prosperitatem conducunt administrat, ordinat, curat. Unde per excellentiam Papa, ὁ πάππας, vocatur.

5. Romanae actionis vis et effectus.

108. Actio igitur quae a romana sede uti a centro proficiscitur, varia est ac multiplex: scilicet pro varietate ac multiplicitate ordinum, rationum atque modorum, quibus semet totius mystici Christi corporis vita prodit et explicat: ad totam explicationem hanc illa semet extendit, ut corpus idem harmonia concentuque secum ipso augeatur et crescat, ut universa Dei ecclesia unitate excellat ac distinguatur. Atqui haec obtinentur et exsistunt vi romanae illius actionis. Nam huius actionis romanae vi

Unitas ac uniformitas.

I. unitas ac uniformitas exsistit apostolicae praedicationis, per quam ecclesia evadit una et catholica:

II. unitas et uniformitas regiminis, per quod ecclesia unius pastoris et unum efficitur ovile:

III. unitas et uniformitas professionis, per quam ecclesia fit unius labii atque sententiae:

IV. unitas et uniformitas morum, quibus ecclesia comparet una et sancta:

V. unitas et uniformitas [1]) cultus divini, per quem ecclesia est domus illa Dei [2]) in qua veri adoratores adorant Patrem in spiritu et veritate:

VI. unitas substantialisque uniformitas vitae christianae, attemperata tamen, ut par est et usu venit, cum varietate contingentium', quo Christi ecclesia videatur una familia catholica:

VII. unitas praeterea et uniformitas iuris atque iustitiae, qua in regno Christi gignitur ordo et pax: et eiusdem denique vi

VIII. unitas atque consociatio amica omnis hominum societatis intenditur, quae quo perfectius constat, eo Christi oeconomia perfectius splendet, eo tranquillior hominibus via salutis aperitur, et eo amplior gloria misericordis Dei inter homines in terris refulget.

Coelestinus I.

[1]) Inter praeteritorum sedis apost. episcoporum auctoritates de gratia Dei c. II. legitur: „Obsecrationum quoque sacerdotalium sacramenta respiciamus, quae ab Apostolis tradita in toto mundo atque in omni ecclesia catholica uniformiter celebrantur, ut legem credendi statuat lex supplicandi.„

[2]) Joan. IV. 23.

109. Atque haec est unitas quam Christus voluit et cuius obtinendae causa tale posuit ontologicum unitatis fundamentum, quod simul, uti necesse erat, actuosum esset unitatis consequendae et efficax conservandae tuendaeque principium. Hinc etiam illi contulit in ordine ad quamvis suam efficientem unitatis actionem non tantum consulendi, suadendi vel persuadendi facultatem, sed etiam poenis cogendi coercendique potestatem, si qui inmorigeri vocem eius *Cogendi potestas.* non sequerentur, et illam non modo pro foro interno sed etiam externo, neque tantum spiritualem[1]) sed etiam temporalem, neque circumscriptam, sed universalem, quae in omnes valeret nomine insignes christiano, et valeret de quovis rerum ordine, ad quem romana sedes suam actionem protendere divinitus posita et iussa est.

6. Multiplex romanae sedis ad suas functiones potestas.

110. Re sane vera actioni respondet agentis potentia; quare multiplici ac variae actioni romanorum pontificum eique unitivae ac coniunctrici tot partium et elementorum ecclesiae universalis, multiplex profecto et varia penes sedem eandem tum virtutis ac potestatis ratio, a qua illa actio dimanet, tum varium ac multiplex genus mediorum respondet, quorum ope suos illa fines consequatur.

111. Et quod ad virtutem potestatemque variam varietati illi agendi influendique respondentem attinet, diffiteri nullus[2]) poterit

I. apud unam romanam ecclesiam fontem iugiter manare legitimae itidemque universalis divinae missionis[3]) ad omnes gentes, quibus fides praedicanda probandaque sit. Tum vero

---

[1]) Cf. Becan. l. s. c. coll. Joan. Devoti institutt. canon. l. IV. Tribus enimvero stat societas gubernata per eius rectorem, videlicet 1. legibus: 2. iudiciis: 3. coercitione poenisque inflictis. Quemadmodum ergo supremus ecclesiasticae societatis rector constitutus a Christo fuit Petrus, quique eum in suo regendi munere sequitur, romanus pontifex: ita triplici illa eaque suprema potestate instructus itemque usus semper est romanus episcopus. Atque huc spectat collata clavium potestas de qua cf. lib. sup. c. IV. n. VIII.

[2]) Vide disputata l. I. cc. 3. sq. Recoluisse hoc unum satis est, quod ap. Mign. l. PP. t. 20. p. 583. ep. 29. an. 417. Aurelio et ceteris episcopis carthaginiensis concilii Innocentius I. scripsit: „Scientes quid apostolicae sedi, cum omnes *Innocent. I.* hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum, debeatur, a quo ipse episcopatus et tota auctoritas nominis huius emersit.„

[3]) Uti a b. Petro, quod probant Bollandiani t. V. Junii de rebus ss. Petri *Bollandiani.* et Pauli pp. 405. 412. sqq. missis constitutisque episcopis plurimae ubivis ecclesiae fundatae fuerunt; ita usque modo apostolici ad extrema usque ora praecones vicariique a romanis pontificibus mittuntur.

II. apud eandem solam potestatis esse primatum, a cuius plenitudine episcopalis ordo regimen gregis sui [1]) sortitur. Rursum

III. apud illam esse supremi doctoris authenticum et universale magisterium, cui una omnes ac singuli seorsum fideles obnoxii sunt. Item

IV. esse apud eam universale et authenticum supremi officium pastoris, qui oves simul et agnos certa via ad salutaria pascua ducit. Praeterea

V. apud hanc sedem esse summum pontificatum, quo sacri ministerii ritus solemnesque caeremoniae pro tota Christi ecclesia [2])

---

[1]) Ad hanc actionem respexit ap. Mai N. PP. B. t. VII. par. III. p. 31. *Bonizo.* Bonizo ep. excerpt. l. IV. n. 61. ubi ad „Mediolanenses, qui fastu superbiae inflati suam dicunt ecclesiam non a Petro nec a suis successoribus . . . sumpsisse *Innocent. I.* exordium„ redarguendos verbis utitur sancti Innocentii I. ep. XXV. 2. ad Decentium scribentis: „Quis enim nescit aut non autumat, id quod a principe Apostolorum Petro romanae ecclesiae traditum est, ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari; nec superduci vel introduci aliquid quod auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum? Praesertim cum manifestum sit, in omnem Italian, Gallias, Hispanias, Africam atque Siciliam insulasque interiacentes nullum instituisse ecclesias nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus aut eius successores constituerint sacerdotes.„ Atqui idem valet de universis per *Zacharias pap.* orbem constitutis ecclesiis. Ita de Germaniae partibus haec sunt s. Zachariae ad s. Bonifacium: „De episcopis vero metropolitanis, id est Grimone, quem nos iam compertum habemus, et de Abel et Artberto, quos per unamquamque metropolim per provincias constituisti, hos per tuum testimonium confirmamus, et pallia dirigimus ad eorum firmissimam stabilitatem et ecclesiae Dei augmentum, ut in me- *Paschal. II.* liori proficiant statu.„ Sane „in pallio, scribit Paschalis II. ad archiep. Polon. ap. Baron. ad an. 1102. plenitudo conceditur pontificalis officii quia iuxta sedis apostolicae et totius ecclesiae consuetudinem ante acceptum pallium metropolitanis minime licet aut episcopos consecrare aut synodum celebrare„ de quibus ap. auct. inextinct. conc. trid. verit. l. c. a. III. disq. 9. §. 3. pp. 534. sqq. disq. 10. pp. 547. sqq. coll. Christ. Lup. schol. ad syn. VIII. gen. can. XXVII. opp. t. III. pp. 315. sqq.

Liturg. varietas. [2]) Quemadmodum veteres liturgiae tam orientales quam occidentales ad auctores Apostolos revocantur, ita quae apostolica sedes κατ' ἐξοχὴν est ac dicitur, sedes inquam romana, ea pariter est, apud quam cura illius atque tutela semper erat atque manet. Hinc romana ecclesia graecorum τὰ ἔθη a latinorum ritibus diversa nunquam inprobavit, dummodo salvis ecclesiae canonibus exerce- *Nicolaus I.* rentur. Ita ab exordiis Photiani tumultus Nicolaus I. epist. ad Photium data, quae est in concilio constantinopolitano IV. act. 4. ubi haec ap. Harduin. t. V. p. 814. fortissimus ille ecclesiasticae integritatis vindex isti pacis perturbatori respondet: „De consuetudinibus quidem, quas nobis opponere visi estis scribentes per diversas ecclesias diversas esse consuetudines, si illis canonica non obsistat auctoritas, pro qua eis obviare debeamus, nil iudicamus vel eis resistimus.„ Quin immo tantum abfuit romana ecclesia, ut orientales a suo proprio diversos ritus inprobarit, ut illos etiam auctoritate sua sanctos voluerit nec a quopiam vio- *Lateran. IV. conc.* landos. Huc enim spectant statuta in lateranensi concilio IV. c. 4. sub Inno-

probantur, ordinantur, adseruntur. Eo spectantes tridentini patres statuerunt: „Retento ubique cuiusque ecclesiae antiquo et a sancta romana ecclesia, omnium ecclesiarum matre et magistra, probato *Tridentinum.*

---

centio III. tum ab Innocentio IV. ep. III. ad Ottonem cardin. tuscul. de controversia orta inter archiepiscopum nicosiensem latinum ex una parte et episcopos graecos regni Cypri ex altera ap. Harduin. t. VII. pp. 363. sqq. ubi hac statuta norma: „Licet et expedit, ut mores ac ritus eorum, quantum cum Deo possumus tolerantes ipsos in Romanae ecclesiae obedientia praeservemus„ nihil occurrit in specialis casus solutione, quo graecorum consuetudo non adseratur. Sed eo multo solemnius faciunt decreta concilii florentini atque declarationes disertae Pii IV. brev. d. 16. Febr. 1564. et Clementis VIII. d. 31. Aug. 1595. nec non fidei professiones graecis propositae a Gregorio XIII. Urbano VIII. Benedicto XIV. tum ipsius nunc gloriosissime regnantis Pii IX. encyclicae litterae datae 6. Jan. 1848. ad fideles ecclesiae orientalis, denique facta alia plurima, quibus romana ecclesia graecorum ritus ac consuetudines sancivit, de quibus cf. opus vulgatum Romae 1855. cui titulus l'église orientale p. I. pp. 138. sqq. Servata vero substantiali cultus unitate, quod ad accidentales diversitates attinet, huc faciunt quae respondit s. Anselmus Walerani newemburgensis ven. episcopi querelis c 1. „Utique si per universam ecclesiam uno modo et concorditer celebrarentur (sacramenta), bonum esset et laudabile. Quoniam tamen multae sunt diversitates, quae non in substantia (al. summa) sacramenti neque in virtute eius aut fide discordant; neque omnes in unam consuetudinem colligi possunt: aestimo eas potius in pace concorditer tolerandas, quam discorditer cum scandalo damnandas. Habemus enim a sanctis Patribus, quia si unitas servatur caritatis in fide catholica, nihil officit consuetudo diversa.„ Sed enimvero sicut pontifices romani pridem receptos probatosque in ecclesia ritus pastorali universalis ecclesiae cura protegunt, et a pravis infectionibus sartos tectos custodiunt: ita iidem in occidentali suo patriarchatu generatim (nam ob consuetudinis antiquitatem in hac etiam plaga suas differentias secundum Anselmi regulam permittit) uniformitatem, cuius exemplar in ipsa habeatur romana ecclesia, et amabat semper et procurabat. Testes sunt prae reliquis Innocentius I. ep. ad Decent. eugubin. l. s. c. Leo M. ad universos episcopos per Siciliam constitutos quos alloquitur: „Quam in culpam nullo modo potuissetis incidere, si unde consecrationis honorem accepistis, inde legem totius observantiae sumentes et b. Petri Apostoli fides, quae vobis sacerdotalis mater est dignitatis, esset ecclesiasticae magistra rationis.„ Item Gregorius M. ad Domin. carth. ep. 32. atque Gregorius VII. ep. ad Alphons. et Sancium reges data 1074. ubi haec praeclara: „Romanae ecclesiae ordinem et officium recipiatis, non toletanae vel cuiuslibet aliae, sed istius, quae a Petro et Paulo firmam petram per petram per Christum fundata est et sanguine consecrata; cui portae inferi, id est linguae haereticorum nunquam praevalere potuerunt, sicut cetera regna occidentis et septemtrionis teneatis. Unde etiam non dubitatis, vos suscepisse religionis exordium, restat etiam, ut inde recipiatis in ecclesiastico ordine divinum officium (quae manifeste expressa sunt ad allata magni Leonis verba): quod Innocentii papae ad Eugubinum directa episcopum vos docet epistola, quod Hormisdae ad Hispalensem missa decreta insinuant, quod toletanum et bracarense demonstrant concilia; quod etiam episcopi vestri ad nos nuper venientes iuxta constitutionem concilii per scripta sua facere promiserunt, et in manu nostra firmaverunt . . . Data Romae XIV. Kal. April. indict. 12.„ Quum porro res litur-

Innocent. IV. *Pontificum decreta.* *Pius IX.* *Anselm.* *Leo M.* *Gregor. VII.*

Mai. ritu[1]).„ Omnino praeclare. „Nempe, ait[2]) eminentissimus Mai, ut romani veteres suum cuique populo municipale ius conservabant, ita sapientissimis ecclesiae romanae patribus semper hoc fuit placitum, ut singulae gentium ecclesiae ritu suo statutisque maiorum viverent; eaque tantummodo vetita atque emendata identidem sunt, quae vel fraus, vel haeresis, vel supina inscitia, vel quodlibet infirmitatis humanae vitium contra fidei catholicae puritatem sanctitatemve morum invexerant„. Insuper

VI. apud hanc esse universalis ecclesiae magistratum, quo civitas haec Dei ordine ac pace disponatur et administretur. Accedit

VII. in hac sede collocatum esse supremum itidemque authenticum fidelium forum, per quod in salutis negotio humanae mentis tenebrae disiiciantur, dubia haesitantium dissolvantur, dissidentium quaestiones definiantur, diremptaque causa iusto in obnitentes iudicio animadvertatur. Tandem

VIII. apud eandem esse vim auctoritatemque summi principatus, a quo universale Christi regnum in terris ita temperetur, ut eidem contemperandum quodvis aliud inter homines regnum subordinandumque sit.

112. Scilicet actionum multiplicitati[3]) sua respondet varietas potentiae agendi, quae instituta analysi collatae Petro potestati clavium virtute atque δυνάμει inesse deprehenditur.

---

gicae tanti momenti ac pretii sint, eo quod praeter rem divinam et sacram complectuntur actionem publicam ac solemnem, qua episcopi aeque ac presbyteri aliique sacri ministri cum fideli populo iuncti piam religiosamque suam mentem ac sententiam coram Deo exprimunt, hinc ut sanctae semper ac integrae in ecclesia universa haberentur, praeter alia custodiendae rei praesidia romani pontifices sacris ritibus moderandis praefecerunt sacram congregationem, cuius sollertia ac vigilantia curaretur, ne vitia irreperent, et nihil nisi aptum et decorum admitteretur. Sed iuverit de his consuluisse ex antiquis Valfrid. abb. de reb. eccles. Isid. hisp. de eccles. offic. e recentioribus Benedict. XIV. de sacrif. miss. Cardin. Bona rer. liturg. lib. II. tum praestantem dissert. de liturg. mozarab. t. VI. Jul. ap. Bolland. et nunc cl. Mayer „die liturg. Behandl. d. Allerheil.„ cum append. Ratisbon. 1860. 1864.

[1]) Conc. tridentin. sess. XXII. cap. 8.

[2]) Scriptt. vett. nov. collect. praefat. t. X. p. VI.

[3]) Minor non est multiplicitas viae quam varietas mediorum, quibus pro sua potestatis plenitudine sedes romana usa fines suos, id est unitatem ac concordiam universalis ecclesiae diversis in ordinibus rerum consequitur. Quibus igitur mediis romana sedes pro insita sibi potestate utitur, ut per vitales suas actionesque capitales e nutu ac voluntate Christi universalem Dei ecclesiam gubernet et ad-

7. Romanae actionis organa ac media.

113. Verum id iam adumbrandum potius, quam explicandum superest, quo pacto suprema illa romani centri potestas actionem suam ad regendam continendamque universam ecclesiam πρακτικῶς explicet statosque sibi fines consequi adnitatur? quinam annuli per quos ad extremas usque partes virtus illius propagetur ac diffundatur? quaenam sint vincula, per quae Christi salvatoris familia maxima in perfecta unitate a patrefamilias copuletur? per quos artus nervosque a capite romano in totum ecclesiae corpus vitalis influxus motusque exerceatur atque dimanet?

a) Προθεωρία de capite corporisque membris.

114. Sed ad haec exponenda nihil aptius videtur, quam quod Thomas docet de habitu Christi capitis ad corpus ecclesiae; haec enim, de romano pontifice, qui tanquam caput visibile Christi partes explet, pro sua ratione ac proportione pariter valent, adeoque eadem distincte deprompta illi aptabimus. Itaque Thomae visum [1]) est „dicendum, quod in spiritualibus caput dicitur per transumptionem a capite corporis naturalis; et ideo consideranda est habitudo capitis ad membra, ut appareat, qualiter Christus sit ecclesiae caput„. Scilicet caput praedicatur per se primo ac proprie de corpore in ordine physico et naturali. Ab hoc ordine transfertur ad corpus in ordine morali ac spirituali, quale est ecclesia cuius caput visibile est romanus episcopus. Visne ergo nosse, quomodo ipse in corpus ecclesiae influat? Id collige ex analogia qua in corpus physicum ac naturale suum caput influit.

B. Thomas. Christus ecclesiae caput.

115. Hinc prosequitur doctor angelicus: „Invenitur autem caput ad alia membra esse in duplici habitudine, scilicet distinctionis et conformitatis; distinctionis quidem

I. quantum ad dignitatem, quia caput plene possidet omnes sensus, non autem alia membra.„ Atqui romanus pontifex caput est visibile ecclesiae; is ergo visibilis ecclesiae omnes sensus possidet, h. e. uti suos habet et continet; non autem vicissim.

---

ministret? Quum specialia multa sint, ad quaedam genera universim illa, ut est in textu superius, revocanda existimavi, quibus significatis disertae huic quaestioni satisfieret, qua via, quo pacto ac medio, romanae potestatis actio eaque centralis ad statam sibi metam apud ultimos etiam ecclesiae terminos pertingere connitatur?

[1]) De veritate q. 29. a. 4. in corp.

Sed sensuum varietati varietatem ordinis hierarchici sacerdotum respondere nemo [1]) negaverit. Hos ergo romanus pastor ad quem veluti particulares pastores referuntur et spectant, uti suos continet omnes. — Tum

II. idem pergit: „Secundo ratione gubernationis, quia caput omnia alia membra in suis actibus gubernat et regulat tam per sensus exteriores quam per interiores, qui in capite sedem habent„. Romanus itaque pontifex ecclesiae membra universa in suis actibus gubernat et regulat tam per sensus interiores [2]) quam per [3]) externos. Verum quo pacto influit?

III. „Tertio ratione causalitatis, nam caput influit omnibus membris sensum et motum, unde et medici dicunt, nervos a capite originem ducere et quidquid pertinet ad vires animales apprehensivas et motivas„. Jamvero uti nervorum locum in ecclesiastico corpore habent instituta ministeria et organicae prope connexiones graduum ministerialium, per quos agendi vis atque potentia a capite decurrit: ita ecclesiasticae potentiae agendique virtutis fons et radix est ipsum caput romanum, eius autem ratio ac forma est ipsa pastoralis potestas atque iurisdictio, qua regitur ac continetur unitas corporis: per illos igitur in universum ecclesiae corpus diducitur vis profecta a romano pontifice non secus ac quaevis totius ecclesiae ordinata motio atque directio.

116. Quibus de distinctione expositis angelicus pergit de altero capite: „Invenitur etiam triplex conformitas capitis ad membra„. Jamvero analoga conformitas triplex exsistit inter romanum ecclesiae caput totiusque ecclesiae membra. Sane audiatur maximus ille. „Prima quidem secundum naturam: nam caput et cetera membra partes sunt unius naturae„. Atqui ex hoc sequitur, ecclesiae, quae visibilis est, caput non esse nisi visibile posse. „Secunda, ratione ordinis: est enim quaedam ratio ordinis inter caput et membra, in quantum membra subserviunt sibi invicem, secundum quod dicitur prima Corinthiorum [4]) duodecimo„. Atqui hanc conformitatem subiectionis servant vel certe erga caput

---

[1]) Huc faciunt allata superius de analogia quinque patriarchatuum cum quinque sensibus.

[2]) Quibus respondent moderatores veluti congeniti et organa sacra.

[3]) His respondent potius rectores adsciti et organa etiam profana.

[4]) I. Cor. XII. 12. sqq.

ecclesiae servare tenentur omnia eiusdem ecclesiae membra. Sed accedit: „Tertia est ratione continuitatis: nam caput ceteris membris in corpore naturali continuatur„. Et continuatur etiam in ecclesiastico corpore, uti prius animadvertimus, caput romanum membris societatis catholicae. Quare constat quod doctor scholae subdit: „Secundum has ergo conformitates et distinctiones nomen capitis diversimode secundum metaphoram diversis attribuitur„. Atque ita aliter capiti ecclesiae invisibili Christo, de quo Thomas citatis locis, et aliter visibili capiti Petro eiusque romanis successoribus [1]) attribuitur. Verum ita aliter et aliter, ut perspicua similitudinis ratio subsistat.

117. Quae praestituta quum angelicus accuratius exponat et aptet invisibili capiti Christo, ipsum sequentes eadem accuratius visibili ecclesiae capiti aptabimus. „Quaedam enim sunt, inter quae est conformitas secundum naturam: et in his alicui eorum nomen capitis attribuitur ratione solius eminentiae seu dignitatis, sicut dicitur leo caput esse animalium, vel civitas aliqua caput regni ratione suae dignitatis: Caput [2]) Syriae Damascus. Quaedam vero habent conformitatem ad invicem secundum ordinis unionem, quia scilicet ad unum finem ordinantur; et istis attribuitur nomen capitis ratione gubernationis, quae est per ordinem ad finem, et sic principes dicuntur capita populi secundum illud [3]): Optimates capita populorum. Sed ubi est continuitas, dicitur caput ratione influentiae, sicut fons dicitur caput fluminis. Et istis tribus modis Christus secundum humanam naturam dicitur caput ecclesiae.„

118. Atqui tribus istis modis dicitur etiam romanus pontifex visibilis ecclesiae visibile caput. „Est enim, pergit Thomas de Christo capite, eiusdem naturae secundum speciem cum ceteris hominibus; et sic competit ei caput ratione dignitatis, secundum quod gratia in eo abundantior invenitur.„ Ita similiter romanus pontifex eiusdem naturae est secundum speciem non tantum cum fidelibus Christi omnibus, sed etiam cum episcopis ceteris; et sic competit ei caput ratione dignitatis, secundum quod abundantiori honore, uti principis successor Apostoli, dignus habetur. Sed hoc parum

---

[1]) De quibus diximus libro superiori c. IV. n. VIII. 2. 3. pp. 139. 151. sqq. sed de eadem re egregie disputat Martin. Becan. man. controv. l. I. c. 4.

[2]) Isai. VIII. 8.

[3]) Amos. VI. 5.

foret. „Est etiam in ecclesia invenire ordinis unitatem, secundum quod membra ecclesiae sibi invicem deserviunt, et ordinantur in Deum; et sic Christus dicitur ecclesiae caput ut gubernator.„ Ita pontifex romanus cui episcopi omnes cum suis fidelibus subiiciuntur, ecclesiae caput est ut gubernator. Verum „Est etiam in ecclesia continuitas quaedam ratione Spiritus sancti, qui unus et idem numero totam ecclesiam replet et unit: unde etiam et Christus secundum humanam naturam dicitur caput ratione influentiae.„ Pariter unica est potestas regiminis [1]) quae ab uno Spiritu sancto per unum romanum pontificem totam Dei ecclesiam amplectitur et unit; unde etiam romanus episcopus dicitur caput ratione influentiae.

119. Sed quemadmodum Christus caput invisibile [2]) per *ὄργανα* multiplicia ac varia, interna et externa, ordinaria et extraordinaria in sui corporis membra influit, ut eadem ad se trahat et inter se uniat; ita in ordine visibilitatis vicarium illius caput multiplici ac vario mediorum et *ὀργάνων* genere, ordinario et extraordinario, domestico prope eoque, ut ita loquar, homogeneo et externo potius eoque heterogeneo uti potest ac solet.

b) *Ὄργανα* actionis ordinata divinitus ac media.

120. Et ordinata quidem adest divinitus *οἰκονομία*, vi cuius gregem universum sibi commissum romanus episcopus pascat, ipsa est pastorum hierarchia. Pascit igitur illum, dum primum ac potissimum in hosce particulares obnoxios gregum pastores ipse universalis atque supremus gregis pastor pro capitis auctoritate potestateque influit. Pro hac autem sua ratione, quae iugis est ac continua, neque ab adiunctis mutatur aut cessat, influit non modo quum secundum ordinarium communemque rerum cursum ad dispersos in suis ecclesiis episcopos potestatem auctoritatemque suam dilatat atque diffundit, sed etiam tum et multo quidem effi-

---

Thomas. [1]) Ad rem iterum faciunt quae b. Thomas habet ibidem a. 5. „Caput corporis mystici similitudinem habet cum capite corporis naturalis. Sed ad perfectionem corporis naturalis requiritur, quod sit in eo vis sensitiva plenissima, ad hoc quod sensum in membra refundere possit. Ergo in Christo, ad hoc quod sit caput, requiritur gratiae plenitudo.„ Quae si ratione analoga de capite ecclesiae visibili adhibeantur, id liquet, in romano pontifice ad hoc quod sit caput gubernationis, requiri potestatis plenitudinem ut perfectam refundere in ecclesiam vim actionemque possit.

[2]) Cf. Becan. l. c. nn. 2. sqq.

cacius atque solemnius, quum contractione ac recapitulatione facta ad collectos fratres in unum eandem [1]) intendit.

121. Unde nemo non videt, quam absonum fuerit arbitrari, vim potestatemque capitis in congenita legationis ministeriique pastoralis membra, episcopos, *οὐσιωδῶς* sibi propriam infringi ob locum propemodum, quo inveniuntur, vel propterea everti, quod illorum prope statio ex accidente et *κατὰ συμβεβηκὸς* mutata videatur. Enimvero tantum abest, ut ideo capitis ad membra simul unita habitus ac influxus debilitetur inminuaturque, ut, quanto in eiusmodi adiunctis ad corporis actionisque unitatem necessarius magis, tanto fortior potiorque habendus sit. *Caput concilii.*

122. Sed quod ad habitum ipsum influxumque iam attinet, capitis vim et supremi pastoris auctoritatem romanus episcopus in ecclesiasticam pastorum *ἱεραρχίαν* et *οἰκονομίαν* exercet, non eo tantum officio ac iure

1. quo singulis illorum in particulares suos greges iurisdictionem concedat, sive ipsos a semet electos mittat, missisque gregis sui portionem regendam adsignet, sive pro statis iam circumscriptisque portionibus gregis electos probet propositosque confirmet: neque eo tantum

2. quo positos semel pastores in suis pastorum iuribus tueatur et contra iniustos adgressores defendat ac muniat: sed eo etiam

3. quo singulos pro necessitatibus ac commodis gregum rite ad pastoralia sua obeunda munia hortetur et excitet, tum omnes in pastoratus unitate servanda moderetur ac temperet. Hinc vero speciatim

4. influit in illos uti supremus testis, magister et iudex normam praemonstrando, legem docendo, dubia quaestionesque

---

[1]) Et eam intendit tam iuridica ac legitima conciliorum convocatione, quam iure in iis praesidendi non titulo tantum honoris sed auctoritatis, et denique confirmatione eorundem eaque suprema atque authentica. Hinc Becanus l. c. nn. 76. sqq. adductis M. Ant. De Dominis difficultatibus, quas hic e Gregorii et Pelagii verbis ap. Gratian. dist. 29. cap. Nullus. petivit, primum ipsas pontificum illorum sententias plenas opponit, tum concludit: „Quibus verbis fatetur (Pelagius) haec tria: 1. auctoritatem convocandi generalem synodum singulari privilegio traditam esse apostolicae sedi. 2. Nullam synodum ratam esse, quae apostolica auctoritate non sit firmata. 3. Pontificem posse excommunicare episcopos orientales.„ Sed idem contestatur Evagrius schol. h. e. I. II. c. 4. ap. Mign. t. $^{86}/_{2}$. p. 2504. itemque Hadrian. ep. ad Taras. in conc. nicaen. II. act. II. ap. Harduin. IV. 102. *Becanus.*

solvendo, dirimendo, definiendo: porro uti supremus pastor, qui in via dirigit tenenda, in prosequenda admonet, ad eam revocat, corrigit [1]) et animadvertit, facultates illis iurisdictionisque potestatem modo restringit modo dilatat, largitur et concedit, vel tollit ac suspendit; atque ita influit

5. in variis illis rerum causarumque ordinibus omnibus, quos superius de romani centri actione statuentes enarravimus: influit porro

6. tam in causis ordinandis privatis et particularibus, quam publicis atque communibus.

Influendi via.

123. Influendi autem via ac modus est rursum varius ac multiplex. Nimirum pro varietate causarum [2]) influit ac rerum gravitate

1. tum per litteras sive particulares quibus singulos distribute, sive per encyclicas quibus plures vel omnes coniunctim ipse convenit, tum per legatos viros ac missos influit [3]) in eosdem subiectos sibi pastores: sed insuper influit

---

[1]) Vide ep. Dardan. ad Gelasium t. 59. ap. Mign. lat. PP. t. 59. pp. 21. sqq.

[2]) Hinc exstant pontificum documenta ad patriarchas, ad metropolitas, omnesque simul episcopos: ad synodos dioecesanas, provinciales et nationales.

Basilius.

[3]) Ad rem tota facit magni Basilii ad Damasum data epistola LXX. ap. Mign. gr. PP. t. 32. p. 434. qua rogat, ut ex more et instituto praedecessorum suorum ad curanda orientis mala aut veniat ipse aut legatos mittat, aut litteris succurrat. Praeter alia haec adduxisse satis est: *Ἡ ἀνατολὴ πᾶσα σχεδὸν, τιμιώτατε πάτερ (λέγω δὲ ἀνατολὴν τὰ ἀπὸ τοῦ Ἰλλυρικοῦ μέχρις Αἰγύπτου) μεγάλῳ χειμῶνι καὶ κλύδωνι κατασείεται, τῆς πάλαι μὲν σπαρείσης αἱρέσεως ὑπὸ τοῦ ἐχθροῦ τῆς ἀληθείας Ἀρείου, νῦν δὲ πρὸς τὸ ἀναίσχυντον ἀναφανείσης, καὶ οἱονεὶ ῥίζης πικρᾶς καρπὸν ὀλέθριον ἀναδιδούσης, κατακρατούσης λοιπὸν διὰ τὸ τοὺς μὲν καθ᾽ ἑκάστην παροικίαν προεστῶτας τοῦ ὀρθοῦ λόγου ἐκ συκοφαντίας καὶ ἐπηρείας τῶν ἐκκλησιῶν ἐκπεσεῖν, παραδοθῆναι δὲ τοῖς αἰχμαλωτίζουσι τὰς ψυχὰς τῶν ἀκεραιοτέρων τὴν τῶν πραγμάτων ἰσχύν· τούτων μίαν προσεδοκήσαμεν λύσιν τὴν τῆς ὑμετέρας εὐσπλαγχνίας ἐπίσκεψιν· καὶ ἐψυχαγώγησεν ἡμᾶς ἀεὶ τὸ παράδοξον τῆς ὑμετέρας ἀγάπης ἐν τῷ παρελθόντι χρόνῳ, καὶ φήμῃ φαιδροτέρᾳ πρὸς βραχὺ τὰς ψυχὰς ἀνεῤῥώσθημεν, ὡς ἐσομένης ἡμῖν τινος ἐπισκέψεως παρ᾽ ὑμῶν. Ὡς δὲ διημάρτομεν τῆς ἐλπίδος, μηκέτι στέγοντες ἤλθομεν ἐπὶ τὴν διὰ τοῦ γράμματος ἡμῶν παράκλησιν, διαναστῆναι ὑμᾶς πρὸς τὴν ἀντίληψιν ἡμῶν καὶ ἀποστεῖλαί τινας τῶν ὁμοψύχων ἢ τοὺς συμβιβάζοντας τοὺς διεστῶτας, ἢ εἰς φιλίαν τὰς ἐκκλησίας τοῦ θεοῦ ἐπανάγοντας, ἢ τοὺς γοῦν αἰτίους τῆς ἀκαταστασίας φανερωτέρους ὑμῖν καθιστῶντας· ὥστε καὶ ὑμῖν φανερὸν εἶναι τοῦ λοιποῦ, πρὸς τίνας ἔχειν τὴν κοινωνίαν προσῆκε. Πάντως δὲ οὐδὲν καινὸν ἐπιζητοῦμεν ἀλλὰ τοῖς τε λοιποῖς, τῶν πάλαι μακαρίων καὶ θεοφιλῶν ἀνδρῶν σύνηθες, καὶ διαφερόντως ὑμῖν, οἴδαμεν γὰρ μνήμης ἀκολουθίᾳ παρὰ τῶν πατέρων ἡμῶν αἰτηθέντων, καὶ ἀπὸ γραμμάτων τῶν ἔτι καὶ νῦν πεφυλαγμένων παρ᾽ ἡμῖν διδασκόμενοι, Διονύσιον ἐκεῖνον, τὸν μακαριώτατον ἐπίσκοπον, παρ ὑμῖν ἐπί τε ὀρθότητι πίστεως καὶ τῇ λοιπῇ ἀρετῇ διαπρέψαντα, ἐπισκεπτόμενον*

2. dum vicissim ipsum conveniunt illi, sive mediate per delegatos litterarumque commercium sive inmediate ac in persona, ut aiunt, idque vel pro stabili ordine ac lege vel pro supremi hierarchae nutu, et tum rursus aut seorsum singillatimque accedunt, aut una plures coniunctimque multi vel plurimi pro adiunctorum conditione [1]) causarumque communitate coadunantur. Iam vero

3. in eiusmodi causis communibus aeque ac gravioribus, supremum pastorem non una ratione suam capitis vim auctoritatemque exserere in particulares episcopos valere, compertissimum est: aliter itaque eam exercet

---

διὰ γραμμάτων τὴν ἡμετέραν ἐκκλησίαν τῶν Καισαρέων, καὶ παρακαλοῦντα τοὺς πατέρας ἡμῶν διὰ γραμμάτων, καὶ πέμπειν τοὺς ἀπολυτρουμένους ἐκ τῆς αἰχμαλωσίας τὴν ἀδελφότητα: „Omnis propemodum oriens, Pater colendissime (dico autem orientem quidquid ab Illyrico ad Aegyptum) ingenti tempestate ac aestu exagitatur: cum dudum quidem sparsa haeresis ab inimico veritatis Ario, nunc vero imprudenter emergens, ac veluti radix amara fructum exitiosum proferens iam dominetur; propterea quod sanae doctrinae in unaquaque paroecia signiferi per calumniam ac iniuriam exciderunt ecclesiis, tradita autem his, qui simpliciorum animas captivas ducunt, rerum potestas. Horum unicam solutionem exspectavimus, miserationis vestrae visitationem, ac nos semper consolata est mirabilis vestra caritas praeterito tempore et laeto rumore allato, fore ut a vobis inviseremur, animis ad breve tempus corroborati sumus. Postquam autem spe excidimus, non iam amplius ferentes, eo devenimus, ut vos per litteras obsecremus, ut ad opem nobis ferendam excitemini, et ex his qui idem ac nos sentiunt mittatis aliquos, qui vel dissidentes concilient, vel Dei ecclesias ad amicitiam reducant, vel saltem perturbationis auctores vobis clarius indicent, ita ut deinceps vobis manifestum sit, quibuscum communionem deceat habere. Omnino autem nihil exposcimus novi.„ Id probat tum e monumentis elapsae aetatis tum nominatim „per beatissimum illum episcopum Dionysium, qui, inquit, apud vos et recta fide et reliquis virtutibus enituit, invisisse ecclesiam nostram Caesariensem et patres nostros per litteras consolatum esse ac misisse, qui fratres captivos redimerent.„ Quibus gemina repetit ep. LXIX. data ad Athanasium episcopum alexand. Inde ergo a Petro et Clemente romano et porro continua serie romani pontifices modo propria licet rariori visitatione, modo per legatos, modo per suas apostolicas litteras auxilio praesidioque erant universae Christi ecclesiae.

[1]) Ad p. I. op. M. Mercatoris apend. II. dissertat. II. de synod. habit. in causa pelag. n. VII. ap. Mign. lat. PP. t. 48. p. 337. adnotat eruditissimus Garnerius S. J. „Solemne fuit et vix non religiosum, decretales epistolas de dogmatibus praesertim nonnisi in concilio scribere, et inde in universum orbem mittere . . . Quid quod romani pontifices, quod Lucas Holstenius erudite monuit (in not. ad synod. rom. sub Bonifac. II.) in more positum habebant, episcopos de rebus magni momenti ad se venientes e provinciis et praesertim e conciliis audire in coetu, non tantum urbici cleri, sed etiam episcoporum, sive qui forent in urbe, sive qui e vicinis locis evocarentur.„ Quanta vero romani pontificis iura in causis fidei haberentur in auctoritate ibidem docemur. *Garner.*

Varius causas cum episcopis dirimendi modus. a) si causam iis diremptam proposuerit, sua plenitudine utens testis, magistri et iudicis; tum aliter

b) si servato sibi soli tam magisterio quam iudicio, illos uti contestes adhibuerit: iterum aliter

c) si in partem tum testium tum magistrorum illos vocaverit reservatis sibi soli iudicis partibus: et aliter tandem

d) si hanc quoque provinciam eosdem suscipere iusserit, ubi unum hoc, quod sibi soli essentiale et proprium et cum nemine communicabile est, efficit, ut per suum suffragium testificationi, doctrinae iudicioque reliquorum inmutabilem porro vim ratae fixaeque sententiae [1]) inprimat.

124. Quodsi modos priores romanus praesul adhibere communiter solet apud episcopos dispersos, posterior usitatus recurrit in conventibus synodorum, et ne in his quidem semper citra necessarias suas [2]) iudiciorum praeformationes. Id autem liquet ex omnibus, sacram ecclesiae hierarchiam ad *μοναρχίαν* revocari [3]), quatenus ab uno principio ac capite romano sacer multorum principatus proficiscitur et ad idem rursus recapitulatur. Hinc enimvero fit, ut ecclesia Dei ab episcopatu amplissimo in summa unitate, harmonia, concentu gubernata regatur.

c) *Ὄργανα* actionis inmediata ac varia.

125. Verum eiusmodi habitu exercitioque auctoritatis non absolvitur universalis ac supremi pastoris ratio influendi in totam ecclesiam. Uti enim ille in hanc universam potestatem habet inmediatam; ita in eam non mediate tantum per alios divinitus positos episcopos atque pastores influit. Sed influit rursum multifariam multisque modis ac viis inmediatis sibique propriis. Et

Litterae. 1. ipse unus convenit gregem universum, ubi visum fuerit, litteris encyclicis, quas adeo vere catholicas dicere fas est: ipse

---

Zosimus. [1]) Ad rem omnino facit Zosimi epistola data „Aurelio ac ceteris qui in concilio carthaginiensi adfuerunt„ ap. Aug. opp. t. X. append. p. 104. de qua vide sis infra, ubi de irreformabili pontificis iudicio.

[2]) De his suus inferius dicendi locus est.

[3]) Confer quae explicata superius fuerunt de ecclesiae unitate, vi cuius *ἔκτυπος* est *ἀρχετύπου* divinorum atque coelestium, in quibus nihil custodiendum sanctius *μοναρχίας* dogmate: Unus illic est in omnibus: ab infimis ordinibus per gradus propemodum adsurgitur ad principium omnium, qui est Sanctus Sanctorum, unde tota in coelis nominatur *ἱεραρχία*: ita in terris ecclesia multimodis societati coelesti coniuncta constituitur una *ἱεραρχία*, in qua datur pariter unus, qui apicis instar ac fontis sit, ad quem rediguntur et a quo defluunt apud ecclesiam universa. Vide Bedam t. V. p. 219.

2. unus iterum, uti ius, ita antiquum habet usum, pro officio pastorali in varias orbis plagas suos mittendi legatos[1]) qui gregis statum suo nomine inspiciant, visibili sua vivaque repraesentatione efficacius cum capite membra copulent, illius iura, quae sunt totius ecclesiae, tueantur, atque multiplicibus fidelium commodis ex mandato prospiciant ac consulant. Influit ipse *Legati.*

3. tum legibus, praescriptis et ordinationibus pro universa ecclesia statutis, et iis in variis omnibus illis rerum ordinibus de quibus superius diximus: dogmaticis, inquam, moralibus et asceticis, liturgicis et sacris, iuridicis et disciplinaribus, iisque emanatis sive pro ecclesia universa sive pro maiori minorive eiusdem parte secundum varietatem causarum. Influit porro *Mandata.*

4. per responsa data ad proposita dubia quaestionesque in causis quoque particularibus fidelium sive seorsum sive plurium simul. Influit in gregem tandem *Responsa.*

5. non quidem διδακτικῶς; verum potius πραγματικῶς, quatenus romana ecclesia παράδειγμα est et τύπος reliquarum ecclesiarum omnium, quatenus in illa apostolicus itemque catholicus servatur character, et quatenus propterea hinc inde a nocivis periculosisque[2]) aliena excessibus integram in semet et obiective exprimit θεωρητικὴν καὶ πρακτικὴν regulam ac normam. Sed enimvero haec illius ecclesiae species ac forma exstante facto, et publico et omnium patente oculis, et eo quidem iugi ac continuo continetur, adeo ut phari instar sit, e quo lumen salutare navigantibus per noctem et tenebras eluceat, utque vere petra salutis exsistat in vasto mari prominens, ad quam adpellentes tuto consistant, et contra fluctuum inpetus turbinesque infidelitatis ac inpietatis perversae protegantur et praeserventur. *Exemplar.*

126. Hinc etiam factum est, ut

I. tanta aliquando frequentia undique fideles cuiusvis nationis, ordinis[3]) ac conditionis[4]) ad illam sedem ecclesiamque adcur-

---

[1]) Hoc ius, mittendi legatos tam ordinarios quam extraordinarios vindicatur in respons. SS. D. N. Pii VI. ad quatuor metropolitas l. s. c. *Pius VI.*

[2]) Id praeclare habet Hagemann. Eccles. Rom. eiusque influxus in disciplin. et dogma ap. Herder 1864. praefat. pp. 3. sqq.

[3]) Cf. Anastas. bib. p. 67. in vita s. Gregorii II. „Teudo dux gentis Baioariorum ad Apostoli b. Petri limines primus de gente eadem occurit„: in vita s. Zachariae p. 79 de Carolomano filio regis Francorum, qui ad b. Petrum devotus advenit, deque Ratchis longobardorum rege qui „cum uxore et filiis ad b. Petri limina se recepit„: Gregorii VII. ep. 44. ad Judith. regin. Hungariae de huius matre quae Apostolorum limina tota devotione complectitur: et alia passim ibid.

[4]) De quo vide sis ap. Thomassin. Vet. et nov. eccles. disciplin. t. I. par II. l. 3, c. 40.

Limina Apostolorum. rerent, ut fidei pietatisque apostolicae purissimos latices ibidem inbiberent[1]) et secum ad sua referrent, unde securius viam christianae salutis alacriusque prosequerentur. Hinc

II. olim ad peregrinationes adeo salubres confovendas collata studia[2]) utriusque potestatis tam civilis quam ecclesiasticae. Sed huc facit etiam illud solemnissimum

Jubilaei. III. quo agmine veluti facto orbis prope totius fideles statis a summo pastore temporibus ad romana Apostolorum limina conveniunt, ut ecclesiam catholicam in unum illic collectam videre sit, neque secus peripheria omnesque circuli orbis catholici in centrum vicissim concurrere ac propemodum cum eo confundi videantur, ac centrum eiusque radii quaquaversus continuo excurrant, et ad omnes peripheriae particulas lux ac ignis coelestis diffundantur atque propagentur. Sed hinc etiam

Nationumcollegia. IV. studia conatusque virorum illustrium, scientia non minus quam sanctimonia venerabilium, deque ecclesiae promovendo bono commodoque[3]) maxime post scissiones apertumque bellum contra Petri cathedram plurimum sollicitorum, ut in eiusmodi centro catholicitatis totius, ubi institutionem apostolicam non scriptae modo litterae docent, sed omnigena piae antiquitatis monumenta in quovis artium ordine vel ipsis contuendam oculis praebent, ubi ipso prope aere respirari apostolicam fidem dixeris spiritumque catholicum, nationes omnes sua habeant studiorum domicilia suasque institutionis sedes, in quibus educentur formenturque iuvenes, qui repleti sentiendi apud ecclesiam romanam agendique more eundem ad sua reversi apud suos servent, promoveant, tueantur, atque sic facilius conspiratio ac coniunctio animae omnium et cordis cum principali sede et obtineatur et augeatur et vigeat. At vero huc postremo

Religiosae familiae. V. ipsi quoque religiosorum ordines conferunt, qui quemadmodum in sancta Dei ecclesia perfectionis christianae flores haud praeferunt citra vitae normam apostolica auctoritate probatam; ita, ut par est, capita illorum plerorumque omnium ad apostolicum veritatis fontem ac in terris summum de sanctitate iudicem com-

---

[1]) Notum est inde a prima ecclesiae aetate vel ipsos orientales magistros atque doctores ad veram Apostolorum traditionem hauriendam petiisse Romam, uti traditur de Hesychio, Origine, Pierio, aliis.

Anastas. bib. [2]) Cf. Anastas. bib. in vit. Stephani III. p. 81. qui „duo fecit xenodochia„ sed de erectis pro peregrinantibus in urbe domibus vide plura ap. Moron. diction. eccles. ad v. benefic.

[3]) Cf. Cordara histor. Coll. Germ. Hung. coll. Theiner op. de seminar.

morantur atque consistunt, tam ut propinquius inmediateque filios suos illi coniungant atque subiiciant, quam ut pro nutu eiusdem certiorem promptioremque in eosdem filios suos moderationem exerceant. Sed quot inde vinculis quamque arctis christiana societas cum romano centro colligetur, diffitebitur nemo, qui familiarum religiosarum coniunctionem spectaverit hinc, et inde earum vocationem, qua ad ipsas quoque singulariter illud spectat: „Vos estis sal terrae.„ Ubi non est praetereundum, quod inter illas non desunt [1]), quibus id voti sacramento propositum est, Petri successoribus ad nutum serviendi, eorumque causam ex animo ubique adserendi ac vindicandi.

127. Quanti porro valoris ac pretii communicationis unionisque illa fidelium cum suo capite media atque ligamina fuerint, id demonstrarunt semper portae inferi romanae petrae ab antiquo et porro hostiles, et evidentissime eaedem illud usque patefaciunt. Abscindere a capite suo corpus satagunt, adeoque nexus et vincula infringunt, disrumpunt: ex illis alia odio inplacabili usque ad interitum persequuntur, alia vigere non sinunt, inpediunt alia et alia tollunt, hoc denique ipsum moliuntur, ut sibi illa obnoxia suisque commodis plus minusve servilia reddant. Sed hinc e contrario romanorum pontificum totiusque ecclesiae studia, cum ad servanda vincula illa firmiusque nectenda, tum ad eadem vindicanda ac contra nefarios adgressorum ausus [2]) tuenda. In iis enim nervi ecclesiasticae vitae, quae a capitis cohaesione cum membris dependet, siti omnino sunt, adeo ut illis vel corroboratis vel infirmatis vel abruptis ecclesiae vita aut viget aut languet aut exstinguitur. *Hostes.*

8. Romana actio in societatem civilem.

128. At vero fugere et illud considerantem neminem potest, enarrata vincula societatis romanae itidemque catholicae suopte ingenio conserta penitissime esse cum externa eademque civili humanae societatis conditione. Hac enim perturbata dissolutaque in se ipsa, praecisa et illa perturbataque iacent: ea exterius quidem pacata, minime vero in ordine ad Deum interiusque rite *Romanae actionis ordinata conditio.*

---

[1]) Huc pertinet inprimis fundata a s. patre Ignatio de Lojola societas Jesu.

[2]) Sufficiunt, quod ad religiosos spectat, cum Syllabi propp. LII. sq. Pii IX. acta, de quibus vide sis op. de Papa et ideis recent. fasc. II. pp. 6. sq. 32. sq. 79. fasc. III. pp. 46. sq. 71. 126. 148. 179.

composita, profecto et illa labefactantur vel penitus etiam inpediuntur: tantum ordinata eadem probe secundum hominum fines tam proximum quam ultimum, suam sibi et illa prosperitatem polliceri valent. Atqui civilis societatis ordo a regimine pendet. Hinc apparet, cur [1]) Apostolus primo loco orandum praescripserit pro iis omnibus, qui societatem moderantur civilem. Sed inde etiam est, cur successores in cathedra κατ' ἐξοχὴν apostolica et hoc ipsum tanta semper cura ac sollicitudine [2]) iniunxerint, et principatibus atque imperiis in Christi regnum adsertis pro officio summi pastoratus suaviter et fortiter christianos principes admonuerint, ut rem publicam administrare via ac modo velint, quo sic commodis temporalibus consulatur, ut aeternae res nihil patiantur detrimenti, utque subditos sibi tanquam regni temporalis praepositis voluerint sic adhaerentes, ut eosdem veluti filios spirituales a suo patre eoque aeterni regis vicario avulsos noluerint.

Romana de imperio cura.

---

[1]) I. Tim. II. 1. sqq. de quo vide sis lib. I. c. II. n. XVI. pp. 51. sqq. Sed operae pretium est, quae non semel de subditorum erga principes officiis in suis allocutionibus aeque ac litteris encyclicis inculcavit Pius IX diligenter expendere. Cf. litt. encyclic. d. 9. Nov. 1846. allocut. d. 4. Octob. 1847. encycl. d. 8. Decemb. 1849. litt. ap. d. 26. Mart. 1860. atque encyclic. cum Syllabo d. 8. Decemb. 1864. de quibus vide sis op. de Papa ideisque recentibus vol. I. II.

Pius IX.

[2]) „Docete, inquit Pius nonus, in postrema sua encyclica ad ecclesiae totius pastores, catholicae fidei fundamento regna subsistere (s. Coelestin. ep. 22. ad synod. ephes. ap. Coust. p. 1200.) et nihil tam praeceps ad casum, tam expositum ad omnia pericula, si hoc solum nobis putantes posse sufficere, quod liberum arbitrium, cum nasceremur, accepimus, ultra iam a Deo nihil quaeramus, idest, auctoris nostri obliti, eius potentiam, ut nos ostendamus liberos, abiuremus (s. Innocent. I. ep. 29. ad episc. conc. carth. ap. Coust. p. 891.)„ Quo spectant etiam praeter alia quae ad imperatores scripsit Agatho papa litteris lectis in sexto concilio oecumenico ap. Harduin. t. III. p. 1115. act. IV. „Omnium bonorum spes inesse praenoscitur, dum imperiale fastigium eius, a quo se coronatum et hominibus praestitutum ad salubriter gubernandum cognoscit, veram confessionem, qua sola prae omnibus muneribus delectatur, inquirit fideliter et vivaciter amplecti desiderat. Et hoc Dei praestantissimum munus est, a quo procedit omne quod bonum est. Et unde in terrestribus felicitatem donet, et gentes subiuget universas, quas ad verae de se cognitionis confessionem adsciscat: quas subiectas christiano imperio de potestate liberet tenebrarum: ut felices faciat humiliatos, quos infeliciter exaltari ad eorum deiectionem permiserat.„ Quibus altissima Dei consilia cum regnis atque principibus per eorundem humiliationem et exaltationem mirifice exponuntur: sed et illud ibidem p. 1123. clare edicit Agatho, eo spectare imperium eoque magnos spectare catholicos imperatores: Constantinum, Theodosium, Marcianum, Justinianum „ut apostolicae fidei confessio omnibus praedicari et apud omnes vim obtinere iubeatur.„

Pius IX. — Agatho pap. — Imperii imperantisque finis.

129. Verum ex eiusmodi nexu, qui varius aeque ac intimus est, multiplex non minus ac valida dependet influendi ratio, quam romanus pontifex exercet cum in habitum coniunctionemque utriusque societatis tum in societatem vitamque omnem humanam. Et quod ad habitum illum attinet, haec animadverti haberique ob oculos debent: *Varia influendi vis ac ratio.*

1. in regnis, imperiis et cuiusvis regiminis formae societatibus hominum, quae catholicae dicuntur et sunt, regulam normamque supremam esse ecclesiae doctrinam ac legem, contra quam sive permittere sive praecipere aliquid nefas habeatur, et quam custodire custodiendamque curare verum ducatur officium[1]) summumque [2]) reipublicae bonum. Quatenus igitur romanus episcopus ecclesiae totius et doctor est et legislator, eatenus in fidelium hominum quamvis influat societatem oportet. Hinc

2. accedit, principes rerumque publicarum moderatores, qui catholici vere dicantur et sint, quum gubernationem administrationemque reipublicae ad doctrinam et legem, ad mentem spiritumque ecclesiae attemperatam velle profecto debeant, si quae in eiusmodi negotio ac studio obortae fuerint difficultates, inpedimenta, dubia, sive haec theoretica ac cognitionis sive practica operationisque exstiterint, ab ecclesiastico magisterio, et in maioris

---

[1]) Quum societas catholica, quae romanam unitatem constituit, divinae originis sit, primum sane locum lex eius obtinet, et in quovis officiorum concursu obnoxia illi quaelibet alia societas humana sit: porro quum eadem illa ad salutem hominum necessariam aeternamque fuerit divinitus instituta, fieri non potest, quin eiusdem lex et profectus veris hominum commodis in aliis quoque hominum ordinibus non plurimum conducat et prosit. Hoc est quod rursum in nuperrimis suis encyclicis litteris SS. D. N. Papa Pius IX. universos ecclesiae episcopos docere iubet: „Atque eisdem fidelibus inculcare numquam desinite, omnem veram felicitatem in homines ex augusta nostra religione eiusque doctrina et exercitio redundare ac beatum esse populum, cuius Dominus Deus eius.„ (Ps. CXLIII. 15.) *Ab ecclesia societatis bonum.* *Pius IX.*

[2]) Id in celeberrima iterum encyclica epist. emanata d. 8. Decemb. 1864. praecipit docere gloriosissimus noster Pius Papa nonus: „Atque etiam ne omittatis docere, regiam potestatem non ad solum mundi regimen, sed maxime ad ecclesiae praesidium esse collatam (s. Leon. ep. 156. al. 125.) et nihil esse, quod civitatum principibus et regibus maiori fructui gloriaeque esse possit, quam si, ut sapientissimus fortissimusque alter praedecessor noster s. Felix Zenoni imperatori praescribebat, ecclesiam catholicam . . . sinant uti legibus suis, nec libertati eius quemquam permittant obsistere . . . Certum est enim, hoc rebus suis esse salutare, ut cum de causis Dei agatur, iuxta ipsius constitutum regiam voluntatem sacerdotibus Christi studeant subdere, non praeferre (Pius VII. epist. encyclic. Diu satis. 15. Maii 1800).„ Coll. Aug. con. Crescon. l. III. 57. *Pius IX.* *S. Leo.* *S. Felix.* *Pius VII.*

momenti negotiis a magistro ipso supremo atque universali petere oportere, quid tenendum agendumve, ut ecclesiae, suo officio propriaeque conscientiae faciant satis. Sane

3. quum totius catholicae ecclesiae gubernatio uni capiti ideo sit attributa, ut socialis unitas et uniformitas servetur, manifestum est, quae sunt maioris momenti, quae in totius cuiusdam gregis rationem ac vitam externam influere, eandem inmutare, vel etiam discrepantias diversitatesque inter particulares greges inducere valerent, ea non posse a particulari obnoxioque pastore, sed ea debere a supremo capite decidi. Et eiusmodi profecto illa sunt, quibus in multiplici utriusque societatis contactu, sive generatim sive speciatim et in causis particularibus, habitus societatis profanae ad ecclesiasticam continetur ac determinatur. Unde

Conventiones concordiae.

pacta illa, quibus ad vitanda dissidia inter utramque societatem conventione facta certae lineae iuris officiique mutui ducuntur, suprema inter principum regimina romanumque pontificem. Quae quidem pacta, uti ad iura ordinemque ecclesiae tuenda, romanae ecclesiae maxime tum visa sunt opportuna, quum eius lex pro tota sua dignitate atque pleno valore iam amplius non attendatur; ita illorum necessitas minor aut nulla, ubi lex unitatis romanae ex animo habetur et sincere observatur veluti summa societatis regula ac norma.

Commercium multiplex.

130. Sed nemo non videt, quot hinc romanae sedis vincula quotque oboriantur commercia cum reipublicae rectoribus cumque universa per orbem hominum societate, quanta in illam influendi ratio et actio! Et tanto illa magis fovenda communibus aeque ac singularibus mediis contrahendaque sedes Petri studet, quanto ad ecclesiae bonum procurandum aptiora et ad salutarem actionem suam exercendam amplius videntur conducere. Et quanto penitius regnorum publicarumque rerum moderatores christiana sapientia excelluere, spirituque ecclesiae catholicae fuerunt repleti, tanto vehementius in hominum externa quoque felicitate promovenda procurandaque sui essesemper duxerunt officii, non qualemcunque cum regno Christi, cum eius rectoribus ac summo nominatim gregis pastore concordiam inire, sed omni qua valerent potestate efficere, ut secundum voluntatem Dei per Christi ecclesiam debito ordine homines tam singuli quam coniuncti ad Deum dirigerentur ac tenderent.

Imperium catholico-romanum.

131. Quod quidem ea tantum conditione efficitur, si sepositis opinionibus praeconceptis in divino-humanam illam societatem,

nullis ministri eius impedimentis turbentur, verum satius iuventur auxiliis, ut divinam suam ad populos missionem efficacius faciliusque expleant, populi vero eandem paratius excipientes, vocem illorum audiant atque sequantur: et illam quidem audiant atque sequantur, sive fidem doceant, sive mores praedicent, sive cultum Deo tribuant tribuendumque praescribant, sive leges proponant, vel alia apud ecclesiam Dei probata receptaque pietatis ac christianae perfectionis praesidia tradant atque commendent.

132. Atqui inter Christi ministros excellit Petri successor, de quo uno illa Pauli *κατ᾽ ἐξοχὴν* plenissimeque valent: „Legatione pro Christo fungimur.„ Is enimvero solus Christi in terris vicarius dicitur et est. Quare quemadmodum penes romanum pontificem suprema est moderatio et universalis directio totius evangelicae illius missionis; ita ubi humana societas sive respublica vere catholica sit, non sufficit, ut fideles seorsum privatimque ad nutus successorum Petri dociles exsistant; sed requiritur omnino, ut quod maximi quique principes praeclaro regiminis exemplo[1]) praemon-

---

[1]) Quum nostrum non est, historiam texere illustrium omnium imperatorum, regum ac principum, speciminis gratia aliquot ex illis commemorasse satis est. Et omisso Constantino magno imperatore, qui primus romani imperii sceptrum *Constantin.* christianum fecit, atque eximiis laudum encomiis ab Hadriano ep. ad imperat. ap. Harduin. t. IV. p. 80. uti exemplar proponitur: digna sunt, quae cod. Theodos. ll. I. II. coll. Aug. epp. 105. 87. Valentinianus et Valens ad Julianum proc. Afric. quaeque an. 377. Valens, Gratianus et Valentinianus ad Flavianum Vicar. Africae scripsere: „Nil aliud praecipi volumus, quam quod evangeliorum et Apostolorum fides et traditio incorrupta servavit; sicut et lege divali parentum, Constantini, Constantis, Valentiniani decreta sunt„ et quae cod. Theodos. cp. 22. an. 392. Theodosius maior in haereticos constituit. Porro apud Ana- *Theodos.* stasium bibliothecarium in vitis pontif. rom. XLVI. ad an. 440. in vita s. Leonis haec leguntur: „Hic ordinavit praecepta sua auctoritate, et misit ad Marcianum *Marcianus.* Augustum fidelem principem catholicum. Et facta collatione cum eodem principe collecti sunt episcopi et factum est concilium sanctum episcoporum Chalcedona (al. Chalcedonia) in martyrio sanctae Eufemiae (al. Euphemiae) . . . In quo loco piissimus Augustus Marcianus una cum uxore sua Augusta Pulcheria deposita regia maiestate fidem suam exposuerunt ante conspectum sanctorum episcoporum . . . Et iterum fidem suam imperator Marcianus cum coniuge sua Pul- *Pulcheria.* cheria Augusta chirographo proprio fidem suam exponentes postulaverunt sanctum concilium, ut dirigerent ad beatissimum papam Leonem rogantes, ut fidem catholicam exponeret.„ Alia exempla quibus principum reverentia in romanos pontifices affatim emicat, praebet idem bibliothecarius LIII. ad an 514. in vita s. Hormisdae, tum ad an. 523. LIV. in vita s. Joannis I. ubi haec: „Eodem tempore Justinus imperator (successor impii Anastasii, quem bibliothecarius noster in vita *Justinus imp.* s. Hormisdae „nutu divinitatis percussum dicit fulmine divino„) vir religiosus summo ardoris amore religionis christianae voluit haereticos extricare. Nam

strarunt, voci actionique supremi omnium pastoris sua vis publica ac socialis servetur atque adseratur.

---

summo fervore christianitatis hoc consilio usus est, ut ecclesias Arianorum catholicas consecraret . . . Justinus imperator tamen gaudio repletus est, quia meruit temporibus suis vicarium beati Petri Apostoli videre, regno suo, de cuius manibus cum gloria coronatus est Justinus Augustus . . . Revertens Joannes venerabilis Papa et senatores cum gloria, dum omnia obtinuissent a Justino Augusto, rex *Theodoric. inpius* Theodoricus haereticus cura grandi, dolo et odio suscepit eosdem, Papam Joannem et senatores, quos etiam gladio voluit interficere; sed metuebat indignationem Justini Augusti: quos tamen in custodiam omnes afflictos cruciavit (al. maceravit) ita ut beatissimus Joannes episcopus primae sedis Papa in custodia afflictus deficiens moreretur.„ Cui subdit Anastasius. „Post hoc factum nutu Dei omnipotentis nonagesimo octavo die postquam defunctus est beatissimus Joannes in custodia, Theodoricus rex haereticus subito interiit et mortuus est.„ Rursum quae ad an. 531. LVII. in vita Joannis II. de „summo amore christianae religionis *Justinian.* Justiniani Augusti, qui misit fidem suam chirographo scripto proprio ad sedem apostolicam, et ad an. 535. LVIII. in vita s. Agapeti habet de eodem „piissimo Augusto Justiniano qui gaudio repletus (de doctrina ab Agapeto defensa) humiliavit se sanctae sedi apostolicae et adoravit beatissimum Papam Agapitum . . . eiecit Anthimum de communione et expulit in exilium . . . rogans beatissimum Papam Agapitum qui in loco Anthimi episcopum consecravit catholicum nomine Mennam.„ Praeterea quae refert ad an. 708. LXXXIX. in vita Constantini de *Justin. Philip.* imperatore Justiniano Philippico severissime in omnes animadvertente qui inobedientes fuerunt apostolicae sedi, quique „Augustus christianissimus cum regno in capite sese prostravit pedes osculans Pontificis: deinde in amplexum mutuum corruerunt, et facta est laetitia magna in populo omnibus aspicientibus tantam *Michael. est.* humilitatem boni principis.„ Insuper quae an. 860. ad imperatorem Michaelem ep. IV. scripsit Nicolaus I. „Deo omnipotenti multiplices referimus grates, qui vestro pectori hoc infundere dignatus est, ut fautores ecclesiae Dei effecti, concordiae ipsius favere, ne quavis rubigine erroris consumatur pulchritudo fidei et frangatur intellectus apostolicae traditionis„. Atque haec quidem specimina pauca satis patefaciunt, quaenam fuerit sentiendi agendique ratio principum orthodoxorum, quum romanum imperium adhuc orientale vocaretur. Neque etiam illorum, qui occasionem dedere translati ab oriente ad occidentem imperii, longobardorum, inquam, diversam plane fuisse semper mentem operationemque in romanos pontifices testatur ad lib. diurn. rom. Pontif. Garnerius adnotans: „Quantum sedi apostolicae cultum *Longobardi.* exhiberent longobardi, quamvis romani imperii hostes, idque propter reverentiam erga sanctum Petrum, constat pluribus ex historia longobardorum factis„. Quibus suffragantur Paulus diaconus lib. VI. c. 28. Anastas. bibliothecar. ad an. 714. *Luitprand.* XC. in vita Gregorii II. „regis (Luitprandi) mollientis animum ita, ut se prosterneret eius pedibus et promitteret, se nulli inferre laesionem et sic recedere. Nam ad tantam compunctionem piis monitis eius flexus est, ut quae fuerat indutus exueret, et ante corpus Apostoli poneret mantum, armillausiam (Isidor. de origg. l. XIX. c. 21. legit armilausiam, quasi armiclausam, littera c. ablata), balteum, spatham atque ensem deauratos, nec non coronam auream et crucem argenteam . . . commonitus blanda passione Pontificis . . . ad partem flexus salutis illa fecit, quibus institutus erat nec consensit pravis consiliis, et recessit mitis qui venerat ferus.„ His conferenda quae ab eodem Anastasio narrantur ad an. 742. XCII. in vita s. Zachariae de eorundem longobardorum in romanum pontificem obse-

133. Hinc illustris cuiusdam hac in causa doctoris est sequens „Conclusio: Non absque maximo regiae charactere christiano insignitae[1]) potestatis dedecore detruditur princeps christianus ad regis quasi ethnici statum, si negetur esse subordinata Christi vicariae romani pontificis authoritati oecumenicae. Quisquis enim negaret, regiam in principe christiano potestatem ex vi characteris in baptismate divinitus infusi non elevari ad statum quempiam sublimiorem ac fuisset in purae naturae statu, profecto regem christianum eo collocaret loco, acsi authoritatis suae maiestas non altius esset attollenda, quam po- *Imperium pro naturali ordine.* *Princeps ethnicus.*

---

quio. Praeclariora observantiae in Petri successores specimina veteres de Saxonum stirpe in Anglia reges dedere, de quibus plura in historia ecclesiastica narrat ven. Beda, cf. l. V. c. 7. coll. de VI. aetat. mund. ad ann. 708. 719. Pauli diac. de gest. longob. l. XI. c. 28. e recentioribus Sommier. in not. ad Anastas. bib. ap. Blanchin. sect. 179. Sed quanta porro fuerit reverentia in romanos pontifices regum Francorum sequentiumque christianorum in occidente imperatorum ac principum, quanta, inquam, obsequii significatio, et maxime cum magnorum tum sanctorum, Caroli magni qui augustissimo regiae virtutis exemplo anteibat omnes, Alfredi magni, magni Ottonis, sanctorum Henrici, Canuti, Stephani, Casimiri, pluribus non vacat, innuisse satis est nomina, ut porro intelligatur, summorum principum civiliumque magistratuum in summos pontifices potestatemque ecclesiasticam morigera obsequendi studia non esse moribus unius alteriusve obscurioris aetatis tribuenda, sed congenita esse cum ipsa christiani vere principis natura, a qua ubicunque is fuerit pro insita perfectione ultro propemodum ac ingenue proficiscuntur. Eo igitur spectant ista quae Gregorius VII. ap. Mign. lat. PP. t. 214. p. 779. ep. CCXX. „Leoni illustri regi Armeniorum„ scribit: „Gaudemus autem, quod tu, sicut princeps catholicus apostolicae sedis privilegium recognoscens, venerabilem fratrem nostrum Maguntinum archiepiscopum, episcopum Sabinensem, unum ex septem episcopis, qui nobis in ecclesia romana collaterales existunt, benigne ac hilariter recepisti, et non solum per eum institutis salutaribus es instructus, quibus iuxta continentiam litterarum tuarum totum regnum tuum licet amplissimum, desideras informari, et universos armenos ad ecclesiae romanae gremium revocare; sed ad honorem et gloriam apostolicae sedis, quam constitutam esse novisti super gentes et regna, diadema regni recepisti de manibus eius et eum curasti devote ac humiliter honorare, et nos per ipsum et litteras tuas ad orientalis terrae subsidium invitasti. Ei ergo a quo est omne datum optimum . . . qui habet corda principum in manu sua, quas possumus gratias referentes, qui tibi tantae humilitatis animum inspiravit, rogamus serenitatem regiam et exhortamur in Domino ac per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus in timore Domini et apostolicae sedis devotione persistens ad expugnandam barbariem paganorum et vindicandam iniuriam crucifixi tanto potentius et efficacius studeas imminere, quanto fraudes et versutias hostium vicinius positus melius cognovisti„ et q. s. Haec sentiendi ratio, inquam, a Gregorio non fuit ex arbitrio inventa ac in πρᾶξιν porro quo nescires abusu invecta, sed e rerum naturis repetita, inde declarata, atque ut par erat proposita. *Anglo-Saxones.* *Franco-Germani.* *Dani.* *Poloni.* *Hungari.* *Princeps christianus.* *Eius subordinatio non est mediae tantum aetatis.* *Leo armen.*

[1]) Author. inextinct. sac. conc. trid. veritat. in op. cui tit. „Oecumenica apostol. cathedrae. authoritas a. 1. disq. 1. pp. 7. sq. nn. 37. sq.

liticae potestatis secundum lumen naturae circumscriptae sphaera permittat. Eiusmodi vero luminis naturalis limitibus circumscripta politicae potestatis suprema etiam maiestas secundum integram sphaeram suam est in rege ethnico. Ergo quisquis negat, regem christianum ex vi characteris in sacro baptismate divinitus inditi, non tantum quoad suam personam, sed quoad regiam quoque potestatem in sublimiori iam statu etiam qua regem esse constitutum, is profecto, regem eiusmodi cum suae potestatis suprema maiestate detrudit ad subsellia regum ethnicorum.„ Cuius rei ut consectaria practica ostendat, tum quae ad officia tum quae ad iura catholici principis spectant, continuando pergit: „Quo praesupposito disquirere placeat ex illo, qui christianissimi regis ma-

Rex christianissimus. iestatem conaretur ita deprimere, quo iure hic christianissimus rex processerit adversus regni sui haereticos? Neque enim credere fas est, processum fuisse adversus illos, qua regni sui politici solummodo, sed etiam qua ecclesiae sanctae perduelles, atque ad huius debitam obedientiam [1]) compellendos? Tantum profecto potestatis ipsi haud fuisset ex regiae potestatis sphaera, qua praecisis luminis naturalis limitibus circumscripta, sed qua sublimata ex characteris christiani elevatione, per quam ipsius regia quoque potestas recipit talem respectu ecclesiae eiusque

Illius subordinatio. oecumenici pastoris subordinationem, in vi cuius esset constitutus Christi vicariae authoritatis instrumentum, ad publicum ecclesiae sanctae bonum in suo praecipue regno aeternaeque salutis in suis charactere christiano aeque insignitis subditis commodum pro viribus promovendum. Quae proinde ad oecumenicam ecclesiae sanctae authoritatem regiae in christiano principe potestatis subordinatio ampliat authoritatis politicae sphaeram luminis naturalis limitibus ceteroqui circumscriptam elevando et condecorando eandem excellentia singulari se protendente ad ea etiam quae fidei luminis sphaera continentur. In qua proinde regiae intra lineam naturalem suprema ad oecumenicam ecclesiasticam in linea

---

Libertas cuiusvis cultus signum ethnicismi. [1]) Unde hanc, quaeso, animadverte reciprocationem: qui principi catholico partes nonnisi regiminis naturalis adscribunt, iidem illius . . . esse officii dicunt, paritatem libertatemque omnium cultuum ratam sua auctoritate habere; et vicissim, qui hanc cultuum omnium, uti aiunt, libertatem aequalitatemque principum auctoritate concessam volunt, iidem illis characterem detrahunt christiani principis atque catholici: at sic iura eius potestatemque eodem gradu ac proportione non augent, sed minuunt plane atque infrigunt.

supernaturalis luminis summam potestatem subordinatione ex sacris litteris comprobanda toti quanti nos impendemus, ex ipsissimis etiam illis sacrae Scripturae textibus, qui ex parte cleri *Clerus gallicanus.* gallicani opponebantur initium facturi:„ id quod illico expensis Pauli [1]) Matthaei [2]) atque Petri [3]) oraculis exsequitur.

134. Iamvero nemo non videt, totius disputationis illius supremam causam ac prope fundamentum ex instituto divinitus supernaturali salutis humanae ordine [4]) repetendum esse, de quo idem *Joan. XVIII. 36.* author ad Christi [5]) verba „Regnum meum non est de hoc mundo„ non minus praeclare ita disserit [6]) interrogans: „Num vero catholico theologo digna vox esset, asseverare, quod ulla ex humano arbitrio dependens sit moralitas, cui non superstruatur ordo ad salutem aeternam in tantum, ut quaevis deordinatio a luminis naturalis moralitate ex statu supernaturalis elevationis inseparabiliter importet deficientiam a supernaturali quoque moralitate eiusque specificativo fine ultimo aeternae salutis? Num ecclesiae porro regimen dicere fas est, consistere in praecisa et cuiusvis christiani propriorum actuum ad salutem aeternam ordinatione, non vero obtinere normam publici quoque regiminis fidelium sub uno capite et pastore coadunatorum, sicque unam christianam rempublicam constituentium moderantis, atque universale sacrae religionis bonum sub publico etiam Dei cultu authoritative ordinantis ad aeternae salutis finem ultimum? Numquid ab hoc publico sanctae ecclesiae regimine sub fidei unitate omnimodam honestatem supernaturalem cum aeternae salutis fine ultimo publicoque religionis cultu mysterioso proportionabilem convenienter ordinante ac dirigente excludere fas est qualecumque principis saecularis regnum politicum? Num huius ad aeternam salutem ordinis tum privati tum publici capacia negaveris regiae potestatis in christiano principe residentis exercitia et actus morales etiam publicos? Quandoquidem ergo regni Christi, nempe ecclesiae, sphaera sit quorumcunque christianorum moraliumque in his

---

[1]) Rom. XIII.

[2]) Matth. XXII.

[3]) I. Pet. II.

[4]) De his constituta vide sis op. de triplici ordine potissimum corollaria c. III. et lib. sup. c. II.

[5]) Joan. XVIII.

[6]) Ib. pp. 10. sq. nn. 47. sqq. probat. IV.

actuum in salutem aeternam publicumque Dei cultum communeque sanctae ecclesiae bonum ordinabilitas, sub hac autem sphaera contineantur etiam regna regiaeque potestates, nec non quicunque christianorum, ipsorum adeo regum actus morales in salutem aeternam publicaeque religionis bonum commune ordinabiles, consequens est, hanc ordinabilitatem regno Christi, nempe sanctae ecclesiae eiusque oecumenicae potestati subesse quoque regna regumque actus morales circa rerum temporalium dispositionem versantes secundum dictam ordinabilitatem spectatos atque ad hanc ceu specificativum ecclesiasticae potestatis obiectum formale se habentes tanquam obiectum materiale.„

Imperium in supernaturali ordine.

135. Quae quam incultius spectata forma videntur dicta eo spectata re ac logica veritatum deductione accuratius. Sed inde fit et exsistit, ut sententia iudiciumque pontificis non tantum lex sit pro vita fidelium privata, sed irrefragabilis instar normae habeatur pro vita quoque externa atque communi in societate credentium. Et sane in societatibus populorum, iuxta fidem catholicam, ut par est, credentium romanum episcopum

1. vere esse Christi Salvatoris vicarium in terris; ideoque

2. officio potestateque ad id pari ac idonea praeditum, regendi pascendique universas gentes in ordine ad eorundem ultimum supremumque finem, cui quidem fini

3. quilibet alius interiectus proximusque finis est obnoxius[1]) atque aptandus: quid quaeso

---

Regis romani munus.

[1]) Consideratione sunt dignissima, quae in documentis Maiorum auctoritate plenis de ordine habituque imperii ad Christi regnum continentur. Huc autem faciunt quae de Honorii et Theodosii contra pelagianos constitutione habet Aurelius ep. carthag. ad universos suae provinciae episcopos, tum quae „terrae marisque domino Constantino Augusto universi episcopi concilii Byzazeni„ scripserunt, quaeque in concilio lateranensi „Martinus sanctissimus ac beatissimus episcopus sanctae Dei ecclesiae atque apostolicae urbis Romae„ ap. Harduin. t. III. pp. 738. sq. legi iussit: „Omnipotens Deus, inquiunt, ecclesiae suae providens praescitos ac praedestinatos in praesidio eius constituit romani nominis reges, ut quoties turbo diabolicae factionis quiddam contra eam excitare tentaverit, a vestrae clementiae rigore valeat comprimi: quatenus quies eius procurata vestrae potentiae suffragio debeat defensari: quia ei potestatem vestram serviendo subiicitis, cuius munere et protectione imperatis. Unde divinitus praeordinati eius curam singularem habetis aut primam. Scriptum est igitur de vobis et de eadem sancta ecclesia toto terrarum orbe diffusa: Erunt reges nutritii tui. Pariter scriptum est: Honor regis iudicium diligit: quia dum divina rebus humanis praeponitis, et orthodoxam fidem curis saecularibus praefertis, quid aliud quam iudicium rectum Dei cultui immolastis? Pro qua re pietati vestrae cuncti vestrae Africae Domini

Concil. african. *Concil. lateran.* *Divina imperii ordinatio.* *Isai. XLIV.* *Ps. XCV.*

4. rerum humanarum conditioni aliquem controversiarum iudicem flagitanti magis consonum, quid ex fidelium gentium desuper fide illuminatarum persuasione salubrius atque decentius, quid pro *Causarum tribunal.*

---

sacerdotes coram Domino supplicamus, ut novellae praesumptionis scandalum, quod adversus fidem nostram attentatum est, auferatur: fratremque nostrum Paulum, Constantinopolitanae ecclesiae episcopum regali auctoritate, ut nobiscum id est cum omni generalitate orthodoxe sapere debeat coarctare dignemini . . . pietas vestra divinitatis amore instructa pro pace ecclesiarum Dei regale praecipiat largiri praesidium: ut pace Dei fruentes, quae omnem superat intellectum, regnum vestrum in pace securum annis innumeris propagetur. Omnipotens Deus noster, cuius potestate cuncta reguntur, benignus ad vestrum respiciat principatum: paganasque gentes, quae de sua feritate confidunt, potentiae suae dextera pietatis vestrae christianissimae ditioni subiugare dignetur.„ Ita censebant collecti in unum africani episcopi et italici de imperatoris officio imperiique nobilissimo fine: perspicua est sententia, explicata satis itidemque antiqua. Sed eadem plane ac illa quam romani ipsi Pontifices constanter repetentes inculcarunt. Inculcavit plus semel sua ad imperatores epistola lecta in concilio oecumenico VI. act. IV. ap. Harduin. t. III. pp. 1081. 1111. sqq. Agatho papa loco postremo scribens: „Haec autem ideo Deum omnipotentem felicibus vestrae mansuetudinis ad emendandum credimus reservasse temporibus, ut locum et zelum ipsius Domini nostri Jesu Christi, qui vestrum imperium coronare dignatus est, facientes in terris pro eius evangelica atque apostolica veritate iustum iudicium proferatis. Quia dum humani generis redemptor atque salvator sit iniuriam passus, nunc usque sustinuit, vestraeque fortitudinis adspiravit imperio, ut eius fidei causam, sicut aequitas exigit, et sanctorum patrum sacrarumque generalium quinque synodorum decrevit instructio, exsequi dignemini; et redemptoris ac corregnatoris iniuriam de suae fidei contemptoribus per eius praesidium ulciscamini; propheticum illud vaticinium cum imperiali clementia magnanimiter adimplentes, quo rex et propheta David ad Deum loquitur: Zelus domus tuae, inquiens, comedit me. Unde pro tali Deo placito zelo callaudatus illam beatam vocem audire a creatore omnium meruit: Inveni David secundum cor meum, qui faciat omnes voluntates meas. Cui et in Psalmis pollicetur: Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum: ut cuius causam conflagranti studio elaborat christianae clementiae vestrae piissimus principatus efficere, remunerationis gratia omnes actus fortissimi eorum imperii filius et prosperos faciat, qui in suis sacris evangeliis repromittit inquiens: Quaerite primum regnum Dei et haec omnia adiicientur vobis.„ Quibus 1. imperii finis declaratur esse praesidium fidei christianae: hinc 2. officium esse principis, in suo imperio fidem tueri orthodoxam: tum 3. iustitiae curam primam in eo collocari, ut a Christo et ab ecclesia eius omnis depellatur iniuria. Atqui ut ibidem est p. 1075. et p. 1115. ii erant „piissimi imperatores Constantinus maior, Heraclius et Tiberius Augusti, quibus hoc esset propositum, quod ad stabilitatem divinitus commissae reipublicae christianae eius concessit dignatio, ut imperialis virtus atque clementia de Deo, per quem reges regnant, qui rex regum et dominus dominantium est, et curet et quaerat eius immaculatae fidei veritatem, ut ab Apostolis atque apostolicis est patribus tradita, inquirere vigilanter, atque, ut vera traditio continet, instantissime desideret in omnibus ecclesiis obtinere.„ Quod quidem quum sibi piissimi principes illi proponerent, vestigiis inhaerebant Valentiniani et Marciani ad Leonem

Sententia unanimis. — *Sententia constans.* — *Concil. VI.* — *Imperator roman.* — *Ps. LXVIII.* — *Act. XIII.* — *Ps. LXXXVIII.* — *Matth. VI.* — *Imperat. rom. orient.*

romanae sedis praerogativa dignius, cum σκόπῳ atque fine omnis quaestionum solutionis convenientius, et cum ipsis causarum naturis coniunctius, quam in gravioribus dissidiorum causis de iusto et

---

(inter epp. eius ep. LXXIII. al. 57.) scribentium: „Ad hoc maximum imperium venimus (al. nos venire contigit) Dei providentia et electione senatus excellentissimi cunctaeque militiae: unde pro reverenda et catholica religione fidei christianorum, cuius auxiliis virtutem nostrae potentiae confidimus gubernari, tuam sanctitatem principatum in episcopatu divinae fidei possidentem, sacris litteris in principio iustum credimus alloquendam: invitantes atque rogantes, ut pro firmitate et statu nostri imperii aeternam divinitatem tua sanctitas deprecetur, ut et tale propositum atque desiderium habeamus, quatenus omni impio errore sublato per *Imperat. rom. occident.* celebrandam synodum te auctore maxima pax circa omnes episcopos fidei catholicae fiat, ab omni scelere pura et intemerata consistens. Amen.„ Atqui eodem *Hadrian.* suis propositis spectabant piissimi illi orientis imperatores, quo deinceps suis studiis spectabat teste Hadriano ad Carol. M. ap. Harduin. t. III. pp. 2017. sq. magnus occidentis imperator Carolus: quo, ut porro spectarent orientales, curare iussit Tarasium constantinopolitanum patriarcham epistola dogmatica lecta in septimo oecumenico concilio ap. Harduin. t. IV. p. 102. idem papa Hadrianus: scilicet „ut (piissimi et a Deo coronati imperatores) in regia urbe et in omni *Concil. VII.* loco in antiquum statum restituere et stabilire iubeant, conservantes traditionem huius sacrae et sanctissimae nostrae Romanae ecclesiae et persequentes et abominantes malignorum et haereticorum errorem per certamen vestrum et fidelem sollicitudinem. Si autem sacras ac venerabiles imagines illis in partibus non restituerint, consecrationem vestram recipere non audemus.„ Catholici nimirum imperatoris ac principis titulo officium respondet, temporali suo brachio ecclesiae fidem tuendi. Id quod ad Leonem sacel. epp. l. II. ep. CXXIX. diserte *Theodor. Studit.* exponit s. Theodorus studita ap. Mign. gr. PP. t. 99. p. 1418. scribens: *Βασιλέων δὲ καὶ ἡγεμόνων, τὸ συνεπικορεῖν καὶ συνεπισφραγίζειν τὰ δεδογμένα· καὶ διαλλάττειν τὰ σαρκικῶς διαφορούμενα:* „Imperatorum vero et praesidum est, opem ferre et comprobare, quae decreta sunt, et reconciliare qui carnaliter dissi- *Vitalian.* dent ac discrepant„ Unde „Vitalianus episcopus, servus servorum Dei, Clodoveo regi Francorum, si filius obedientiae fuerit, ap. Mign. lat. PP. t. 87. p. 1007. *Rex Francor.* scribit: „Sancti et magni Nicaeni concilii praecepta secuti quae iubent, regularem epistolam per unamquamque provinciam mitti, ne hi qui abiiciuntur ab aliis recipiantur, serenitati vestrae notum facimus, Aurelianenses et Cenomanenses ac monasterium Floriacense cum omnibus sequacibus illorum a liminibus ecclesiae separatos et indissolubili anathematis vinculo innodatos . . . Quapropter vestram a Deo conservandam clementiam enixa prece rogamus et ex Dei omnipotentis et Apostolorum Petri et Pauli et Benedicti (cuius monasterium violatum) parte praecipimus, ut iam dictos latrones ad iustitiam sedis apostolicae faciendam constringatis. Sin autem, et vos et illos perpetuae maledictionis anathemate damnamus.„ Scilicet quod consertum est cum ipsis rerum naturis, de quo cf. lib. sup. c. II. n. XII. haec erat explorata atque diu ante mediam aetatem declarata Orientis *Sententia universalis.* et Occidentis doctrina et recepta communi universim usu πρᾶξις, videlicet principes orthodoxos ac catholicos id apud humanam societatem officii ac muneris potissimum habere, ut regno Christi saeculari sua potentia consulant ac serviant, adeoque ex nutu positorum divinitus pastorum nominatimque supremi omnium capitis christianae ecclesiae ac fidei praesidio suo auxilioque pro facultate adsint. Quare quum sancti

iniusto, aequo et iniquo, licito atque illicito, a quibus haud minimum totius humanae societatis ordo pendet, pax et tranquillitas, tum hominum salus aeterna atque felicitas, et explorare iudicium et stare sententiae vicarii illius, qui quaerentibus olim simulque tentantibus ipsum iudaeis de licito in causa solvendi tributi respondit: „Reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo.„ *Luc. XX. 25.*

9. Romanus iudex.

136. Sed enimvero plura inde manifestissime liquent. Et hoc liquet

I. standum romani antistitis iudicio esse atque sententiae *Iudicii obiectum.* universim in rebus causisque ordinis supernaturalis aeternaeque salutis, in quo illi uni summa potestas et quidem directe ita fuit divinitus collata, ut eadem alii iam nulli possit [1]) convenire. Tum

II. necesse esse illius iudicio sententiaeque stare universim *Revelatio.* in naturali eorum omnium ordine, quae cum superiori cohaerent ex sese nexuque conseruntur sive conditionis necessariae sive legitimae consequutionis. Hinc liquet speciatim

---

suo vocationis officio fungi perfectius soleant, et ideo exemplaria sint aliorum, legitur s. Wenceslaus, Bohemiae dux, summa religione sacerdotes veneratus: *S. Wenceslaus.* s. Casimirus Poloniae dux catholicam promovere fidem summopere studuisse: *S. Casimir.* s. Henricus romanorum imperator religioni amplificandae studiose incubuisse: *S. Henricus.* romanam ecclesiam amplissime muneratus s. Ludovicus Galliae rex vexillum pro *S. Ludovicus.* Christo ad mortem usque hostibus fidei obmovisse: s. Stephanus „Hungariae *S. Stephanus.* regnum sedi apostolicae obtulisse„: s. Ferdinandus Castellae et Legionis rex „ca- *S. Ferdinandus.* tholicae fidei zelo eiusque religiosi cultus tuendi ac propagandi ardente studio emicuisse:„ s. Eduardus „Anglo-Saxonum regum ultimus a sacris exorsus in eam *S. Eduardus.* curam potissimum intentus ut reflloresceret collapsa religio:„ et ut finem faciamus, s. Canutus rex „religioni promovendae sedulo incubuisse, zelo propagandae *S. Canutus.* fidei succensum barbara regna iusto certamine aggressum devictas subditasque nationes christianae legi subiugasse. Victoriis autem plurimis gloriosum et divitiis auctum regale diadema ad Christi crucifixi pedes abiecisse, se et regnum illi subiecisse, qui rex regum est et Dominus dominantium.„ Alia praebet G. A. Bianchi della potesta della chiesa edit. taurin. 1854. t. I. passim.

[1]) Idem dici de potestate regia atque civili ex aequo non potest: ea enim quum naturalis sit ordinis, neque positivae Dei determinataeque collationis ac possessionis, convenire ex sese illis etiam potest, qui in ordine supernaturali excellunt potestate, quae institutionis divinae est positivae, ut aiunt, directe ac inmediate: at non sic vice versa de illa. Qui igitur potestatem regiam cum sacra componi in una persona non posse ex institutione divina argumentantur, ii validissima utuntur probatione, si ad imperatores et imperatrices, reges atque reginas, aliosve societatis civilis moderatores ac moderatrices respexerint; verum inani laborant sophismate, si quod praetendunt de romana sede adserere sategerint, quae quum regimine nobilissimo mundum regat universum, in inferiori longe ordine exiguam terrae plagam regere profecto multo magis valet.

III. standum esse sedis romanae iudicio sententiaeque in ordine religioso et sacro, in ordine ethico fidei et morum, in ordine iuris tam divini quam ecclesiastici. At vero

IV. necesse pariter esse illius sententiae iudicioque stare in ordine eorum generatim omnium, quae cum illis iuncta vinctaque sunt

1. sive ut obiectum seu materia, ut aiunt, circa quam; sive
2. uti instrumentum, ὄργανον, medium; sive
3. ut conditio atque ὑπόθεσις; sive
4. ut sequela legitime illata atque deducta. Quare

V. liquet, illius iudicio sententiaeque tum obnoxiam esse[1]) scientiam, quae circa revelationem proprio nomine versatur, tum ad illius provinciam quoque pertinere, iudicare sententiamque ferre de aliarum disciplinarum sive affirmationibus sive negationibus, quae cum revelata veritate consertae sive per consensionem sive per oppositionem traduntur ac deprehenduntur. Sed praeterea

Ratio. VI. quemadmodum revelata veritas neque primum haberi neque porro exponi, probari vindicarique potest citra multiplex rationis ac rationalis scientiae, maxime autem philosophiae ministerium atque subsidium; ita vice versa semel illa admissa probataque ceu vera, nemo non videt liquere, in rationalibus hisce disciplinis universa illa velut explorata, uti vera ac certa esse tenenda[2]) citra quae revelationis beneficium atque ὑποθέσις vel ignorantiae inscitiaeque, vel falsitati atque erroribus, dubiis continuisque tergiversationibus committeretur.

137. Unde nemo pariter est, qui liquere non intelligat, quaecunque ad illa spectant, iuribus, tutelae vindiciisque adserenda pastorum, quibus probandum propagandumque revelationis depositum sancte fuit[3]) concreditum: proindeque supremo pastorum pastoris iudicio atque sententiae standum esse, siquidem is sui muneris esse censuerit, sive affirmando sive negando definire atque

---

[1]) Et quidem eatenus quatenus circa eandem versatur scientia, ingreditur directum illius dominium ac possessionem iuridicam. De his dedit authenticas *Pius IX.* Pius IX. declarationes et explicationes tum in postremis encyclicis tum in litteris datis ad archiepiscopum monachiensem: cf. utrumque opusculum „Der Papst und die modernen Ideen."

[2]) Hinc fieri nequit, quin multiplex inde ac varium refundatur lumen, ac proficiscatur firmamentum perfectionisque adiutorium in rationem eiusque disciplinas et potissimum in philosophiam. De quibus cf. thes. theolog. De habitu rationem inter et revelat. deque triplici ordine. 1864.

[3]) Vide theses theolog. De fidei testibus. 1860.

declarare, aliquid in ordine rationalis philosophiae aut[1]) esse tenendum uti verum aut reiiciendum uti falsum: aliquid in ordine naturalis religionis aut pium esse aut inpium: in ordine morum humanorum aliquid aut velut honestum aut inhonestum censeri oportere: et in ordine iuris naturalis, sive id privatum sit sive publicum atque gentium, aliquid aut licitum ac iustum esse aut esse[2]) iniustum atque illicitum. Hi namque rerum ordines sunt, qui revelatis rerum rationibus e regione prope respondent, cumque iisdem aliter licet et aliter vincti et nexi[3]) intime cognoscuntur.

Fundamenta vitae publicae.

138. At vero hi sunt pariter rerum ordines, a quibus ne dicam privata hominum vita omnis pendet, sed in quibus sita praecipue sunt vel ipsa fundamenta vitae hominum publicae atque socialis. Videlicet tutando etiam illa, atque ab erroribus, sive hi ignorantiae sive inbecillitatis sive malitiae perversitatisque humanae fuerint, eadem adserendo, in praesenti providentiae divinae ordine romana petra humanitatis totius sospes est et columen. Sed hinc apparet, quanta sit ad hominum salutem romanae unitatis necessitas: tanta videlicet pro intensione suaque veluti profunditate[4]) spectato salutis obiecto, quanta pro extensione et latitudine spectato eiusdem subiecto — idest vere et undequaque catholica: omnium omnia penetrare data nataque est.

Catholica romanae unitatis necessitas.

---

[1]) Haec omnia ipse nunc summus ecclesiae magister et doctor authenticis sententiis rata habuit atque ab omnibus tenenda praescripsit. De quibus cf. utroque tomo opusc. „Der Papst und die modernen Ideen„ artic. scientia catholica.

[2]) De his omnibus vide sis Syllabum octoginta a Pio IX. damnatarum propositionum cum suis commentariis in op. „Der Papst und die modernen Ideen.„ Vindob. 1865. *Pius IX.*

[3]) Hinc est quod iudicium romanae sedis atque sententia, tum in ordine revelationis ac supernaturali, cum in ordine rationis ac naturali eorum, quae cum illo priori cohaerent nexu sive conditionis necessariae sive consequutionis legitimae, legis instar ac normae haberi debeat. Quae enimvero tali nexu cum ordine salutis cohaereant decidere, pariter est supremi illius arbitri atque iudicis.

Ordo divinus prae philanthropico.

[4]) Directe sustinet et continet ecclesiasticam societatem, indirecte vero etiam societatem civilem; directe fidem praedicat divinam, mores docet christianos, vitam alit supernam: et hinc indirecte quidem sed necessario mentem intelligentiamque humanam instituit et excolit, ingenium ac indolem insitam generi format, mitigat, temperat, atque naturalia quoque vitae instituta expolit et perficit. Verum haec sunt illius consectaria: pervertunt autem ordines rerum, qui haec *φιλανθρωπικὰ* aut unicum aut potissimum *τῶν θείων* illorum finem faciunt, divinamque religionem illis obnoxiam reddunt atque servilem.

10. Romanus ἡγεμών.

139. Itaque in catholica hac et universali oeconomia, quae ex hominibus in utraque constitutis societate tum naturali tum supernaturali [1]) coalescit, evidenter hoc apparet, τὸ ἡγεμονικὸν esse esseque omnino debere apud successorem Petri, quem sui in terris vicarium Christus ipse fecit, quem in romana cathedra novimus iugiter florere, quemque adeo Dei instar terrestris [2]) Veteres habuere. Cum eo porro quemadmodum [3]) omnes oves et agnos convenire oportet; ita ut conveniant, possunt ab illo omnes atque pro suo iudicio debent ab eodem adstringi. Et rursum sicuti in ordine societatis supernaturali, qui ad romanam unitatem pertinent, sunt unum omnes cum ipso illo cor et anima una, et una per ipsum omnium fides, unum omnium baptisma, unus omnium ipse pastor est; ita in ordine ac pro ordine societatis naturali expressus itidem illius character et spiritus principii instar vitalis [4]) seu moderatoris sit, secundum quem primum atque supremum dirigantur omnia, disponantur et efficiantur, ut contrarietate et oppositione interna et externa sublata, harmonia ac concentus utriusque societatis, tum profectus ac perfectio hominum fruentium utriusque illius beneficiis integra consistant, atque plenius iuxta stabilitum Dei ordinem obtineantur.

Romana Unitas. 140. Enimvero ita manifestum fit, credentes atque fideles unitatis illius, quam descripsimus, in omnibus servire atque subiectos esse Christo, et Christum redemptorem esse tam omnium hominum quam hominis totius, et homines gloriam dare in Christo et *Tim. I. 17.* per Christum in omnibus Deo, cui soli honor et gloria in saecula saeculorum. Atqui hoc non fit in Christo et per Christum, nisi copulata hominum societate, uti oportet, cum fundata Dei ecclesia, quae non est alia ab ecclesia catholica, et ea quidem insignita propemodum obsignataque charactere cathedrae romanae, quae in

---

[1]) En Christum ex divina et humana natura constantem sublime illud exemplar, ad cuius ἀναλογίαν expressam diximus copulationem societatis humanae atque divinae lib. sup. cap. II. n. XII. 7. p. 41. coll. de triplic. ord. c. III.

[2]) Vocant enimvero Petri successorem non modo Christi vicarium, sed ipsum θεὸν ἐπίγειον: de quo cf. ad const. ap. l. II. c. 26. Coteler. t. I. p. 241.

[3]) Ita iam Irenaeus adv. haeret. l. III. c. 3. de quo vide sis lib. sup. c. III. n. IV. 1. p. 80.

[4]) Qualiscunque rationis ac formae sit societatis civilis regimen, si cives vere christiani catholicique sint, oportet Christi spiritus penetret fideles constitutos sive in societate monarchica sive in republica omnes et totos.

illo universitatis organismo uti fastigium eminet, uti caput praesidet, uti petra ac fundamentum sustinet, uti centrum unitatem continet. Haec itaque romana unitas est, in qua sola hominibus adfulget iustitia et pax in mortalitate hac, et post eam [1]) salus aeterna ac beatitas. Quo sua proportione illa [2]) Petri quadrant: „Et non est in alio aliquo (coetu) salus. Nec enim aliud nomen (a romano alienum ac diversum) est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.„

Consectaria itidemque rei postulata.

Dotes supremi romanae Unitatis principii

atque

Romanae πολιτειας conditiones.

141. Quisquis romanae huius sedis episcopum e praestitutis consideraverit sive a dignitate et excellentia, sive ab origine ac institutione, sive a continuatione ac perpetuitate, sive ab officio ac munere, ab actione ac influxu, ab amplitudine atque extensione, sive tandem a fine ac scopo: is fateri profecto debebit, ad tantum sustinendum pondus tantamque personam tuendam neque communia particularium pastorum praesidia, neque communes eorundem conditiones satis esse ac sufficere, sed singularia illa istasque exsortes esse oportere. *Subiecti ratio.*

142. Porro quum in philosophia aeque ac in theologia [3]) axiomatis instar sit, naturae respondere potentiam suam et actum, nemo nos ita disserere vetabit: Est romanus ille pontifex uti ecclesiae caput et princeps exsors sua spectata natura; unde exsors esse debet tam eiusdem naturae vis ac potestas, quam naturae potestatisque suae actio atque explicatio: et naturae quidem actio sit absque defectu, potestatis explicatio sit absque inpedimento. Actio absque defectu pertinet ad proprietatem qualitatemque exercendi pontificii muneris; explicatio potentiae absque inpedimentis pertinet ad modum conditionemque ipsius exsistentiae. *Respondens illius actio.*

---

[1]) Vide reiectas damnatasque a Pio IX. in Syllabo §. 3. propositiones de indifferentismo et latitudinarismo. *Pius IX.*

[2]) Act. IV. 12.

[3]) Cf. Petav. de incarnat. l. II. c. 3. l. VII. cc. 1. sqq. coll. De triplic. ordin. par. II. c. 1.

Explenda conditio. 143. Et re quidem vera, quum sit pastorum magister ac doctor ecclesiae universalis, idque directe quidem et ex sese in ordine superno atque divino catholici [1]) doctoratus ac pastoratus, praesidio excellat divinitus collato oportet; sed quum doctoratu fungatur pastoratumque exerceat apud homines in societate constitutos, interque humanarum rerum adiuncta et ipse exsistens, natum inde esse apparet, talem ei competere conditionem ac statum debere exsistendi et semet habendi, qui sit sua persona dignus, suo fini adcommodatus et aptus, officio ac muneri rite ordinateque obeundo non minus opportunus quam plane necessarius.

Inmunitas. 144. Scilicet eo haec redeunt, ut intelligatur, romanum pontificem pro duplici suae potestatis actionisque pontificiae habitu et ordine tam interno, quo eadem in se et ad se ipsam consideratur, quam externo, quo ad alios explicationemque socialem refertur, superiorem communi hominum conditione et statu esse, adeoque duplici inmunitate ac libertate debere excellere. Quum enim romanus pontifex sit summus omnium doctor et pastor, suus supremi muneris actus in se spectatus ea proprietate qualitateque excellat, qua inmunis ab errore ac falsitate exsistat; adeoque pro singulari illa sua natura spectatus, hac communi hominum conditione superior sit, qua falli isti possint actusque eorum reformari. Sed iterum, quum pontifex romanus sit universalis itidem doctor et pastor, et is quidem pro instituta oeconomia salutis humanae omnino necessarius, actionis suae explicatio ad extra, quae ad homines sive singulos sive societate coniunctos refertur, inmunis ab ea conditione exsistat, qua ligari, inpediri, circumscribi, infirmari ab extranea potestate possit; adeoque ab hac ille liber, et localibus vinculis externisque inpedimentis in suo muneris exercitio superior sit.

145. Quapropter ut romanus episcopus plenitudini muneris sui atque officii satisfacere valeat, praesidio triplicis inmunitatis communitus esse debet, quarum primum ad magisterium spectet docendi, alterum ad ministerium regendi, et tertium ad conditionem exsistendi.

Ὁ καθολικὸς κατ' ἐξοχήν. [1]) Romanus episcopus vere est, ut superius ostendimus, *καθολικὸς* loco, et ita *οἰκουμενικὸς* dicitur, quatenus mundum docet ac pascit universum: est etiam *καθολικὸς* tempore, et ita perennis exsistit ac indefectibilis dicitur, quatenus omnes gentes docet et pascit usque ad consummationem saeculi.

CAPUT V.

De Pontificis romani inmunitate ab errore

sive

De praesidio infallibilitatis romanae in docendo.

146. Ea est primi Adami cum sua progenie miserabilis sors [1]) ut nemo sit, qui multiplici ignorantiae errorisque malo in nobilissimo etiam necessariae cognitionis ordine [2]) obnoxius non sit. Cuius mortalium miseriae aeterna sapientia et veritas miserata adsumpto homine veluti alter Adamus [3]) regenerando genus liberavit, docens ipse primum inmutabilem coelestium dogmatum veritatem, et relinquens porro apud mortales iugem sui vicarium, cuius magisterio gentes omnes revelatam salutis doctrinam edoctae mentis suae tenebras exuerent [4]) et gratia visitationis coelestis illustrarentur.

147. Iamvero qui ad dispergendas errorum tenebras constitutus fuit, is certe in hoc suo munere exercendo tenebris ipse obnoxius reliquendus non fuit, quibus circumdatus sive falleretur ipse sive alios falleret. Quare idem infallibilis in docendo exsistat oportet. Et talis reapse est romanus pontifex.

I. Infallibilitatis vis ac ratio.

148. Quod ut fiat manifestum, ad infallibilitatem quod attinet, hoc ante omnia animadvertendum

1. nomine infallibilitatis a) ex sese generatimque significari inmunitatem ab errore: b) in ordine vero historico et apud theologos eandem referri ad promissionem Salvatoris, qua pollicitus est, fore ut in errorem ecclesiae magisterium nunquam prolapsurum sit. Porro *Formaliter.*

2. distinguendam causam infallibilitatis a mediis, quibus eadem circa veritatem aliquam decernendam in actum prodit.

---

[1]) Cf. theses theolog. de primo deque secundo Adamo. 1861.

[2]) Vide b. Th. con. gentil. l. I. cc. 3. sqq.

[3]) Vide sis thes. theol. l. c.

[4]) Ita orat. domin. 3. Advent. Domin.

Causa enim est unica et superna eaque a divinis promissionibus non diversa; media vero sunt multiplicia et quidem humana, quae ex sese et in sensu, ut aiunt, diviso obnoxia errori esse possint. Verum

3. non uno modo spectari infallibilitas potest: etenim spectari potest:

a) prae sua causa sive efficienter; spectari

b) potest prae suo obiecto sive obiective; spectari potest

c) prae suo subiecto seu subiective; et

d) spectari potest prae ministerio ipsius sive ministerialiter.

Efficienter. 149. Infallibilitas itaque spectata efficienter est supernaturalis Dei in Christo per Spiritum sanctum directio atque moderatio, qua negative cavetur, ne admittatur error vel falsitas, et positive prospicitur, ut rectitudini consulatur, et veritas statuatur porro atque etiam dicatur.

II. Infallibilitatis obiectum subiectumque generatim.

Obiective. 150. Spectata vero prae suo obiecto, infallibilitas neque plus neque minus patet quam a) verbum Dei revelatum, et b) id sine quo verbum Dei revelatum neque tuto conservari, neque scite probari et exponi, neque defendi valide potest.

Subiective. 151. Spectata deinde in subiecto, cui infallibilitas inest, columnae profecto et firmamento [1]) veritatis, hoc est ipsi inhaeret ecclesiae, quatenus ea constat pastoribus una et ovibus, docentibus et audientibus, magistris et discipulis, praepositis atque obnoxiis.

Ministerialiter. 152. Spectata tandem[2]) ministerialiter, infallibilitas charisma est proprium doctorum et pastorum, magistrorum et praepositorum, qui constituunt corpus hierarchicum, cuius ipse romanus episco-

---

[1]) I. Tim. III. 15. Στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας.

Ecclesia ac ministerium. [2]) Hoc porro interest inter infallibilitatem sic subiective, uti diximus, et ministerialiter spectatam, quod 1. haec ordine ac prope natura, ut aiunt, origine ac principio prior, illa posterior est; ex infallibili enim capite ad fideles ecclesiae dimanat infallibilis fidei veritas: quod 2. intentione ac finaliter est illa veluti prior, haec autem posterior; data namque eadem fuit capitali pontificis romani ministerio propter ipsos fideles ecclesiae: tum intelligitur 3. quo sensu possit ac debeat sedes *Sedes ac sedens.* romana a persona eam occupante distingui: illa enim est permanens, quacum ministerium capitale manet coniunctum; haec quae indesinenter transit ministerio fungitur.

pus caput est, propter quod capitale ministerium ei etiam soli dotem illam tributam divinitus esse contendimus.

III. Infallibilitatis subiectum nominatim romanae sedis episcopus.

153. Etenim quemadmodum haud arduum est, ex infallibilitate, quae generatim convenit ecclesiae universae, arguere et inferre rationem infallibilitatis, quae speciatim docenti ecclesiae doctorumque ministerio conveniat; ita multo etiam pronius est, ex parte utraque supremi nominatim capitis infallibilitatem suadere. Quin immo, ut ornamentum infallibilitatis adseratur ecclesiae, inter ea quae solent ex Scripturis argumenta depromi, haec postrema non sunt, quibus

1. perhibetur ecclesia tanquam fundata supra petram: tum

2. eadem perhibetur tanquam invicta contra portas inferni. Atqui nemo non videt, haec inmediate atque directe ad sanctum Petrum eiusque ministerium fuisse a Christo relata.

154. Verum licet haec in causa leviore satis esse possint, in re adeo gravi, uti ea est, quam tractamus, quaeque obtrectatorum oppositioni tam vehementi exponitur, necessarium omnino est, ut directis hoc ipsum propriisque rationum momentis communiatur atque firmetur. Quod ut via ac ratione praestetur, id cuivis exploratum est, in quaestione eiusmodi romanum episcopum

1. non considerari nisi pro suo charactere proprio, ac pro sua ratione, ut aiunt, formali, quatenus personam gerit ac praefert capitis totius corporis, supremi itidemque universalis doctoris et pastoris; nec illum proinde considerari, nisi quatenus *Qualitas subiecti et adiuncta.*

2. apostolicum exercet ministerium docendi, definiendi, declarandi salutarem fidem, mores salutiferos, quaeque vel ad illa requiruntur vel cum iisdem cohaerent: hinc considerari

3. velut id agentem, ut ubique et semper in ecclesia Dei inmutabilis fidei unitas, caritatis communio protegatur, adseratur, atque fideles in illa ex ordine voluntateque Christi institutoris vitatis deviis per semitam iustitiae ad vitam aeternam perducantur. Atqui romanos episcopos ita spectatos praesidio divinitus excellere, quo infallibiliter ac irreformabiliter iudicent, decernant ac doceant, exigunt cum alia tum perspicui tituli, quos illico subiiciemus.

IV. Infallibilitatis romano tribuendae episcopo tituli.

155. Itaque ut romanae ecclesiae praesuli adseratur in docendo ab errore inmunitas, flagitat

1. titulus iuris,

quo episcopus romanus centrum est efficiensque principium catholicae unitatis: atqui unitas catholica primum potissimumque unitate fidei continetur, quae [1]) sicut subiective fundamentum est et radix totius *εὐσεβείας* internae ac personalis, ita obiective fundamentum est ac basis [2]) totius religionis externae et socialis. Scilicet fides interna et prouti inest singulari personae, est instar fundamenti quoad totam huius hominis pietatem: simili modo externa fidei professio est normae instar fundamentalis quoad religionem visibilis ecclesiae socialem. Porro romani pontifices totius catholicae unitatis, quae fidei professione primo continetur, apud Christi ecclesiam fundamentum et basis creduntur et sunt. Quare e duobus alterutrum, aut tuta ac firma nequit ecclesiastica societas fidesque consistere, sed labili innixa fundamento et ipsa fluctuat, nutat et tota denique collabitur, quod vel opinari nefas est, aut in fidei negotio romani pontifices errori, fallaciae, reformationique haberi non debent obnoxii. Quod adeo retinendum est.

156. Eo vel magis, quod idipsum flagitat

2. titulus officii,

quo tam agni quam oves distributive [3]) aeque ac collective omnes obstringuntur, custodiendae cum romanae ecclesiae pastore utriusque unitatis tum fidei tum caritatis seu communionis. At vero sicuti cum errore conveniendi nulla dari necessitas potest, ita debitum illud officiumque nullum foret, si summus pontifex non esset errare fallique nescius. Est igitur inerrantia romani pontificis veritas eiusmodi, quae cum dogmate de supremo illius magisterio eodemque necessario, cui videlicet adhaerere omnia eccle-

---

[1]) Huc faciunt Pauli Hebr. XI. 1. sq. *Ἔστι δὲ πίστις ἐλπιζομένων ὑπόστασις κ. τ. λ.*

Clem. alex. [2]) Ita ex rei natura Veterumque doctrina, quam paucis complectitur Clemens alex. str. l. V. fidem vocans *τὸν τῆς δικαιοπραγίας θεμέλιον.* Vide lib. sup. c. III.

[3]) Lib. sup. c. III.

siae membra tenentur, veluti cum thesi hypothesis atque conditio indivulso nexu cohaereat.

157. Et sane, hoc flagitat omnino et exigit

3. titulus ontologicus propriae naturae,

qua Petrus cum successoribus suis vere est „petra„ ecclesiae [1]) lapis nimirum fundamentalis, cui innixum credentium aedificium ac domus Dei non dilabitur. Est ergo illabilis ille, idemque illabilis in omnibus iis et eo usque persistit, in quibus et quousque omnino aedificium illud stare ac persistere debet, ut Dei domus perfecta et aedificatio ex Christi membris absoluta sit. Jamvero fides [2]) est prima atque potissima conditio, ut construi ecclesia et aedificari queat: fide qui Christi sunt ab iis discernuntur, qui non sunt eius: fides est lapidis instar lydii, quo membra corporis Christi mystici ab iis inprimis disiunguntur, qui a divina compage avulsi in perniciem animique interitum ruunt. Prout igitur

1. Rerum naturae.

---

[1]) Haec est ratio, ob quam Maiores voce πέτρας Matth. XVI. 18. significatam voluere fidei professionem a Petri ore profectam atque repetendam. Quod quidem non minus vere quam συστηματικῶς dictum fuisse, ostendimus libro superiori c. IV. Nam quum duo de illa Christi Domini sententia quaeri possint, alterum num in utroque inciso idem subiectum vocibus Petri ac petrae significetur, quod quidem nonnisi praeiudicata pervicacia in dubium vocatur; et alterum, quidnam illud sit, quo Petrus est petra, fundamentum ac basis domus Dei: postremum hoc profecto a veritatis revelatae professione ac fide non differt, sine qua inpossibile est placere Deo, per quam datur sors inter sanctos Dei, in qua vocantur qui ecclesiam componunt, qua corpori Christo adscripti vivimus. Hinc petra civitatis ac domus Dei, quae est ecclesia Christi, petra itidem fidei est, et eius quidem fidei, quae non corde solum foveatur ad iustitiam, sed quae ore etiam proponatur ad salutem, quae est fides symbolica. Atqui de Petro valet, ut sit petra domus Dei; de eodem ergo valet, ut fidei petra sit, et quidem petra fidei symbolicae. Fides ergo quam profitetur Petrus, ita basis illa est, cui aedificium ecclesiasticum incumbit, uti symbolo ac normae symbolicae innititur unitas totius fidei professionisque ecclesiasticae. Atqui „regula fidei, inquit Tertullianus de vel. virg. c. 1. una omnino est, sola immobilis et irreformabilis.„ Talis ergo pariter est romana Petri fides. Sed eodem spectant quae in concilio lateran. a Sergio cypriensi dicta leguntur ap. Harduin. t. III. p. 730. de quibus infra.

Matth. XVI. 18. Fides Petri symbolica. Tertullian.

[2]) Propterea ecclesiae ratio ab Ambrosio officior. l. III. c. 3. n. 19. describitur: „Ecclesia est congregatio, quae in unum connexum corpus atque compactum unitate fidei et caritatis adsurgit.„ A qua descriptione minime abludunt, vel ista Euthymii in Ps. LXXXVIII. „Si loca respicias, ecclesiae plures sunt: si religionem et fidei communicationem, omnes quae ubique sunt ecclesiae, unam constituunt fidelium ecclesiam„: vel haec eodem spectantia Chrysostomi ep. ad Cor. I. h. 1. „Ecclesiae nomen non ambitum, sed unionem et consonantiam significat.„

Ambrosius. Ecclesiae notio. Euthymius. Chrysostomus.

fides aut firma est aut labilis, deprehenditur Christi quoque ecclesia aut stare firmiter aut collabi. Atqui ut tantam ab ecclesia sua ruinam Salvator generis excluderet, firmum fundamentum posuit, inmobilem, inquam, inmutabilis fidei petram, quae est ipsa Petri romanique episcopi cathedra atque doctrina.

2. Doctrina orientis. 158. Neque ut res aliter accipiatur, sinunt ad fidem faciendam adcommodata tam Orientis quam Occidentis documenta. Graecorum enim antiquiorum nomine de hoc Matthaei loco ita [1]) disserit *Cyrillus.* Cyrillus: „Animadverte, quomodo dominum se summatim coeli terraeque declarat. Promittit enim, quae supra nostram naturam sunt, immo supra angelicam conditionem, quae denique uni et excedenti omnes naturae et maiestati attribuere decet. Primo quidem esse ecclesiam in potestate sua dicit, quam alioqui sacrae litterae Deo potius quam ulli homini subiectam adfirmant. Ait quippe Paulus, Christum sibi illam comparasse quavis macula rugaque carentem: quam etiam fundasse dicit, inconcussa firmitate eidem tributa, quum sit ipse potentiae dominus: et illius pastorem Petrum praeposuit„ a quo adeo ecclesiae inconcussa inest firmitas, quemadmodum ipsi superna illa [2]) dona conveniunt.

159. A quibus sequiores probe orthodoxos non deflexisse, argumento conficitur, quod ad solam veram ostendendam ecclesiam *Georg. trapez.* romanam adhibet [3]) Georgius trapezuntius scribens ad cretenses: „Quaenam vero illa (una catholica ecclesia) fuerit? Planum est, esse Romanam. Et undenam dicet, nescio quis, perquirentibus id

---

[1]) In Matth. XVI. 18. ap. Mai N. PP. Bib. tom. III. p. 131. *Ἄθρει ὅπως κύριον ἑαυτὸν ἀποφαίνει συλλήβδην οὐρανοῦ καὶ γῆς· ὑπισχνεῖται γὰρ τὰ ὑπὲρ φύσιν τὴν καθ᾽ ἡμᾶς, μᾶλλον δὲ καὶ τάξεως τῆς ἀγγελικῆς καὶ ὅσα μόνῃ πρέπει χαρίζεσθαι τῇ ἀνωτάτω πασῶν φύσει τε καὶ δόξῃ· πρῶτον μὲν γάρ φησιν ἐφ᾽ ἑαυτοῦ εἶναι τὴν ἐκκλησίαν καί τοι τῶν ἱερῶν γραμμάτων θεῷ μᾶλλον καὶ οὐδενὶ ἀνθρώπων ἀφιερούντων αὐτήν· ἔφη γὰρ ὁ Παῦλος, ὅτι αὐτὴν ἑαυτῷ παρέστησεν ὁ Χριστὸς μὴ ἔχουσαν σπῖλον ἢ ῥυτίδα· ἣν δὴ καὶ θεμελιοῦν ἐπαγγέλλεται, τὸ ἀκατάσειστον αὐτῇ προσνέμων, ὡς αὐτὸς ὑπάρχων τῆς δυνάμεως κύριος· καὶ ταύτης ποιμένα τὸν Πέτρον ἐφίστησιν.*

[2]) His factum est, ut e Simone fieret Petrus, et ut quotus quisque romanus episcopus sit, idem in illa natura Petri successor petrinam itidem sortiatur naturam.

[3]) De una sancta apostolica ecclesia n. 7. ap. Leo. Allat. t. I. p. 550: *Τὶς οὖν αὕτη; δῆλον ὅτι ἡ τῆς Ῥώμης, καὶ πόθεν, εἴποι τὶς ἄν, τοῦτο γενήσεται τοῖς ζητοῦσι φανερόν; Πρῶτον μὲν ὅτι αὐτὸς ὁ Χριστὸς τῷ Πέτρῳ ἐξόχως τὰς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν ἐχαρίσατο κλεῖς· Σὺ εἶ Πέτρος, λέγων . . .μόνης γὰρ ταύτης οὐ κατισχύσουσιν τῇ τοῦ Χριστοῦ χάριτι αἱ πύλαι τοῦ ᾅδου, αἱ μοχθηραὶ τῶν αἱρετικῶν γλῶσσαι, αἱ λάλησαι εἰς τὸ τοῦ θεοῦ ὕψος ἀδικίαν.*

fuerit manifestum? Primum quidem, quod Christus ipse Petro prae reliquis aliis regni coelestis claves elargitus est, Tu es Petrus, dicens, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam: et portae inferi non praevalebunt adversus eam. De ecclesia vero Romana haec pronuntiata esse a Salvatore hinc patet, quod adversus eam Christi gratia non praevalebunt portae inferi, inprobae haereticorum linguae, quae obloquuti sunt in divinam maiestatem iniustitiam.„ Quibus nihil praeclarius, nihil expressius.

160. Nisi haec et ob antiquitatem et universalitatem sollemnitatemque illustriora forte censeantur, quae de Petro graeci legunt in suis liturgicis libris. In Menologio [1]) enim praeter alia [2]) haec egregia habentur: „Super petram theologiae tuae firmavit Dominus Jesus ecclesiam immobilem, in qua, Apostole Petre! te glorificamus. Tu animabus fidelium positus es petra fundamentalis, magni pretii, Petre petra fidei!„ Sed enimvero, quis consociare cum eiusmodi natura inmobilis petrae, id est cum Petro eiusque romana fidei cathedra, instabilem infirmamque fidem valeret? Atqui illa docent ac in sacris suis conventibus cantant graeci ecclesiae filii. *Menologium.*

161. Nomine autem latinorum ita[3]) sanctus Leo nonus: „Petro non per angelum, nec per prophetam, sed proprio ore ipse Dominus angelorum et prophetarum sic repromittit in sequentibus: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, illius capiti vos satagitis subtrahere Christum Jesum, praeter quem nemo potest universali ecclesiae aliud ponere fundamentum [4]). Quod utique devotissimus ille Petrus non solum vivens, sed etiam moriens demonstravit, quando nimia humilitate et congrua significatione se crucifigi deorsum verso capite petivit; profecto divina inspiratione praefigurans sese esse primum et quadrum lapidem in fundamento, quod est Christus Jesus, compaginatum, cohaerentem atque connexum; qui utpote superpositus angulari lapidi, totum pondus ecclesiasticae fabricae incorruptibili soliditate [5]) sufferret, ac proprii capitis suppositione *3. Doctrina occidentis.* *Leo IX.* *I. Cor. III.* *Incorruptibilis soliditas.*

[1]) Vide flosculum veritatis p. 14. de ecclesiae unione ex variis oriental. eccles. lib. stud. RR. PP. O. S. Basilii M. Balasfalvensium collect. et edit. Rom. 1862.

[2]) Ibid. die 29. Jun. in litia, in can. od. 3. ad laud. et al.

[3]) Ep. ad Michaël. constantinop. patriarch. ap. Mign. PP. lat. t. 143. p. 748. ep. C. n. 6.

[4]) I. Cor. III.

[5]) Ad haec expressa diceres, quae venerabilis Beda in nat. s. Andre. Ap.

omnia membra corporis Christi per aptas et naturales compages, usque ad consummationem saeculi, quasi usque ad pedes crescentia, inflexibili colle ad coelos sustolleret.„ Quibus quae superius praemisimus singulari vi roborantur. Verum Leo nonus recentior haberi posset. Accedant igitur antiquiores.

Ambrosius. 162. Illorum porro sententiam luculenter exponens [1]) Ambrosius: „Fides ergo est, inquit, ecclesiae fundamentum; non enim de carne Petri, sed de fide dictum est, quia portae mortis non praevalebunt.„ *Hilarius.* Eandem illorum proponit[2]) Hilarius pictaviensis inquiens: „O in nuncupationi novi nominis felix ecclesiae fundamentum, dignaque aedificatione illius petra, quae infernas leges et tartari portas et omnia mortis claustra dissolveret.„

Beda. 163. Neque alio spectant quae habet [3]) venerabilis Beda qui Christi verba „Et ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam„ exponens subdit: „Petrus qui Simon antea dicebatur, ob fortitudinem fidei et confessionis suae constantiam, a Domino Petri nomen accepit, quia videlicet illi firma ac tenaci mente adhaesit, de quo scriptum [4]) est: Petra autem erat Christus. Et supra hanc petram, id est, super Dominum Salvatorem, qui fideli suo cognitori, amatori, confessori participium [5]) sui nominis donavit, ut videlicet a petra Petrus vocaretur: supra quam aedificatur ecclesia, quia nonnisi per fidem et dilectionem Christi, per susceptionem sacramentorum Christi, per observantiam mandatorum Christi, ad sortem electo-

---

Petra spiritualis. l. c. p. 261. habet: „Haec de mysterio petrae spiritualis, a qua primus pastor ecclesiae nomen accepit, et in qua totius sanctae ecclesiae fabrica immobilis et inconcussa persistit, et per quam ipsa ecclesia nascitur ac nutritur, latius exponendo dicere libuit.„

[1]) De incarn. l. V. n. 34.

[2]) Comment. in Matth. c. XVI. ap. Mign. lat. PP. t. IX. pp. 1009. sq. coll. de Trinit. l. II. n. 23. ubi gemina habet.

[3]) In nat. bb. Apost. Pet. et Paul. hom. 16. ap. Mign. lat. PP. t. 94. pp. 221. sqq. ubi singularem quandam instituit collationem Christum inter interque *Bar. Jona.* Simonem: „Bar Jona syriace, latine dicitur filius columbae„ cui quidem columbae, hoc est Spiritus sancti, filio eadem donorum ornamenta per gratiam tributa perhibet, quae Unigenito per naturam conveniunt.

[4]) I. Cor. X. 4. De cavillationibus contra nomen petrae in Petrum translatum vide F. Turrian. S. J. defens. loc. Script. l. I. p. 100.

[5]) Sed participium nominis „petrae„ Christus Petro donavit eo profecto, quod eidem participium donaverat rei, quae petra est: non secus ac idem ven. Beda ib. hom. XXII. p. 251. scribit: „Matthaeus hebraice, latine dicitur donatus:

rum et aeternam pertingitur vitam, Apostolo attestante [1]) qui ait: Fundamentum enim aliud nemo potest ponere praeter id, quod est Christus Jesus.„ Ubi intimus Petri ad petram, qui Christus est, habitus non minus indicatur, quam clare significetur, eatenus Petrum vocatum esse in petrae participium, quatenus universam salutis christianae doctrinam inmobiliter credit, amat, confitetur, et profitetur: quo quidem ipso fundamentum totius ecclesiae exsistit. Id ne dubites, audi rursum Bedam [2]) loquentem: „Tu es, inquit, Petrus, et super hanc petram a qua tu nomen accepisti, hoc est, super me ipsum, aedificabo ecclesiam meam; super hanc fidei perfectionem (en, quo sensu dixit Beda „super meipsum„ scilicet super Petri de meipso confessionem) quam tu confessus es, aedificabo ecclesiam meam, a cuius societate confessionis quisque (al. quisquis) deviaverit, quamvis sibi magna videatur agere, ad aedificium ecclesiae meae non pertinet. Petrus igitur a firma petra, videlicet Christo, quem ardenter amavit, nomen accepit.„ Hinc firmus est Petrus firmitate Christi. Sed „Christus, subdit Beda, vocatur petra, quia inexpugnabile ad se confugientibus praesidium tribuit.„ Tale

Beda.

Inexpugnabile praesidium.

---

quod profecto nomen illi apte congruit, qui tantum gratiae supernae munus accepit:„ tum hom. XXIII. ibid. p. 259. ubi postquam ad illa Joan. I. „Intuitus autem eum Jesus dixit: Tu es Simon filius Joanna: intuitus est, inquit, Simonem Jesus, non exterioribus solum oculis, sed et interno divinitatis intuitu iuxta illud b. Samuelis (I. Reg. XVI.) Homo videt in facie, Deus autem intuetur cor. Vidit cordis eius simplicitatem, vidit animi sublimitatem, cuius merito cunctae esset praeferendus ecclesiae„ . . . tum pergit: „Nec magnum est Domino vocabulum cuiuslibet hominis vel patris eius dicere, qui omnium sanctorum nomina scripta tenet in coelo; sed positurus discipulo nomen meriti sublimioris ditaturus vocabulo (al. daturus vocabulum) quod totius ecclesiae praesuli congrueret, primo voluit ostendere, quia quod a parentibus acceperat nomen etiam ipsum significatione virtutis non careret.„ Quibus enarratis illico concludit. „Ecce audistis, fratres carissimi, quare primus Apostolorum prius Simon dictus, quo mysterio filius sit Joanna; restat perscrutari, quid arcani contineat nomen, quo eum denuo Salvator appellavit.„ Id quod p. 260. continuo exponit: „Tu, inquit, vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. Neque vero Petri vocabulo, quasi hebraeo vel syro, aliam interpretationem quaerere oportet, sed pro certo nosce, quia idem graece et latine Petrus, quod syriace Cephas significat, et in utraque lingua nomen a petra derivatum est. Vocatur autem Petrus ob firmitatem fidei; vocatur Petrus ob invincibile robur mentis; vocatur Petrus, quia illi solidissimae petrae, de qua Apostolus (I. Cor. X.) ait: Petra autem erat Christus, unica devotione adhaesit.„

Totius ecclesiae praesul.

Cephas.

[1]) II. Cor. III.

[2]) L. post. c. in nat. s. Andreae Ap. ib. p. 260. Quibus similia habet in Joan. c. XXI. pp. 929. sqq.

igitur inexpugnabile praesidium collocavit Dominus in Petro. Unde quod de petra Christo concludit Beda, de participio eius Petro

Qui a petra, divellitur a fidei firmitate.

concludere licet: „Curemus autem, fratres carissimi, ut huius petrae praesidio semper adhaerentes nulla labentium rerum contrarietate terrente, nulla blandiente serenitate, a fidei firmitate divellamur.„

164. Utique etiam num curemus, ut adhaereamus in omnibus petrae nostrae, Pii inquam noni, voci qua de sublimia haec [1]) *Leo.* Leonis valent: „In universa namque ecclesia, Tu es Christus filius Dei vivi, quotidie Petrus dicit, et omnis lingua, quae confitetur Dominum, magisterio huius vocis imbuitur. Haec fides diabolum vincit et captivorum eius vincula solvit. Haec erutos mundo inserit coelo et portae inferi adversus eam praevalere non possunt. Tanta enim divinitus soliditate munita est, ut eam neque haeretica unquam corrumpere pravitas nec pagana potuerit superare perfidia.„

Liturgia.

165. Atque eodem recidunt, quae in solemnibus liturgiae precibus identidem ita recurrunt, ut nihil ad rem praesentem opportunius expeti posse videatur. Et inprimis huc faciunt quae leguntur in Sacramentario, quod [2]) a Leone M. Leoninum appellant.

Sacramentar. Leon.

„Qui secundum promissionis tuae ineffabile constitutum apostolicae confessioni superna dispensatione (al. dignatione) largiris, ut in veritatis tuae fundamine solidata nulla mortiferae falsitatis iura praevaleant; et quantalibet existat errantium multitudo, illi sint redemptionis tuae filii, et illis ecclesia tota numeretur, qui ab electorum tuorum principali traditione non dissonant.„ Quibus alibi [3]) haec adduntur praeclara: „Ipsaque sit sacri corporis ubique vera compago, quae te dispensante devota obsequitur, quidquid sedes illa censuerit, quam tenere voluisti totius ecclesiae principatum.„

Sacrament. gallic.

166. In Sacramentario gallicano [4]) ad contestationem Missae in die cathedrae s. Petri legitur: „Testis est haec divina Petri cathedra episcopatus exposita, in qua fidei merito revelationis

---

[1]) Ser. III. (al. II.) c. 3.

[2]) Lib. sacrament. eccles. rom. opp. Leon. M. t. II. ap. Mign. pp. 49. sq. in nat. Apost. Pet. et Paul. ad Praefat.

[3]) Ibid. p. 54.

[4]) Musaei ital. t. I. p. 297. ed. Mabillon.

mysterium fidem in filium Dei confitendo praefatus Apostolus ordinatur, in cuius confessione est fundamentum ecclesiae, nec adversus hanc petram portae inferi praevalent.„

167. Similiter legitur in Missali gothico [1]), in quo insuper *Missal. goth.* hoc praeclarum additur: „Fide praelatus est (Petrus) et per hanc Petri petram basis ecclesiae fixa est.„

168. Legitur in Benedictionali [2]) die natali sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, nec non in Sacramentario [3]) Gregorii: „Benedicat *Sacrament. Gregor.* vos omnipotens Deus, qui nos beati Petri saluberrima confessione in ecclesiasticae fidei fundavit soliditate. Amen.„ Legitur tandem, aliis praetermissis, in collecta [4]) quae hac etiam nostra aetate recitatur *Missal. commun.* in Missa vigiliae eorundem Apostolorum: „Praesta quaesumus, omnipotens Deus, ut nullis nos permittas perturbationibus concuti, quos in apostolicae confessionis petra solidasti.„

169. Quid iamvero ex interpretatione tot adserta testibus, atque *4. Mens pontificum.* perspicuis adeo constabilita monumentis deducitur? Scilicet illud doctrinae caput, quod nobis destinatum erat illustrare, Petri fidem professionemque eam esse petram, supra cuius soliditatem firmitatemque, ut cum Leone [5]) Gregorius [6]), et cum ipsis Hadrianus primus [7]) et Nicolaus primus [8]), post eos Stephanus sextus [9]), Innocentius secundus [10]), Urbanus tertius [11]) aliique loquuntur, Salvator noster suam fundavit ecclesiam.

170. E cuius symboli vi ac potestate nihil manifestius, quam inter Petri et catholicae ecclesíae fidem professionemque interesse habitudinem, *σχέσιν*, quae inter fundamentum domumque intercedit. Sed fundamentum est, quo tota domus stat, quod universam compagem fulcit, continet, et cui per iunctiones diversas nexusque multiplices ima innituntur et summa, ut firmitatem

---

[1]) Quod iuris publici fecit Cardin. Thomasius, ὁ *μακάριος*.

[2]) Quod Lambeccius vulgavit bibl. caes. t. II. c. 5.

[3]) Opp. t. III. ed. Menard.

[4]) Ea ex antiquioribus Gregorianis a Pamelio et Muratorio inpressis sacramentariis antiquissima cognoscitur.

[5]) Ser. 62. coll. ll. cc.

[6]) Epp. l. IV. ep. 38.

[7]) Syn. VII. act. 2.

[8]) Ad Phot. ep. 6.

[9]) Ad univers. epp. 2.

[10]) Ad conc. senon. epp.

[11]) Ad archiepp. epp. et abbatt.

suam stabilitatemque tueantur ac protegant, neve concidant atque labantur. Unde Petri fides pariter ea sit ac dicatur oportet, quae sustentet, conservet ac roboret totum christianae fidei qua late per orbem terrarum adsurgit aedificium, quacum singulorum doctrina omniumque conspiret sententia, ne corruat, verum sanitatem custodiat, et a qua sicubi exerret, a veritatis tramite [1]) illico devia sit et extorris. Atqui talis fides ac professio nequit esse nisi *πέτρας* instar *στερεᾶς* [2]), inmotae atque inmobilis potestatis, ne ipsa concussa et a suo mota loco tota dimoveatur ecclesia et concidat.

Asterius. 171. Eximiam quandam nobilemque rei expositionem praebet amasenorum praesul [3]) Asterius. „Sane vere Isaias vaticinans [4]) ait, posuisse Patrem Filium lapidem angularem: nimirum significans, mundi totam concretionem illo fundamento ac basi

---

V. Beda. [1]) Hinc ven. Beda de Petri fide sermonem instituens quam petram illam esse statuit, supra quam Christus collocavit ecclesiam suam. „A cuius societate confessionis, inquit, quisquis deviaverit, quamvis sibi magnus videatur, ad aedificium ecclesiae non pertinet.„ Id quod diu praestituerat ep. 33. (al. 29.) ad synodum ephesinam magnus Leo scribens: „Nimis a compage huius aedificationis est alienus, qui b. Petri confessionem non capit.„ *Leo M.*

[2]) Ita a chalcedonensi concilio romanae urbis Papa appellatur.

[3]) In. ss. Pet. et Paul. h. VIII. n. 4. ap. Mign. gr. PP. t. 40. pp. 267. sqq. *Ἡσαΐας μὲν οὖν φησι προφητεύων, ὅτι λίθον ἀκρογωνιαῖον ὁ Πατὴρ ἔθηκε τὸν Υἱὸν, ἐνδεικνύμενος ὡς ἡ πᾶσα τοῦ κόσμου σύστασις ἐκεῖνον ἔχει τὴν ἕδραν καὶ τὴν κρηπῖδα. Ὁ δὲ Μονογενὴς πάλιν, καθὼς ἐν εὐαγγελίοις φησὶν, θεμέλιον τὸν Πέτρον ὀνομάζει τῆς ἐκκλησίας· Σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν. Πρῶτος γὰρ ἀληθῶς οὗτος, ὥσπερ τις λίθος μέγας καὶ καρτερὸς ἐνεῤῥίφη τῇ τοῦ κόσμου τούτου κοιλότητι, ἢ τῇ κοιλάδι τοῦ κλαυθμῶνος, ὥς φησιν ὁ Δαβίδ· ἵνα πάντας χριστιανοὺς ἐποικοδομουμένους βαστάσας, ἀναγάγῃ πρὸς τὸ ὕψος, ὃ τῆς ἐλπίδος ἡμῶν ἐστιν οἰκητήριον. Θεμέλιον ἄλλο οὐδεὶς δύναται θεῖναι, παρὰ τὸν κείμενον ὅς ἐστιν Ἰησοῦς Χριστός· Τῇ ὁμοίᾳ δὲ κλήσει ὁ σωτὴρ ἡμῶν καὶ τὸν πρῶτον αὐτοῦ μαθητὴν κατεκόσμησε, πέτραν ὀνομάσας τῆς πίστεως. Διὰ Πέτρον τοίνυν, ἄπτωτον καὶ ἀκλινὲς τὸ τῶν ἐκκλησιῶν ἕδρασμα σώζεται, γνήσιον καὶ πιστὸν γενόμενον τῆς εὐσεβείας μυσταγωγόν. Διὰ τὴν οἰκοδομὴν δὲ τοῦ δικαίου ἑστήκαμεν ἐῤῥιζωμένοι, οἱ ἀπὸ ἀνίσχοντος ἡλίου μέχρι καὶ δυομένου, χριστιανοί. Πολλῶν δὲ πειρασμῶν κινηθέντων, ἀφ᾽ οὗ κατηγγέλη τὸ εὐαγγέλιον, καὶ μυρίων τυράννων· καὶ πρὸ ἐκείνων, τοῦ διαβόλου καταστῆσαι θελήσαντος εἰς ἔδαφος, καὶ καθελεῖν ἡμᾶς αὐτοῖς κρηπιδήμασιν· ἔῤῥευσαν μὲν οἱ ποταμοὶ, ὥς φησιν ὁ σωτήριος λόγος, ὡς χείμαῤῥοι, σφοδροὶ δὲ ἄνεμοι τῶν διαβολικῶν πνευμάτων προσέβαλον, λαῦροι δὲ ὑετοὶ τῶν διωκόντων χριστιανοὺς κατεῤῥάγησαν, καὶ οὐδὲν ἰσχυρότερον ὤφθη τοῦ κατὰ θεὸν ὀχυρώματος· ἐπειδὴ ταῖς ἁγίαις παλάμαις τοῦ πρώτου τῶν ἀποστόλων κατεσκευάσθη τὸ τῆς πίστεως οἰκοδόμημα. Ταῦτα δὲ λέγων ἔδει ἕνα λόγον τῆς εὐλογίας τοῦ πέτραν τὸν εὐαγγελιστὴν ὀνομάσαντος.*

[4]) Isai. XXVIII. 16.

nixam esse. Quin et rursum [1]) Unigenitus, ait, uti sacris evangelii libris conscriptum est, Petrum ecclesiae fundamentum dicit: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Primus enim revera hic, ceu grandis quidam ac durus lapis in mundi huius cava demissus est, sive in convallem plorationis, quemadmodum David ait, ut christianos omnes superaedificatos portans in sublime nempe, ad spei nostrae domicilium subvehat. Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id quod positum *I. Cor. III. 11.* est, quod est Christus Jesus. Sed et simili quoque Salvator noster appellatione, primum suum discipulum honestandum duxit, nominans fidei petram. Per Petrum ergo verum ac fidelem pietatis *Inflexa firmitas tam Orientis quam Occidentis.* doctorem effectum ecclesiarum stabilis inflexaque firmitas consistit. Iusti porro aedificatione radicati stamus, qui ab ortu solis ad usque occasum sumus christiani. Plane, cum a tempore annuntiationis evangelicae multae increverint tentationes, tyrannique nos innumerabiles ac illis prior diabolus funditus destruere atque a fundamentis evertere conati sint: decurrerunt flumina velut torrentes, inquit salubris vox ac sacra [2]), vehementes diabolicorum spirituum venti irruerunt, copiosi ac immensi persequentium christianos imbres impetu defluxerunt, nec quidquam tamen divino potentius visum est munimine; quod nimirum fidei aedificatio sacris primi Apostolorum manibus exstructa esset. Haec porro dicenda habui, ob illud unum verbum benedictionis eius, qui evangelistam ac sacrum praeconem petram nuncupavit.„ Quibus nihil insignius disertiusque flagitari poterit: declaratur enim Petro tributa vis petrae, quae

1. spectato subiecto, mundi totam concretionem sustinet: quae

2. spectato obiecto, ad fidem respicit qua iusti vivunt, ita ut petra fidei nominetur et sit: atque

3. spectato charactere et indole, stabilis est inflexaeque firmitatis, qua innixi inmutabilem fidem profitentur „qui ab ortu solis ad usque occasum sumus christiani.„

172. Neque aliter Hippolytus [3]) scribens: „Primus Petrus, *Hyppolitus.*

---

[1]) „Rursum„ *πάλιν*, vice versa, vicissim, ut ap. Luc. XXII. 18. „et tu conversus . .„ et Matth. XVI. „Et ego dico tibi„ secundum M. Leonem de nat. ips. s. IV. c. 3. de quo vide sis lib. sup. c. IV. n. 3. p. 147.

[2]) Matth. VII. 27.

[3]) De consum. mund. ap. Labign. t. XII. p. 591. *Πρῶτος ὁ Πέτρος, ἡ πέτρα τῆς πίστεως, ὃν ἐμακάρισε Χριστὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν, ὁ διδάσκαλος τῆς ἐκκλησίας, ὁ πρῶτος μαθητὴς, ὁ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας ἔχων.* *Petra fidei.*

petra fidei, quem Christus Deus noster beatum dixit, doctor ecclesiae, primus discipulus, qui claves regni coelorum tenet.„ *Chrysostomus.* Quibus consentit omnino Chrysostomus [1]) Christum cum auctoritate dixisse affirmans: „Aedificabo ecclesiam meam, et dabo tibi claves coelorum„ quando „ecclesiam supra confessionem Petri aedificavit, eamque ita munivit, ut nec mille pericula nec mille mortes illam possint superare; qui coelorum ipsi claves dedit et tantam potestatem.„ Post quae iure licet concludere, nonnisi unam esse orientis cum occidente antiquam sententiam, ita Petri sedem esse constitutam, ut sua natura sit tutum catholicae fidei praesidium.

173. Iamvero quae infallibilitatis dos cum natura ipsa cumque ontologico Pontificis charactere cohaeret, quo is est inmobilis petra in Urbe collocata, eandem ipsam exigit ac flagitat

IV. titulus potestatis tum universalis tum authenticae,

qua Petrum itidem Christus instruxit, quum eidem „daret claves regni coelorum, ut quodcunque ligaturus esset super terram foret ligatum et in coelis, et quodcunque soluturus super terram, foret solutum et in coelis.„ Manifestum enim est

1. regnum coelorum non esse nisi ecclesiam Christi, nisi aedificationem domumque fidelium, quam divinitus fundatam esse supra petram cognovimus: tum vero

Claves coelorum. 2. claves Petro datas ad ligandum atque solvendum non aliud symbolice praeferre, quam collatam Petro iurisdictionem [2]) qua in domum pro merito vel possit admittere vel ab ea excludere, tum potestatem, vi cuius penes ipsum eorum, quae ad domum spectant, sit arbitrium nec non officium: atqui

---

[1]) In Matth. hom. 82. (al. 83.) opp. t. VII. p. 786. *Οὐδὲ γὰρ εἶπε τότε, ἐδεηθὴν, ἀλλὰ μετὰ αὐθεντίας οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν, καὶ δώσω σοι τὰς κλεῖς τῶν οὐρανῶν.* Sed haec ad quid? Scilicet praemisit: *Ὁ γὰρ τὴν ἐκκλησίαν ἐπὶ τῇ ὁμολογίᾳ αὐτοῦ οἰκοδομήσας, καὶ οὕτως τειχίσας αὐτὴν, ὡς μυρίους κινδύνους καὶ θανάτους αὐτῆς μὴ περιγενέσθαι· ὁ τῶν οὐρανῶν αὐτῶν τὰς κλεῖς δεδωκὼς καὶ τοσαύτης ἐξουσίας ποιήσας κύριον, καὶ μηδαμοῦ εὐχῆς εἰς ταῦτα δεηθείς.*

Ven. Beda. [2]) Ad rem ven. Beda hom. XVI. in nat. bb. Apost. Pet. et Paul. ap. Mign. lat. PP. t. 94. p. 222. „Claves autem, inquit, regni coelorum ipsam discernendi scientiam potentiamque nominat, qua dignos recipere in regnum, indignos secludere deberet a regno.„ Et paulo post ibid. p. 223. „Omni igitur electorum eccle-

3. quemadmodum nihil, quod ad domum illam spectet, Petri potestati[1]) subtrahitur, verum eidem potius subiicitur, quidquid illius est; ita potestatis eiusdem usum exercitiumque a Petro profectum coelitus [2]) iri ratum probatumque a Christo praefinitur. Id autem iudicii illius irreformabilem vim rationemque dicere et exigere, nemo sanus inficias ibit.

174. Iam vero nihil prius, nihil propinquius, principalius nihil in domo illa concipitur, quam fides qua corde creditur ad iustitiam, atque professio quae ore fit ad salutem. Quare iterum Leo M. est, qui ad collatam clavium potestatem eadem protendit [3]) *Leo M.* quae de iacto fidei fundamento ab eodem excepimus. Ubi namque de hoc praemisit: „Super hanc, inquit, fortitudinem aeternum extruam templum, et ecclesiae meae coelo inferenda sublimitas

---

siae iuxta modum culparum vel poenitentiae ligandi ac solvendi datur auctoritas. Sed ideo beatus Petrus, qui Christum vera fide confessus, vero est amore sequutus, specialiter claves regni coelorum et principatum iudiciariae potestatis accepit, ut omnes per orbem credentes intelligant, quia quicunque ab unitate fidei vel societatis illius quolibet modo semet ipsos segregant, tales nec vinculis peccatorum absolvi, nec ianuam possint regni coelestis ingredi.„ Similia scribit in Matth. c. XVI. exposit. l. III. ibid. pp. 78. sq.

[1]) De tanta Petri potestate plenam cordis fidem protestatur s. Anselmus *Anselmus.* orat. LXIV. (al. 63.) ad s. Petrum Apostolum deprecans: „Sancte et benignissime Petre, fidelis pastor ovium Dei, princeps Apostolorum, princeps tantorum principum, qui ligas et solvis quod vis, qui sanas et resuscitas quem vis, qui das regnum coelorum cui vis: magne Petre, magne tot et tantis donis ditate, tot et tantis dignitatibus sublimate . . . respice commissi tibi gregis ovem.„

[2]) Huc plane faciunt e sermone Stephani dorensis episcopi in concilio rom. *Stephan. dorens.* sub Martino I. habito ap. Harduin. t. III. pp. 711. sqq. *Προδήλως οὐ μόνον τὰς κλεῖς τῆς τῶν οὐρανῶν πιστευθῆναι μόνος παρὰ πάντας εἰς τὸ ἀνοίγειν ταύτας καὶ κλείειν ἀξίως μὲν τοῖς πιστεύουσιν, ἐκδίκως δὲ τοῖς ἀπιστοῦσι τῷ εὐαγγελίῳ τῆς χάριτος, ὁ μέγας ἀληθῶς καὶ κορυφαῖος τῶν ἀποστόλων ἠξίωται Πέτρος. ἀλλ' ὅτι καὶ ποιμαίνειν πρῶτος ἐπετράπη τὰ πρόβατα πάσης τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας. Πέτρε γάρ, φησι, φιλεῖς με; ποίμαινε τὰ πρόβατά μου. καὶ μέντοι πάλιν κατ' ἐξαίρετον ἰδιοπροσώπως αὐτὸς βεβαιοτέραν ἔχων ὑπὲρ πάντας τὴν εἰς αὐτὸν τὸν κύριον ἡμῶν καὶ ἀμετάτρεπτον πίστιν, ἐπιστρέψειν ποτὲ καὶ ἀποστηρίζειν σαλευομένους τοὺς ὁμοταγεῖς αὐτῷ καὶ πνευματικοὺς ἀδελφούς*: „Aperta lucubratione non solum claves regni coelorum creditae sunt ei, atque ipse tantummodo ad aperiendum eas fidelibus quidem digne, minime autem evangelio gratiae credentibus iuste claudere magnus secundum veritatem et princeps Apostolorum meruit Petrus: sed etiam et pascere primus iussus est oves catholicae ecclesiae, cum Dominus dixit: Petre amas me? Pasce oves meas. Et iterum ipse praecipue ac specialiter firmam prae omnibus habens in Dominum Deum nostrum et immutabilem fidem, convertere aliquando et confirmare exagitatos consortes suos et spiritales meruit fratres.„

[3]) Serm. IV. (al. 3.) cc. 2. sq.

in huius fidei (Petri scilicet) firmitate consurget„: illico subiecit: „Hanc confessionem portae inferi non tenebunt, mortis vincula non ligabunt: vox enim ista vox vitae est. Et sicut confessores suos in coelestia provehit, ita negatores ad inferna demergit. Propter quod dicitur [1]) beatissimo Petro: Tibi dabo claves regni coelorum. Et quaecunque ligaveris super terram, erunt ligata et in coelis, et quaecunque solveris super terram, erunt soluta et in coelis.„ Potestas igitur qua romanus Pontifex circa fidem professionemque fidei versatur, ab errore ac fallibilitate inmunis exsistit.

Character Petri. 175. Scilicet naturae sive naturali Petri characteri, quo inmobilis est ecclesiae petra atque ipsa [2]) etiam fidei petra vocatur, apprime convenit vis atque potestas, qua idem semet infallibiliter explicet. Hac enim iudicii operationisque praerogativa nemo destituet (*Hilarius.*) „Petrum, cui, uti est [3]) apud Hilarium pictaviensem, superius claves regni coelorum (Dei filius) dederat, super quem ecclesiam aedificaturus erat, adversus quam portae inferni nihil praevalerent, qui quae in terris solvisset vel ligasset, ea in coelis vel soluta persisterent vel ligata . . . Petrum primum filii Dei confessorem, ecclesiae fundamentum, coelestis regni ianitorem et in terreno iudicio iudicem coeli.„ Ecquis iudicem coeli iudicantem licet in terris a veritate iustitiaque existimaverit alienum?

176. Et profecto, ne in dubium illud, de quo agitur, inerrantiae praesidium advocetur, facit

V. titulus disertae pollicitationis,

qua qui Petrum ecclesiae petram fecit, eundem invictum fidei doctorem constituit ac insuperabilem fore praedicendo promisit. Quod ut liquido constet, nihil accommodatius apparet, quam paulo dili-

---

Hilarius. [1]) Matth. XVI. 19. Ad quae l. s. c. p. 1010. ita pariter Hilarius: „O beatus coeli ianitor, cuius arbitrio claves aeterni aditus traduntur, cuius terrestre iudicium praeiudicata auctoritas sit in coelo: ut quae in terris aut ligata sint aut soluta, statuti eiusdem conditionem obtineant et in coelo.„

[2]) Ita superius ab Asterio dicitur amaseno aliisque passim, de quibus cf. (*Maximus M.*) lib. sup. c. IV. 3. Sed nominatim Maximum M. ep. ad Pet. illust. opp. t. II. p. 292. ubi haec complectitur: a) Petrum vi nominis esse inconcussum: b) inpetu pravitatis haereticae superiorem: c) in pia veraque fidei confessione fundatum: d) nihil adversus eum aperta haereticorum odia praevalitura.

[3]) In Ps. CXXXI. 12. 4.

gentius enarrare postremum illius oraculi incisum ab ipso Salvatore apud Matthaeum prolati, quo, quemadmodum non paucis superiori libro [1]) demonstratum dedimus, Petrus Apostolorum princeps aedificandae ecclesiae totius, adeoque societatis credentium, fundamentum firmum ac inmobilis basis declaratur. At vero hac declaratione, qua summus architectus Deus uti voluit, Petrum eiusque in romana sede successorem identidem declarari in fide inerrabilem, internis externisque argumentis efficitur.

De oraculo Domini apud Matthaeum XVI. 18.

a) Argumentum internum.

177. Enimvero Christus, Filius Dei vivi, qui Petrum selegit eundemque ecclesiae petram effecit, ut super eam aedificaret ecclesiam suam, idem decernendo [2]) praestituit: „Et portae [3]) inferi non praevalebunt adversus eam.„ Atqui praevalerent, si Petri fides vacillaret unquam ac invalida fieret? Invalida namque semel fide Petri, invalida porro redderetur fides ecclesiae. Etenim causa, ob quam portae inferi non praevalebunt adversus ecclesiam, haec apprime et non alia auctore Christo redditur, nisi quod ecclesiam supra petram, qui est Petrus, ipse Christus aedificavit. Nequit ergo inerrabili fide ecclesia Christi iugiter consistere, nisi inerrabilis in fide iugiter Petrus exsistat, qui in romano episcopo iugiter vivit. Sed idipsum multiplici eodemque externo argumento confirmatur. Sane luculentum repetitur

b) Argumentum ab occidentalibus.

178. Rem Hilarius pictaviensis nervosa prosequitur [4]) oratione, qua confessionem Petri sic commendat: „Haec fides ecclesiae *Hilarius.*

---

[1]) Cs. c. IV. 3. pp. 140. sqq.

[2]) Matth. XVI. 18. *Καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς.*

[3]) „Portae inferi, ait ven. Beda l. c., doctrinae sunt nequam, quae seducendo imprudentes ad inferos trahunt. Portae quoque inferi et tormenta et blandimenta sunt persecutorum, quae infirmos quosque deterrendo vel emolliendo a stabilitate fidei introitum eis aeternae mortis aperiunt. Sed et prava fidelium (al. infidelium) opera ineptaque colloquia portae utique sunt inferi, in quantum suis vel fautoribus vel sequacibus iter perditionis ostendunt.„ *Ven. Beda.*

[4]) De Trinit. l. VI. nn. 37. sq. coll. iis quae ad hanc eandem rem attulimus l. sup. p. 153. Animadvertas autem, quaeso, quanta vehementia Hilarius inpium

fundamentum est: per hanc fidem infirmes (al. infirmae) adversus eam sunt portae inferorum. Haec fides regni coelestis habet claves. Haec fides quae in terris solverit aut ligaverit, et ligata in coelis sunt et soluta. Haec fides paternae revelationis est munus, Christum non creaturam ex nihilo mentiri, sed secundum proprietatis naturam Dei filium confiteri. O miserae stultitiae furor impius, non intelligens beatae senectutis fideique martyrem, et martyrem Petrum, pro quo Pater rogatus est, ne fides eius [1]) in tentatione deficeret: qui iterata a se dilectionis in Deum postulatae professione, tentari se adhuc tamquam ambiguum et incertum tertia interrogatione [2]) congemuit; per id quoque a Domino post tertiam tentationis purgationem infirmitatum, Pasce oves meas, ter meritus audire; qui in cunctorum Apostolorum silentio Dei filium revelatione Patris intelligens, ultra humanae infirmitatis modum, supereminentem gloriam beatae fidei suae confessione promeruit. In quam nunc interpretandae vocis suae deducimur necessitatem? Ille confessus est Christum filium Dei: at mihi tu hodie, novi apostolatus mendax sacerdotium [3]) ingeris Christum ex nihilo creaturam. Quam vim affers dictis gloriosis? Filium Dei confessus, ob hoc beatus est. Hoc revelatio Patris est, hoc ecclesiae fundamentum est, haec securitas aeternitatis est. Hinc regni coelorum habet claves, hinc terrena eius iudicia coelestia sunt.„ Quibus pictaviensis simul complexus est omnia, quae de inerrabili Petri potestate praestituimus. Sicut enim

I. Petrus declaratur fundamentum ecclesiae vi fidei suaeque professionis; ita

II. eadem Petri fides talis declaratur, vi cuius adversus ecclesiam portae inferorum reddantur infirmae; tum declaratur

III. Petrum vi eiusmodi fidei ornatum claves habere regni coelestis: et

---

humanae stultitiae furorem in Deum et Christum eius reiiciat, qui in renanismo nunc adsequutus fastigium videtur: sed inde tantus simul furor in eius vicarium, romanum pontificem.

[1]) Luc. XXII.

[2]) Joan. XXI. 17.

[3]) Unde patet apostolatus novitatem cum sacerdotii falsitate cohaerere.

IV. declaratur, insuperabili eiusdem fidei vi praeditum Petrum ita solvere et ligare in terris, ut solutio ac ligatio etiam in coelis valida sit. Sed quidquid a veritate iustitiaque alienum, id in coelis esse validum nequit. Petri igitur potestas, qua ligat vel solvit, non minus est inmunis a vitio et abusu, ac Petri fides, quam profitetur inmunis est ab errore et falsitate, atque ecclesia Salvatoris a macula et ruga.

179. Hic enimvero nexus est, quem Hilarius ipse paulo post exponit scribens: „Sit sane fides alia, si claves aliae regni coelorum sunt. Sit fides alia, si ecclesia alia est futura, adversum quam portae inferni non praevalebunt. Sit fides alia, si erit alius apostolatus, ligata et soluta per se in terra, ligans et in coelo atque solvens. Sit fides alia, si Christus alius Dei filius, praeter quem qui est praedicabitur. Si vero haec fides sola, confessa Christum Dei filium, omnium beatitudinum gloriam meruit in Petro; necesse est, ut ea quae eum creaturam potius ex nihilo confitebitur, claves regni coelorum non adepta, et extra fidem ac virtutem apostolicam constituta, nec ecclesia sit illa nec Christi.„ Ecclesia igitur per quam Christi sumus, a fide pendet potestateque apostolica, quae est fides atque virtus Petri; ita ut neque ecclesia adsit neque Christus, si absit Petri fides atque virtus. Esse proinde inerrabilem illam et insuperabilem istam, dubitare nullus potest qui sapit, quique intelligit quod declaratur perspicue, infallibilem nimirum ac insuperabilem ecclesiae potestatem ac fidem ab illa, quae Petri est, non avelli, sed potius in eam refundi. *Hilarius.*

180. Atque hoc est quod sanctus Ambrosius [1]) exponit de eodem Matthaei oraculo [2]) verba faciens. Is enim postquam *Ambrosius.*

1. Petrum induxit [3]) adfirmantem sui esse officii „fidem loqui, pietatem asserere, gratiam praedicare„; et postquam

2. illius personam definivit [4]) qua „primatum egit: primatum confessionis utique, non honoris; primatum fidei non ordinis„ quo

---

[1]) De incarnation. domin. sacrament. c. IV. nn. 27. sqq.

[2]) XVI. 18. sqq.

[3]) Ibid. n. 30.

[4]) Ibid. n. 32.

excellens merito potuit dicere: „Nunc nemo me vincat, nunc meae partes sunt: debeo compensare quod tacui, debet prodesse quod silui. Lingua mea non habet spinas; sine impedimento fides debet exire . . . Mihi purus est sermo, cui nullas spinas expressa reliquit impietas„; atque propterea

3. eiusdem Petri rationem et habitum tam ad reliquos Apostolos, quam ad universam ecclesiam explicavit [1]) quo „hic est ergo Petrus, qui respondit pro ceteris Apostolis, immo prae ceteris; et ideo fundamentum dicitur, quia novit non solum proprium [2]), sed etiam commune servare„: tum enimvero [3]) pergit

4. vim qualitatemque fidei Petri describere: „Fides (videlicet Petri) ergo est ecclesiae (dicebatur paulo superius et Apostolorum) fundamentum: non enim de carne (quae est ordinis naturalis) Petri, sed de fide (quae est superni charismatis) dictum est, quia portae mortis ei (scilicet fidei Petri) non praevalebunt; sed confessio vicit infernum. Et haec confessio non unam haeresim exclusit; nam cum ecclesia multis tamquam bona navis fluctibus saepe tundatur, adversus omnes haereses debet valere ecclesiae fundamentum.„ Quibus mediolanensis maximus doctor evidenter significavit, invictam ecclesiae contra hostes firmitatem atque constantiam ab invincibili robore Petri, qui in romanae sedis successoribus iugiter vivit, omnino proficisci.

Augustinus. 181. Et re sane vera scribit [4]) alius inter occidentales maximus doctor isque episcopus hipponensis: „Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede. Et in ordine illo patrum quis cui successit [5]) videte: Ipsa est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae.„ Jacta itaque Romae collocataque in Petro christianae fidei petra, apostolica fides inmobiliter ibidem in successorum ordine persistit inmobilis, atque invicta est et manet contra varias satanae adgressiones omnes, quibus ipsa undique infestatur quibusque per totum orbem ecclesia obiicitur. Neque putet aliquis, eiusmodi esse

---

[1]) Ibid. n. 33.

Fundamentum. [2]) Sane fundamentum non est tantum res in se et pro se aliquid, verum est etiam res, quae fertur ac respicit ad aliud et est aliquid etiam pro aliis, quae sustinentur ab illa atque sustentantur; unde in se et ad alia dicitur.

[3]) Ibid. c. V. nn. 34. sqq.

[4]) Psalm. cont. part. Donat. opp. tom. 9. p. 7. D—E.

[5]) De argumento hoc ex successione continua petito disseruimus libro superiori c. III.

hoc caput, quod ἀδιάφορον nec in censu revelatae traditaeque antiquitus doctrinae reperiatur, cum Augustinus [1]) subiecerit illico: „Talis si quis ad te veniat plenus catholica fide.„ Quod profecto ne dubitaveris efficit ductum

Caput doctrinae catholicae.

c) Argumentum a romanis ipsis praesulibus.

182. Eandem namque doctrinam ac fidem contestantur etiam, profitentur et praedicant romani ipsi pontifices [2]) et quidem publice ac solemniter, coram populo ac in praesentia praesulum, nec perfunctorie, sed industria dataque opera: illamque in medium promunt non ut placitum suum, sed uti revelationem divinam: et eam non obscuram, latentem, absconditam, sed velut apertam, exploratam, receptam: tum eandem proponunt nihil haesitantes, nec ullo reclamante nec contradicente neque etiam dubitationem vel ullo movente illam proclamant. Atqui talia testimonii adiuncta, eaque spectata cum testium conditione, qua semet ipsos uti potestate auctoritateque insignitos declarant, tum considerata simul conditione causae, quae ex se est iuris publici, et ad rem aliis onerosam, ut loqui amant, nec favorabilem nisi uni eique testanti pertinet, evincunt profecto apud quodvis forum iuris peremptorie veritatem. Quae quidem veritas in hoc casus specimine, consideratis, ut par est, rerum naturis rationumque momentis, alia esse quam divina nequit.

---

[1]) Ibidem E—F.

[2]) Si quis cum Febronio magistro opponere auderet contra haec similiaque pontificum dicta et decretalia: „Humana sunt testimonia et suspecta; nam eorum voce romanam ecclesiam extollis, qui praesiderunt in ea: suam agebant causam, se laudant, cum sedem apostolicam magnificant„ is consulat card. Aeneae epist. apologet. p. III. pp. 724. sqq. qui pontificum dicta et rationibus et evangeliorum testimoniis comprobavit. „Sed, inquit SS. D. N. Pii P. VI. respons. c. VIII. sec. IX. p. 196. huiusmodi tam veteres quam novos calumniatores valide repressit Bossuetius seu quicunque alius sit auctor defensionis etc. his verbis: Audio quid dicant: Romanis pontificibus sedis suae dignitatem commendantibus, in propria videlicet causa, non credendum: Sed absit; pari enim iure dixerint, ne episcopis quidem aut presbyteris esse adhibendam fidem, cum sacerdotii sui honorem praedicant, quod contra est . . . quod quidem hic semel dicere placuit, ut temerariam ac pessimam responsionem confutarem; profiteorque, me de sedis apostolicae maiestate romanorum pontificum doctrinae et traditioni crediturum: quamquam eorum sedem non ipsi magis quam reliqui ac tota ecclesia, atque orientales haud minus quam occidentales praedicant.„ Par. III. l. X. c. 6. vid. doctor. ingolstad. colloq. IV. p. 21. qui anonymus constitutionem Pii. VI. an. 1786. egregie vindicavit.

Febroniana exceptio.

Pius VI.

Bossuet.

Romanum de Roma testimonium valet.

Leo M. 183. Et sane, rem exposuit Leo M. gravi oratione ac copiosa dicens: „Firmitas [1]) fundamenti, cui totius ecclesiae superstruitur altitudo, nulla incumbentis sibi templi mole lacessit (al. lassescit). Soliditas enim illius fidei, quae in Apostolorum principe est laudata, perpetua est; et sicut permanet, quod in Christo Petrus credidit, ita permanet [2]) quod in Petro Christus instituit.„ Tum allata Petri [3]) confessione pergit: „Manet ergo dispositio veritatis (scilicet hypostaticae, quae est Christus) et beatus Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans suscepta ecclesiae gubernacula non reliquit. Sic enim prae ceteris est ordinatus, ut dum petra dicitur [4]), dum fundamentum pronuntiatur, dum regni coelorum ianitor constituitur, dum ligandorum solvendorumque arbiter, mansura etiam in coelis iudiciorum suorum definitione, praeficitur, qualis ipsi cum Christo esset societas, per ipsa appellationum eius mysteria [5]) nosceremus. Qui nunc plenius et potentius ea quae sibi commissa sunt [6]) peragit, et omnes partes officiorum atque curarum in ipso et cum ipso, per quem est glorificatus, exsequitur. Si quid itaque a nobis recte agitur, recteque discernitur, si quid a misericordia Dei quotidianis supplicationibus obtinetur [7]), illius est operum atque meritorum, cuius in sede sua vivit potestas et excellit auctoritas. Hoc enim obtinuit, dilectissimi, illa confessio, quae a Deo Patre apostolico inspirata cordi, omnium humanarum opinionum incerta [8])

---

[1]) Ser. III. (al. II.) cc. 2. sqq.

[2]) De hac redditione cf. Leonis mentem quam libro superiore exposuimus c. IV. n. 3. pp. 143. 147.

[3]) Matth. XVI. 16—19.

Quesnelli perversitas. [4]) Hinc discere Quesnellus potuisset atque etiam debuisset, quo sensu Leo superius ecclesiae petram vocavit fidem, nimirum accepit illam in concreto, ut aiunt, de fide confessioneque edita a Petro, cuius adeo fides ecclesiae petra est. Petrus isque edens veram inerrabilemque fidem ac professionem est christianae ecclesiae petra ac fundamentum. Cf. pariter lib. I. l. c.

[5]) Inposito igitur nomine Petri non merus vanusque titulus, sed res eademque superni ordinis denotatur. De quibus cf. lib. sup. l. c.

Simone mortuo Petrus vivere pergit. [6]) Tantum ergo abest, ut cum mortali Simone desierit Petrus, petrae officium, actio et vis, ut Petrus tanquam ordinis superni persona, in successoribus continuet esse et multo etiam efficacius,quam quum persona sua naturalis ac propria Simonis in hoc visibili ordine rerum versaretur.

Triplex potestatis ordo. [7]) In triplici igitur ordine pontificis potestas semet potissimum explicat: a) in ordine practico actionis: b) in ordine theoretico iudicii: c) in ordine liturgico supplicationis: et in triplici hoc ordine Petri potestas per Christum valida est nec frustratur.

[8]) His continetur descriptio, qua generatim infallibilitatis ratio continetur.

transcendit, et firmitatem petrae, quae nullis impulsionibus quateretur, accepit. In universa namque ecclesia, Tu es Christus Filius Dei vivi, quotidie Petrus dicit, et omnis lingua, quae confitetur Dominum, magisterio huius vocis imbuitur. Haec fides diabolum vincit et captivorum eius vincula dissolvit. Haec erutos mundo inserit coelo, et portae inferi adversus eam praevalere [1]) non possunt. Tanta enim divinitus soliditate munita est, ut eam neque haeretica umquam corrumpere pravitas nec pagana potuerit superare perfidia.„ Qui vere est sublimis aeque ac luculentissimus sermo [2]) quo declaratur

1. ecclesiae petram a Christo iactam non esse nisi Petrum: declaratur

2. Petri ratio, qua et propter quam petra idem exsistit: nimirum petram esse Petrum, quia et quatenus veram profitetur fidem:

3. huius fidei professionisque Petri perfectio declaratur et perpetuitas: tum

4. ipsius petrae constans perduratio:

5. eiusdem vis ac ratio, qua Petri omnes praerogativas complectitur:

6. illius causa efficiens non minus ac meritoria, quae est Christus [3]) Salvator: porro

---

[1]) Firmitas igitur fidei Petri est, quae in fideles redundat, quaque fit, ut ipsi quoque fideles exsistant.

[2]) Cui ille plane similis est, qui invenitur ser. V. (al. IV.) cap. 4. ubi venit ad „beatissimi dignitatem Petri, qui sedi suae praeesse non desinit et indeficiens obtinet cum aeterno sacerdote consortium. Soliditas enim illa, quam de petra Christo, etiam ipse petra factus accepit, in suos quoque se transfudit heredes, et ubicunque aliquid ostenditur firmitatis, non dubie apparet fortitudo pastoris. Nam si omnibus fere ubique martyribus pro susceptarum tolerantia passionum, hoc ad merita ipsorum manifestanda donatum est, ut opem periclitantibus ferre, morbos abigere, immundos spiritus pellere et innumeros possint curare languores; quis gloriae beati Petri tam imperitus erit aut tam invidus aestimator, qui ullas ecclesiae partes non ipsius sollicitudine regi, non ipsius ope credat augeri? Viget prorsus et vivit in Apostolorum principe illa Dei hominumque dilectio, quam non claustra carceris, non catenae, non populares impetus, non minae regiae exterruerunt; et insuperabilis fides, quae bellando non cessit, vincendo non tepuit.„ Splendidum plane verbum et grande: quod dictum videri confidentius posset, nisi a) divino veritatis fundamento inniteretur, et nisi b) dictum illud constanti facto fuisset probatum: sed enimvero c) dies ecclesiae nulla verbi veritatem patentius manifestabat quam praesens, qua Pius IX. Petri indutus personam mundi vacillantem machinam solus vere petra sustinet.

Leo. *Petri cum aeterno sacerdote consortium.* *Pius IX.*

[3]) Idem repetit ser. V. (al. IV.) c. 4.

7. qualitas eius ac valor, quo nullius inpetu hostis vincitur: et

8. tandem actionis tum effectus tum amplitudo, qua sedes Petri omnem ubique et semper inbuit ecclesiam divina salutis fide, quae tam est in se certa ac infallibilis, quam est contra diabolum portasque inferi invicta ac insuperabilis. Invicta, inquam, facto, quod usque adhuc historia testatur; invincibilis autem ac insuperabilis iure, quod divina promissio tutissimum facit.

Pontificis ab episcopo particulari discrimen.

184. Hoc namque discrimen est inter episcopos quoslibet particulares interque romanum episcopum, quod illorum singuli in cathedris suis authentice quidem, id est cum auctoritate, ea tamen obnoxia cathedrae supremae doceant, et licet ut plurimum profecto non errent, attamen errare possint; romanae contra itidemque supremae sedis episcopus non tantum de facto non erret, sed neque permittatur errare, et charisma infallibilitatis non habeat ut beneficium suae personae, sed uti dotem apostolici muneris, quo tanquam sedis romanae episcopus tenetur, ut totius ecclesiae fidelibus norma veritatis innotescat.

Simplicius.

185. Idem sane est quod docet Simplicius papa [1]) ad Zenonem Augustum scribens: „Certe ut facilis vobis necessaria non desit instructio [2]) earundem exemplaria litterarum (romanorum scilicet [3]) episcoporum) ad fratrem et coepiscopum nostrum Acacium misi vestris sensibus offerenda. Haec igitur pietas tua si recensere dignetur, vel quae totius Orientis episcopi de huius praedicationis consensione rescripserint, aspiciet profecto examinata diligenter, et veraciter promulgata, atque ideo pestiferae falsitatis ambagibus nequaquam debere pulsari. Quia revera, quae de Scripturarum fonte purissimo sincera perspicuaque manarunt, nullis

[1]) Epist. IV. ap. Mign. lat. PP. t. 58. p. 40. ad Basiliscum scriptam epistolam adserit Pagius ad ann. 476.

[2]) Consonant haec perspicue cum iis, quae superiori libro c. III. n. IV. de facili compendiosaque veritatis cognoscendae via secundum Maiores statuimus.

[3]) De quibus haec ibidem p. 39. praemisit: „Neque enim conscientiam vestram latere credendum est, quae per cunctas provincias Orientis ex imperii vestri arce diffusa sunt: illa scilicet, quae vel ad augustae memoriae Marciani, nihilominus et Leonis, vel ad chalcedonensis concilii beatae recordationis praedecessor meus Leo consulta direxit: quibus ita plene atque dilucide sacramentum dominicae incarnationis exposuit, ut non modo catholicus, sed ne christianus quidem valeat nuncupari, quisquis illic et redemptionis suae causas non evidenter agnoscat.„ Scilicet romana fides catholica est.

agitari nebulosae versutiae putarunt argumentis. Perstat enim in successoribus suis haec et eadem apostolicae norma doctrinae, cui Dominus totius curam ovilis iniunxit, cui se usque ad finem saeculi minime defuturum, cui portas inferi numquam praevalituras esse promisit, cuius sententia quae ligarentur in terris, solvi testatus est [1]) non posse nec in coelo.„ Praeclare universa ac perspicua.

186. Neque aliter contestatur Gelasius [2]) de Petri romanaeque sedis dotibus ac praerogativis haec luculenta docens: „Duodecim certe fuere Apostoli, paribus meritis parique dignitate suffulti. Cumque omnes aequaliter spirituali luce fulgerent, unum tamen principem esse ex illis voluit Christus, eumque dispensatione mirabili in dominam gentium Romam direxit, ut in praecipua urbe vel prima primum et praecipuum dirigeret Petrum. Ibique sicut doctrinae virtute sublimis emicuit, ita sanguinis gloriosa effusione decoratus, aeterno hospitio conquiescit praestans sedi, quam ipse benedixit, ut a portis inferi numquam pro Domini [3]) promissione vincatur, omniumque sit fluctuantium tutissimus portus. In quo qui requieverit, beata et aeterna statione gaudebit: qui vero contempserit, ipse videbit, qualia genera excusationum in die obtendat iudicii. Me enim credo, spero, confido in Christo, quod ab eius caritate nec tribulatio, nec angustia, nec gladius, nec persecutio, nec vita, nec mors unquam poterit [4]) separare. Incumbat persecutio, saeviant leges: militi Christi gloriosius est mori quam vinci, fraudari praesentium commodis melius quam carere futuris.„ Habes sane

Gelasius.

Petrus Romam directus.

Domini promissio.

Nihil nos separet a sede romana.

1. Petrum principem divino oraculo constitutum:

2. habes sedem romanam divina providentia selectam: habes

3. sedis romanae praestantiam ac doctrinae virtutem: habes

4. invincibilem eiusdem ex Domini promissione constantiam, eamque parem ac factam ad fluctuantes omnes, qui ipsi semet committunt, ab interitu tutandos: et

5. habes necessitatem, qua obstringuntur universi, ut cum Petri sede non secus ac cum Christi persona caritate plena coniungantur.

---

[1]) Matth. XVI.
[2]) Ep. XIV. sive tractatu de responsione ad Graecos ap. Mign. t. 58. p. 90.
[3]) Matth. XVI.
[4]) Rom. VIII.

187. Quae quidem coniunctionis necessitas oritur inde maxima, ne secus oves factis a Domino promissionibus defraudentur, *S. Leo IX.* quemadmodum auctor est sanctus Leo nonus Caerularium [1]) sic reprehendens: „Verum vestra insolentia, nihili pendens talia [2]) specialibus Christi ovibus claudere et interdicere non timet, in quibus temporaliter ad laudem Dei recubabant, ovilia: quas ipse non cessat invitare et introducere ad sempiternae vitae pascua; quas tantum ex omnibus sibi compatientes in crucis ultima poena iam positus attendens, pro eisdem animam ponendo, cum gratiarum actione et piissima prece in ipsa emissione sui beati spiritus Domino commendavit dicens: Gratias tibi ago, pastor bone, quia oves, quas tradidisti mihi compatiuntur mihi. Peto ergo, ut participent mecum de gratia tua in sempiternum. Ergo praevalebit illis portas vitae obserare vel obstruere errorum claviculis seu sophismatum tendiculis quilibet inimicus, quas potestate, meritis et prece, reserat et pandit tantus amicus, cui portae inferi non praevalebunt, aliquatenus in coelis terrisque praepotens ex ultimo desiderio animae suae, et voluntate labiorum suorum a Domino, ad quem mox ibat, erit fraudatus? Absit!„ Absit ergo a pastore labendi periculum.

d) Argumento ab scriptoribus orientalibus.

188. Et haec quidem non est occidentalium modo, sed veterum etiam orientalium exploratissima doctrina. Hanc enim pro- *Cyrillus alex.* ponit disertis omnino splendidisque verbis [3]) alexandrinus Cyrillus, qui relata „Petri eximii illius inter Apostolos„ confessione, ob quam praedicatus fuit beatus, hunc sententiae Salvatoris [4]) subiicit commentarium: „Petram, opinor, quasi denominative nihil aliud quam inconcussam et firmissimam discipuli fidem appellans, super quam etiam citra casus periculum firmata est ac fundata

---

[1]) Ad Michaël. constantinop. patriarch. ep. C. n. 19. ap. Mign. PP. lat. t. 143. p. 758.

[2]) Quae pluribus exposuerat de beati Petri sedisque romanae praerogativis.

[3]) De ss. Trinit. dial. IV. p. 507. ap. Mign. gr. PP. tom. 75. p. 866. *Πέτραν, οἶμαι, παρωνύμως, ἕτερον οὐδὲν ἢ τὴν ἀκατάσειστον καὶ ἑδραιοτάτην τοῦ μαθητοῦ πίστιν ἀποκαλῶν, ἐφ᾽ ᾗ καὶ ἀδιαπτώτως ἐρήρεισταί τε καὶ διαπέπηγεν ἡ ἐκκλησία Χριστοῦ, καὶ αὐταῖς ἀνάλωτος ταῖς ᾅδου πύλαις εἰσαεὶ διαμένουσα.*

[4]) Matth. XVI. 16. sqq.

Christi ecclesia, et ipsis inferorum portis perpetuo manet inexpugnabilis.„ Scilicet docet Cyrillus

1. Simoni convenire rationem petrae, unde nomen Petri acceperit, ab eiusdem fide: hanc porro

2. inconcussam esse ac firmissimam: hinc

3. eadem inniti ecclesiam citra casus periculum, et propterea etiam

4. inexpugnabilem eam esse vel ipsis inferorum portis: idque

5. non ad tempus dumtaxat neque Petro tantum vivente, sed perpetuo ac semper; verum inde profecto sequitur

6. inconcussam quoque ac firmissimam manere fidem Petri in romana sede successorum, ne unquam infirmetur Christi ecclesia neve ab inferorum portis unquam expugnetur, quod vel animo cogitare ac posse contingere arbitrari prorsus inpium atque nefas foret.

189. „Quoniam non dereliquit in finem, scribit[1]) sanctus Theodorus studita, Dominus ecclesiam suam; sed illam vires suas adhuc habere docuit, fratres nostros excitans ab occasu ad reprehensionem temulentiae nostratium, et illuminationem haeresis noctu dimicantium. Quamquam reiecerunt praefracti et cordis oculos non aperuerunt. Testor nunc coram Deo et hominibus [2]) seipsos *Theodorus stud.* *Orientis conditio.*

---

[1]) Epp. l. II. ep. 63. ad Naucratium ab init. ap. Mign. gr. PP. t. 99. p. 1281. *Ὡς οὐ καταλέλοιπε τέλεον κύριος τὴν ἐκκλησίαν αὐτοῦ· ἀλλ᾽ ἔδειξεν ἔτι ἔχειν τὴν ἰσχὺν αὐτῆς· κινήσας τοὺς ἀπὸ δύσεως ἀδελφοὺς ἡμῶν, ἔλεγχον τῆς παροινίας τῶν τῇδε, καὶ φωτισμὸν τῶν νυκτομαχούντων τῇ αἱρέσει. Καὶ ἀπεσείσαντο οἱ ἀτεράμονες· κἂν ὀφθαλμοὺς καρδίας οὐκ ἤνοιξαν. Μαρτυρῶ ἄρτι κατενώπιον θεοῦ καὶ ἀνθρώπων· ἑαυτοὺς ἀπέῤῥηξαν τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ, τοῦ κορυφιακοῦ θρόνου, ἐν ᾧ Χριστὸς ἔθετο τὰς κλεῖς τῆς πίστεως· ἧς οὐ κατίσχυσαν ἀπ᾽ αἰῶνος, οὐδ᾽ ἂν κατισχύσωσι μέχρι συντελείας πύλαι ᾅδου, τὰ τῶν αἱρετικῶν δηλαδὴ στόματα· ὡς ἡ τοῦ ἀψευδοῦς ὑπόσχεσις. Χαιρέτω οὖν ὁ μακαριώτατος καὶ ἀποστολικὸς καὶ φερώνυμος Πασχάλιος· ὅτι τὸ ἔργον Πέτρου ἐξεπλήρωσε. Σκιρτάτω πᾶς ὀρθοδόξων θίασος, ὅτι κατ᾽ ὀφθαλμοὺς εἶδε τὴν ἐπισκοπὴν Χριστοῦ κατὰ τοὺς πάλαι ἁγίους πατέρας ἡμῶν.*

[2]) Quae est testandi formula gravissima ac sanctissima, quaque adeo contestatione edicuntur quae cum gravissima ac sanctissima tum etiam uti verissima atque exploratissima habentur. Sunt porro illis simillima quae de evertentibus secundam s. synodum nicaenam habet epp. l. II. ep. 1. ibid. p. 1118. „Audi coelum et auribus percipe terra, et quae sequuntur, nobiscum exclamet clarissimus Isaias (I. 2.): aut potius et proprie magis exclamemus: Audi oriens, occidens, aquilo et plaga quae ad mare est, quo nunc redactae sint res nostrae et qua de re conventum isti agere non reformidarint.„ *Contestatio.*

Orientis salus sedes Petri.

avulserunt a corpore Christi et supremo verticali throno[1]), in quo Christus claves posuit fidei: adversus quam non praevaluere hactenus nec praevalebunt usque ad consummationem portae inferi[2]) ora scilicet haereticorum: sicut pollicitus est qui non mentitur. Gaudeat igitur beatissimus et apostolicus et nomine suo dignus Paschalis, quoniam Petri opus adimplevit.„ Egregie istud, quod Petri opus adimplent successores in throno Petri pontifices! At vero Petri opus certo ab errore fallaciaque alienum erat: fidei claves quibus Petrus Christo auctore utebatur non reserabant, nisi portas veritatis atque iustitiae: et praeclarum tandem, quod contra fidem hanc opusque illud portae inferi neque praevaluere neque praevalebunt usque ad consummationem saeculorum. Hinc Studita invicto ac decretorio se argumento pugnare existimat, quum praecisione a conciliis facta pro se suaque sententia ad romanam Petri sedem valeat provocare. Scribit[3]) enim: „Nos itaque omnium minimi, qui praesentes quique absentes: utrisque

---

[1]) De hac aliisque huic similibus appellationibus, quibus romana sedes excellit apud Maiores cf. l. I. pp. 166. sqq. eodemque spectant haec ex breviar. goth. fest. Jun. die 29. ap. Mign. PP. lat. t. 86. p. 114. sq.

„Hic (Petrus) Romae celsus vertice,
Devotionem extulit;
Fundata tali sanguine,
Et vatis tanti, nobilis.„

[2]) Unde rursum ibidem p. 1302. haec egregie: „Describe et tu quisquis es zelum Domini habens, nova seu potius divina martyria: ut sciant posteri, quia Deus vere in nobis est, vivitque semen iustorum, et Christum geret aureum genus martyrum, adversus quod portae inferi non praevaluerunt, nec praevalebunt quemadmodum promisit qui verax est:„ *Ἀπόγραφε καὶ σὺ ὅστις ἂν εἴης ζηλῶν τῷ κυρίῳ, τὰ νεουργὰ, μᾶλλον δὲ θεουργὰ, μαρτύρια· ὡς ἂν εἰδεῖεν οἱ μεταγενέστεροι, ὅτι ὁ θεὸς ὄντως ἐν ἡμῖν ἐστι καὶ ζῇ τὸ σπέρμα τῶν δικαίων· καὶ χριστοφορεῖ τὸ χρυσοῦν γένος τῶν μαρτύρων οὗ πύλαι ᾅδου οὐ κατίσχυσαν, οὔτε κατισχύσειαν· ὡς ἡ ὑπόσχεσις τοῦ ἀψευδοῦς.* Quibuscum illa omnino consonant, quae superius a Glaber dicta attulimus.

[3]) Epp. l. II. ep. I. dogmatica de ss. imaginibus ap. Mign. t. 99. p. 1119. *Ἡμεῖς μὲν οὖν οἱ ἐλάχιστοι, οἵ τε παραγενόμενοι καὶ μὴ παραγενόμενοι· ἀμφοτέροις γὰρ εἷς ὁ λόγος, ὡς συμψύχοις οὖσιν ἐν ἑνὶ θείῳ φρονήματι· τῇ ὑπ᾽ οὐρανὸν ἐκκλησίᾳ σύμφωνον πίστιν ἄγοντες· ἤγουν ἀναστηλοῦν τε καὶ προσκυνεῖν τὴν θείαν εἰκόνα αὐτοῦ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τῆς τε παναγίας Μητρὸς αὐτοῦ καὶ οὑτινοσοῦν τῶν ἁγίων· οὐχ ὅτι παρὰ τῇ ἐν Νικαίᾳ τὸ δεύτερον ἁγίᾳ συνόδῳ ἢ παρὰ τῇ πρὸ αὐτῆς δογματισάσῃ θειότατα, τὸ ἀσφαλὲς ἔχων διαβεβαιούμεθα· ἀλλὰ γὰρ ἀπ᾽ αὐτῆς τῆς παρουσίας τοῦ κυρίου ἡμῶν καὶ θεοῦ, ἐγγράφως τε καὶ ἀγράφως ἐρηρεισμένοι ὄντες· ἀσφαλῶς βεβήκαμεν ἐπ᾽ ἐκείνην τὴν ἕδραν, ἐφ᾽ ᾗ φησιν ὁ Χριστὸς· Σὺ εἶ Πέτρος καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν, καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς.*

enim idem est sermo tanquam unanimis in uno eodemque divino sensu: consonam universae sub coelo ecclesiae fidem tenentes, divinam Salvatoris nostri Jesu Christi et sanctissimae Matris eius et cuiuscunque Sanctorum imaginem erigere et adorare: non solum ex sancta nicaena secunda synodo, alterave quae ante illam divinissime docuit, securum et tutum esse affirmamus, sed ab ipsamet praesentia Domini nostri ac Dei tam scripto quam sine scripto [1]) fundati secure supra sedem illam consistimus, de qua Christus [2]) ait: Tu es Petrus: et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam.„ Firmam itaque ac securam regulam, qua absque erroris formidine in fide credentes diriguntur, Theodorus studita in romana sede reponit. Sed haec non erat paucorum privata opinio, verum communis erat ac publice solemniterque expressa antiquitus professio.

e) Argumentum ex libris liturgicis.

190. Talis namque censeri persuasio debet, quam in liturgicis orationibus suis ac precibus ecclesia Dei recipiendam efferendamque iudicavit. Atqui sic recitabat occidentalis ecclesia secundum vulgatum [3]) Leonis magni sacramentarium: „Omnipotens sempiterne *Leonis sacrament.* Deus, qui ecclesiam tuam in apostolica soliditate fundatam [4]) ab infernarum eruis terrore portarum, ut in tua veritate consistens

---

[1]) Quibus duplicem verbi divini fontem Theodorus significat, alterum verbi Dei scripti alterum verbi Dei non scripti sed traditi. Secus statuit Theoph. Procopowit. christ. orth. theol. t. I. pp. 99. sqq.

[2]) Matth. XVI. 18.

[3]) In nat. Apost. Pet. et Paul. ap. Mign. lat. PP. t. 55. p. 51. Praefat. ad oblat. virg. VI. coll. p. 55. XVII. p. 59. XXIV.

[4]) Est porro supra petram sedis romanae fundata ecclesia, pro qua adeo, ne unquam in aliqua membrorum parte convellatur, haec ibidem p. 54—55. XVI. oratio funditur: „Deus qui ecclesiae tuae in sanctis montibus fundamenta posuisti: da ut nullis errorum subruatur incursibus, nulla mundi perturbatione quatiatur; sed apostolica semper et institutione sit firma et interventione secura.„ Atqui apostolica semper institutio ac interventio non proficiscitur nisi a sede romana. Hinc de praeclara urbis sorte ad mentem Leonis serm. 84. qui est ser. 8. ss. Ap. *Romam arma non terrent.* Pet. et Paul. ex eadem liturgia ibid. p. 58. XXIII. haec excepisse iuverit: „Qui praevidens quantis nostra civitas laboratura esset incommodis, apostolici roboris in eadem praecipua membra posuisti. Sed o felix, si tuos praesules, Roma, cognosceres, et tantos digne studeres celebrare rectores! Nulli te hostes impeterent, nulla prorsus arma terrerent, si eorum famulata doctrinis veraciter atque (veraci fidelique proposito) fideliter eos proposito christianae sinceritatis ambires; cum tibi sufficienter appareat, quae benemeritis dona conferrent, qui tuentur etiam peccatores.„

nulla recipiat consortia perfidorum.„ Quo pariter redeunt quae in *Mozarab. liturg.* Mozarabum [1]) liturgia leguntur: „Fundatam eam (ecclesiam) in solidissimam petram tempestatis procella non subruat. Nihil ei per tartareas haereticorum eversiones portae praevaleant inferorum.„ Scilicet quae precationis ritu ad Dominum referuntur, ea ab ipso Domino praedicta fuerant ore falli nescio. Sed quod precibus continetur, haec duo sunt, et ecclesiam Christi fundatam supra petram, quae alia non est quam quae in Petro Romae fuit collocata, et perversitate haereticorum nulla unquam superatum iri romanam orthodoxae fidei petram. Ex certissima ergo infallibilis veritatis praedictione colligitur doctrina ac fides de romana ecclesia, quae nunquam errore falsitateque haereticorum vincetur.

191. Jamvero quemadmodum priorem dominicae promissionis partem expletam ostendimus [2]) collata divinitus pastorali in gregem universum potestate, ita hanc alteram expletam censueris declaratione Domini diserta, qua meritoriae suae validaeque apud Patrem orationis vi futurum edixit, ut Petrus a charactere petrae in negotio praedicandae fidei conservandaeque in aliis nunquam defecturus esset. Sed ex illa Christi oratione colligi romanae ecclesiae episcopum constitutum divinitus inerrabilem in fidei causa fuisse, flagitat

6. titulus inpositi muneris atque officii,

quod priusquam ad ultimum agonem accederet Christus Dominus, Petro [3]) iniunxit. Decretoria rei probatio est, si quod affirmavimus, divinis verbis reapse contineatur: quare ad eadem enarranda eo vehementius adigimur, quo luculentiora ex sese dicta videntur, quoque illa ieiunius hucusque habuerimus. Data igitur opera ac diligenter enarrare eadem studebimus, eo iugiter spectantes, ut beati Petri suorumque in sede romana successorum inerrantia in fidei negotio demonstretur.

---

[1]) Miss. mixt. ap. Mign. PP. lat. t. 85 p. 766. in fest. Apost. Pet. et Paul.

[2]) Vide libro superiore c. IV.

[3]) Luc. XXII. 31. *Εἶπε δὲ ὁ κύριος· Σίμων, Σίμων, ἰδού, ὁ σατανᾶς ἐξῃτήσατο ὑμᾶς τοῦ σινιάσαι ὡς τὸν σῖτον· ἐγὼ δὲ ἐδεήθην περὶ σοῦ, ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου· καὶ σὺ ποτὲ ἐπιστρέψας, στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου.*

De Salvatoris oraculo apud Lucam XXII. 31.

192. „Ait autem Dominus: Simon, Simon[1]) ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres[2]) tuos.„

a) Exponitur hermeneutice.

193. Nisi quis sponte coecus exstiterit, nemo, opinor, inficias ibit, singularem prorsus eximiamque fidei doctrinaeque praerogativam hoc Domini sermone uni Apostolorum principi collatam fuisse. Ut enim

1. tacitus praeteream continuo abruptam contextus[3]) orationem, quae ab omnibus avocata ad unum Petrum e vestigio dirigitur: ne memorem

2. exordii ἔμφασιν, qua bis repetito nomine discipuli animus erigitur ac mens commovetur: et facta

3. praecisione a ceteris[4]) adiunctis, quae rem universam

---

[1]) Non alium Simonem nisi Petrum significari, quum nihil sit quod dubium reddat, et reliqua omnia certum faciant, tum ii ex Maioribus confirmant, qui cum Cypr. ad cler. ep. VII., auctor. l. de vocat. omn. gent. l. I. c. 14., Arnob. iun. in Ps. CVI., Cassiodor. in Ps. LXXIV. nomen ipsum Petri complectuntur. Unde liquet, quam sint ἑρμηνευτικῶς praeposteri, qui cum Grotio com. ad h. l. verba Christi ad omnes Apostolos directa fuisse adfirmant.

[2]) Nomine fratrum Petri inprimis venire Apostolos, nemo negaverit qui tam contextum quam biblicum loquendi usum, ut par est, consideret.

[3]) Digna contextus praecedentis adiuncta sunt, quae attendantur: Itaque a) Luc. XXII. 24. sqq. lis oboritur inter discipulos, quis inter ipsos maior esset? b) Dominus porro non excludit universim unius ex ipsis prae aliis praestantiam: verum c) temperandam illam exigendamque ad mentem legemque evangelii praecipit: tum vero d) semetipsum uti formam ac paradigma praepositi evangelici exhibet: et e) abrupto sermone ad Petrum semet convertit, ad quem proinde solum, uti totus ceteroquin contextus flagitat, divina illa spectant ornamenta, quae a Salvatore Jesu commemorantur.

[4]) Considera enimvero a) tempus — erat hora ultima, qua magister ad discipulos, pater ad filios postrema verba faciebat: b) locum — erat coenaculum, quo sacratissima agebantur mysteria: c) personas — erant lectissimi aeternae Veritatis amici, quibus Filius non aliter regnum disposuit ac ipsi Filio disposuerat Pater: et inde d) rem et argumentum sermonis — erat testamentum prope supremumque consilium Salvatoris, quod circa οἰκονομίαν, dispositionem ecclesiae suae Apostolis manifestabat. Hinc rogavit primum nominatim pro Petro fundamento, ut staret; tum coll. Joan. XVII. speciatim pro fratribus in pastoratu, ut Petro fundamento insisterent: ac pro fidelibus tandem omnibus, ut dociles tam summo quam obnoxiis essent praepositis.

haud mediocriter illustrant: ad hoc unum advertendum moneo, ipsam complexionem potestatemque verborum eiusmodi esse, ut nihil adcommodatius, validius nihil in votis merito esse posse videatur. Sic igitur [1]) Dominus:

„Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos ut cribraret [2]) sicut triticum.„ E quibus liquet

1. ad unum quidem Petrum verba sua Christum direxisse: sed tamen

2. non unum fuisse Petrum, quem sibi petendum satanas proposuit: verum

3. expetitos ab eo esse Apostolos simul [3]) omnes: ut

4. eidem omnes periculo obiicerentur. Nimirum

5. id votis ac desideriis adpetebat inplacabilis hominum inimicus, ut liceret sibi exagitare, concutere atque inpetu tentationis subvertere, quos Salvator generis arctissimo secum vinculo coniunxerat: eo plane modo, quo frumenta cribro iactantur, ut si quae sint inania excidant et a reliqua massa separentur. Adpetebat radicitus convellere eos, quos a Christo selectos noverat, ut columnae essent ac fundamenta ecclesiae, quam suo iam san-

---

Beda. [1]) Luc. XXII. 31. l. c. Ad quae ven. Beda in Luc. l. VI. ap. Migu. lat. PP. t. 92. p. 600. ita commentatur: „Docet nullius fidem a diabolo nisi Deo permittente tentari. Satanae quippe ad cribrandum bonos expetere est ad afflictionem eorum malitiae aestibus anhelare.„

Cyrill. alex. [2]) Ad haec commentatur Cyrillus alexandrinus ap. Mai N. PP. Bib. t. II. p. 420. *Ἀντὶ τοῦ δοκιμάσαι καὶ πειράσαι· ἔθος γὰρ τῷ σατανᾷ, τοῖς εὐδοκιμοῦσιν ἐπιπηδᾷν· οὕτως ἐζήτησε τὸν Ἰώβ, ἀλλ' ἡττᾶτο τῆς ἐκείνου τληπαθείας. πλὴν πλεονεκτεῖ τὴν ἀνθρώπου φύσιν, ἀσθενὴς γὰρ αὕτη, δεινὸς δὲ καὶ ἀπηνὴς ἐκεῖνος:* „Quod dicitur pro explorare et tentare. Mos enim satanae est, probae mentis homines aggrediendi. Sic etiam expetivit Jobum, sed huius patientia superatus fuit: nihilominus praevalet humanae naturae, quia haec infirma, ille autem saevus et vehemens.„ Quare si Petrus stetit et stat uti *στήριγμα*, id non contingit ob insitam naturae potestatem, sed per donum superne tributum. Atque
Chrysostomus. haec reapse conclusio est, qua utitur s. Chrysostomus hom. in illud Domine non est in homine etc. n. 5. opp. t. VI. p. 165.

[3]) Id manifestum est a) ex pronomine „vos„ eosdem videlicet quos Dominus eo usque adlocutus erat: de quibus b) v. 27. dixerat: „Ego fui in medio vestrum„: quos c) laudaverat, quod secum in tentationibus mansissent, nec unquam dum opus iniunctae oeconomiae expleret ab ipsius latere discessissent: quibus d) v. 29. regnum suum disposuit: et quibus e) v. 30. duodecim thronos ad iudicandum duodecim tribus Israel promisit. Sunt ergo ii ipsi, qui *κατ' ἐξοχὴν* „duodecim„ vocari in Scripturis N. T. consueverunt.

guine empturus, illorumque opera, studio, laboribus exstructurus erat. Hinc

6. non quavis illos tentatione voluit adpetere, sed deterrima plane ac perniciosissima, qua si illi superati essent atque devicti, omnium simul bonorum iacturam facerent, nec solum fructibus, sed radice quoque ipsa frugiferae arboris privarentur. Est autem

7. fides qua ad Deum et Christum eius habetur accessus: *Fidei pretium.* est fides qua inprimis ecclesiae vita sustentatur: et fides est, a qua nemo excidit, quin a Christo eiusque corpore excidat. Quare ut hostis antiquus, portae inferi, opus Christi destrueret, id datum sibi concessumque voluisset, quod revera negatum ei penitus non fuit, ut ipsam Apostolorum fidem attentaret.

194. Quod ne temere adseruisse videar, inspiciatur, quaeso, quod illico Dominus [1]) subiecit:

„Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.„

Significatur namque

1. propositum satanae fuisse, ut Apostolorum fidem in discrimen vocaret: id porro

2. agere illum voluisse, ut suum exsequutioni propositum mandaret: verum

3. inminenti continuo periculo obiecisse Christum [2]) suam orationem. Ubi profecto non deerunt, qui illico petant

4. cur si Apostolos omnes eadem tentatione satanas adgredi concupivit, uni nominatim Simoni fusis precibus consultum Christus voluerit? Scilicet quod ratum confirmatumque verbum ac consilium voluit, quo Simonem [3]) fecerat omnium petram Petrumque vocavit, quo incolumi a reliquis pariter pernicies exitiumque propulsum esset, quo stabili et firmo, ceterorum quoque constantia collocata in tuto foret.

195. Id quod magnus Leo [4]) in hunc modum praeclare exponit: *Leo M.* „Commune erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis, et divinae protectionis auxilio pariter indigebant, quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere: et tamen specialis a Domino Petri cura suscipitur, et pro fide Petri proprie

---

[1]) Luc. XXII. 32. l. s. c.

[2]) „Pro Petro rogans Salvator, scribit Beda ad h. l. non ut non tentetur, *Beda.* sed ut non deficiat fides eius, obsecrat.„

[3]) Matth. XVI. 18.

[4]) Serm. 4. al. 3. n. 3.

supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit.„ Et egregie [1]) Bossuet: „Satanas, inquit, expetivit vos ut omnes cribraret, ego autem Petre rogavi pro te, pro te in particulari, pro te distincte, non quod alios neglexerit, sed ut Patres exponunt, quod firmato capite impedire voluit, ne membra nutarent. Ait igitur, rogavi pro te, non vero rogavi pro vobis.„ Quanta haec inter et quae de petra fidei prius innuimus harmonia sit et quantus concentus, nemo est qui non intelligat; sed quam apte concinneque cum integra textus sententia conspirent, brevi iam illustratione illico patefiet.

Bossuet.

196. Continuat [2]) itaque sermonem Dominus dicens:

„Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.„

Jamvero haec continent

1. praeceptum dominicum, quod Petro soli officium inponit ac munus, erga reliquos fratres exercendum explendumque universos: ea continent

2. vim rationemque praecepti, quo iniungitur munus *τοῦ στηρίζειν*; hoc autem idem proprie valet ac sustentare eaque fulcire, quibus ceteroquin inminet casus: unde opportunum est verbum istud et omnino adcommodatum, quo inchoata cribrationis imago continuetur. Ne enim disiecti Apostoli collaberentur, indigebant quodam *στηρίγματι*, per quod ipsorum firmitati esset provisum. Atqui *στήριγμα* hoc non fuit divinitus positum, nisi in persona ipsius [3]) Petri. Inde vero colligitur

3. collatam Petro cum officio ac munere potestatem quoque ac ius, fratribus suis consulendi et succurrendi, ne quando satanae tentationibus succumbant, in fide nutent, atque a recto christianae institutionis tramite deflectant. Id nemo interpretum unquam negavit, idque Patres, quotquot illa Domini verba commentariis exposuerunt, unanimes contestantur. Ita vel ipse [4]) Theophylactus: „Quia te habeo, ait, ut principem discipulorum, postquam negato me fleveris, confirma ceteros: sic enim te decet, qui post me ecclesiae petra es et fundamentum.„ Sed non omnia huc redeunt,

Theophylact.

---

[1]) Meditat. die 70.

[2]) Lucae l. s. c.

[3]) Ita Theodorus studita l. II. epp. ad Paschalem pap. ep. XII. l. s. c.

[4]) Com. in h. l. *Ἐπειδή σε τῶν μαθητῶν ἔξαρχον ἔχω, μεθ᾽ ὃ ἀρνησαμενός με, κλαύσεις καὶ εἰς μετανοίαν ἔλθῃς, στήριξον τοὺς λοιπούς. τοῦτο προσήκει σοι ὡς μετ᾽ ἐμὲ ὄντι τῆς ἐκκλησίας πέτρᾳ καὶ στηρίγματι.*

immo longe praestantiorem his verbis sententiam contineri, rem accuratius expendenti facile innotescit. Arbitror itaque

4. verbo ἐπιστρέψας hic loci [1]) notionem inesse non quae phrasi reddatur „postquam a lapsu conversus es„ sed quae idem sit ac „vices reddens, vice versa seu vicissim„ ita ut haec plana et eximia Christi Domini sententia prodeat: „Ego oravi pro te, ut fides tua non deficiat; sed (adversativam vim in Scripturis particula καὶ frequenter induit) tu vicissim confirma fratres tuos: equidem sategi, ne diaboli tentationibus succumberes tu; repende tu fratribus tuis vices, ut in geminis angustiis per te confortati subsistant atque inmobiles consistant.„

197. Quo quidem sensu phrasim illam accipi primum posse, non tantum V. T. sed etiam N. T. speciminibus [2]) docemur: deinde vero accipi illam sic oportere, internis rationum momentis ostenditur. Ne enim Christus ad futurum Petri lapsum sequentemque eiusdem poenitentiam allusisse dicatur vetat

---

[1]) Quod quum arbitror et arbitrans scribo, haud me fugit vulgaris ista cuiuspiam exceptio, a pervulgata interpretum explicatione illud abesse: cui quidem causae motori id reponere primum placet, quod si ipse communem cum novis Scripturae examinatoribus rerumque novarum studiosis causam faciat, vi sui iuris ipsum cadere; si vero admittat etiam votum et auctoritatem aliorum atque priorum, tum enimvero contemnendos ipsos illos non esse, quos aliis omissis adfert Kuinoel ad h. l. videlicet Grote, Bengel, Thaleman, van Hegel; quodsi veritatem inquirere ex ordine velit, oportere ipsum nondum perpensis rationum momentis praeiudicio abiecto iudicium paulisper suspendere: tum illud addere, quod in simili causa alibi, de triplici ordine c. IV. n. III. ad excutiendos eiusmodi scrupulos visum est conducere, quodque Augustino con. Maximin. l. II. c. 21. in ardua de tribus apud Joannem testibus quaestione statuere placuit: „Si quo autem alio modo tanti sacramenti ista profunditas, quae in epistola Joannis legitur, exponi et intelligi potest secundum catholicam fidem, quae nec confundit, nec separat Trinitatem, nec abnuit tres personas; nulla ratione respuendum est. Quod enim ad exercendas mentes fidelium in Scripturis sacris obscure ponitur, gratulandum est, si multis modis, non tamen insipienter exponitur.„

Exceptio diluitur.

Augustinus.

[2]) Verbum ἐπιστρέφειν I. in V. T. adverbialiter accipi, ut denotet „iterum, rursus„ quaeque pro contextu subiectaque materia his gemina sunt, ex eo constat, quod sicut alexandrini interpretes hebraicum verbum שׁוּב quando connexum cum alio verbo occurrit, modo reddunt per πάλιν Genes. XXVI. 18. XXX. 31. Isai. VI. 10. modo per ἐκ δευτέρου, Jos. V. 2. modo per ἔτι, Job. VII. 7. modo per verbum προστιθέναι, IV. Reg. I. 13. et modo per ἐπιστρέφειν, III. Reg. XIX. 6. Ps. LXXXV. 7. al. 6. et quidem adhibito ipso etiam aoristi I. participio: ita apud interpretem latinum ceteris quidem eiusmodi phrasibus adverbia „rursum, iterum, secundo„ communiter respondent; phrasibus vero posterioribus, in quibus alexandrinus verbum ἐπιστρέφειν usurpavit, loco priori adverbium „rursus„ et posteriori verbum respondet „conversus„, idque Ps. LXXXIV. 7. ubi psalmista

Vis verbi ἐπιστρέφειν conversus. V. T.

1. conditio personarum tam loquentis Sapientiae quam audientium discipulorum; nisi enim velimus contendere, id a Verbo divino et quidem pro iis rerum adiunctis, quae praestituta [1]) fuerunt, dictum mandatumque fuisse, quod neque Petrus neque ceteri Apostoli intelligerent, adfirmari haud posse videtur, respexisse Dominum ad casum, cuius nec vestigium nec vola antecesserat nec vel umbra in mentem venire ulli poterat: quin immo

2. id vetat ipsa Salvatoris sententia inmediate praevertens, qua Petri constantia ac firmitas edicebatur, ita ut quaevis de Petri defectione suspicio ab audientium animis abigeretur: atque idem vetant etiam vehementius

3. quae mox subsequuntur. Quum enim Dominus totidem verbis Petrum de inminenti lapsu commonefecit, admonitio primum illi nova, insolens, inaudita contigit, tantumque porro abfuit, ut magistro adfirmanti auscultaret, ut quo ardentius posset obniteretur: quod indicium est manifestum, nec umbram quidem cogitationis de lapsu Petrum ceterosque Apostolos subiisse. Sane idipsum vetat

4. orationis contextus; quodsi enim Christus significata morali Petri conversione moralem eius aversionem ac lapsum adsignificasset, defectionis illius causam ex ductu sermonis nemo aliam posset habere, praeter indicatam prius satanae cribrationem. Atqui in cribratione hac, quae una eademque omnium esset Apostolorum, unum Simonem voluit Dominus singulariter munitum; non potuit igitur idem Dominus ad illud casus specimen alludere,

---

deprecans iram divinam flagitat, ut Deus „convertat homines ad se„: tum enimvero vicissim futurum, ut „Deus conversus ad homines vivificet eos.„ Quem loquendi morem si Lucas sequutus dicatur, apparet a) nihil inpedire, quominus *ἐπιστρέψας* apud eundem XXII. 32. pariter adverbiali sensu accipiatur, pro „vicissim„ nimirum reddita propemodum vice: tum vero b) et illud colligitur, participium „conversus„ ubi *τῷ ἐπιστρέψας* respondet, aliam in Scripturis notionem praeferre, quam quae valet de conversione ethica ac morali. Sed accedit II. in
N. T. N. quoque T. non deesse, ubi *ἐπιστρέψας* cum alio connexum verbo conversionem ethicam nullatenus denotet, et adverbialiter accipi pariter possit: eiusmodi haec sunt ex actis Apostolorum XV. 36. *ἐπιστρέψαντες δὴ ἐπισκεψώμεθα* „revertentes visitemus„ id est denuo, rursum. Quid ergo est, quod necessario flagitet, ut apud Luc. XXII. 32. *ἐπιστρέψας στήριξον* de conversione Simonis morali intelligatur, quodque prorsus inpediat, quominus participia *ἐπιστρέψας* „conversus„ eo quo diximus sensu explicentur adverbiali? Cf. de praerog. s. Pet. l. c. c. 13.

[1]) Vide sis superiora coll. op. de praerogat. b. Pet. l. I. c. 8. nn. 64. sqq. l. II. c. 12.

in quo unus Petrus singulariter invenitur infirmus. Ecquid inpium istud absurdumque probares, cribrationem satanae potiorem Christi precibus [1]) validioremque fuisse? Satanicam ergo operam, cuius Dominus meminit, directam existimes oportet adversus futuram Petri eiusque apostolici principatus [2]) *οἰκονομίαν*, et ad eam referas pariter inpositum Petro officium, quo *ἐπιστρέψας*, conversus, fratres suos confirmet; sed tum de lapsu ethico deque ethica porro conversione Petri nulla mentio, cogitatio nulla haberi amplius potest. „Quid enim, interrogat [3]) Augustinus, ei rogavit, nisi perseverantiam usque in finem?„ Quibus doctor hipponensis indicat perspicue *Augustinus.*

a) nullam a Christo Domino vel umbram mentionis de Petri futuro lapsu iniectam fuisse: sed

b) orationem Christi ita fuisse efficacem, ut quamvis ab incepto bono defectionem a Petro depulerit. Jamvero idipsum vetant

5. quae in concilio lateranensi [4]) Stephanus dorensis episcopus dixit: „Ipse praecipue ac specialiter firmam prae omnibus habens in Dominum Deum nostrum et immutabilem fidem, convertere aliquando et confirmare exagitatos consortes suos et spiritales meruit fratres.„ Quibus profecto dorensis cogitationem omnem de Petri infirmitate lapsuque futuro a verbis Domini *Stephanus dorens.*

---

[1]) Neque reponas, id sua oratione Christum obtinuisse, ne Simonis fides penitus deficeret. Ne enim illud urgeam, universim infiniteque Petro promitti, tum cum cribraretur futurum, ut a defectione ac lapsu in fide simpliciter subduceretur; exceptio haec inde quoque inprobanda videtur, quod sicut incongruum foret, nutans atque caducum *στήριγμα* aliis substrui, ita credi vix possit, sua oratione Christum pro venturo tempore ad quod respexit omnimodam in fide securitatem Petro nullatenus comparasse. *Difficultati occurritur.*

[2]) Reapse de principatu apostolico inter discipulos agitatam quaestionem fuisse, praecedens docet contextus. Ad huius ergo apostolici principatus epocham Christus pro Petro orans respexisse dicendus est.

[3]) Lib. de corrept. et grat. c. 6. n. 10. ubi b. Augustinus „perseverantiam usque in finem magnum esse Dei munus„ ostendit. „Nam si dixerimus istam perseverantiam tam laudabilem tamque felicem sic esse hominis, ut ei non sit ex Deo, illud primitus evacuamus, quod ait Dominus Petro, Ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua.„ His ergo perseverantem Petri constantiam Christus significavit. *Perseverantiae donum.*

[4]) Secretario II. ap. Harduin. t. III. p. 714. *Καὶ μέντοι πάλιν κατ᾽ ἐξαίρετον ἰδιοπροσώπως αὐτὸς βεβαιοτέραν ἔχων ὑπὲρ πάντας τὴν εἰς αὐτὸν τὸν κύριον ἡμῶν καὶ ἀμετάτρεπτον πίστιν, ἐπιστρέψειν ποτὲ καὶ ὑποστηρίζειν σαλευομένους τοὺς ὁμοταγεῖς αὐτῷ καὶ πνευματικοὺς ἀδελφούς.*

Theodorus stud. excludit. Et excludit pariter Theodorus studita [1]) scribens: „Tibi dixit Christus Deus noster: Et tu aliquando conversus confirmabis [2]) fratres tuos. Ecce tempus, ecce locus: opitulare nobis, qui es a Deo ad hoc ordinatus.„ Scilicet refert et ipse verba Domini ad illud Simonis stadium, quo idem confirmatus, ut aiunt, in gratia vereque Petrus exsistens, universam Dei ecclesiam firmitate sua confirmaturus esset. Sed idem vetat insuper

6. *ἀκριβὴς* exactaque dominicae phrasis acceptio. Enimvero quemadmodum fusae a Petro post lapsum lacrymae, de quibus quatuor [3]) evangelistae, *μετανοήσεως* potius quam *ἐπιστροφῆς* proprietatem haberent; ita verbum *ἐπιστρέφειν* de conversione morali in N. T. vix adhibetur, quin vel plene diserteque verbo [4]) eidem addatur „ad Dominum sive Deum„ vel ex toto contextu [5]) intelligatur, non esse sermonem nisi de conversione quae ethica sit. Utrumque porro in hoc Christi oraculo, quo de agitur, aperte desideratur; ergo suadetur omnino, notionem in eo illam singularem atque ethicam a participio *ἐπιστρέψας* abesse; eidem autem communiorem atque vulgarem subesse. Jamvero communior haec atque vulgaris eo pertinet, ut directionem significet sive externam sive internam, qua quis sive corpore sive mente animoque versus aliquid seu ad aliquid reflectit eoque semet convertit. Quod quidem si in illa Domini ad Petrum sententia retineatur, nihil his spectatis verbis clarius. Ex phrasi namque coniuncta *στηρίζειν τοὺς ἀδελφούς σου* indicatur evidenter directio versus reliquos Apostolos; fuit ergo Petrus a Domino ad fratres suos semet mente animoque, cura ac sollicitudine convertere iussus, ut eosdem tempore cribrationis confirmaret atque tueretur. Sed nihil etiam hoc spectata incisorum redditione praeclarius: videlicet conversus respicit [6])

---

[1]) Ep. XII. ad Paschalem Romae ap. Mign. gr. PP. t. 99. p. 1153. *Πρὸς σὲ εἴρηκε Χριστὸς ὁ θεὸς ἡμῶν· καὶ σὺ ποτὲ ἐπιστρέψας στηρίξεις τοὺς ἀδελφούς σου. Ἴδε ὁ χρόνος καὶ ὁ τόπος. βοήθησον ἡμῖν ὁ ὑπὸ τοῦ θεοῦ τεταγμένος εἰς τοῦτο.*

[2]) Futuro hoc definito indicatur non modo iniunctum Petro officium, sed eiusdem quoque certa suo tempore expletio.

[3]) Matth. XXVI. 69. sqq. Marc. XIV. 66. sqq. Luc. XXII. 54. sqq. Joan. XVIII. 15. sqq.

[4]) Coll. II. Cor. III. 16. Act. IX. 35. XI. 21. XIV. 15. al. 14. XV. 19. XXVI. 20. I. Pet. II. 25. alibi.

[5]) Coll. Isai. VI. 10. Matth. XIII. 15. Marc. IV. 12. Joan. XII. 40. Act. III. 19. XXVIII. 27.

[6]) Nihil sane in Scripturis frequentius, quam ut verbo respicere, divina erga creaturas providentia, cura atque dilectio (vide sis de praerog. s. Pet. l. II.

Dominus ad Petrum, ut eum a satanae tentationibus adserat; itidemque vult, ut reddita vice Petrus ad fratres suos respiciat [1]) ut eos similiter in fide stabiliat. Unde Leo magnus: „In Petro ergo, inquit [2]), omnium fortitudo munitur, et divinae gratiae ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quae per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur.„ Id revera *Leo M.*

7. perfecto prope phrasium parallelismo significatur, quo membra membris accurata *ἀντιδόσει* videntur invicem respondere:

ἐγὼ δὲ ἐδεήθην περὶ σοῦ — καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας:

ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου — στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου.

Ego feci pro te — tu fac aliquando vicissim pro ceteris:

ne deficias in fide tu — ne firmitas desit fratribus tuis.

Equidem orando iam tibi firmitatem in fide obtinui: et tu aliquando vices vertens (conversus, vice versa) firmitatem tribue fratribus tuis. Quo aperte haec [3]) spectant sancti Joannis Chrysostomi: „Si quis illi (Christo) voluerit commendatus esse, curam habeat ovium illius, publicam quaerat utilitatem, fratrum suorum saluti prospiciat: nullum enim officium hoc Deo carius est; ideo alibi dicit: Simon, Simon, expetivit satanas, ut cribraret te (loco „vos„: *Chrysostomus.*

---

n. 198.) describatur: „Respice, ait Psalmista, ad nos et miserere nostri.„ Atque ita similiterque orat. LXIV. al. 63. ad s. Petrum Apost. deprecatur haud semel Anselmus: „Pastor fidelis converte oculos tuos ad eam (ovem) et recognosce tibi commissam . . . hi lupi et hi leones non sunt quadrupedes sed daemones . . . ecce miseram animam et misericordem Apostolum Petrum coram misericorde Deo, qui Apostolo Petro misericordiam fecit et facere praecepit et faciendi potestatem dedit.„ Cf. de his l. I. c. IV. n. 3. p. 164. *Anselmus.*

[1]) Ita rem accipit omnino Georgius trapezunt. ap. Leon. Allat. graec. orthod. vol. I. cuius sententia infra deprompta legitur, quique praeter argumenta superius allata, ad ostendendum ad futura ecclesiae tempora Christum respexisse, et hanc ibidem p. 551. adiicit, quod Petrus confirmarit nunquam Apostolos, sed quod Petri successores firmarint episcopos. *Georg. trapez.*

[2]) Serm. IV. al. III. c. 3. quibus in causa Hincmar. laudun. c. XVI. utitur Hincmar. rhemens. ap. Mign. t. 126. p. 339. et omnino gemina habet Nicolaus I. ep. IV. ad Michaëlem imperatorem ap. Mign. lat. PP. t. 119. p. 773.

[3]) De beat. Philogon. hom. VI. n. 2. opp. t. I. p. 496. *Εἴ τις εὐδοκιμεῖν βούλοιτο παρ᾽ αὐτῷ, τούτων ἐπιμελείσθω τῶν προβάτων· τὸ κοινῇ συμφέρον ζητείτω· των ἀδελφῶν κηδέσθω τῶν ἑαυτοῦ· οὐδὲν γὰρ τούτου τῷ θεῷ προτιμότερον κατόρθωμα· διὰ τοῦτο καὶ ἀλλαχού φησι· Σίμων, Σίμων, ἤτησεν ὁ σατανᾶς σινιάσαι σε ὡς τὸν σῖτον· κἀγὼ ἐδεήθην περί σου, ἵνα μὴ ἐκλίπῃ ἡ πίστις σου· τίνα οὖν ταύτης τῆς κηδεμονίας καὶ τῆς προνοίας ἀποδίδως μοι τὴν ἀμοιβήν; ἄρα ποίαν ἀμοιβὴν ζητεῖ; τὴν αὐτὴν ταύτην πάλιν· καὶ σὺ γὰρ φησί ποτε ἐπιστρέψας στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου.*

quo significat Joannes ille, petito capite totum peti corpus) tamquam triticum, sed ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Quod igitur huius sollicitudinis curaeque praemium mihi rependis? Sed quam poscit gratiam? eamdem curam, quam nobis impendit, reposcit. Nam et tu, inquit, aliquando conversus confirma fratres tuos.„ Ubi Chrysostomo phrasis „conversus„ idem valet ac „vice repensa„ adeo ut Petrus vices rependens firmare similiter fratres iussus sit, ac ipse firmatus in fide a Christo fuerat. Sed praeterea
8. animadvertas velim, quod „aliquando„ *ποτὲ*, inquit, *ἐπιστρέψας*: videlicet nemo non sentit, particulam eiusmodi tum graecam *ποτὲ* tum respondentem latinam aliquando, quum indefinitae indeterminataeque sit potestatis, qua generatim tempus quodvis indefinite venturum (ad quod hic loci respicitur) denotat, insolentius plane usurpatam fore dicendam, si ad certi definitique casus specimen, et quidem unicum ac singulare, quodque paucis horis pôst erat eventurum, adhibita ab evangelista fuisset. Tale vero casus specimen erat lapsus Petri et sequuta illico resipiscentia sive moralis, quam dicunt, conversio; de hac ergo conversione phrasis *ποτὲ ἐπιστρέψας* rite accipi nequit. Reliquum igitur est, ut particula quidem *ποτὲ*, aliquando, harmonice cum superioribus[1]) ad totam referatur futuram epocham, qua Petrus uti caput Apostolorum totius ecclesiae curam pro Christo suscepturus erat ac porro habiturus; participium vero conversus, accipiatur non secus ac graecum *ἐπιστρέψας* vel primo suo communique sensu[2]), quo
Psalmista. apud scriptores probe latinos[3]) idem valet ac directus, intentus, quoque haud plane diverse apud regium etiam Psalmistam[4]) legitur: „Domine tu conversus vivificabis nos;„ vel accipiatur cohaerenter apteque ad totius commatis vim habitumque membrorum ac partium, significatione adverbiali, qua a „vicissim„ sive „reddita vice„ non differat. Sed facile quisque dabit, notionem priorem expressam teneri per verba „conversus„ *ἐπιστρέψας*, non posse, quin tota sententiarum complexione haec altera comprehensa intelligatur; et vice versa, hanc alteram verbis iisdem subiici non posse, quin prioris cogitatio suggeratur.

---

[1]) Vide praestituta paulo prius.

[2]) Cf. ap. Forcellin. ad h. v.

[3]) Ita Sueton. Cal. 47. „Conversus hinc ad curam triumphi.„ Coll. al. ap. Forcell. l. c.

[4]) Ps. LXXXIV. (al. 85.) 7. coll. Ps. LXX. al. 71. 20. sq. „Conversus vivificasti me„ . . . „Conversus consolatus es me.„

198. Quae quum ita sint considerataque accurate totius dominici huius oraculi vi ac proprietate, liquido constare videtur, a Salvatoris mente, quam eodem illo expressit, allusionem ad inminentem Simonis lapsum tantum abfuisse, quantum illius intentionis sententiaeque fuisse deprehenditur, ut quemadmodum ipse lapis angularis suam inpendit curam, ne unquam Petrus tentanti hosti succumberet, ita vicissim [1]) Petrus suam reliquis fratribus omnibus curam ac sollicitudinem adhiberet, ne a firmitate illi unquam in tentationibus exciderent. Hinc [2]) Leo: „Magnum et mirabile, inquit, dilectissimi, huic viro consortium potentiae suae tribuit divina dignatio; et si quid cum eo commune ceteris voluit esse principibus, numquam nisi per ipsum dedit quidquid aliis non negavit.„ *Leo M.*

199. Jamvero haec vicium redditio tam est manifeste per Salvatoris sententiam significata, ut venerabilis ipse Beda [3]) etsi in illa exponenda de lapsu cogitasse videatur, citra tamen illam quam diximus relationem verba Christi non acceperit. Commentatur namque sic: „Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. Sicut ipse tuam (inquit) fidem, ne satana tentante deficiat, orando protexi, ita et tu infirmiores quosque fratres exemplo tuae poenitentiae, ne de venia forte desperent, erigere et confortare memento.„ Scilicet haec est Domini expressa explorataque mens, ut quandoquidem ipsi cordi ac curae fuerit Petri in fide contra hostem constantia, ita Petrus curam ac sollicitudinem habere de fratribus debeat, ut ii etiam stabilitatem in fide conservent. *Beda.*

b) Consectaria exegetica.

200. Itaque tum spectata causa constantiae Petri tum declaratus diserte operantis causae effectus, tum praescriptum Petro officium, tum praescripti legisque auctor, tum instituta habitudinis collatio, qua quemadmodum Christus ad Petrum, ita Petrus ad reliquos discipulos ecclesiaeque pastores refertur, ut eadem apud omnes obtineatur fidei firmitas: haec, inquam, considerata singula simulque

---

[1]) Cum hac ἀντιδόσεως ratione coniungi illa meretur, quam s. Leo serm. IV. al. III. c. 2. in classico illo apud Matth. XVI. testimonio reperit: „Sicut meus Pater tibi manifestavit divinitatem meam: ita et ego tibi notam facio excellentiam tuam, quia tu es Petrus„ et q. sq. uti est lib. sup. l. c. *Leo M.*

[2]) De nat. ipsius serm. IV. al. III. c. 2.

[3]) In Luc. evangel. exposit. l. VI. ap. Mign. lat. PP. t. 92. p. 600.

omnia indubitatam faciunt inerrabilem Petri potestatem infallibilesque eiusdem in fidei negotio decisiones. Eiusmodi enim dote is sane insignis dicendus est, pro quo orat qui pro sua reverentia[1]) exauditur: cui adeo Dominus indefectibilitatem in fide obtinuit: cui hinc iniunctum est munus, infirmiores rursum firmandi: cui id muneris demandatum ab ipso fidei sapientissimo auctore fuit: et cui tandem pro visibili externaque credentium *οἰκονομίας* ratione similis tribuitur vis, ac fuit Christi, quum visibilis habitavit[2]) in nobis, ac illa est invisibilis atque interior, quam ipsa divinissima Trinitas[3]) apud fideles administrat. Concludimus ergo

I. infallibilitatis inerrantiaeque vim tributam divinitus Petro fuisse et

---

Causa meritoria. *Causa ministerialis.*

[1]) Paul. ad Hebr. V. 7. Probe sciens Jesus exauditam suam orationem fuisse, officium illico Petro inponit, inpertitum sibi beneficium ad alios pariter convertendi fratres; quaeque ipse vi causae meritoriae obtinuit, eadem ministerialis causae vi aliis communia faciendi.

[2]) Joan. I. 14.

SS. Trinitas στηρίγματος causa. *Rom. XVI. 25. sqq.* *II. Cor. I. 21.*

[3]) Confirmationis, *τοῦ στηρίγματος*, potentia Rom. XVI. 25. sqq. adseriturPatri: *Τῷ δὲ δυναμένῳ ὑμᾶς* (al. *ἡμᾶς*) *στηρίξαι . . . μόνῳ σοφῷ θεῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ* (al. *ᾧ ἡ*) *δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν:* „Ei autem qui potens est et nos confirmare . . . soli sapienti Deo per Jesum Christum cui honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.„ Similiter II. Cor. I. 21. coll. I. Petri V. 10. *Ὁ δὲ θεὸς πάσης χάριτος, ὁ καλέσας ὑμᾶς εἰς τὴν αἰώνιον αὐτοῦ δόξαν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, ὀλίγον παθόντας αὐτὸς καταρτίσαι ὑμᾶς, στηρίξαι, σθενώσαι, θεμελιώσαι:* „Deus autem omnis gratiae, qui vocavit nos in aeternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit solidabitque.„ Sed adseritur etiam Filio *Coloss. II. 6.* Coloss. II. 6. sq. *Ὡς οὖν παρελάβετε τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν τὸν κύριον, ἐν αὐτῷ περιπατεῖτε, ἐῤῥιζωμένοι καὶ ἐποικοδομούμενοι ἐν αὐτῷ καὶ βεβαιούμενοι ἐν τῇ πίστει, καθὼς ἐδιδάχθητε, περισσεύοντες ἐν αὐτῇ ἐν εὐχαριστίᾳ:* „Sicut ergo accepistis Jesum Christum Dominum, in ipso ambulate, radicati et superaedificati et confirmati fide, sicut et didicistis, abundantes in illo in gratiarum actione:„ *II. Thess. II. 16.* similiter I. Cor. I. 8. Tum adseritur Filio simul cum Patre II. Thessalon. II. 16. sq. *Αὐτὸς δὲ ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς καὶ ὁ θεὸς καὶ πατὴρ ἡμῶν ὁ ἀγαπήσας ὑμᾶς* (al. *ἡμᾶς*) *καὶ διδοὺς παράκλησιν αἰωνίαν καὶ ἐλπίδα ἀγαθὴν ἐν χάριτι παρακαλέσαι ὑμῶν τὰς καρδίας, καὶ στηρίξαι ὑμᾶς ἐν παντὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ ἀγαθῷ:* „Ipse autem Dominus noster Jesus Christus, et Deus et Pater noster, qui dilexit nos et dedit consolationem aeternam et spem bonam in gratia, exhortetur corda vestra et confirmet in omni opere et sermone bono.„ Et adseritur Spiritui sancto tum universim iis, quibus institutae christianae *οἰκονομίας* stabilitas, perfectio atque consummatio virtuti potentiaeque divinitus missi Spiritus *Ephes. III. 16.* tribuitur, tum his Ephes. III. 16. ubi Paulus genibus flexis Patrem Domini nostri Jesu Christi deprecatur, *ἵνα δώῃ ὑμῖν κατὰ τὸν πλοῦτον τῆς δόξης αὐτοῦ δυνάμει κραταιωθῆναι διὰ τοῦ πνεύματος αὐτοῦ εἰς τὸν ἔσω ἄνθρωπον:* „Ut det vobis secundum divitias gloriae suae virtute corroborari per Spiritum eius in interiorem hominem:„ unde est, quod ecclesia et visibile eius caput stare ac invincibiliter dicitur consistere Spiritu sancto adsistente.

II. dotem hanc atque praerogativae vim ab officio et iuribus eidem a Domino collatis reapse postulari.

201. Inde vero quilibet facile intelligit, et quam arcte eiusmodi praerogativa ac dos cohaereat cum Petro sive ecclesiae fundamento sive summo pastore, et quam sint exposita Christi verba illis parallela, quibus nunc fundamentum et nunc universalis ecclesiae pastor statuitur. Enimvero voluit ecclesiae institutor et auctor Christus, suumque decretum postrema testamenti sui hora coram toto Apostolorum choro promulgavit, ut Petrus esset [1]) inmobilis contra satanam portasque inferi petra, per quam non minus columnae quam tota ecclesiastica domus stabilem consequerentur firmitatem; ut esset intrepidus ac insuperabilis claviger, cuius potestate in ecclesia Dei valide omnia et authentice fierent. Scilicet ratum Dominus habuit itidemque praescripto munere apud Lucam confirmavit, quod [2]) apud Matthaeum de Simone prius constituerat; sed et illud praestituit, quod [3]) apud Joannem erat deinde declaraturus, ut Petrus esset summus gregis pastor qui oves aeque atque agnos citra erroris deceptionisque formidinem pasceret. Ad rem Pelagius secundus [4]) scribit: „Nos enim secundum evangelicam vocem studemus fraternitati ac dilectioni vestrae, in quantum fragilitas nostra sufficit, quae nobis iussa sunt, cum sinceritate cordis humiliter exhibere. Nostis enim in evangelio Dominum proclamantem: Simon, Simon, ecce satanas expetivit

Pelagius II.

Parallelismus Matth. XVI. Joan. XXI. et Luc. XXII.

---

[1]) Parallelismus locorum apud Matthaeum et Lucam nequit esse luculentior: Lucae: ὁ σατανὰς ἐξῃτήσατο ὑμᾶς respondent Matth.: πύλαι ᾅδου: tum Luc.: ἐγὼ δὲ ἐδεήθην περὶ σου resp. Matth.: κἀγὼ δὲ σοὶ λέγω, ὅτι σὺ εἶ Πέτρος: Luc.: ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου respondent Matth.: οὐκ ἰσχύσουσιν αὐτῆς: Luc.: στήριξον ἀδελφούς σου respondent Matth.: ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν.

Parallelismus Matth. XVI. et Luc. XXII.

[2]) Matth. XVI. Hinc non raro illa coniunctim ad romani episcopi auctoritatem probandam adferuntur: ut a Vitaliano ep. I. apud Mign. t. 87. p. 1002. conc. lat. sub Mart. I. ap. Harduin. t. III. p. 712. sqq. Chrysost. in Matth. XVI. l. s. c. alibi.

[3]) Joan. XXI. Utrumque testimonium componit Gelas. I. ep. 5. ad Honor. Dalmat. ep. sed luculentius in vigil. bb. Apost. Pet. et Paul. ap. Mign. lat. PP. t. 94. p. 216. ita commentatur ven. Beda: „Quod enim hic dicit ei,„ Pasce oves meas, hoc est utique, quod ei ante passionem apertius dixerat: Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Pascere ergo oves Christi est credentes Christo, ne a fide deficiant, confirmare, et ut in fide magis magisque proficiant instanter operam dare. Quamvis solertius intuendum, quod eadem pastio gregis dominici non uniformi sed multimoda est sollicitudine gerenda.„

Parallelismus inter Joan. XXI. et Luc. XXII.

Beda.

[4]) Mign. lat. PP. t. 72. p. 707.

vos, ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te Patrem, ut non deficiat fides tua, et tu conversus confirma fratres tuos. Considerate, charissimi, quia veritas mentiri non potuit, nec fides Petri in aeternum quassari poterit vel mutari: nam cum omnes discipulos diabolus ad cribrandum poposcerit, pro solo Petro se Dominus rogasse testatur, et ab eo voluit ceteros confimari; cui etiam pro maiori dilectione quam prae ceteris Domino exhibebat, pascendarum ovium [1]) sollicitudo commissa est: cui et claves regni coelorum tradidit; et super quem ecclesiam suam aedificaturum se esse promisit [2]), nec portas inferni adversus eam praevalere testatus est.„ Quibus non minus realis trium locorum [3]), quos classicos vocant, parallelismus quam formalis, adeoque perennis romani fundamenti et pastoris, qui in Petri locum succedit, infallibilitas vi meritoriae orationis Christi Domini significatur.

Ambrosius. 202. Et significatur pariter idque multo etiam antea [4]) ab Ambrosio de vi dominicae orationis disserente: „Denique, ait, ut scias, quia secundum hominem rogat, divinitate imperat, habes in evangelio, quia Petro dixit: Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Eidem autem supra dicenti: Tu es Christus, Filius Dei vivi, respondit: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam; et tibi dabo claves regni coelorum. Ergo cui propria auctoritate regnum dabat, huius fidem firmare non poterat: quem quum petram dicit, firmamentum ecclesiae indicavit?„ Quousque igitur romanus episcopus Christi regnum moderatur in terris eiusque regni claves tenet, eo usque fides illius rogante Christo firma manet. Sed multo plaeclarius idipsum significatur nomine utriusque plagae tam orientalis quam occidentalis in con-*Stephan. dorens.* cilio lateranensi [5]) a Stephano dorensi, cuius libellum „de gracco in latinam linguam interpretatum Anastasius notarius regionarius apostolicae sedis relegit„ ubi inter multa ad rem praeclara et illa leguntur, quae superiore libro [6]) deprompta amplissime habes.

---

[1]) Joan. XXI.
[2]) Matth. XVI.
[3]) Una ac coniunctim pariter Gregorius M. tria illa oracula adlegavit opp. l. VII. ep. 40. ap. Mign. lat. PP. t. 77. p. 899. l. s. c. tum Hadrianus ep. ad Carolum M. ap. Harduin. collect. concil. t. IV. p. 774.
[4]) De fide l. IV. c. 5. opp. t. III. p. 531.
[5]) Secretar. II. ap. Harduin. t. III. pp. 711. sqq.
[6]) C. IV. 3. pp. 159. sq.

c) Exegetica Maiorum traditio.

203. Atque haec sunt, quae laetissima admirabilique consensione de Salvatoris pro Petro nominatim fusis precibus docent ac contestantur Maiores. Id docentes cum alios [1]) tum Augústinum audivimus [2]), qui rursus perseverantiae donum gratiae adserens divinae, ita [3]) hoc inficiantem hominem pelagianum redarguit: „Quid moliturus es contra verba dicentis, Rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua? An audebis dicere etiam rogante Christo ne deficeret fides Petri, defecturam fuisse, si Petrus eam deficere voluisset, hoc est, si eam usque in finem perseverare noluisset? quasi aliud Petrus ullo modo vellet, quam pro illo Christus rogasset ut vellet. Nam quis ignorat, tunc fuisse perituram fidem Petri, si ea qua fidelis erat, voluntas ipsa deficeret; et permansuram, si eadem voluntas maneret? Sed quia praeparatur [4]) voluntas a Domino, ideo pro illo Christi non posset esse inanis oratio. Quando rogavit ergo, ne fides eius deficeret, quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam [5]) voluntatem?„ Quibus Augustinus duo praeclare confirmat, quae praestituimus: scilicet *Augustinus.*

1. spectata tanta meritoria causa, quanta in oratione Salvatoris sita est, et tanto spectato effectu, quantus est fortissima, invictissima, perseverantissima voluntas, cogitari de lapsu Petri ullatenus in sermone Domini apud Lucam non posse: tum vero *Perseverantiae donum.*

2. donum perseverantiae quod Petro Christus sua oratione acquisivit, defectum illius in fide excludere, Petrumque adeo in suo docendae tuendaeque fidei munere infallibilem constitutum fuisse.

---

1) Vide superiora.

2) Vide sis paulo superius.

3) Lib. de corrept. et grat. c. VIII. n. 17.

4) Proverb. VIII. 35. secundum LXX.

5) Animadversione dignum est, quod hipponensis antistes de componenda liberrima cum invicta Petri voluntate statuit. Tam est enim illud perspicuum quam arduum obscurumque videatur, quomodo apud idem subiectum libertas voluntatis fallibilis consistat cum charismate exclusi defectus? Unde digna etiam quae adscribantur sunt, quibus ille concludit: „Ecce quemadmodum secundum gratiam Dei, non contra eam, libertas defenditur voluntatis? Voluntas quippe humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia potius libertatem, et, ut perseveret, delectabilem perpetuitatem et insuperabilem fortitudinem.„ Haec si teneantur, nulla est difficultas quae legitur ap. Dr. A. Pichler. op. c. t. II. p. II. n. 10. pp. 591. sq. de Papa cui uti libero adeoque abusus libertatis capaci inerrantia tribui non possit. *Libertas et infallibilitas.*

204. Neque aliter de invictae fidei praesidio, quo vi orationis dominicae Petrus communitus fuit, docentem audivimus Leonem, idemque insuper [1]), quod Dominus „instante (autem) passione sua, quae discipulorum erat turbatura constantiam„ munus Petro contulit, ad Petri quoque in pastorali officio successores continua largitionis oeconomia propagari hac granditate verborum expressit: „Cum itaque, dilectissimi, tantum nobis videamus praesidium divinitus institutum, rationabiliter et iuste in ducis nostri meritis et dignitate laetamur, gratias agentes sempiterno regi redemptori nostro Domino Jesu Christo, quod tantam potentiam dedit ei, quem totius ecclesiae principem fecit, ut si quid etiam nostris temporibus recte per nos agitur recteque disponitur, illius operibus, illius sit gubernaculis deputandum cui dictum est: Et tu conversus confirma fratres tuos; et cui post resurrectionem suam Dominus ad trinam aeterni amoris professionem mystica insinuatione ter dixit: Pasce oves meas. Quod nunc quoque procul dubio facit, et mandatum Domini pius pastor exsequitur confirmans nos cohortationibus suis et pro nobis orare non cessans, ut nulla tentatione superemur.„ Ratum ergo Leo habet

S. Leo M.

1. Salvatorem pro Apostolorum principe totiusque ecclesiae pastore singillatim orasse: sua vero oratione

2. singulare constantiae huic obtinuisse praesidium: idem porro praesidium

3. cum supremo ecclesiae pastore, episcopo romano, iugiter permanere, cuius proinde gubernaculis recte in ecclesia Dei agantur omnia ac disponantur.

205. Cum primo magno Leone placet illico cognominem iungere sanctum Leonem nonum, qui illius non minus nomine tenus quam secundum doctrinam atque sanctimoniam successor adparet. Haec enim [2]) scripsit, quae ad expositam prioris Leonis sententiam

S. Leo IX.

---

[1]) Serm. IV. (al. III.) cc. 3. 4.

[2]) Ep. ad Michaël. constantinop. n. 7. ap. Mign. lat. PP. t. 143 p. 748. coll. Denzing. enchir. symb. n. 290. Haec conferri iis merentur, quibus ibidem p. 756. confirmat quoque praestituta superius reliqua capita, quum et orationis adiuncta et parallela eaque classica Scripturae testimonia commemorando paulo inferius pergat: „Qui etiam in catalogo Apostolorum instar cardinis ab ipso Domino Jesu Christo primus positus, Petrus, id est Cephas exstat cognominatus Cui specialiter et nominatim non tantum ante passionem suam, verum et in ipsius articulo passionis, mox ut sui corporis et sanguinis mirabile mysterium

ad amussim expressa videntur: „Taliter sancta ecclesia super petram, id est Christum (qui est petra princeps et a se) et super Petrum (qui est petra subiugis et ab illa) vel Cepham filium Joannis, qui prius Simon dicebatur (his definitur ἐν ἀτόμῳ collatae praerogativae subiectum) aedificata, quia inferi portis, disputationibus scilicet haereticorum, quae vanos ad interitum introducunt, nullatenus foret superanda. Sic pollicetur ipsa veritas, per quam sunt vera quaecunque sunt vera: Portae inferi non praevalebunt adversus eam. Cuius promissionis effectum se precibus impetrasse a Patre idem Filius protestatur dicendo ad Petrum: Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.„ Et haec non ad Petri tantum personam coarctanda, sed ad ipsius pastorale munus adeoque romanos continuo episcopos pertinere iis evincitur, quae [1]) subdit: „Nam romanae ecclesiae fides per Petrum super petram aedificata, nec hactenus deficit, nec deficiet in saecula, Christo eius Domino rogante pro ea [2]) ceu testatur sub ipsa passione sua: Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Quo dicto demonstravit, fidem fratrum vario defectu periclitandam, sed inconcussa et indeficiente fide Petri, velut firmae anchorae subsidio figendam, et in fundamento universalis ecclesiae confirmandam. Quod nemo negat, nisi qui evidenter haec ipsa verba veritatis impugnat, quia sicut cardine totum regitur ostium, ita Petro et successoribus eius totius ecclesiae disponitur emolumentum. Et sicut cardo ducit et reducit ostium, sic Petrus et sui successores liberum de omni ecclesia habent iudicium, cum nemo debeat eorum dimovere statum, quia summa sedes a nemine iudicatur.„ Quae nullo commentario nullaque indigent expolitione,

---

agendum generaliter discipulis tradidit, tam oves se pastore percusso dispergendas, quam et usque in finem saeculi ad unum ovile et ad se unum pastorem colligendas commendando ait: Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.„

[1]) Ibid. n. 32. p. 765.

[2]) Pro Petro ergo fratrum confirmatore rogans Salvator oravit pro Petro fungente munere primatus, id est pro fide cathedrae romanae, adeoque pro infallibili doctrina cathedram occupantis romanam. Ad haec non advertunt qui ap. Pichler. op. c. t. II. p. II. 3. nn. 8. sqq. pp. 680. sqq. in sede romana Petrum confundentes cum Simone mirum in modum veterum recentiorumque doctorum sententias atque doctrinam perturbant.

adeo sunt perspicua et ad infallibile adserendum romanae sedis iudicium efficacia. „Nimirum, ait idem solus est ille pro quo, ne deficiat eius fides, Dominus et Salvator asserit [1]) se rogasse . . . Quae venerabilis et efficax oratio obtinuit, quod hactenus fides Petri non deficit, nec defectura creditur in throno illius usque in saeculum saeculi; sed confirmabit corda fratrum variis concutienda fidei periclitationibus, sicut usque nunc confirmare non cessavit.„ Scilicet indicat nonus Leo orationem Domini, veluti meritoriam invictae firmitatis in fide causam: nec non velut eiusdem effectum, Petri inerrantiam: et tanquam huius subiectum, omnes Petri in romana sede successores.

Bernardus. 206. Id quod eadem pariter aetate alius ecclesiae doctor, qui itidem postremus inter Patres recensetur, sanctus inquam Bernardus [2]) perspicue contestatur ad summum pontificem Innocentium secundum de causa Abaelardi scribens: „Oportet ad vestrum referri apostolatum pericula quaeque et scandala emergentia in regno Dei, ea praesertim quae de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum. Haec quippe huius praerogativa sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est: Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua? Ergo quod sequitur, a Petri successore exigitur: Et tu aliquando conversus [3]) confirma fratres tuos.„ Quae nihil sane reliquum desiderare permittunt, dummodo consideretur

1. quod singulariter efferatur „apostolatus vester„ hoc est pontificis romani: quod is perhibeatur

2. universalis prae „regno Dei„ hoc est ecclesia, quique adeo est apostolatus sensu pleno atque perfecto: hinc

3. quod eius instantia quotidiana sollicitudo [4]) omnium ecclesiarum, ne in re aliqua et potissimum ne in fide detrimentum patiantur:

---

[1]) Luc. XXII. verba adlegantur ibidem p. 770. ad Petr. antioch. episc. ep. CI.

[2]) Ep. CXC. seu tractat. ad Innocent. II. Pontif con. quaed. capit. error. Abaelard. „Amantissimo patri domino Innocentio summo Pontifici frater Bernardus Clarae-Vallis vocatus abbas, modicum id quod est.„

[3]) Sed quis existimaverit, Bernardum his usum verbis de Petri lapsu moralique conversione cogitare potuisse? Secus iterum ap. Pichler l. c. p. 590.

[4]) II. Cor. XI. 28.

4. quod propterea et ad hoc explendum munus sedi pontificis romani illique soli praerogativa collata, qua a periculo deficiendi in fide liber ac inmunis exsistat: tum vero

5. quod utrumque illud doctrinae caput Claravallensi indubitatum constiterit per verba Christi apud Lucam quae expendimus.

207. Nec quidquam desiderandum reliquit saeculo sequente Innocentius tertius in suis ad patriarcham [1]) constantinopolitanum litteris docens: „Pro eo Dominus se orasse fatetur inquiens in articulo passionis: Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos; ex hoc innuens manifeste, quod successores ipsius a fide catholica nullo unquam tempore deviarent, sed revocarent magis alios et confirmarent etiam haesitantes; per hoc sic ei confirmandi alios potestatem indulgens, ut aliis necessitatem imponeret obsequendi.„ Sed cum praemissis superius haec ex occidentalibus satis. *Innocentius III.*

208. Neque aliter Maiores in plaga ecclesiae orientali de petra vocato Petro „qui ecclesiae fundamenta in fidem suam [2]) accepit.„ Eminent quae [3]) scripsit ad Paschalem romanum pontificem sanctus Theodorus cognomento Studitae: „In nos, o beate, haec omnia (mala) facta sunt. Quae quis non aegre tulerit, in seipso proximi damna considerans! Quis autem ratiocinatus non fuerit, esse adventus antichristi praeludia, tantum differentia quantum ab exemplari imago, in quam etiam insanitur? Huc igitur ab occidente, o Christi imitator: Exsurge et ne repellas [4]) in finem. Tibi dixit [5]) Christus Deus noster: Et tu aliquando conversus confir- *Gregor. naz.* *Theodor. studit.*

---

[1]) Ep. CCIX. an. 1199.

[2]) Gregor. nazianzen. or. XXXII. n. 18. opp. t. 1. ed. Paris. 1842. p. 591. C—D. *Ὁ μὲν πέτρα καλεῖται, καὶ τοὺς θεμελίους τῆς ἐκκλησίας πιστεύεται.*

[3]) Ap. Mign. gr. PP. t. 99. pp. 1152. sq. *Πασχαλίῳ πάπᾳ Ῥώμης* epp. l. II. ep. 12. *Ἐφ' ἡμᾶς, ὦ μάκαρ, ἐγένετο ταῦτα πάντα. Ἃ τίς μὲν οὐκ ἐπιστυγνάσειεν εἰς ἑαυτὸν τὰ τοῦ πλησίον ἀναθεωρῶν πάθη; Τίς δὲ οὐ λογίσοιτο προεισόδια εἶναι τῆς τοῦ ἀντιχρίστου παρουσίας· τοσοῦτον διαφέροντα ὅσον εἰκὼν ἀρχετύπου, ἐφ' ᾗ καὶ μαίνεται; Δεῦρο δὴ οὖν ἀπὸ δυσμῶν ὁ Χριστομίμητος, Ἀνάστηθι, καὶ μὴ ἀπώσῃ εἰς τέλος. Πρὸς σὲ εἴρηκε Χριστὸς ὁ θεὸς ἡμῶν· Καὶ σὺ ποτὲ ἐπιστρέψας στηρίξεις τοὺς ἀδελφούς σου. Ἴδε ὁ χρόνος καὶ ὁ τόπος· βοήθησον ἡμῖν ὁ ὑπὸ θεοῦ τεταγμένος εἰς τοῦτο· ὄρεξον χεῖρα καθ' ὅσον οἷόν τέ ἐστιν· ἐν ᾧ καὶ ἐτέθης. Πτόησον, δεόμεθα, τοὺς αἱρετικοὺς θῆρας σύριγγι τοῦ θείου λόγου σου. Ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς, θὲς τὴν ψυχὴν ὑπὲρ τῶν προβάτων· ἱκετεύομεν.*

[4]) Ps. XLIII. 23.

[5]) Luc. XXII. 32.

mabis fratres tuos. Ecce tempus, ecce locus: opitulare nobis, qui es a Deo ad hoc ordinatus: porrige manum quantum fieri potest: habes potestatem a Deo, eo quod omnium princeps es: in quo et positus es. Terreto, supplicamus, haereticas feras calamo divini verbi tui. Pastor bone, pone animam pro ovibus, supplicamus.„ Quae quum singulari luce sedis romanae praerogativas universas collustrent, tum illam nominatim dotem, qua Petri successorem ad hoc ordinatum positumque divinitus docent, ut principali sua potestate vexatis ob fidem fratribus ubivis opituletur. Unde exagitato Oriente non petit nisi ab Occidente auxilium.

209. Quodsi non tam consideres explicatum sententiarum splendorem, quam summam rei doctrinaeque compendium, eadem ac ille complectitur hoc commentario [1]) alexandrinus Cyrillus: „Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos, id est, Firmamentum atque magister esto illorum, qui per fidem ad me accedunt.„ Sed enimvero qui magister simul ac firmamentum est, adeoque firmus magister, isque tum reliquorum doctorum tum omnium in Christum credentium, absque dote inerrantiae ac infallibilitatis cogitari nequit.

Cyrillus alex.

Chrysostomus.

210. Hinc sanctus Chrysostomus de necessitate gratiae tractans „Christi, inquit [2]), ipsius voces recitabo, siquidem Petro dixit: Ecce

---

[1]) Ap. Mai N. PP. Bibl. t. II. explanat. in Luc. XXII. p. 420. *Καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας* (quo tamen verbo Dominus discipuli negationem innuisse Cyrillo videtur) *στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου· τουτέστι, Γένου στήριγμα καὶ διδάσκαλος τῶν διὰ πίστεως προσιόντων ἐμοί.* Ad quae eminentissimus editor adnotat: „En Petro, consequenterque successoribus eius, privilegium a Christo Domino datum.„ Est autem totus Cyrilli in Luc. XXII. 32. commentarius ad eum expressus, quem Chrysostomus habet hom. 82. al. 83. n. 4. in Matth. t. VII. p. 785.

Em. Mai.

[2]) Hom. in paralyt. demiss. per tect. n. 2. opp. t. III. p. 35. *Ὑπὲρ τούτων αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ φωνὴν ὑμῖν ἀναγνώσομαι· τῷ γὰρ Πέτρῳ φησίν· ἰδοὺ ὁ σατανᾶς ᾐτήσατο, ἵνα συνιάσῃ ὑμᾶς ὡς τὸν σῖτον· κἀγὼ ἐδεήθην περὶ σοῦ, ἵνα μὴ ἐκλίπῃ ἡ πίστις σου· τί ἐστι, συνιάσαι; ἀγαγεῖν, περιαγαγεῖν, σαλεῦσαι, κινῆσαι, διαδονῆσαι, βασανίσαι, ὅπερ ἐπὶ τῶν κοσκινιζομένων γίνεται· ἀλλ' ἐγώ φησιν ἐπέσχον, εἰδὼς ὅτι τὸν πειρασμὸν ἐνεγκεῖν οὐ δύνασθε· τὸ γὰρ εἰπεῖν, ἵνα μὴ ἐκλίπῃ ἡ πίστις σου, δηλοῦντός ἐστιν, ὅτι εἰ συνεχώρησεν, ἐξέλιπεν ἂν αὐτοῦ ἡ πίστις. εἰ δὲ Πέτρος ὁ θερμὸς ἐραστὴς τοῦ Χριστοῦ καὶ τὴν ψυχὴν ὑπὲρ αὐτοῦ μυριάκις ἐπιδοὺς καὶ προπηδῶν ἀεὶ τοῦ χοροῦ τῶν ἀποστόλων, καὶ παρὰ τοῦ διδασκάλου μακαριζόμενος καὶ διὰ τοῦτο Πέτρος κληθεὶς, ἐπειδὴ ἄσειστον εἶχε καὶ ἀπερίτρεπτον τὴν πίστιν, ἠνέχθη ἂν καὶ τῆς ὁμολογίας ἐξέπεσεν, εἰ συνεχώρησεν ὁ Χριστὸς τῷ διαβόλῳ πειράσαι ὅσον ἠβούλετο, τίς ἕτερος στῆναι δυνήσεται χωρὶς τῆς αὐτοῦ βοηθείας;* Quibus cf. quae idem Chrysost. habet hom. in illud „In faciem restiti„ n. 4. *Διὰ τοῦτο Πέτρος ἐκλήθη, ἐπειδὴ ἄσειστος ἦν κατὰ πίστιν.*

satanas petivit, ut cribraret vos sicut triticum: et ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Quid est cribrare? abducere, circumducere, exagitare, movere, concutere, divexare, sicut in iis quae cribro ventilantur; at ego cohibebam, inquit, intelligens nequaquam posse vos tentationem sustinere. Cum enim ait, Ne deficiat fides tua, hoc significat, futurum fuisse, ut fides eius deficeret, si illi permisisset. Quodsi Petrus fervidus amator Christi, qui animam suam millies pro ipso exposuit, quique semper ante coetum prosilit Apostolorum, et beatus a magistro suo praedicatur, ideoque Petrus appellatus est, quod inconcussa et immutabili fide praeditus esset, deiectus fuisset, et a confessione excidisset, si, quantum [1]) vellet, tentare diabolo Christus permisisset, quis alius absque illius auxilio poterit unquam resistere?„ Atqui fides inconcussa et inmutabilis iungi cum errore nequit, qui ex sese instabilis est veritatemque non concutit modo sed evertit.

d) Divini oraculi vis ad romanos Petri successores extenditur.

211. Quis porro infirmum fecerit Apostolorum confirmatorem Petrum? sed quis Apostolorum successores confirmabit, nisi iugis Petri successor? Atqui iugis successor illius in sede romana vivit. Eo spectant in suis liturgicis libris graeci [2]) cantantes: *Liturgia graeca.* „Romae reliquarum urbium maximae tu fuisti primus episcopus et gloria et laus et ecclesiae fortitudo (ut qui ipsas ecclesiae columnas confirmat), Petre, et portae inferi non praevalebunt adversus eam, sicut Christus praedixerat.„ Quasi dicerent, praedictam sibi a Christo fortitudinem adversus ecclesiae hostes Petrum in urbis romanae cathedram transtulisse, quam qui occupasset, Petri personam divinis exornatam dotibus indueret ac infallibilem christianae fidei magistrum prae se ferret. Id namque? in Menologio [3]) hoc velut epiphonemate beato Petro iidem illi adclamant: „Fidem Christi confirmasti (scilicet in fidelibus ipsis) et infideles bonam fidem docuisti, tamquam Apostolorum princeps et immobile fundamentum dogmatum.„

212. Hinc mirari non est, quod qui ita quotidie orarent *Graeca professio.*

---

[1]) Ergo non omnem cribrandi permissionem diabolo Salvator negavit, sed negavit illi indefinitam suumque ad libitum exercendam in Apostolos potestatem.

[2]) Menologio die 30. Juni ad Laudes.

[3]) Januarii die 16. ode tertia coll. s. Joan. Chrysost. ad verba Luc. XXII. 31. sq.

sequiores etiam graeci, si sinceri veritatisque cupidi essent, cum Gregorio trapezuntio [1]) palam profiterentur: „Christus ipse Petro pro reliquis aliis regni coelestis claves elargitus est, Tu es Petrus, dicens, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam: et portae inferi non praevalebunt adversus eam. De ecclesia vero romana haec pronuntiata esse a Servatore, hinc patet, quod adversus eam Christi gratia non praevalebunt portae inferi, improbae haereticorum linguae, quae obloquutae sunt in divinam maiestatem iniustitiam. Sic post mysticam illam coenam, quasi de rebus suis disponens Servator ad Petrum reversus dixit: Ecce Simon, satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum, sed ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua, et tu aliquando conversus [2]) confirma fratres tuos. Et attendendum est, privilegium hoc soli Petro et per illum romanae ecclesiae concedi. Undenam vero id liquet? Primum quod omnes cribrare voluit satanas, pro solo vero Petro rogatum dicitur. Tum Petro expressius praecipitur, conversum confirmare proprios fratres. Quod nunquam contigisse Petro, sed illius successoribus, historiis traditur.„ Quae sunt plane egregia omnia idque confirmant totum, quod verba Christi commentantes praestituimus; illud vero inprimis praeclarum, quod promissam Petro stabilitatis gratiam ad omnes in romana cathedra successores Petri referendam esse adfirmet, qua iidem historia teste reapse in confirmandis fratribus usi essent.

Gregor. trapez.

---

[1]) De una, sancta catholica eccles. ad hieromon. cretens. n. 7. ap. Leon. Allat. graec. orthod. t. I. p. 550. *Αὐτὸς ὁ Χριστὸς τῷ Πέτρῳ ἐξόχως τὰς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν ἐχαρίσατο κλεῖς. Σὺ εἶ Πέτρος λέγων, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν, καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς. Ὅτι δὲ περὶ τῆς Ῥωμαικῆς ἐκκλησίας ταῦτα εἴρηται τῷ σωτῆρι, δῆλον, μόνης γὰρ ταύτης οὐ κατισχύσουσιν τῇ τοῦ Χριστοῦ χάριτι αἱ πύλαι τοῦ ᾅδου, αἱ μοχθηραὶ τῶν αἱρετικῶν γλῶσσαι, αἱ λαλήσασαι εἰς τὸ τοῦ θεοῦ ὕψος ἀδικίαν. Εἴ τι μετὰ τὸ μύστικον ἐκεῖνο δεῖπνον, ὥσπερ διατιθέμενος ὁ σωτὴρ πρὸς τὸν Πέτρον ἐπιστραφεὶς ἔφη· Ἰδοὺ Σίμων, ὁ σατανᾶς ἐζήτησε πάντας ὑμᾶς* (non *ἡμᾶς*) *ὡς τὸν σῖτον σινιάσαι· ἐγὼ δὲ ἐδεήθην περὶ σοῦ, ἵνα μὴ ἐκλίπῃ ἡ πίστις σου, σὺ δὲ ἐπιστραφεὶς ποτὲ, στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου. Ἐπιστῆσαι δὲ χρὴ, ὅτι τῷ Πέτρῳ μόνῳ καὶ δι' αὐτοῦ τῇ τῆς Ῥώμης ἐκκλησίᾳ δέδοται αὕτη ἡ χάρις. Πόθεν δῆλον; Πρῶτον μὲν ὅτι πάντας ἐβουλήθη ὁ σατανᾶς σινιάσαι, ὑπὲρ μόνου δὲ τοῦ Πέτρου δεηθῆναι, φησίν. Εἶτα δὲ τῷ Πέτρῳ ἐμφαντικώτερον ἐπιτάττεται ἐπιστρέφεσθαι καὶ στηρίζειν τοὺς ἰδίους ἀδελφοὺς, ὅπερ οἴδαμεν μηδαμῶς ἐπισυμβῆναι τῷ Πέτρῳ, ἀλλὰ τοῖς διαδόχοις αὐτοῦ.*

[2]) Animadvertas, quaeso, quod prius innuimus, ita Petrum iussum semet ad fratres convertere, uti ad Petrum semet Christus ipse convertit, a trapezuntio non una ratione significari.

e) Unanimi Maiorum suffragio idipsum stabilitur.

213. Atqui hoc est, quod facta cum Georgio consensione omnes rursum Maiores tam orientales quam occidentales adfirmant. Id adfirmat [1]) Innocentius tertius scribens: „Cum aquae multae sint populi multi, congregationesque aquarum sint maria, per hoc quod Petrus super aquas maris incessit, super universos populos [2]) se potestatem accepisse monstravit. Pro eo se Dominus [3]) orasse fatetur, inquiens in articulo passionis: Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos; ex hoc innuens manifeste, quod successores ipsius a fide catholica nullo unquam tempore deviarent, sed revocarent magis alios et confirmarent etiam haesitantes; per hoc sic ei confirmandi alios potestatem indulgens, ut aliis necessitatem imponeret obsequendi.„ Neque minus distincte idem adfirmat Leo nonus scribens [4]) pariter ad patriarcham constantinopolitanum de Petri praerogativis secundum oracula Christi apud Matthaeum et Lucam [5]); quibus collatis subdit: „Erit ergo quisquam tantae dementiae, qui orationem illius, cuius velle est posse, audeat in aliquo vacuam putare? Nonne a sede principis Apostolorum, Romana videlicet ecclesia, tam per eundem Petrum, quam per successores suos, reprobata et convicta atque expugnata sunt omnium haereticorum commenta, et fratrum corda in fide Petri, quae hactenus non defecit, nec usque in finem deficiet, sunt confirmata?„

Innocentius III.

Leo IX.

Collatio Matth. XVI. et Luc. XXII.

---

[1]) Ep. CCIX. ad patriarch. constantinop. ap. Mign. PP. lat. t. 214. p. 760.

[2]) Similia leguntur apud s. Anselmum qui praefat. ad op. de fide Trinit. et incarnat Verb l. c. p. 259. modo testatur, romano pontifici fidei custodiam fuisse tributam, et modo hom. III. in evang. sec. Matth. XIV. 22. ibid. p. 600. de verbis Petri: „Iube me venire ad te„ ita commentatur: „Iube me super aquas, id est super fluctus mundanarum tribulationum et super populos, venire ad te, ut ego tibi incommutabili (veritati) adhaerens fiam incommutabilis (in veritate) participatione firmitatis tuae.„ Quibus conferri propter aetatis vicinitatem meretur, quod sanctus Bernardus in epistolis CCCXXX. sqq. ap. Mign. lat. PP. t. 182. pp. 535. sqq. coll. ep. CLXXXIX. ib. pp. 355. sqq. contra Abaelardum scriptis docet, romani scilicet pontificis esse, ut intemerata fides et ecclesia absque macula et ruga conservetur.

Anselm.

Bernard.

[3]) Luc. XXII.

[4]) Ep. C. ad Michaelem constantinopolit. patriarch. n. VII. ap. Mign. lat. PP. t. 143. p. 748.

[5]) Matth. XVI. Luc. XXII. verba huc spectantia prius deprompta fuerunt.

214. Sed idem adfirmat etiam ac docet ad imperatores dogmatica epistola [1]) eaque lecta in constantinopolitano tertio concilio Agatho papa adductis evangelistae [2]) verbis subiiciens: „Consideret itaque vestra tranquilla clementia, quoniam Dominus et Salvator omnium, cuius fides est, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres suos admonuit; quod apostolicos pontifices, meae exiguitatis praedecessores, confidenter fecisse semper, cunctis est cognitum: quorum et pusillitas mea, licet impar et minima, pro suscepto tamen divina dignatione mysterio, pedissequa cupit exsistere. Vae enim mihi erit, si silentio texero veritatem, quam erogare nummulariis iussus sum, id est, christianum populum imbuere et docere. Quid dicam in ipsius Christi futuro examine, si hic, quod absit, praedicare eius sermonum veritatem confundor? Quid de meipso, quid de commissis animabus satisfaciam, dum de officio suscepto rationem districtam exegerit?„ Iamvero recitata epistola Patres, ut olim in chalcedonensi concilio lectis Leonis litteris adclamabant, Petrum per Agathonem loquutum. Collectis igitur tam orientis quam occidentis doctoribus rata erat ac fixa cum Agathone sententia, Petro factam a Domino apud Lucam fuisse

Concil. constantinop.

Praedicandi necessitas.

1. promissionem indefectibilis fidei; tum

2. ius atque officium tuendae conservandaeque fidei ac veritatis in universa Dei ecclesia; atque

3. hoc munere successores Petri naviter functos semper fuisse.

215. Sane functos suo illo munere pontifices fuisse constanter, enucleatius porro [3]) Agatho exponit subdens: „Ubi itaque talis imminet depravantibus vel tacentibus veritatem poena supplicii (qualis scilicet Christum non confitentibus statuta est), quomodo non est fugienda de fidei dominicae veritate subtractio? Unde et apostolicae memoriae meae parvitatis praedecessores, dominicis doctrinis instructi, ex quo novitatem haereticam in Christi immaculatam ecclesiam constantinopolitanae ecclesiae praesules introducere conabantur, nunquam neglexerunt, eos hortari atque obsecrando commonere, ut a pravi dogmatis haere-

Agatho.

---

[1]) Apud Harduin. t. III. p. 1081.

[2]) Luc. XXII. 32.

[3]) Ibidem pp. 1082. sq.

tico errore, saltem tacendo [1]) desisterent.„ Neque satis, idem repetit [2]) Agatho cum centum viginti quinque episcopis in synodum collectis per legatos suos ad sextum concilium scribens: „Catholicae atque apostolicae verae nostrae fidei splendidissimum in omnium mentibus emicet lumen (per imperium scilicet vestrum, inquit ad imperatores): quod ex veri luminis fonte tamquam de radio vivifici fulgoris, per ministros beatos Petrum et Paulum Apostolorum principes eorumque discipulos et apostolicos successores [3]) gradatim usque ad nostram parvitatem Dei opitulatione servatum est, nulla haeretici erroris tetra caligine tenebratum, nec falsitatis nebulis confoedatum, nec intermistis haereticis pravitatibus velut caliginosis nebulis perumbratum, immune atque sincerum, et suis radiis perlustratum, piissimis conatibus conservare cupit vestrum a Deo coronatum fastigium. In hoc enim tam apostolicae sedis, quamque nostri exigui famulatus praedecessores usque adhuc non sine periculis desudarunt: nunc decretali commonitione cum apostolicis pontificibus consulentes, nunc synodali *Romana constantia.* definitione, quae veritatis regula continebat, omnibus innotescentes: et terminos quos transgredi nefas est, usque ad animae ipsius exitum constanter defendentes: non seducti blandiciis, non periculis territi, ut illam in evangeliis Domini nostri sententiam operibus demonstrarent, qua sententialiter praecipit [4]) di ens: Qui me confessus fuerit coram hominibus, et ego confitebor illum coram Patre meo qui in coelis est.„ Quibus officium confirmationis a pontificibus semper inpletum vindicari splendidius nequit.

---

[1]) Hic aperte Agatho ad concessam ab Honorio papa silentii oeconomiam in *Honorii causa.* causa monotheletica alludit: pergit enim: „Ne ex hoc exordium dissidii in unitate ecclesiae facerent, unam voluntatem unamque operationem duarum naturarum asserentes in uno Domino nostro Jesu Christo: quod ariani et apollinaristae, eutychianistae, timotheani, acephali, theodosiani et gaianitae et omnis omnino haereticus furor sive confundentium seu dividentium incarnationis Christi mysterium docuit.„ Quare in illa concessione non erroris, ut falsorum pontificum adsertoribus placet, sed potius cum Agathone sollicitae argumentum prudentiae quaerendum. Ad haec faciunt quae dissertat. de sext. syn. gener. habet Christ. Lup. opp. t. III. pp. 32. sqq. coll. J. P. Secchi S. J. La catted. alessand. di S. Marco p. 336. ed. Venez. 1853.

[2]) Ibidem p. 1118. coll. Gelas. ep. XIV. sive tractat. ap. Mign. lat. PP. t. 59. pp. 89. sq.

[3]) Romani episcopi sunt successores Petri et Pauli ἁπλῶς et simpliciter, sed εἰδικῶς ac specifice sunt apostolici eorum successores.

[4]) Marc. VIII. 38. coll. Luc. XII. 9. Matth. X. 33.

216. Id quod omnibus veritatem videre cupientibus ita semper compertum erat et exploratum, ut Georgius trapezuntius confessus denuo sit: „Successoribus ergo per Petrum demandatur [1]) quod et saepissime et anteactis temporibus factum legimus, et nostra hac aetate, quantum magnus Eugenius studium posuerit, ut in unum dispersas ecclesias redigeret, et nationem nostram in libertatem vindicaret, omnes iam probe tenetis. Hac ratione romana ecclesia saepius conversa alias confirmavit: at illam aliae numquam. Quapropter? Quod Servator soli Romanae id muneris largitur, cum rogasset ut homo, ne deficeret fides illius.„

Georg. trapez. *Eugenius IV.*

217. Profecto quanta illud diligentia ac cura ab iisdem impletum iugiter fuerit, et monumenta conciliorum patefaciunt et documenta potissimum romanae testantur ecclesiae, quibus illud constanter repetitur, quod de Clemente primo iam [2]) Irenaeus: „Ita ut ex persona romanae ecclesiae scriberet ipse Clemens ad Corinthios epistolam necessariam, quae . . . fidem eorum, quae excussa fuerat, renovaret„: quodque ad universos episcopos per Siciliam constitutos scripsit [3]) Leo: „Divinis praeceptis et apostolicis monitis incitamur, ut pro omnium ecclesiarum statu impigro vigilemus affectu, ac si quid usquam reprehensione invenitur obnoxium, celeri sollicitudine aut ab ignorantiae imperitia, aut a

Irenaeus. *Leo.*

---

[1]) De una, sancta, catholica ecclesia l. c. p. 551. *Τοῖς διαδόχοις ἄρα τοῦτο διὰ τοῦ Πέτρου ἐπιτέτακται. Ὅπερ πολλάκις μὲν καὶ πρότερον γεγενῆσθαι ἀνέγνωμεν, καὶ εφ᾽ ἡμῶν δὲ ὅσην κατεβάλλετο Εὐγένιος ὁ μέγας σπουδὴν εἰς τὸ ἓν συνάξαι τὰς ἐκκλησίας, καὶ ἐλευθερῶσαι τὸ γένος ἡμῶν, πάντες οἴδατε. Οὗτος ἡ μὲν τῆς Ῥώμης πολλάκις ἐπιστραφεῖσα ἐστήριξε τὰς ἑτέρας. Ταύτην δὲ αἱ ἄλλαι οὐδέποτε. Διατί; Διότι ὁ Σωτὴρ μόνῃ τῇ τῆς Ῥώμης ταύτην ἐδωρήσατο τὴν χάριν, δεηθεὶς ὡς ἄνθρωπος, ἵνα μὴ ἐκλίπῃ ἡ πίστις αὐτοῦ κ. τ. λ.*

[2]) Adv. haer. l. III. c. 3. coll. Eus. h. e. l. V. c. 6. ap. Coteler. pp. ap. t. I. p. 128. *Ἐπέστειλεν ἡ ἐν Ῥώμῃ ἐκκλησία* (quae erat in Clemente episcopo) *ἱκανωτάτην γραφὴν τοῖς Κορινθίοις . . . ἀνανεοῦσα* (Niceph. et Ruf. *ἀνανεοῦσαν*) *τὴν πίστιν αὐτῶν*. De Clemente rom. cf. Hagemann. de eccles. rom. n. 31. pp. 682. sqq.

Clemens I.

[3]) Ep. XVI. Ita Gelas. ad Honor. Dalmat. episc. ep. V. „Licet inter varias temporum difficultates continuis occupationibus implicati vix respirare valeamus; pro sedis tamen apostolicae moderamine totius ovilis dominici curam sine cessatione tractantes, quae beato Petro Salvatoris ipsius nostri voce delegata est: Et tu conversus„ et q. s. Ita Agatho ep. ad conc. oecum. VI. ap. Harduin. t. III pp. 1082. 1110. 1118. Ita Pelag. II. ad Eliam et epp. Istriae ep. III. (al. V.) „Studemus, inquit, quae nobis iussa sunt (Luc. XXII.) cum hilaritate cordis humiliter exhibere . . . ut in divini tremendique iudicii die de taciturnitate mea reus inveniri non possim.„ Videlicet quae est Chrysostomi hom. de decem mill. talent. debit. n. 3. Mign. gr. PP. t. 51. p. 21. sententia de Petro quae aeque valet de successore illius romano pontifice, qui est *ὑπὲρ τῆς οἰκουμένης ἁπάσης φροντίζων*.

Gelasius. *Pelag. II.* *Chrysostom.*

praesumptionis usurpatione revocemus. Manente (al. monente) enim dominicae vocis imperio, quo beatissimus Apostolus Petrus trina repetitione mysticae sanctionis imbuitur, ut Christi oves, qui Christum diligit pascat; ipsius sedis cui per abundantiam divinae gratiae praesumus, reverentia coarctamur, ut periculum desidiae quantum possumus declinemus; ne professio summi Apostoli, qua se amatorem Domini esse testatus est, non inveniatur in nobis; quia negligenter pascens toties commendatum gregem, convincitur summum non amare pastorem."

218. Atqui eiusmodi repletus ac incitatus summi pastoris amore, gloriosisque maximorum suorum praedecessorum vestigiis insistens, exemplis innixus erectusque qui nunc Petri firmitate Christi ecclesiam regit, Pius nonus encyclicas suas litteras [1]) quibus totius orbis episcopos excitavit ac confirmavit, iure atque merito auspicari sic decrevit: „Quanta cura ac pastorali vigilantia romani pontifices praedecessores nostri, exsequentes demandatum sibi ab ipso Christo Domino in persona beatissimi Petri Apostolorum principis officium munusque pascendi agnos et oves nunquam intermiserint, universum dominicum gregem sedulo enutrire verbis fidei ac salutari doctrina imbuere, eumque ab venenatis pascuis arcere, omnibus quidem ac vobis praesertim compertum exploratumque est." *Pius IX.*

V. Illatio ac demonstratio inerrantiae romanae theologica.

219. Jam vero post ea omnia, quae argumentando explicandoque praestituta fuerunt, quaerere mihi ac flagitare etiam liceat, sint illa nec ne sufficientia ac valida ad ostendendum romanum pontificem in supremis suis fidei expositionibus ac declarationibus ab omni erroris falsitatisque labe omnino inmunem? Quod ut liqueat, ulterius porro interrogando prosequi libet:

1. Summa priorum exponitur et confirmatur.

220. Quis igitur, si non omnem antiquitatis reverentiam abiecit, in suum inducere animum posset, ut existimaret

1. infirmos in fide, labiles atque fallibiles illos esse, quos oriens et occidens ab initiis atque continuo deinceps pastorum habebat universorum confirmatores? qui hoc sibi munus atque

---

[1]) Litt. encyclic. dat. 8. Decemb. 1864.

confirmandi officium divinitus inpositum ipsi gravissime coram collectis dispersisque fratribus nemine contradicente sed contestantibus omnibus semper docebant sancteque testabantur? qui ab originibus ecclesiae usque nunc munere officioque illo sedulo fungentes fratres iugiter omni pastorali diligentia ac sapientia firmabant? Vere necesse est, si ita fuerit, collabantur omnes illudque contingat, quod veritas ipsa, Christus, fieri monuit, si caecus caecum duxerit.

221. At enimvero 2. quis inmobile dogmatum fundamentum censuerit fallibile? Quis a fallibili omnium conditione exemptum *Chrysostomus.* eum ratus non fuerit, qui a sancto Joanne Chrysostomo [1]) praedicatur „Petrus chori Apostolorum princeps, os discipulorum, columna ecclesiae, firmamentum fidei, confessionis fundamentum, orbis terrarum piscator, qui genus nostrum ex profundis errorum in coelum adduxit?„ Num os discipulorum mendax? num columna ecclesiae fragilis? num firmamentum fidei infirmum? num ruinosum confessionis fundamentum? num inbecillus terraquei orbis piscator? et qui ex profundis eruit errorum in illa ipse delabitur? quique in coelestia provehit, ut ait Leo M. [2]) ad inferna demergit?

222. Atqui „Nulli dubium, inquit [3]) Philippus apostolicae sedis *Concil. ephes.* legatus in ephesino concilio, immo saeculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus, Apostolorum princeps et caput fideique columna, et ecclesiae catholicae fundamentum, a Domino nostro Jesu Christo, salvatore humani generis ac redemptore, claves regni accepit, solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est: qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit et iudicium exercet.„ Quare a Petro removeri fallibilis omnium communis conditio non posset, nisi a Coelestino, cuius tum partes agebat Philippus, et a nono Pio, qui nunc apostolica tuba mundum excitat universum, eadem depelleretur.

---

[1]) Hom. de decem mill. talentor. debitore n. 3. t. III. par. 1. ap. Mign. gr. PP. t. 51. p. 20. *Πέτρος ὁ τοῦ χοροῦ τῶν ἀποστόλων κορυφαῖος, τὸ στόμα τῶν μαθητῶν, ὁ στῦλος τῆς ἐκκλησίας, τὸ στερέωμα τῆς πίστεως, ὁ τῆς ὁμολογίας θεμέλιος, ὁ τῆς οἰκουμένης ἁλιεὺς, ὁ τὸ γένος ἡμῶν ἀπὸ τοῦ βυθοῦ τῆς πλάνης εἰς τὸν οὐρανὸν ἀναγαγών.*

[2]) Serm. IV. c. 3.

[3]) Ap. Harduin. act. III. t. I. p. 1478.

223. Sed 3. quis fallibilem habuerit „petram qui est princeps
Apostolorum Petrus, vere solidam,, quae ex Epiphanio[1]) data nobis *Epiphanius.*
est, ut eidem fides Domini incumberet, supra quam omni modo exstructa est ecclesia: petram tutae fidei, supra quam, ait Christus, aedificabo ecclesiam meam: illum quoque firmissimum structurae lapidem ac divinae domus fundamentum, qui negato Domino ad se iterum reversus et a Domino repertus rursum dignatus fuit[2]) audire: Pasce oves meas, et, Pasce agnos meos, et, Pasce oves meas?„ Quis labilem existimarit „sanctissimum ac beatissimum magnae et senioris Romae archiepiscopum (qui est) una cum beatissimo et omni laude dignissimo Petro, qui, contestantibus[3])
chalcedonensibus Patribus, petra et basis est ecclesiae catholicae *Chalcedonenses.*
rectaeque fidei firmamentum?„ quis infirmam mutationisque[4])
capacem dixerit fidem illius, qui in concilio lateranensi a Stephano *Lateranenses.*
dorensi episcopo[5]) dicitur „ipse praecipue ac specialiter firmam prae omnibus habens in Dominum Deum nostrum et immutabilem fidem, convertere aliquando et confirmare exagitatos consortes suos et spiritales meruisse fratres; utpote dispensative super omnes ab ipso qui propter nos incarnatus est Deus potestatem accipiens et sacerdotalem auctoritatem.„

---

[1]) Advers. haer. l. II. h. 59. §. 7. ap. Mign. gr. PP. t. 41. p. 1029. B—C. *Ὁ ἀρνησάμενος πρὸς ὥραν ἅγιος Πέτρος καὶ κορυφαιότατος τῶν ἀποστόλων, ὃς γέγονεν ἡμῖν* (petra ergo actu factus est Petrus post lapsum) *ἀληθῶς στερεὰ πέτρα θεμελιοῦσα τὴν πίστιν τοῦ κυρίου· ἐφ᾽ ᾗ ᾠκοδόμητο ἡ ἐκκλησία κατὰ πάντα τρόπον. Πρῶτον μὲν ὅτι ὡμολόγησε Χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος, καὶ ἤκουσεν, ὅτι, Ἐπὶ τῇ πέτρᾳ ταύτῃ τῆς ἀσφαλῆς πίστεως οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν.* Ib. D. *Ἀλλὰ καὶ ἐνταῦθα στερεὰ πέτρα οἰκοδομῆς καὶ θεμέλιος οἴκου θεοῦ γεγένηται, ἐν τῷ ἀρνησάμενον αὐτὸν καὶ πάλιν ὑποστρέψαντα, εὑρεθέντα τε ὑπὸ κυρίου καὶ καταξιωθέντα πάλιν ἀκοῦσαι· Ποίμαινε τὰ πρόβατά μου· καὶ, Ποίμαινε τὰ ἀρνία μου· καὶ, Ποίμαινε τὰ πρόβατά μου.*

[2]) Ubi animadvertenda rursum sollicitudo videtur, qua Epiphanius cavet, ne firmitas petrae ac tuta muneris pastoralis cura Petro inhaesisse putetur, priusquam idem lapsus sui maculam diluisset.

[3]) Apud Evagrium scholast. hist. eccles. l. II. c. 4. ap. Mign. gr. PP. t. *Evagrius.*
$86/_2$. p. 2504. *Ὁ ἁγιώτατος καὶ μακαριώτατος ἀρχιεπίσκοπος τῆς μεγάλης καὶ πρεσβυτέρας Ῥώμης (Λέων, δι᾽ ἡμῶν καὶ τῆς παρούσης συνόδου) μετὰ τοῦ τρισμακαρίου καὶ πανευφήμου Πέτρου τοῦ ἀποστόλου, ὅς ἐστι πέτρα καὶ κρηπὶς τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας καὶ τῆς ὀρθοδόξου πίστεως θεμέλιος.*

[4]) Ad rem Agatho ep. ad imperatt. ap. Harduin. t. III. p. 1111. C. „Ve- *Agatho de errore.*
ritas constans semper et eadem permanet; semper autem falsitas variatur; et sibi ipsi variando approbatur et redarguitur esse contraria.„

[5]) Secretar. II. ap. Harduin. t. III. p. 713. A. *Κατ᾽ ἐξαίρετον ἰδιοπροσώπως αὐτὸς βεβαιοτέραν ἔχων ὑπὲρ πάντας τὴν εἰς αὐτὸν τὸν κύριον ἡμῶν*

Stephan dor. 224. Quis 4. heterodoxiae umbram „in sedem apostolicam„ cadere posse existimarit „ubi orthodoxorum dogmatum [1]) fundamenta exsistunt?„ Profecto nimis se levem in Veterum scrutandis monumentis ostenderet, qui serio illud defendere susciperet.

2. Vetusta orientalium explicatione corroboratur.

225. Id enim vetant quae adduximus omnia, tum vetant, quod *Epiphanius.* ad orientales attinet, haec iterum Epiphanii [2]) illustrantis Apostolorum principis ornamenta ac decora: „Ille ipse (Petrus, qui felix praedicari meruit), rursum spiritum sanctum patefecit: sic enim ei, qui inter Apostolos primus esset, consentaneum erat, solidae, inquam, illi petrae: supra quam est ecclesia Dei fundata, et portae inferi non praevalebunt illi. Quarum portarum nomine haereses et haereseon conditores intelliguntur. Omnibus quippe modis in eo stabilita fides est, qui coeli clavem accepit, et in terra solvit et ligat in coelo. In eo siquidem subtiliores quaelibet fidei quaestiones reperiuntur.„ Et post pauca [3]) concludit: „A quo (Domino) Petrus audiit: Petre pasce agnos meos, cui gregis est commissa custodia, quem Domini sui virtute fretus praeclare gubernat ac regit.„ Scilicet romana petra

I. adfirmatur solidum ecclesiae fundamentum: hinc

II. negatur velut infirma adversus haereticas quasvis potentias: contra

III. adseritur veluti omnimodum fidei stabilimentum: idque declaratur

---

καὶ ἀμετάτρεπτον πίστιν, ἐπιστρέψειν ποτὲ καὶ ὑποστηρίζειν σαλευομένους τοὺς ὁμοταγεῖς αὐτῷ καὶ πνευματικοὺς ἀδελφοὺς, οἷα προνοητικῶς ἐπὶ πάντων αὐτῶν ἐξ αὐτοῦ τοῦ δι' ἡμῶν σαρκωθέντος θεοῦ τὸ κῦρος κεκοσμημένος καὶ τὴν ἱερατικὴν αὐθεντίαν.

[1]) Ita rursum laudatus dorensis praesul in concilio lateranensi 649. sub Martino I. l. c. p. 713. D. *Ἀποστολικὸν θρόνυν, ἔνθα τῶν εὐσεβῶν δογμάτων εἰσὶν αἱ κρηπίδες.*

[2]) Ancorat. n. IX. ap. Mign. gr. PP. t. 43. p. 33. *Ὁ αὐτὸς (ὁ κορυφαιότατος τῶν ἀποστόλων) πάλιν ἀποκαλύπτει τὸ ἅγιον αὐτοῦ Πνεῦμα. Ἔδει τὸν πρῶτον τῶν ἀποστόλων τὴν πέτραν τὴν στερεὰν, ἐφ' ἣν ἡ ἐκκλησία τοῦ θεοῦ ᾠκοδόμηται, καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς· πύλαι δὲ ᾅδου αἱ αἱρέσεις, καὶ οἱ αἱρεσιάρχαι· κατὰ πάντα γὰρ τρόπον* (hoc idem supra dixit) *ἐν αὐτῷ ἐστερεώθη ἡ πίστις, ἐν τῷ λαβόντι τὴν κλεῖν τῶν οὐρανῶν, ἐν τῷ λύοντι ἐπὶ τῆς γῆς καὶ δέοντι ἐν τῷ οὐρανῷ. Ἐν τούτῳ γάρ ἐστι πάντα τὰ ζητούμενα λεπτολογήματα τῆς πίστεως εὑρισκόμενα.*

[3]) Ibidem: *Ὁ ἀκούων παρὰ τοῦ αὐτοῦ· Πέτρε, ποίμαινε τὰ ἀρνία μου, ὁ πεπιστευμένος τὴν ποίμνην ὁ καλῶς ὁδηγῶν ἐν τῇ δυνάμει τοῦ ἰδίου δεσπότου.*

IV. in clavium potestate situm, qua veritatem aperit ac iustitiam decernit, falsitatem excludit iniustitiamque profligat: unde colligitur

V. apud ipsam quarumlibet fidei quaestionum, sive graves illae sive subtiles sint, veram haberi decretoriamque solutionem: non secus ac

VI. apud eandem sedem per Domini virtutem habeantur recta totius dominici gregis gubernacula ac regimen tutum. Sed his aditus nullus nullaque rima ab Epiphanio permittitur dubitandi de romani pontificis dote, qua est ab omni errandi in fide periculo solutus atque inmunis.

226. Neque alio spectant ista seleuciensis Basilii [1]) quibus praedicatur „Petrus Apostolorum coryphaeus, discipulorum Christi primas, mysteriorum, quae a Patre adceperat, accuratus interpres [2]), undarum maris ambulator.„ Atqui adcuratus revelatorum dogmatum interpres Petrus et in romana sede vivit semper et falli non potest. Enimvero scribit [3]) Theodoretus de urbe sedeque romana ad episcopum romanum: „Multis praerogativis ornatur sedes vestra . . . *Basilius.* *Theodoretus.*

---

[1]) In David or. XVII. n. 1. ap. Mign. gr. PP. t. 85. p. 217. *Πέτρος τῶν ἀποστόλων ὁ κορυφαῖος, ὁ τῶν Χριστοῦ μαθητῶν προστάτης, ὁ τῶν παρὰ πατρὸς ἀποκαλύψεων ἑρμηνευτὴς ἀκριβὴς, ὁ τῶν κυμάτων τῆς θαλάσσης ἐπιβάτης.*

[2]) Quibus conferri merentur quae ad Matth. XVI. 16. catechesi XI. n. 3. *κατηχίζων* interpretatur s. Cyrillus hierosolymitanus: *Πάντων δὲ ἀποσιωπησάντων (ὑπὲρ ἄνθρωπον γὰρ ἦν τὸ μάθημα), Πέτρος ὁ πρωτοστάτης τῶν ἀποστόλων, καὶ τῆς ἐκκλησίας κορυφαῖος κήρυξ, οὐχ εὑρεσιλογίᾳ χρησάμενος, οὐδ' ἀνθρωπίνῳ λογισμῷ πεισθεὶς, ἀλλὰ πατρόθεν φωτισθεὶς τὴν διάνοιαν φησὶ πρὸς αὐτὸν· Σὺ εἶ Χριστὸς, οὐχ ἁπλῶς, ἀλλ', ὁ Υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος:* „Omnibus autem reticentibus (humanas enim vires excedebat huiusmodi documentum) Petrus Apostolorum princeps et supremus ecclesiae praeco, non adinvento sermone usus neque humano persuasus ratiocinio, sed immissa menti a Patre luce perfusus dicit ad ipsum: Tu es Christus; neque id simpliciter, sed Filius Dei viventis.„ Sed si Petrus veritatis ecclesiasticae praeco supremus charismate utebatur revelationis paternae ad profitendam nondum patefactam revelationem, quis dubitarit, Petri in eodem munere praeconis supremi successorem post revelationem patefactam charismate uti inerrantiae ad veritatem proponendam? *Cyrill. hieros.*

[3]) Leoni episcopo Romae ep. 113. ap. Mign. gr. PP. t. 83. p. 1314. *Πολλοῖς γὰρ ὁ ὑμέτερος θρόνος κοσμεῖται πλεονεκτήμασι . . . κοσμεῖ δὲ αὐτὴν διαφερόντως ἡ πίστις· καὶ μάρτυς ἀξιοχρέως ὁ θεῖος ἀπόστολος βοῶν ὅτι, Ἡ πίστις ὑμῶν καταγγέλλεται ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ. Εἰ δὲ εὐθὺς δεξαμένη τὰ τοῦ σωτηρίου κηρύγματος σπέρματα, τοῖς ἀξιαγάστοις τούτοις ἐβεβρίθει καρποῖς, τίς ἀπόχρη λόγος τὴν νῦν ἐν αὐτῇ πολιτευομένην εὐσέβειαν εὐφημῆσαι . . . Ὁ δ' ἐκείνων θεὸς καὶ νῦν ἐκείνων ἐλάμπρυνε θρόνον, τὴν ὑμετέραν ἁγιοσύνην ἱδρύσας ἐν τούτῳ τῆς ὀρθοδοξίας τὰς ἀκτῖνας ἀφιεῖσαν.*

Rom. I. 8. Praecipue autem illam fides[1]) ornat, cuius testis idoneus est divinus Paulus clamans: Fides vestra annuntiatur in universo mundo ... Quod si statim post suscepta salutaris praedicationis semina mirabiles hos fructus uberrime protulit, praedicandae quae in ea nunc viget pietati quaenam par esse possit oratio?„ Et exposito decore a Petri et Pauli sepulcris Romae facto concludit: „At illorum sedem nunc etiam illorum Deus illustravit, dum in ea sanctitatem vestram rectae fidei radios fundentem constituit.„ Atque idipsum repetit constantinopolitanis monachis [2]) ita scribens: „Sed et qui nunc magnam Romam regit, rectorumque dogmatum radios ab occasu quaquaversus diffundit, sanctissimus Leo, hancce nobis fidei regulam litteris suis exposuit.„ Atqui radios illos orthodoxiae Leo non diffundebat neque fidei hanc regulam exponebat citra numen illius Spiritus, qui ut doctorem ac pastorem apostolicum in omnem inducturus est veritatem, ita eundem ab omni falsitate iugiter protegit. Ad hoc enim Spiritus adsistentis, ut recepta loquendi formula fert, charisma aperte respicit Theodoretus, quando in epistola priori [3]) dilaudatis magni Leonis dogmaticis ad se datis litteris subdit: „Nos vero spiritualem (a causa efficiente sancto Spiritu) sapientiam tuam admirati, Spiritus sancti gratiam, quae per vos loquuta est, extulimus.„ Qua sententia Theodoreti nihil praeclarius: sistitur enim

1. subiectum cui veritas ac rectitudo dogmatum inest, romanus episcopus: significatur

2. causa veritatis illius ac rectitudinis, sancti Spiritus gratia: et

3. efferuntur fructus ac finis utriusque, nimirum recta fides ac illuminatio vera universi mundi omniumque gentium.

---

[1]) Sed enimvero quale hoc est ornamentum fidei praecipuum prae cunctis urbibus nisi a) fides tuta: tum b) fides pro universa mundo, ut Paulus significat, normalis: adeoque c) fides quae neque augmento neque decremento mutari possit atque desinere?

[2]) Ep. 145. l. c. p. 1383. *Καὶ μὲν δὴ καὶ ὁ νῦν τὴν μεγάλην Ῥώμην ἰθύνων, καὶ τῶν ὀρθῶν δογμάτων τὰς ἀκτῖνας ἐκ τῆς Ἑσπέρας πάντοσε ἐκτείνων ὁ ἁγιώτατος Λέων, τοῦτον ἡμῖν τῆς πίστεως τὸν χαρακτῆρα διὰ τῶν οἰκείων γραμμάτων προσήνεγκεν.*

[3]) Ibid. p. 1316. *Ἡμεῖς δὲ τὴν πνευματικήν σου σοφίαν θαυμάσαντες τὴν δι' ὑμῶν φθεγξαμένην τοῦ ἁγίου πνεύματος ἀνυμνήσαμεν χάριν.*

3. Occidentalium identidem enarratione stabilitur.

227. Haec itaque erat priorum saeculorum in plaga ecclesiae orientali explorata sententia ac communis illustrissimorum Patrum persuasio, eaque non aliunde invecta, sed repetita, quia tradita, nec conficta humanitusque excogitata, sed ab instrumentis deprompta et explicata, quia divinitus illic revelata. Et de occidentalis plagae Maioribus numquid dubitares? Nisi documentis iam adlegatis dubia dispellerentur, ad id satis esse deberent, quae prolixe sanctus prosequitur [1]) Ambrosius nunc inducens Petrum *Ambrosius.* dicentem: „Meum est enim fidem loqui, pietatem asserere, gratiam praedicare„: nunc [2]) illum describens, ut qui „cautus periculum vulgaris opinionis evitat . . . qui [4]) ante reticebat, ut doceret nos, quod impiorum nec verbum debeamus iterare: loci non immemor sui primatum egit, primatum confessionis utique non honoris; primatum fidei [5]) non ordinis. Hoc est dicere: nunc nemo me vincat, nunc meae partes sunt: debeo compensare quod tacui, debet prodesse quod silui. Lingua mea non habet spinas; sine impedimento fides debet exire. Dum alii coenum alienae licet prolatae tamen impietatis evacuant, qui aut Eliam aut Hieremiam aut unum ex prophetis Christum esse dixerunt; habuit enim ista vox coenum, habuit ista vox spinas: dum alii, inquam, hoc lavant coenum; dum in aliis enodantur hae spinae vox nostra filium Dei Christum resultet. Mihi purus est sermo, cui nullas spinas expressa reliquit impietas„: nunc [6]) perenne eiusdem Petri munus declarans „qui respondit pro ceteris Apostolis, immo

---

[1]) De incarnat. domin. sacram. l. un. c. IV. nn. 27. sqq. opp. t. III. pp. 709. sqq.

[2]) Ibid. n. 30.

[3]) Ib. n. 31.

[4]) Ib. n. 32.

[5]) Ita pariter romani pontificis excellentiam distinguunt Valentinianus et *Valentinian.* Marcianus ep. 73. inter leonin. ad archiepiscopum Romae Leonem scribentes: *Ὅθεν ὑπὲρ τῆς εὐλαβοῦς καὶ καθολικῆς θρησκείας τῆς πίστεως τῶν χριστιανῶν, οὗτινος τῇ βοηθείᾳ τοῦ ἡμετέρου κράτους πεποίθαμεν ἰθύνεσθαι τὴν δύναμιν, τήν τε σὴν ἁγιωσύνην ἐπισκοπεύουσαν καὶ ἄρχουσαν τῆς θείας πίστεως ἱεροῖς γράμμασιν ἐν πρώτοις δίκαιον ἡγησάμεθα προσειπεῖν*: „Unde pro reverenda et catholica religione fidei christianorum, cuius auxiliis virtutem nostrae potentiae confidimus gubernari, tuam sanctitatem principatum in episcopatu divinae fidei possidentem, piis litteris in principio iustum credimus alloquendam.„

[6]) Ibid. n. 33.

prae ceteris; et ideo fundamentum dicitur, quia novit non solum proprium sed etiam commune servare„: nunc [1]) ipsius officii vim potestatemque explicans: „Fides ergo, inquit, est ecclesiae fundamentum: non enim de carne Petri [2]), sed de fide dictum est, quia portae mortis ei non praevalebunt (non praevalebunt scilicet fidei Petri): sed confessio (Petri) vicit infernum„: et nunc [3]) ne quis de perennitate victricis huius praerogativae dubitet, subdit: „Et haec confessio non unam haeresim excludit; nam cum ecclesia multis tamquam bona navis fluctibus saepe tundatur, adversus omnes haereses debet valere ecclesiae fundamentum.„ Atqui non valeret adversus haereses omnes ecclesiae fundamentum, si romanae sedis confessio obnoxia erroris periculo exsistere posset. Auctore ergo magno mediolanensium episcopo fas non est, de inerrantia cathedrae romanae dubitare.

Leo M. 228. Neque fas est auctore magno Leone sive considerentur

1. quae prius [4]) celebravimus: sive

2. haec qua [5]) utitur ratio: „Soliditas enim illius fidei, quae in Apostolorum principe est laudata, perpetua est; et sicut permanet quod in Christo Petrus credidit, ita permanet, quod in Petro Christus instituit„: sive

3. ista quae inferendo [6]) colligit: „Manet ergo dispositio

---

[1]) Ibid. c. V. n. 34.

Cassian. [2]) Non ergo abstracta, ut loqui amant, ac subiectiva, sed concreta et obiectiva Petri fides est ecclesiae fundamentum. Id diserte est apud Cassianum de *Russorum παρερμηνεία.* incarnatione Christi l. III. c. XIV. cui inscribitur: „B. Petri confessionem totius ecclesiae fidem esse.„ De quibus cf. lib. sup. c. IV. ubi pariter occurritur Macarii vinnicens. exceptionibus contra supremam pontificum auctoritatem Scripturarum innixam oraculis. Ab illius autem mente quum, ad rei substantiam quod attinet, vulgares et ad reformatorum sententias expressae interpretationes Theophanis Procopovicii, christ. orthod. theol. t. I. passim, miscellan. sacr. pp. 15. sqq. Eugen. Bulgar. *κατὰ λατίνων στηλιτευτικὴ ἐπιστολή*. ed. Constantinop. 1850. Elias Tantalides, *παπιστικῶν ἐλέγχων*. t. II. pp. 270. sqq. aliorumque minorum gentium vix aut vix quidpiam differant, operam collocaremus inutilem, si singulorum singula illorum speciali rursum examini subiiceremus, maxime quod id sibi laboris inposuerint seduloque Parisiis praestent in stud. relig. histor. et litterar. cum scriptoribus sociis PP. Joannes Martinov. et Gagarin. S. J. cuius cf. opusc. quibus titulus: La Russie sera-t-elle catholique? Les Starovères, l'Eglise russe et le Pape, Réponse d'un Russe a un Russe. Paris, 1860.

[3]) Ibidem.

[4]) Vide sis lib. I. c. 4. pp. 147. 171.

[5]) Serm. III. (al. II.) c. 2.

[6]) Ibid. c. 3.

veritatis, et beatus Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans suscepta ecclesiae gubernacula non reliquit:„ sive

4. casus specimen, cui [1]) illa aptat: „Si quid itaque a nobis recte agitur recteque discernitur, si quid a misericordia Dei quotidianis supplicationibus obtinetur, illius est operum atque meritorum, cuius in sede sua vivit potestas et excellit auctoritas:„ sive tandem

5. ea quibus de vi romani magisterii [2]) statuendo absolvit: „Haec fides diabolum vincit, et captivorum eius vincula dissolvit. Haec erutos mundo inserit coelo et portae inferi adversus eam praevalere non possunt. Tanta enim divinitus soliditate munita est, ut eam neque haeretica umquam corrumpere pravitas nec pagana potuerit superare perfidia.„ Ecquis itaque, liceat interrogare iterum, romanam hanc sedem ausus fuerit unquam accusare violatae corruptaeque orthodoxae fidei ac revelatae veritatis? Ecquis ream erroris falsitatisve arbitratus fuerit ecclesiam, quae cum iniquitate et haeresi nullam patitur coniunctionem, sed traditione veritatis observata irreprehensibilis exsistit, uti in secundo concilio nicaeno scriptum legitur [3]) ab Hadriano pontifice: „Observantes traditionem huius sacrosanctae nostrae romanae ecclesiae: *Nicaenum II.* abiicientes ac respuentes iniquorum atque haereticorum calliditates: ut in huius nostrae sanctae catholicae et apostolicae ac irreprehensibilis romanae ecclesiae ulnis suscipiamini ?„ Et multo prius hoc idem scriptum [4]) a beato Gelasio legitur multoque item *Gelasius.* apertius: „Nisi puris sensibus, inquit, et ab omni nefanda societate beati Petri Apostoli nec possumus nec debemus ecclesiae praebere commercia. Propterea cautius agendum est cum praefato (Acacio) ne catholicis mentibus, ut fiat, apostolicae sedis reconciliatione [5]) subrepat; quam sicut dolosis artibus fallere et circumvenire non praevalet [6]) ita . . . etiam ad vos credimus dirigendam (auctoritatem nostram) quatenus in veritate catholica secundum formam

---

[1]) Ibidem.

[2]) Ibidem.

[3]) Act. II. ep. Hadrian. ad imperatt. ap. Harduin. t. IV. p. 91. coll. ib. p. 102. ep. Hadrian. ad. Taras. patriarch. constantinopolit.

[4]) Ep. 11. ad epp. Dardaniae et Illyrici. ap. Mign. lat. PP. t. 59. p. 59.

[5]) Ideo communio cum romana sede habebatur tessera fidei orthodoxae.

[6]) Quibus manifesta continetur allusio ad illa apud Matthaeum „non praevalebunt.„

traditionis antiquae tenere nos consonam noveritis ubique sententiam.,,

Gelasius. 229. Videlicet ne quis in mentem inducat suam, ut pastoralem romani episcopi vocem erroris falsitatisque vitiis atque periculis obnoxiam iudicet, et superiora faciunt et praeter alia [1]) flagitant haec deprompta ex decreto [2]) Gelasii: ,,Est ergo prima Petri Apostoli sedes, romana ecclesia, non habens maculam neque rugam nec aliquid huiusmodi,,: tum haec ex formula praescripta [3]) *Hormisda.* ab Hormisda pontifice: ,,Sequentes in omnibus apostolicam sedem et praedicantes eius omnia constituta, spero ut in una communione vobiscum, quam sedes apostolica praedicat, esse merear, in qua est integra et vera christianae religionis soliditas.,, Porro sub*Orientales episcopi.* scripsere formulae huic veluti fidei regulae omnes episcopi orientis, imperator Justinianus, patriarchae constantinopolitani, Epiphanius, *Synod. VIII.* Joannes et Menna, denique in concilio oecumenico octavo [4]) Patres graeci non minus ac latini.

230. Sed ita pariter in Agathonis ad imperatores epistola [5]), qua romanus episcopus non modo praedicat ,,rectitudinem suae apostolicae fidei,, verum sic adhortatur ac monet: ,,Eximenda proinde ac summis conatibus cum Dei praesidio liberanda est sancta Dei ecclesia christianissimi vestri imperii mater de talium doctorum erroribus: et evangelicam atque apostolicam orthodoxae fidei rectitudinem, quae fundata est super firmam petram huius beati Petri Apostolorum principis ecclesiae, quae eius gratia atque praesidio ab omni errore illibata permanet, omnis praesulum numerus ac sacerdotum, cleri ac populorum, unanimiter ad placendum Deo animamque salvandam, veritatis formulam nobiscum confiteatur et praedicet.,, Atqui hanc ponti*Synod. VI.* ficis epistolam sexti concilii Patres susceperunt adclamantes, per Agathonem fuisse Petrum loquutum. Tantum ergo abest, ut

---

[1]) Attulimus sententias non paucas ab ecclesia sancitas in eaque universim receptas lib. priore c. IV. n. VI. pp. 124. sqq.

[2]) Decret. de Script. canon. et apocryph. ed. in conc. rom. a. 494. ap. Denzing. enchirid. symbol. n. 140.

[3]) Formula episcopis orientis schismatis acaciani participibus praescripta ap. Denzing. l. c. n. 141.

[4]) Act. I.

[5]) ,,Dominis piissimis et serenissimis victoribus ac triumphatoribus carissimis filiis amatoribus Dei et Domini nostri Jesu Christi, Constantino maiori imperatori, Heraclio et Tiberio Augustis Agatho episcopus servus servorum Dei,, ap. Harduin. t. III. pp. 1078. 1110.

praerogativam singularemque dotem, qua ab errore ac quavis falsitate inmunis exsistit romana ecclesia, vel ipsa sibi arrogarit vel sola sibi vindicarit, ut eidem illam prioribus ecclesiae saeculis et totus adseruerit occidens et oriens simul totus haud semel concesserit ac communi omnium plausu confirmarit.

4. Posteriorum maxime graeciae doctorum mens.

231. Neque satis. Eandem namque doctrinam sequiori porro aetate non minus in plaga orientali quam occidentali scholae praeformatores atque theologi adsertam iugiter servabant. Testis pro orientali parte luculentus est sanctus Joannes Damascenus, *Damascenus.* qui vestigia legit Maiorum et lumina praebet sequentibus. Is autem [1]) praedicat: „Petrum Apostolorum illum coryphaeum, firmum fundamentum, infractam petram; scopulum prominentem ecclesiae, portum tranquillum, turrim minime labantem . . . eum qui (quum laberetur) ecclesiae curam succepturus [2]) erat, (qua suscepta) illud columen ecclesiarum, illum fidei portum, illum orbis terrarum magistrum.„ Quae si omnia apta sint ad adseren=

[1]) Sacra parallela opp. t. II. pp. 591. sq. *Πέτρον ἐκεῖνον τὸν κορυφαῖον τῶν ἀποστόλων, τὴν κρηπῖδα τὴν ἀσάλευτον, τὴν πέτραν τὴν ἀῤῥαγῆ, τὸν περίβολον τῆς ἐκκλησίας, τὸν λιμένα τὸν ἀχείμαστον, τὸν πύργον τὸν ἀσάλευτον . . . Πέτρος ὁ στύλος . . . ὁ τὴν ἐκκλησίαν μέλλων πιστεύεσθαι, ὁ στύλος τῶν ἐκκλησιῶν, ὁ λιμὴν τῆς πίστεως. Πέτρος ὁ διδάσκαλος τῆς οἰκουμένης.*

[2]) Haec repetit hom. in sabbat. sanct. n. XXXIII. ib. t. II. n. 830. Quum *Pius IX. et orientales.* s. Joannes Damascenus, uti ex patrologia compertissimum est, antiquarum orientalis ecclesiae doctrinarum accuratissimus explorator sit, interpres ac recapitulator, nihil est manifestius, quam a vetere illius ecclesiae, constanti unanimique doctrina de Petri romanaeque sedis praerogativa, quatenus illa sempiterna ecclesiae catholicae petra fundamentalis est, recentiorem orientalium sententiam plane abesse. Diversitas haec, quae ex sese notam falsitatis praefert, iudicium itidem determinat de illis ferendum monumentis, quae diversam opinionem tuentur. Atque eo faciunt pleraeque omnes responsiones, quas non pauci e graecis reposuerunt beatissimi Domini nostri Papae Pii noni encyclicis litteris ad orientales propterea datis, ut ad pastorem suum redirent: cuiusmodi omissis aliis potissimum censentur Marcoran. *ἐπιστολιμαία ἀπάντησις εἰς τὴν πρὸς τοὺς ἀνατολικοὺς ἐπιστολὴν τοῦ πάπα:* Constantii ter patriarch. constant. Réponse de l'église orthodoxe d'Orient à l'encyclique du pape Pie IX. atque *ἐγκύκλιος* Anthimi, patriarchae constantinop. una cum reliquis tribus orientalibus patriarchis eorumque synodis, adeo ut tota orientalium ecclesia repraesentata videretur. Cui quidem, uti par erat, sua facta confutatio tum Vindobonae opere edito 1854. apud armenicum Mechitaris collegium, tum vero praeclare Romae articulis periodicis civilitatis, quam vocant catholicae, nec non Venetiis a Joanne Petro Secchi operis de cathedra alexandrina s. Marci p. V. c. 2. pp. 298. sqq. Breve confutazione dell' Enciclica del signor Antimo attual patriarca foziano di Costantinopoli, e d'altre scritture dei Foziani responsive all' Enciclica del sommo Pontefice regnante Pio IX. diretta agli orientali.

dam Petri infallibilem vim, tum illud nominatim advertendum, quod et adfirmando dicitur firma et negando infracta petra: iterumque adfirmando perhibetur scopulus prominens et negando turris minime labans. Quibus addi ea merentur, quae idem de Petri confessione [1]) pro concione disserit: „Haec est, inquiens, firma illa et immota fides, super quam veluti petram ecclesia fundata est, cuius tu (Petre) merito cognomentum geris. Adversus hanc inferorum portae, haereticorum ora, daemonum organa impetum quidem facient [2]) sed non praevalebunt: assument arma sed non

Qui Romae resistit, in suam perniciem.

expugnabunt. Sagittae parvulorum [3]) factae sunt et erunt plagae eorum: infirmabuntur linguae eorum et contra ipsos erunt. In

Ps. LXIII. 8.

suam enim perniciem arma fabricatur qui resistit veritati. Hanc ille suo cruore comparavit, tibi vero uti fidissimo famulo concredidit. Hanc precibus tuis ab omni perturbatione et procella immunem serva. Nam quod numquam evertenda labefactandaque sit aut expugnanda, plane confidimus: cum Christus hoc affirmaverit, per quem coeli firmati sunt terraque constabilita et inconcussa manet. Verbo etenim Domini coeli firmati sunt, inquit [4]) Spiritus

Ps. XXXII. 6.

sanctus. Verum id petimus, ut tempestas sedetur paxque tranquilla nobis ac fluctuum expers concedatur. Hoc tu a Christo supplex contende, qui immaculatus ipsius sponsus est, qui te

---

[1]) Hom. de transfigurat. Dom. n. VII. ibid. p. 795. sqq. *Αὕτη ἡ πίστις ἡ ἀκλινὴς καὶ ἀκλόνητος, ἐφ᾽ ἣν ὡς πέτραν ἡ ἐκκλησία ἐστήρικται, ἧς ἐπαξίως ἐπώνυμος γέγονας. Ταύτης ᾅδου πύλαι, αἱρετικῶν στόματα, γαιμόνων ὄργανα, καταδραμοῦνται μὲν, ἀλλ᾽ οὐ κατισχύσουσι· καθοπλίσονται, ἀλλ᾽ οὐκ ἐκπορθήσουσι, βέλος νηπίων αἱ πληγαὶ αὐτῶν γεγόνασί τε καὶ ἔσονται. ἀσθενήσουσιν αὐτῶν αἱ γλῶσσαι, καὶ ἐπ᾽ αὐτοὺς ἔσονται. καθ᾽ ἑαυτοῦ γὰρ τεύχει κακὸ ὁ τῇ ἀληθείᾳ ἀντικαθιστάμενος. ταύτην αὐτὸς μὲν οἰκείῳ ἐκτήσατο αἵματι, σοί δὲ ὡς πιστοτάτῳ ἐγχειρίζει θεράποντι. ταύτην ἀκλόνητον, καὶ ἀκύμαντον σαῖς λιταῖς διαφύλαξον· ὅτι μὲν γὰρ οὐ περιτραπήσεται πώποτε, οὐ σεισθήσεται, οὐ πορθηθήσεται, ἀσφαλὴς ἡ πεποίθησις. Χριστὸς ἔφη, δι᾽ οὗ οὐρανὸς ἐστερέωται, γῆ δὲ ἥδρασται, καὶ μένει ἀκράδαντος, τῷ γὰρ λόγῳ κυρίου οἱ οὐρανοὶ ἐστερεώθησαν, ἔφη τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· ἀλλ᾽ αἰτοῦμεν πραϋνθῆναι τὸν κλυδῶνα, καταθραυσθῆναι τὸν τάραχον, καὶ εἰρήνην γαληνιαῖαν βραβευθῆναι ἡμῖν καὶ ἀκύματον. τοῦτο Χριστὸν καθικέτευσον, τὸν ταύτης νύμφον τὸν ἄχραντον, τόν σε κλειδοῦχον τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν χειροτονήσαντα, τὸν τὸ δεσμεῖν καὶ λύειν εὐθύνας σοι χαρισάμενον, ὃν θεηγόρῳ στόματι, ζῶντος θεοῦ υἱὸν ἀψευδῶς ἀνεκήρυξας.*

[2]) His confer quae Damascenus scribit epistola ad Theophilum imperatorem opp. t. I. pp. 645. sq. de invicta ecclesiae constantia.

[3]) Ps. LXIII. 8.

[4]) Ps. XXXII. 6.

coelestis regni clavigerum creavit, qui tibi ligandorum solvendorumque peccatorum potestatem dedit, quem tu divino ore Filium Dei vivi vere praedicasti.„ At vero

1. quemadmodum heic data opera, ut aiunt, Petri eiusque successorum adversus fidei hostes insuperabilis constantia effertur; ita *Aetas praeverten schisma.*

2. invariata eius in proponenda fide veritas significatur; idque

3. non citra manifestam allusionem ad enarrata superius verba Lucae, quibus Christus vi suae orationis Petro in cribrationibus satanae firmitatem promisit, quam rursum fratribus suis aeque cribrandis communem facere deberet.

232. Quae si ad rem desiderandum nihil relinquunt, ut de genuina orientalium mente hac in causa pro ea constet aetate, quae schisma ἀμέσως praevertit; nihil profecto exigi praeclarius illis potest, quae vix coepto schismate „Basilius legatus imperatoris graeci et Joannes metropolita Cappadociae„ coram romana synodo „concordi voce[1]) dixere: Devotissimus filius vester imperator Basilius et patriarcha munere vestro restitutus Ignatius, dum ecclesia constantinopolitana per interventum invasorem Photium propulisset, in archivo eius librum summa falsitate congestum contra ingenium sanctae romanae ecclesiae sanctissimique papae Nicolai reperere. Quem bullatum, quasi vere contagiosum a sua urbe penitus propulere, vobisque utpote summo capiti, cui Christus coelo terraque solvendi atque ligandi potestatem tribuit, misere. Quem precamur suscipientes rimamini et fraudulentiam, quam insontibus constantinopolitanis noster versipellis Photius inferre potuit, ex eo quod in hanc sanctam romanam ecclesiam non habentem maculam neque rugam aut aliquid huiusmodi, audacem linguam exacuit, prorsus advertite: et quid ecclesiae Dei de hoc latrocinio sit sentiendum, quod sub nomine synodi furtim ab eo confectum est, palam omnibus promulgate.„ Sed haec complectuntur praeter romanae sedis vindicias, praeter photianorum condemnationem et eorundem adhibitas fraudes[2]) tum disertam de romani pontificis primatu sententiam tum disertam de romanae ecclesiae iugi integritate declarationem: quae omnia eo facienda maioris, quod a

Schisma oboriens. *Graeci legati.* *Tradunt Photii contra rom. sedem libellos.* *Romanam flagitant sententiam.*

[1]) Vide ap. Anastas. biblioth. de vit. rom. pont. CVIII. Hadrian. II. p. 227.

[2]) Inter has adnotandus liber ipsis constantinopolitanis legatis auctoribus pessimus, a Photianis contra sedem romanam conscriptus.

graecis et quidem tum ab iis fuerint prolata, quum primum Photius schismati daret originem. Referunt ergo doctrinam consensionemque ecclesiae orientalis antiquam et iugem adeoque veram; id enim verum quod antiquius.

Aetas labentis schismatis.

233. At vero neque praeclarum minus illud est, quod pro epocha labentis iam schismatis ex eadem Maiorum suae gentis

Georg. trapez.

sententia scripsit [1]) Georgius trapezuntius praeter alia haec disputando adfirmans: „Credendum siquidem est, fieri non posse, ut Romana ecclesia, quae prima est et per quam universalis ut una sit habet, in haeresim labatur. Etenim si et ipsa cum haereticis aberraverit, in quamnam unam et sanctam nos christiani credemus? Necesse enim omnino erat, nobis tradi divinitus ecclesiam firmam, minime lubricam, et quae in pietatis dogmatibus falli non posset, ut haberemus ab haereticis vexati sive etiam nos ipsi addubitantes, quo possemus confugere. Haec vero est Romana. Audiamus Christum Servatorem: Tu es Petrus, inquit, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Portas hic inferi haereses vocat, ut cuncti doctores una sententia a Spiritu illis communicata, interpretati sunt.„ Teste ergo trapezuntio apud orthodoxam suae gentis antiquitatem explorata semper res erat, cathedram romanam non posse a veritate deficere neque ab apostolica fide excidere; quae quidem res explorata compertaque ita erat, ut eam tenendam credendamque perhiberent, utpote unanimi innixam Maiorum sententia [2]) quam hi concordi interpretatione e divinis litteris hausissent.

---

[1]) De process. Sp. s. et de una, sancta, catholica ecclesia, divinis hominibus qui in Creta insula sunt, hieromonachis et sacerdotibus n. 12. ap. Leon. Allat. Graec. orthod. t. I. pp. 563. sqq. *Ἀδύνατον γὰρ εἶναι πιστεύειν χρὴ αἱρέσει περιπεσεῖν τὴν τῆς Ῥώμης ἐκκλησίαν πρώτην οὖσαν, ᾗ τὸ μίαν εἶναι ἡ καθολικὴ ἔχει. Εἰ γὰρ καὶ αὔτη νοσήσει τὰ τῶν αἱρετικῶν, εἰς ποίαν μίαν τε καὶ ἁγίαν πιστεύσομεν οἱ Χριστιανοί. Ἔδει δὲ πάντως μίαν ἡμῖν δοθῆναι θεόθεν ἐκκλησίαν, ἀσφαλῆ, βεβαίαν, μὴ δυναμένην πλανηθῆναι ἐν τοῖς τῆς εὐσεβείας δόγμασιν, ἵν᾽ ἔχωμεν διωκόμενοι παρὰ τῶν αἱρετικῶν ἢ καὶ αὐτοὶ ἀμφισβητοῦντες ποῖ καταφύγωμεν. αὕτη δέ ἐστιν ἡ τῆς Ῥώμης. Ἀκούσωμεν τοῦ σωτῆρος Χριστοῦ. Σὺ εἶ Πέτρος, φησὶ, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν, καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς. Πύλας δὲ ᾅδου τὰς αἱρέσεις λέγει, ὡς πάντες οἱ διδάσκαλοι μιᾷ γνώμῃ τῇ παρὰ τοῦ πνεύματος ἐξηγήσαντο.*

Scriptores russiaci.

[2]) Constans haec et universalis Maiorum suae orientalis ecclesiae doctrina incomperta fuisse dicenda est cum aliis russiacis scriptoribus, quos Dr. A. Pichler op. c. t. II. pp. 305. sqq. laudat, tum Alex. Stourdzae in suis de doctrina et spiritu ecclesiae orthodoxae considerationibus, Paris. 1860. nec non Mouraviievio in op. de quaestione religiosa orientem inter et occidentem Moscov. 1856. quum

VI. Authentica de romana infallibilitate iudicia.

234. Neque aliam profecto in tota semper occidentali ecclesiae parte doctrinam fuisse sentiendique expressam rationem, monumenta quae in medium deprompta fuerunt universa demonstrant. Quare nihil, quod novum vel inauditum fuisset, statuit declaravitque Sixtus quartus, quum septimam hanc damnavit [1]) magistri Petri oxomensis propositionem: „Ecclesia urbis Romae errare potest.„ Cuius quum [2]) contradictoria, ut apud logicos est, tenenda propositio sit, ex animo confitearis oportet: „Ecclesiam urbis Romae errare non posse.„ Sed novum erat et alienum ab antiqua ecclesiae sententia, quod Alexander octavus [3]) damnavit: „Futilis et toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra concilium oecumenicum auctoritate, atque in fidei quaestionibus decernendis infallibilitate.„ Atque adeo sincere et ex corde tenenda sententia contradictoria: „Neque futilem neque convulsam toties esse assertionem de Pontificis Romani in fidei quaestionibus decernendis infallibilitate.„ Quemadmodum pariter ab omni sana ecclesiae antiquitate erat alienum, quod clerus gallicanus complectebatur [4]) articulo quarto: „In fidei quoque quaestionibus praecipuas summi Pontifici esse partes, eiusque decreta ad omnes et singulas ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse iudicium nisi ecclesiae consensus accesserit.„ Quod quum reiectum fuerit ab Innocentio undecimo [5]), Alexandro octavo [6]), Pio sexto [7]) sicut a

Sixtus IV. *Alexander VIII.* *Innocent. XI.*

allatis veterum graecorum sententiis atque decretis opposita plane tam adfirmando quam negando comminiscuntur sive de hierarchia ecclesiastica sive de suprema ecclesiae auctoritate sive de capite ecclesiae eiusdemque iuribus et attributis. Sed de his satis superius statuimus.

[1]) Propp. damn. an. 1479. uti scandalosae et haereticae cf. enchirid. symbol. et definit. ap. Henric. Denzing. Wirceburg. 1856. ed. III. p. 217. n. 616.

[2]) Hac in re, quod tamen putidum apud cultos homines censeres, nunc plurimum peccant, qui de proscriptarum a Pio IX. die 8. Decembris 1864. 80. propositionum syllabo disserentes scribentesque non contradictorias sed contrarias sententias auctoritate pontificia tenendas esse opinantur.

[3]) Inter propositt. 31. prohibit. 7. Decemb. 1690. propos. 29. ap. Denzing. l. c. n. 1186. p. 345.

[4]) Ibid. n. 1191. p. 347.

[5]) Die 11. April. 1682.

[6]) Die 4. August. 1690.

[7]) Die 28. August. 1794. ap. Denzing. l. c. n. 1461. p. 418. ubi Pius laudatis suorum praedecessorum actis, quibus placita gallicani conventus „pro apostolici sui muneris ratione inprobarunt, reciderunt, nulla et irrita declararunt„

Pius VI.

plerisque illius auctoribus [1]) et ab ipso Ludovico decimo quarto revocatum est, contradictoria illi doctrina tenenda: „Summi Pontificis irreformabile esse iudicium, licet ecclesiae consensus non accesserit.„

235. Atqui hoc ipsum erat, quod perfecta consensione orientis occidentisque doctores semper et *θετικῶς* praedicarant, et *ἐξηγητικῶς* erant commentati, et *πολεμικῶς* adseruerant: sed insuper hoc ipsum erat, quod iidem illi *ἱστορικῶς* ipsoque facto semper exstitisse nunquam non probarant, quodque *πρακτικῶς* continuo usu admissisque necessariis suis consectariis cohaerentes sibi sibique iugiter constantes confirmarant.

VII. Antiqua infallibilitatis romanae traditio historicis expressa sententiis quaeque theoretica vocatur.

236. Sane quod ad primum illud attinet, post ea quae probata dedimus notius est, quam ut pluribus demonstrari rursum debeat, hanc resonare repetique a prima antiquitate atque deinceps vocem perennem, historice nunc negantem [2]) ad romanam ecclesiam errorem habuisse unquam accessum, et nunc historice adfirmantem illam ecclesiam, quam Petrus Romae fundavit, firmam in fide absque macula et ruga semper constitisse, et eiusdem adeo
Rom. I. 8. ecclesiae romanae fidem esse, quae doctore Paulo [3]) „annuntiatur in universo mundo:„ fidem illius salutare esse [4]) totius mundi evangelium, esse proinde et fidem et fidei normam catholicam.

---

ita pergit: „Multo fortius exigit a nobis pastoralis sollicitudo, recentem horum factam in synodo (pistoriensi) tot vitiis affectam adoptionem velut temerariam, scandalosam ac (praesertim post edita praedecessorum nostrorum decreta) huic apostolicae sedi summopere iniuriosam reprobare ac damnare, prout eam praesenti hac nostra constitutione reprobamus et damnamus, ac pro reprobata et damnata haberi volumus.„ Quum itaque a praesulibus romanis reiecta reprobataque simpliciter et absolute fuerit gallicana propositio, uti iacet ac sonat, quemadmodum dicere mos est, idque etiam post allatas ipsas quas ferunt declarationes Gallorum, incredibile videtur, contendi posse, comprehensam illo articulo doctrinam sententiamve affectam, infectam, immo confectam non esse: cf. Pichler l. c. t. II. pp. 722. sq.

[1]) Litteris datis ad Innocent. XII. 1692.

Christian. Lupus. [2]) Rem habet Christian. Lupus synod. general. decret. t. V. pp. 358. sqq. de s. Gregor. VII. pontif. dictat. schol. in can. XXII. „Quod ecclesia Romana numquam erravit, nec in perpetuum, Scriptura testante, errabit.„

[3]) Rom. I. 8. *Ἡ πίστις ὑμῶν καταγγέλλεται ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ.*

[4]) Expende, quaeso, *τοῦ καταγγέλλειν* ex usu N. T. vim ac proprietatem.

Atque hinc, quod ad *θεωρίαν* non minus quam *πρᾶξιν* attinet, factum est, ut romanae ecclesiae fides norma et regula orthodoxiae haberetur, quam eadem ecclesia toti christianorum orbi praeferret semper semperque omnes ab ipsa acciperent atque etiam repeterent.

237. Ita enimvero legitur diserte in epistola [1]) Theodoreti *Theodoretus.* ad Renatum presbyterum: „Habet enim sanctissima illa sedes ecclesiarum, quae in toto sunt orbe, principatum multis nominibus, atque hoc ante omnia, quod ab haeretica tabe immunis mansit, nec ullus contraria sentiens in illa sedit, sed apostolicam gratiam integram conservavit.„ Neque minus legitur in libello Paulini *Paulinus.* diaconi, quem [2]) Zosimo papae obtulit: „Beatitudinis tuae iustitiam obsecro, Domine Zosime papa venerabilis. Numquam fides vera turbatur, et maxime in ecclesia [3]) apostolica, in qua pravae fidei doctores, ut deprehenduntur facile, ita veraciter puniuntur, ut moriantur in illis, nisi correxerint, quod deterius perpetrarant; ut in illis vera sit fides, quam Apostoli docuerunt et romana cum omnibus catholicae fidei doctoribus tenet ecclesia.„ Similiter legitur in celebri decreto [4]) Gelasii, qui allatis ad probandum *Gelasius.* romanae ecclesiae primatum e sacra Scriptura argumentis concludit: „Est ergo prima Petri Apostoli sedes, Romana ecclesia, non habens maculam, neque rugam, nec aliquid huiusmodi.„ Et ita in praescripta [5]) et ab orientis praesulibus recepta professionis formula adducto pariter Scripturae testimonio infert papa Hormisda: *Hormisda.* „Haec quae dicta sunt rerum probantur effectibus [6]), quia in sede apostolica immaculata est semper servata religio:„ nec servata

---

[1]) Ad Renatum presbyt. ep. CXVI. ap. Mign. gr. PP. t. 83. pp. 1324. sq. *Ἔχει γὰρ ὁ πανάγιος θρόνος ἐκεῖνος τῶν κατὰ τὴν οἰκουμένην ἐκκλησιῶν τὴν ἡγεμονίαν διὰ πολλὰ, καὶ πρὸ τῶν ἄλλων ἁπάντων, ὅτι αἱρετικῆς μεμένηκε δυσωδίας ἀμύητος, καὶ οὐδεὶς τἀναντία φρονῶν εἰς ἐκεῖνον ἐκάθισεν, ἀλλὰ τὴν ἀποστολικὴν χάριν ἀκήρατον διεφύλαξε.*

[2]) An. 417. ap. Aug. opp. t. X. append. pp. 102. sqq.

[3]) Consideres velim, quomodo Paulinus 1. simpliciter romanam denominet ecclesiam apostolicam: 2. neque nomen illi tantum sed Apostolorum rem veritatemque etiam tribuat: 3. quomodo ab eadem in omnibus Apostolorum fides conservanda perhibeatur; et quomodo 4. in illa maxime, primum atque potissimum, fides Apostolorum nunquam turbata turbandaque dicatur.

[4]) De Script. can. et apocryph. ap. Denzing. l. c. p. 47. n. 140. vide sis lib. sup. c. IV. n. VI. p. 129.

[5]) Subscripta ab omnibus orientis episcopis, ab imperatore quoque Justiniano et recepta in concilio oecumenico octavo act. I. cf. Denzing. l. c. n. 141. et lib. sup. l. c.

[6]) Cum his cf. allatas superius passim orientalium sententias.

utcunque, verum uti convenit sedi apostolicae, cuiusmodi praedicatur [1]) romana ecclesia „in qua est integra et verax christianae religionis soliditas.„ Scilicet indicatur nexus perpetuus romanae infallibilitatis cum perpetuo ipso eiusdem romanae ecclesiae primatu, quo pontifex idemque Petri successor fundamentum est, cui totius visibilis ecclesiae moles incumbit.

238. Id quod e graecis rursum laudatus frequenter trape-
Georg. trapez. zuntius Georgius [2]) contestatur: „Considerandum porro est, quae ex magnis sedibus ac patriarchicis aliquando haeresi dehonestata non fuit. Extra Romanam plane nulla. Id vero numquam illam perpessam fuisse, humanum equidem non est, sed divinum. Virtus [3]) enim illius, qui dixerat, Et portae inferi non prae-
Luc. XXII. 32. valebunt adversus eam, conservavit et conservabit ipsam praeterea maculae et labis expertem, inculpatam, incontaminatam, ab omni haeresi disiunctissimam, rectamque veritatis interpretem. Ob haec omnia, qui ab ea seiungitur, extra catholicam ecclesiam degit.„ Neque alia sententiae firmitate securitateque multo ante illum
Studita. scripserat [4]) sanctus Theodorus studita: „Non dereliquit in finem

---

[1]) Ibid. p. 48.

[2]) L. c. ap. Allat. graec. orthod. t. I. pp. 564. *Σκεπτέον δὲ τίς ποτε τῶν μεγάλων θρόνων καὶ πατριαρχικῶν οὐ κατηκολούθησέ ποτε αἱρέσει. Πάντως οὐδεὶς πλὴν τοῦ Ῥώμης. Τὸ δὲ μηδέποτε τοῦτο παθεῖν, οὐκ ἔστιν ἀνθρώπινον, ἀλλὰ θεῖον· ἡ γὰρ δύναμις τοῦ εἰπόντος, Καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς, ἐφύλαξε καὶ φυλάξειεν αὐτὴν ἄσπιλον, ἄμωμον, ἀμίαντον αἱρέσει, ὀρθοτομοῦσα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας. Διὰ ταῦτα πάντα ὁ μὴ ἀκολουθῶν αὐτῇ, ἔξω ἐστὶ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας.*

Asterius. [3]) Ad eandem virtutem s. Asterius amasen. in ss. Pet. et Paul. hom. VIII. ap. Mign. gr. PP. t. 40. p. 270. attendendum praecipit dicens: *Ἴδωμεν δὲ, εἰ δοκεῖ, πῶς ᾠκοδόμει Πέτρος οὐ λίθοις καὶ πλίνθοις, οὐδὲ ταῖς ἄλλαις ὕλαις ταῖς γεηραῖς· ἀλλὰ λόγοις καὶ πράξεσιν, αἷς ἐνηργεῖτο παρὰ τοῦ πνεύματος*: „Videamus autem, si lubet, qua Petrus ratione aedificaverit, non lapidibus lateribusque vel alia terrena materia, sed sermonibus et actionibus, quas Spiritus exercebat instinctu.„

[4]) Naucrat. fil. l. II. ep. LXIII. ap. Mign. gr. PP. t. 99. p. 1281. *Οὐ καταλέλοιπε τέλεον κύριος τὴν ἐκκλησίαν αὐτοῦ· ἀλλ᾽ ἔδειξεν ἔτι ἔχειν τὴν ἰσχὺν αὐτῆς· κινήσας τοὺς ἀπὸ δύσεως ἀδελφοὺς ἡμῶν, ἔλεγχον τῆς παροινίας τῶν τῇδε, καὶ φωτισμὸν τῶν νυκτομαχούντων τῇ αἱρέσει. Κἂν ἀπεσείσαντο οἱ ἀτεράμονες· κἂν ὀφθαλμοὺς καρδίας οὐκ ἤνοιξαν. Μαρτυρῶ ἄρτι κατενώπιον θεοῦ καὶ ἀνθρώπων· ἑαυτοὺς ἀπέῤῥηξαν τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ, τοῦ κορυφαιοῦ θρόνου, ἐν ᾧ Χριστὸς ἔθετο τὰς κλεῖς τῆς πίστεως· ἧς οὐ κατίσχυσαν ἀπ᾽ αἰῶνος οὐδ᾽ ἂν κατισχύσωσι μέχρι συντελείας πύλαι ᾅδου, τὰ τῶν αἱρετικῶν δηλαδὴ στόματα· ὡς ἡ τοῦ ἀψευδοῦς ὑπόσχεσις. Χαιρέτω οὖν ὁ μακαριώτατος καὶ ἀποστολικὸς καὶ φερώνυμος Πασχάλιος· ὅτι τὸ ἔργον Πέτρου ἐξεπλήρωσε.*

Dominus ecclesiam suam; sed illam vires suas adhuc habere docuit, fratres nostros excitans ab occasu ad reprehensionem temulentiae [1]) nostratium, et illuminationem haeresis noctu dimicantium. Quamquam reiecerunt praefracti, et cordis oculos non aperuerunt. Testor nunc coram Deo et hominibus: seipsos avulserunt a corpore Christi, et supremo verticali throno, in quo Christus claves posuit fidei: adversus quam non praevaluere hactenus nec praevalebunt usque ad consummationem portae inferi, ora scilicet haereticorum: sicut pollicitus est, qui non mentitur. Gaudeat igitur beatissimus et apostolicus et nomine suo dignus Paschalis, quoniam Petri opus adimplevit.„ Erat ergo illud diu ante graecorum schisma apud orientales receptum exploratumque, factum inquam, innixum iure divino quocum illud constanter vinciebant, inmunem semper romanam ecclesiam ab omni haereseos labe fuisse ac futuram esse.

Misera orientalium secessio.

239. Sane hoc una comprobarunt cum occidentalibus simul orientales, quum plaudentibus omnibus in sexto generali concilio [2]) legeretur Agathonis papae epistola dogmatica, qua omissis ad rem aliis plurimis haec continentur: „Vera confessio a Petro de coelis est revelata, pro qua a Domino omnium beatus esse pronuntiatus est Petrus: qui et spiritales oves ecclesiae ab ipso redemptore omnium terna commendatione pascendas suscepit: cuius annitente praesidio haec apostolica eius ecclesia numquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est: cuius auctoritatem, utpote Apostolorum omnium principis semper omnis catholica Christi ecclesia et universales synodi doctrinam amplexi: per quam et probatissima ecclesiae Christi luminaria claruerunt: et sancti quidem doctores orthodoxi venerati atque sequuti sunt, haeretici autem falsis criminationibus [3]) ac derogationum odiis insequuti.„ Et rursus paulo post: „Haec est enim verae fidei regula, quam et in prosperis et in adversis vivaciter tenuit ac

Synodus VI.

---

[1]) Duriora ne ab occidentalibus quidem dicta unquam de orientalibus fuere. Quod vellem illi animadverterent, qui de occidentalium adversus orientales duritie non cessant conqueri.

[2]) Act. IV. ap. Harduin. t. III. pp. 1081. sq.

[3]) Romanae igitur sedis criminationes ac derogationes tam sunt distinctivus haereticorum character, quam eiusdem sedis per fidem communionemque vincula tessera habentur orthodoxiae.

Criminationes in romanam sedem.

defendit haec spiritalis [1]) mater vestri tranquillissimi imperii, apostolica Christi ecclesia: quae per Dei omnipotentis gratiam [2]) a tramite apostolicae traditionis numquam errasse probabitur, nec haereticis novitatibus depravata succubuit: sed ut ab exordio fidei christianae percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi principibus illibata fine tenus permanet, secundum ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, quam suorum discipulorum principi in sacris evangeliis [3]) fatus est.„

240. Haec episcopi orientis in oecumenico coniuncti concilio audierunt, eademque non secus ac reliquas Agathonis normas unanimibus votis plenoque consensionis suffragio et obsequio receperunt. E quibus liquet, quaenam in orientalibus ecclesiae partibus ante photianum schisma de romanae ecclesiae praerogativis

Nicolaus I. sententia exstiterit: scilicet non alia quam exposita a Nicolao primo, quum de causis odii et invidiae graecorum adversus ecclesiam latinam [4]) ad episcopos in regno Caroli constitutos scriberet:

Bulgari. „Volentes quippe nimiumque anhelantes eosdem Bulgaros a beati Petri subiectione subducere, suoque imperio sub praetextu christianae religionis callide subiugare, talia de romana ecclesia non habente maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi praedicant.„ Neque rursum alia quam ab eodem [5]) confirmata legitur in responsis ad consulta Bulgarorum: „Nam et sancta romana ecclesia semper sine macula fuit et sine ruga: nimirum quia ille hanc instiuit,

---

[1]) Genuit enim nos per aquam in Spiritu, quo pariter nos alit ac fovet.

[2]) Hac gratia, de qua pariter studita ac trapezuntius monachi, continetur ipsum infallibilitatis charisma, quod ad sancti Spiritus adsistentiam revocant.

Romana salutis formula. [3]) Adlegat illico ibidem Luc. XXII. Quemadmodum ibidem p. 1130. ad Matth. XVI. provocat subdens: „Evangelicam atque apostolicam orthodoxae fidei rectitudinem, quae fundata est super firmam petram huius beati Petri Apostolorum principis ecclesiae, quae eius gratia atque praesidio ab omni errore illibata permanet, omnis praesulum numerus ac sacerdotum, cleri ac populorum unanimiter ad placendum Deo animamque salvandam veritatis formulam apostolicae traditionis nobiscum confiteatur et praedicet.„ Quibus tandem haec addi merentur, quae ibidem p. 1118. de catholicae atque apostolicae verae fidei lumine „quod ex veri luminis fonte tamquam de radio vivifici fulgoris, per ministros beatos Petrum et Paulum Apostolorum principes eorumque discipulos et apostolicos successores gradatim usque ad nostram parvitatem (scilicet Agathonis) Dei opitulatione servatum est nulla haeretici erroris tetra caligine tenebratum, nec falsitatis nebulis confoedatum nec intermistis haereticis pravitatibus velut caliginosis nebulis perumbratum.„

[4]) Ep. ad Hincmar. LXX. ap. Harduin. t. V. p. 308.

[5]) Respons. CVI. ibid. p. 384.

cuius fidei confessio divinitus exstitit approbata: ad quam videlicet christianitatis fidem, licet eius mysteria consummate nullus intelligere valeat, vobis insinuandam inspirante [1]) Deo, ecce scripta nostra et missos ac diversos codices in patriam vestram destinavimus. Et quousque radices roboris consequamini, vos rigare nullo modo desistemus: et quousque ad solidum perfectionis cibum perveniatis, vos saltem lacte [2]) potare numquam penitus omittemus: nam [3]) gaudium meum et corona mea vos estis in Domino.„

241. Sed neque post photianum schisma obortum et iam consistens alia illa erat, quam ea est, quae a Leone nono [4]) declaratur quaerente a schismatis renovatoribus: „Nonne a sede principis Apostolorum, romana videlicet ecclesia, tam per eundem Petrum, quam per successores suos, reprobata et convicta atque expugnata sunt omnium haereticorum commenta et fratrum corda in fide Petri, quae hactenus nec defecit, nec usque in finem deficiet, sunt confirmata?„ Unde adparet, sive factum consideretur sive ius, adeoque sive inerrantia ac historica ab errore lapsuque inmunitas, sive inerrabilitas ac ipsa inpossibilitas erroris lapsusque spectetur, nihil esse manifestius, quam in unam semper eandemque sententiam vetustos sequioresque ecclesiae Maiores conspirasse [5]) omnes tam in oriente quam in occidente.

S. Leo IX.

Ius et factum.

VIII. Traditio de romana infallibilitate iuridicis comprehensa doctrinis et usibus manifestata quaeque practica dicitur.

242. Quae quidem unanimis omnium consensio eo gravioris momenti est, quod ut a causa effectus, ita prope ab illa velut a norma et a sententia theoretica dependeret semper practica iudicandi et agendi ratio, eademque in tota Dei ecclesia constans, uniformis et universalis: scilicet adeo doctrina de romanae ecclesiae infal-

---

[1]) Intellige rursum de charismate adsistentis sancti Spiritus, de quo plus semel superius et porro infra.

[2]) I. Cor. III. 1.

[3]) Philipp. IV.

[4]) Ep. ad Michael. Cerular. et Leon. Acridan. c. 7.

[5]) Cf. Ballerin. de vi ac ratione primatus c. XIV.

libilitate res erat anticipationis prope communis et ubique [1]) apud ecclesiae filios exploratae. Quodsi cui mirum forte prima fronte videretur, is vellem sine ira ac studio paulo diligentius consideraret rationum momenta, quae pro rei gravitate haud pauca in medium depromenda videbantur. Et ab initio quidem vellem consideraret arctissimam connexionem doctrinae de infallibili sede romana cum aliis iisque etiam capitalibus ecclesiae dogmatibus. Sane consideretur quaeso paulo diligentius

1. Reale inerrantiae romanae vinculum cum ipso ecclesiae charactere.

243. Profecto si res spectetur adcuratius, fugere poterit neminem, ab illo doctrinae capite *ὄντως* pendere, et *λογικῶς* repetitam fuisse *ἀμέσως* quidem ac proxime supremam rationem ecclesiasticae totius *πολιτείας* et *οἰκονομίας*; *ἐμμέσως* vero et ultimo originem ac fontem supremum inde repetendum, vi cuius ecclesia Christi una, sancta, catholica et apostolica verissime exsistit et certissime dignoscitur.

244. Enimvero apostolica ecclesia nulla est [2]) citra revelatam eamque apostolicam doctrinam: catholica nulla est citra rationis obsequium ab omnibus eidem revelatae apostolicaeque doctrinae praestitum: sancta est nulla citra morum culturam a Christo et Apostolis praedicatam ac in ecclesia conservatam iugiter atque promotam: neque una est ulla citra fontem fundamentumque unitatis, a quo illa omnia perfecte in unitate moderantur ac defluunt. Atqui haec omnia et singula obtineri atque constanter indubitateque citra infallibilitatem haberi non possunt: sed eadem omnia et singula constanter haberi obtinerique per romanae ecclesiae episcopum credebantur; huic ergo charisma infallibilitatis inesse, explorata erat ac constans omnium *πρόληψις* propemodum atque certissima hypothesis.

245. Iam vero consideretur praeterea quod

Christian. Lupus. [1]) Huc spectat Christ. Lupus de s. Gregor. VII. dictat. opp. t. V. p. 359. schol. in can. XXII. scribens: „Etenim istam Romanam ecclesiam seu apostolicam sedem non posse in fide labi, constanter admiserunt octo generalia apud graecos celebrata concilia, uti in ipsorum notis est abunde ostensum.„

Suffragium octo conciliorum.

[2]) Vide sis lib. sup. cc. I. II. coll. J. P. Secchi op. c. p. IV. c. 1. pp. 212. sqq.

2. Romana ecclesia velut germana traditionis apostolicae sedes habebatur, quae apostolicam semper traditionem, veritatem ac fidem custodiret, praedicaret atque doceret. Haec iam est Irenaei[1]) de Clemente vox: „Tertio loco episcopatum suscepit Clemens. Hic autem cum beatis Apostolis fuit et cum ipsis vitam semper exegit; atque ab ipsis institutus recentem gerebat traditionis eorum memoriam et praedicationis eorum formam semper habebat in oculis . . . exprimens in eo Apostolorum traditionem, quam nuper ab eis ipse susceperat.„ Haec est repetita sequentium pontificum vox, qua pridem[2]) dicebat Stephanus primus: „Quod accepimus ab Apostolis hoc sequimur„ quaeque porro[3]) resonabat in tertio constantinopolitano oecumenico concilio ab Agathone papa profecta: „Quae regulariter a sanctis atque apostolicis praedecessoribus et venerabilibus quinque conciliis definita sunt, cum simplicitate cordis et sine ambiguitate a patribus traditae fidei conservamus: unum ac praecipuum bonum habere semper optantes atque studentes, ut nihil de eis, quae regulariter definita sunt, minuatur, nihil mutetur vel augeatur, sed eadem et verbis et sensibus illibata custodiantur.„ Ad quae expressa omnino illa deprehenduntur, quibus Nicolaus primus nascente primum photiano dissidio quaestionibus Michaelis imperatoris[4]) satisfacere studuit: „De imaginibus autem, inquit, earumque observationibus, licet nulla necessitas esset scribere, eo quod nostrorum antecessorum venerabilium pontificum sancta sollicitudo catholico ardore succensa multa et valde utilia ecclesiae Dei, profutura instituit; tamen quia frequens iteratio informationis solet venerabiliorem intentionem reddere audienti: ideoque de eisdem pro conservanda unitate populo Dei aliquid exponere curamus. Pristinam itaque sanctorum Patrum traditionem, quam a praedecessoribus nostris beatissimis et orthodoxis pontificibus, qui post beatum Petrum in eius apostolica sede resede-

Clemens I.

Stephanus I.

Agatho.

Nicolaus I.

---

[1]) Adv. haer. l. III. c. 3. coll. Eus. h. e. l. V. c. 6. ap. Coteler. pp. ap. t. I. p. 128. *Τρίτῳ τύπῳ ἀπὸ τῶν ἀποστόλων τὴν ἐπισκοπὴν κληροῦται Κλήμης, ὁ καὶ ἑωρακὼς τοὺς μακαρίους ἀποστόλους καὶ συμβεβκηκὼς* (*συμβεβιωκὼς*) *αὐτοῖς, καὶ ἔτι ἔναυλον τὸ κήρυγμα τῶν ἀποστόλων καὶ τὴν παράδοσιν πρὸ ὀφθαλμῶν ἔχων . . . καὶ ἣν νεωστὶ ἀπὸ* (Niceph. *παρὰ*) *τῶν ἀποστόλων παράδοσιν εἰλήφει.* *Irenaeus.*

[2]) Decreto contra rebaptizantes ap. Denzing. l. c. n. 14. p. 10.

[3]) Agatho ep. dogmat. concil. oecum. VI. ap. Harduin. t. III. p. 1078.

[4]) Ep. IV. data an. 860. ap. Mansi conc. tom. XV. pp. 162. sqq. ap. Mign. lat. PP. t. 119. p. 777.

runt, nobis observandam suscepimus et hactenus immutilatam haec sancta catholica et apostolica tenet ac defendit ecclesia.

246. Verum haec non est pontificum modo, sed vox est antiquitatis universae, quam ephesina oecumenica synodus [1]) efferebat, quum lectis Coelestini litteris „omnes reverentissimi episcopi simul acclamarent: „Hoc iustum iudicium. Novo Paulo Coelestino, novo Paulo Cyrillo (illius in synodo locum tenenti) Coelestino custodi fidei, Coelestino cum synodo concordi, Coelestino universa synodus gratias agit. Unus Coelestinus, unus Cyrillus, una fides synodi, una fides orbis terrarum.„ Atque id cohaeret ex sese intime cum propositione [2]) dogmatica qua profitemur: „Ecclesiam romanam omnium ecclesiarum matrem esse et magistram: Romanum pontificem omnium christianorum patrem et doctorem.„ Etenim aut doctrina ecclesiarum omnium et fides universorum christianorum infallibilis est, et ab omni formidine erroris falsitatisque remota, aut est fallibilis et cum erroris falsitatisque periculo vincta; atqui postremum hoc a mente et ore credentium absit; perinde namque id foret, ac si universa Dei ecclesia aberrare a veritate posset. Ergo primum dicas necesse est. Jamvero hoc probato capite necesse pariter est concedere, magistrum doctrinae omnium et doctorem fidei universorum, episcopum romanum, in docenda veritate infallibilem esse et in custodienda praedicandaque fide apostolica ab omni erroris falsitatisque discrimine inmunem. Haec romanae ecclesiae proprietas, qua certo ac tuto apostolicis inhaeret vestigiis, suprema ratio est, cui innixum tridentinum concilium [3]) hunc statuit canonem: „Si quis dixerit,

Ephesina synodus. *Dogmatica propositio.* *Tridentinum.*

[1]) Act. II. ap. Harduin. t. I. p. 1471. *Πάντες οἱ εὐλαβέστατοι ἐπίσκοποι ἅμα ἀνεβόησαν. Αὕτη δικαία κρίσις· νέῳ Παύλῳ Κελεστίνῳ, Παύλῳ νέῳ Κυρίλλῳ, Κελεστίνῳ τῷ φύλακι τῆς πίστεως, Κελεστίνῳ τῷ ὁμοψύχῳ τῆς συνόδου, Κελεστίνῳ εὐχαριστεῖ πᾶσα ἡ συνόδος· εἷς Κελεστῖνος· εἷς Κύριλλος· μία πίστις τῆς συνόδου· μία πίστις τῆς οἰκουμένης.*

Professiones fidei. [2]) Cf. conc. lateran. IV. c. 2. ap. Denzing. enchirid. symb. n. 358. p. 155. Concil. florent. decret. union. ibid. n. 589. p. 200. Profess. fid. trident. a Pio IV. praescript. ibid. n. 867. p. 294. Profess. fid. graec. praescript. a Gregor. XIII. ibid. n. 871. p. 295. Profess. fid. orient. praescript. ab Urbano VIII. Benedicto XIV. ibid. n. 876. p. 299. Vide sis lib. superior. c. IV. pp. 124. sqq.

[3]) Sess. VII. de baptismo can. 3. coll. de sacramento extremae unctionis cap. 3. „Nec profecto ecclesia romana, aliarum omnium mater et magistra, aliud in hac administranda unctione, quantum ad ea quae huius sacramenti substantiam perficiunt, observat, quam quod beatus Jacobus praescripsit.„ Sed quam ecclesia romana prioribus tribus ecclesiae saeculis tenax fuerit traditionis antiquae vide ap. H. Hageman. l. c. p. 297.

in ecclesia Romana, quae omnium ecclesiarum mater est et magistra, non esse veram de baptismi sacramento doctrinam, anathema sit.„ Sed hinc nexum est, quod deprehenditur

3. Romanae sedis doctrina velut forma veritatis.

247. Scilicet manifesta adparet ratio, ob quam romanae ecclesiae fides atque doctrina existimata semper fuit[1]) instar regulae veritatis orthodoxae ac veluti forma professionis catholicae et apostolicae. Ita rursus Agatho[2]) in laudata pluries dogmatica epistola „expensis, ait, spiritalibus ulnis optantes atque exhortantes eos in orthodoxae fidei unanimitate remeantes amplecti eorumque conversionem ad integram othodoxae fidei rectitudinem praestolantes: quatenus beati Petri Apostoli, cuius licet indigni ministerio fungimur et traditionis formulam praedicamus.„ Inde gravissime[3]) exhortatus imperatores, ut suum tuendae fidei officium adimplerent„ nos ipsi, inquit, pro suscepto verae praedicationis ministerio vel praesumptione christianae religioni contraria, dum ad iudicandum (Christus) advenerit, reddituri sumus rationem, nobisque, quod suppliciter exoro, liceat apostolicam atque evangelicam rectae fidei regulam, ut ab exordio percepimus, inconfuse et libere cum simplici puritate integram atque illibatam servare.„ *Agatho.*

248. Quibus simillima plane ad Tarasium constantinopolitanum patriarcham[4]) scripsit Hadrianus papa: „Cui, inquiens, Petri scilicet sedi, si adhaerere cupit vestra sanctitas, et nostrae apostolicae sedis, quae est caput omnium ecclesiarum Dei, sacram et orthodoxam formam incorrupte et incontaminate ex profundo cordis[5]) et sinceritate mentis custodire studet, ut revera orthodoxa et Dei cultrix consistens, hoc primum omnipotenti Deo offerat sacrificium, ut ex persona nostra praedictorum piissimorum et a *Hadrianus I.* *Rom. X. 10.*

---

[1]) Praeclare hanc ecclesiae romanae praestantiam ex historia trium priorum saeculorum ostendit atque graphice descripsit H. Hagemann. op. cui titulus: „Die Römische Kirche und ihr Einfluss auf Disciplin und Dogma in d. ersten 3. Jahrhundert. Freiburg in Breisgau 1864.„ vide sis prae ceteris pp. 624. sqq. 690. sqq.

[2]) Lecta in concil. oecum. VI. ap. Harduin. t. III. p. 1111. B. Coll. Irenaeo et Eusebio de Clemente romano l. s. c.

[3]) Ibidem p. 1114. E.

[4]) Epistola lecta in secundo nicaeno concilio oecumenico act. II. ap. Harduin. t. IV. p. 102.

[5]) Secundum Paulum Rom. X. 10. „Corde enim creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem.„

Deo coronatorum magnorum imperatorum sublimia vestigia obsecret, et ut in conspectu Dei per terribile illos adiuret iudicium, ut sacras imagines in ipsa Deo conservanda et regia urbe et in omni loco in antiquum statum restituere et stabilire iubeant.„ Quibus lectis Patres coadunati plenissimis votis atque suffragiis consensionem praebebant.

249. Concors ergo erat tam orientalium quam occidentalium persuasio [1]) atque doctrina, quod a romana beati Petri cathedra servatur apostolica fidei catholicae regula atque secura orthodoxiae praebetur amussis, adeo ut ex illa forma catholica fides eaque sola penitus orthodoxa, fides vocetur [2]) romana: „Hic est, inquit [3])

Augustinus. Augustinus, mediolanensis Ambrosius, quem magister tuus Pelagius tanta praedicatione laudavit, ut diceret: In libris eius praecipue fidem lucere Romanam.„ Iamvero cathedra, quae suopte ingenio ac iure iugiter praeferat et indubitatam constanter suppeditet apostolicam catholicae fidei normam, ea praedita existimetur oportet dote ac charactere inmobilitatis superhumanae atque coelestis, quae inerrantiam infallibilitatemque complectitur. Quare ut ab adferendis pluribus abstineamus, pronum est inferre, communi totius antiquitatis persuasione cathedram pontificiam ab errorum periculis inmunem existimatam fuisse. Neque minus clare ac perspicue idem patet, si consideretur

4. Romana sedes veluti praeformatrix iudiciorum fidei.

250. Factum enim constans illudque non minus solemne est quam illustre, quo exploratum novimus, inde a Petro romanae ecclesiae pontifices id, quod sui officii ac muneris pastoralis du-

---

Haereticorum suffragium.

[1]) Id erat universim adeo exploratum, ut teste Eusebio h. e. l. V. c. 32 vel ipsi Artemonitae, quos sequebatur deinceps Paulus samosatensis, apostolicam sui dogmatis veritatem a romanae ecclesiae traditione probarent: „*Φασὶ γὰρ τοὺς μὲν προτέρους ἅπαντας καὶ αὐτοὺς τοὺς ἀποστόλους παρειληφέναι τε καὶ δεδιδαχέναι ταῦτα ἃ νῦν οὗτοι λέγουσι, καὶ τετηρῆσθαι τὴν ἀλήθειαν τοῦ κηρύγματος μέχρι τῶν Βίκτωρος χρόνων ὃς ἦν τρισκαιδέκατος ἀπὸ Πέτρου ἐν Ῥώμῃ ἐπίσκοπος*: „Affirmant enim, inquit, priscos quidem omnes et ipsos Apostolos ea, quae ab ipsis nunc dicuntur, et accepisse et docuisse: ac praedicationis quidem veritatem esse custoditam usque ad Victoris tempora, qui tertius decimus a Petro Romae urbis episcopus fuit.„

Eusebius.

[2]) De his dictum est data opera lib. sup. c. I. n. III. pp. 7. sqq. coll. J. P. Secchi „La cattedra Alessandrina di s. Marco evangelista e martire. Venezia, 1853.„ p. IV. c. 2. p. 220.

[3]) Con. Julian. l. I. n. 30.

cerent, ut fratres firmarent [1]) in fide, explesse maxime oblata fidelibus vera animarum βρώσει [2]) quod est verbum Dei revelatum, adeoque praemonstrata fide fideique propositis formulis orthodoxis. Sicut namque Petrus in Apostolorum [3]) concilio Hierosolymis congregato primus suam dixit sententiam, qua libertatem gentilium a iugo legis adsereret, idque ea auctoritate stabiliret, qua nulla hac de causa disceptatio reliqua amplius esset: et sicut ipse iterum [4]) omnium primus per visionem coelitus inmissam consilium vocandi adlegendique iam directe inmediateque gentes concepit, idemque iudicii instar rati accipiendum αὐθεντικῶς omnibus indixit; ita Petri in romana cathedra successores sententia sua deinceps praevertendo stabiliverunt ecclesiastica pastorum atque doctorum iudicia et apostolicis suis declarationibus vel ipsas praeformarunt definitiones generalium conciliorum.

Petrus. *Act. XV.* *Act. X. sq.* *Antiqui successores Petri.*

251. Et re sane vera quis dubitaverit, romanos pontifices primos fuisse, qui capitalia rei christianae dogmata solemnius praefiniendo stabilirent? Capita, inquam, de Christi Jesu divinitate lata in Theodotum Artemōnemque sententia, de mysterio Trinitatis [5]) personarum lata sententia [6]) in Praxeam, de Filio ὁμοουσίῳ [7]) Patri declarata innocua Dionysii alexandrini doctrina, de μοναρχίᾳ in Trinitate proscripto [8]) tritheitarum polytheismo, de ecclesiae potestate omnia remittendi peccata peremptorio [9]) Zephirini iudicio dicto in montanianam disciplinam, et similiter [10]) de sacramenti valore a sanctitate ministri minime pendente reiecta Cypriani Fir-

Proscriptae haereses.

---

[1]) Cf. explicata suo superius loco de Luc. XXII. 32.

[2]) Joann. VI. 27. sqq.

[3]) Act. XV.

[4]) Actt. X. XI.

[5]) Ap. Euseb. h. e. l. V. c. 28. De his pariter egregia habet H. Hagemann. op. cit. pp. 128. sqq. 131. sqq. 439. 444. sq. 450. sqq. licet singulis clari viri iudiciis de vetustissimis ecclesiae scriptoribus subscribere non omnino valeamus.

[6]) Cf. Tertull. c. Prax. ab. init.

[7]) Singulari studio haec prosequitur s. Athanasius l. de sent. Dionys. al. de decret. nicaen. syn. nn. 25. sqq. de synod. nn. 43. sqq.

[8]) Athanas. de decret. nicaen. synod. n. 26.

[9]) Tertull. de pudicit. c. 1.

[10]) Coll. epp. 70. sqq. Cypriani et Firmiliani, quibuscum erat, uti etiam praecedens cum Montanianis ac porro Novatianis, quaestio ἀμέσως quidem disciplinaris; sed dogmatica erat hypothesis, quae eadem postea Donatianorum fuit. Illa ergo a Cornelio pontifice reiecta, fanatica circumcellionum haeresis diu ante praedamnata exsistebat.

Quaestio et eius hypothesis.

milianique opinione. Sed haec de dogmatibus ab ecclesiae originibus per romanum episcopum praestabilitis satis sunt.

252. Iam de praeformatis conciliorum iudiciis ac definitionibus, quae sequioribus ecclesiae saeculis obtinuere. Atque huius rei eximia habentur specimina in litteris pontificum et inprimis dogmaticis eorundem, quibus generalium conciliorum decisiones praevenirent, suorumque adeo praeeuntium iudiciorum vi rationem ac viam definiendae ab illis causae delinearent atque designarent. „Quae nostro prius ministerio definierat (Dominus), inquit[1]) Leo, *Leo.* universae fraternitatis irretractabili firmavit assensu, ut vere a se prodiisse ostenderet, quod prius a prima omnium sede formatum[2]) totius christiani orbis iudicium recepisset, ut in hoc quoque capiti membra concordent.„ Quae sunt diserta.

253. Verum ad rem pariter nihil praestantius, quam quod ad *Coelestinus.* concilium ephesinum[3]) scripsit Coelestinus papa: „Direximus pro nostra sollicitudine sanctos fratres et consacerdotes nostros, unanimes nobis et probatissimos viros: Arcadium et Proiectum episcopos, et Philippum presbyterum nostrum, qui iis quae aguntur intersint, et quae a nobis antea statuta sunt, exsequantur. Quibus praestandum a vestra sanctitate non dubitamus assensum, quando id quod agitur[4]) videatur pro universalis ecclesiae securitate *Ephesini.* decretum.„ Praestituta ergo a Coelestino erant, quae agenda con-

---

1) Ad Theodoret. episcop. ep. 420. ed. Ballerin. inter epp. Theodoreti ep. CXIII. bis. ap. Mign. gr. PP. t. 83. p. 1319.

Rerum naturae. 2) Considera, quaeso, ipsam phraseologiam: „quod prius formatum„ est praeformatio, ut nos diximus: „quod recipit iudicium„ erat praeiudicatum a prima omnium sede: huius ergo est auctore Leone prior formae iudiciique conceptio. Et id sane convenit cum sedis romanae natura ac φύσει, qua est petra ecclesiae: id flagitat romani episcopi ἐνεργεία ac vis, qua est στηριγμὸς fratrum: adeoque congenitum illud est cum habitu ac σχέσει petrae fundamentalis ad aedificium incumbens, et sustentantis confirmantisque ad sustentatos ac confirmandos. Enimvero molem superstructam praevertat oportet fundamentum ac basis, nec non sustentatrix potestas et actio confirmandos sustinendosque. Verum fides fideique ὁμολόγησις locum petrae habet in aedificio εὐσεβείας, religiosae pietatis, illa fundamenti instar est, qua fratres confirmandi sustentantur: fide ergo praeeat ecclesiam universam, et speciatim praevertat pastores doctoresque ecclesiae romana sedes eiusdemque episcopus necesse est. Id quod pariter colligi evidenter posset cum ex habitu omnium pastoris ad ovile, uti ex illius munere, quo ovibus non minus quam agnis salutaria pascua praebere tenetur, tum ex habitu summi et universalis doctoris ad discipulos cunctos salutari doctrina imbuendos. Sed de his alibi diximus.

3) Vide act. II. ap. Hard. t. I. pp. 2471.

4) En conditionem atque indicium pontificis ex cathedra loquentis.

cludendaque in ephesino concilio; et quae praestituta dedit, ea ab episcopis ob oculos ponebantur. Ita [1]) Proiectus reverentissimus episcopus post adclamationem concilii: „Litterarum, inquit, sancti et venerandi papae Coelestini episcopi formam vestra sanctitas consideret: qui sanctitatem vestram hortatus est, non quasi ignorantem docens, sed tamquam gnaram commonefaciens, ut ea quae et dudum ante definire et nunc in memoriam revocare dignatus est, iuxta communis fidei regulam catholicaeque ecclesiae utilitatem ad finem numeris omnibus absolutum deduci iubeatis.„ Sed neque aliter immo multo praeclarius Firmus Caesareae Cappadociae episcopus [2]) dixit: „Apostolica et sancta sedes Coelestini sanctissimi episcopi, per litteras, quas ad religiosissimos episcopos . . . misit, etiam ante de praesenti negotio sententiam regulamque praescripsit: quam nos quoque sequuti . . . formam illam exsequutioni mandavimus, canonicum apostolicumque iudicium in illum proferentes.„ Quibus palam aperteque concilii Patres edicunt, sibi romanae cathedrae sententiam decretoriam in Nestorii causa fuisse et esse. Sed idem repetebant [3]) chalcedonenses Patres, qui „post lectionem praedictae epistolae (synodicae Leonis ad Flavianum) . . . clamaverunt: Haec Patrum fides, haec Apostolorum fides. Omnis ita credimus, orthodoxi ita credunt. Anathema ei qui ita non credit. Petrus per Leonem ita loquutus est . . . Reverentissimi episcopi clamaverunt: Nemo dubitat . . .

Proiectus.

Firmus caesar.

Chalcedonenses.

---

[1]) Ibidem, interpretatio depositionis: *Ἑρμηνεία τῆς καταθέσεως. Προϊεκτος ὁ εὐλαβέστατος ἐπίσκοπος καὶ πρεσβευτὴς εἶπε· Κατανοησάτω ἡ ὑμετέρα ἁγιότης τὸν τύπον τῶν γραμμάτων τοῦ ἁγίου καὶ σεβασμίου πάπα Κελεστίνου τοῦ ἐπισκόπου, ὃ προετρέψατο τὴν ὑμετέραν ἁγιωσύνην, οὐχ ὡς ἀγνοοῦσαν διδάσκων, ἀλλ' ὡς γινώσκουσαν ὑπομιμνήσκων· ἵνα ταῦτα, ἃ καὶ πάλαι ὥρισε, καὶ νῦν ὑπομνῆσαι κατηξίωσεν, εἰς πέρας κελεύσητε πληρέστατον ἄγεσθαι, κατὰ τὸν κανόνα τῆς πίστεως καὶ κατὰ τὸ χρήσιμον τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας.*

[2]) Ibidem. *Φίρμος ἐπίσκοπος Καισαρείας Καππαδοκίας εἶπε· καὶ πρότερον ψῆφον ἐπέσχε καὶ τύπον τῷ πράγματι, ὁ ἀποστολικὸς καὶ ἅγιος θρόνος τοῦ ἁγιωτάτου ἐπισκόπου Κελεστίνου διὰ γραμμάτων τῶν πρὸς τοὺς θεοφιλεστάτους ἐπισκόπους . . . ᾧ ἀκολουθήσαντες καὶ ἡμεῖς πάλαι τῆς προθεσμίας τῆς δεδομένης Νεστορίῳ εἰς διόρθωσιν παρελθούσης . . . τὸν τύπον ἐξεβιβάσαμεν, κανονικὴν καὶ ἀποστολικὴν αὐτῷ κατανοήσαντες κρίσιν.*

[3]) Act. II. ap. Harduin. t. II. p. 306. sqq. *Καὶ μετὰ τὴν ἀνάγνωσιν τῆς προγεγραμμένης ἐπιστολῆς οἱ εὐλαβέστατοι ἐπίσκοποι ἐβόησαν· αὕτη ἡ πίστις τῶν πατέρων· αὕτη ἡ πίστις τῶν ἀποστόλων· πάντες οὕτω πιστεύομεν· οἱ ὀρθόδοξοι οὕτω πιστεύουσιν· ἀνάθεμα τῷ μὴ οὕτω πιστεύοντι. Πέτρος διὰ Λέοντος ταῦτα ἐξεφώνησεν . . . οὐδεὶς ἀμφιβάλλει . . . πάντες οἱ εὐλαβέστατοι ἐπίσκοποι ἐβόησαν· ἡμεῖς οὕτω πιστεύομεν· ἡμῶν οὐδεὶς ἀμφιβάλλει. ἡμεῖς ἤδη ὑπεγράψαμεν . . . δεόμεθα περὶ τῶν πατέρων τοὺς πατέρας τῇ συνόδῳ.*

Nos ita credimus; sicut Leo ita credimus; nostrum nullus dubitat; nos iam subscripsimus . . . Patres synodo reddite. Consentaneos Leoni synodo, Patres synodo.„

Constantinopolitani.

254. Repetebant Patres concilii oecumenici sexti [1]) de Agathonis ad imperatores deque synodalibus eiusdem litteris, quarum lectionem postulabant [2]) Patres „ut auditum capiamus, quatenus cognitionem et nos accipiamus totius virtutis, quae in eis continetur:„ quasque lectas [3]) „expansis manibus amplectebantur.„ Itemque repetebant septimi generalis concilii Patres, *Nicaeni.* quum auditis [4]) Hadriani ad Tarasium patriarcham litteris sancta synodus dixit: „Sequimur et suscipimus et admittimus.„ Quibus post alia eximia encomia fidei romanae a singulis episcopis seorsum suffragium ferentibus prolata eorum postremus „Joannes *Joannes taurom.* sanctissimus Tauromeniae episcopus [5]) dixit: Cum veluti divinus orthodoxiae terminus (definitio) sint litterae quae ab Hadriano papa senioris Romae . . . missae sunt, ita profiteor . . . secundum antiquam traditionem ecclesiae catholicae. Eos vero qui ita non sapiunt, anathematismis subiicite.„

Arausicani.

255. A quibus nefas foret illa seiungere, quae arausicani patres in praefatione [6]) concilii proloquuntur: „Pervenit ad nos, esse aliquos, qui de gratia et libero arbitrio per simplicitatem minus caute, et non secundum fidei catholicae regulam sentire velint. Unde id nobis secundum auctoritatem et admonitionem sedis apostolicae iustum et rationabile visum est, ut pauca capitula, ab apostolica nobis sede transmissa, quae ab antiquis patribus de sanctarum Scripturarum voluminibus in hac praecipue causa collata sunt, ad docendos eos, qui aliter quam oportet sentiunt,

---

1) Vide action. VIII. ap. Harduin. t. III. pp. 1154. sqq.

2) Ibid. act. III. p. 1071. *Πρὸς τὸ τὴν εἴδησιν λαβεῖν ἡμᾶς πάσης τῆς ἐν αὐταῖς ἐμφερομένης δυνάμεως.*

3) Ibid. act. XVIII. p. 1397. *Ὑπτίαις χερσὶν ἀσπασαμένη τήν τε τοῦ ἁγιωτάτου καὶ μακαριωτάτου πάπα τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης Ἀγαθῶνος γενομένην ἀναφοράν.*

4) Act. II. ap. Harduin. t. IV. p. 103. *Ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν· ἑπόμεθα καὶ δεχόμεθα καὶ προσιέμεθα.*

5) Ibid. pp. 109. sqq. *Ἰωάννης ὁ ὁσιώτατος ἐπίσκοπος Ταυρομενίας εἶπεν· ὡς θεῖον ὅρον ὀρθοδοξίας ὑπάρχοντα τὰ ἀποσταλέντα γράμματα παρὰ Ἀδριανοῦ πάπα τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης . . . οὕτως ὁμολογῶ . . . κατὰ τὴν ἀρχαίαν παράδοσιν τῆς καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας· τοὺς δὲ μὴ οὕτως φρονοῦντας τοῖς ἀναθέμασιν ὑποβάλλω.*

6) Concil. araus. II. praefat. opp. Aug. t. X. append. p. 157.

ab omnibus observanda proferre, et manibus nostris subscribere deberemus. Quibus lectis, qui hucusque non sicut oportebat, de gratia et libero arbitrio credidit, ad ea quae fidei catholicae conveniunt, animum suum inclinare non differat.„ E quibus adparet, tum unde arausicanae synodo vis insit[1]) universalis, tum ecclesiae romanae ad fidem servandam orthodoxam sollicita vigilantia, tum romanae sedis in proponendis fidei formis auctoritas, tum necessitas omnium, qui orthodoxi esse velint, semet illis sincero animo subiiciendi.

256. Sed quis existimaverit, eum a Patribus fallibilem habi- *Summa rei.* tum fuisse, cuius sententiam haberent veluti formam, typum, terminum, ipsamque orthodoxiae[2]) columnam? Atqui his nominibus ac titulis Patres in conciliis generalibus coniuncti romanorum pontificum litteras recipere, audire, amplecti nec aliud profiteri consueverunt, quam quod teste Sergio Cyprio in lateranensi con- *Sergius cypr.* cilio[3]) semper protestabantur patres: „Nos autem, o divinitus inspirati (phrasis haec non accipitur pressius ac specifice, ut aiunt, sed laxius et generice) et sanctorum Apostolorum confabulatores et consacerdotes, sapuimus, confitemur et confessi sumus a pristinis temporibus et ex ipsis cunabulis, secundum sanctum atque beatissimum papam Leonem . . . cum quo beatissimo viro et omnes divinitus acti et sancti Patres fatentur.„

257. Id quod firmitate non minimum crescit si consideretur, quod

5. Romanae sententiae perinde ac conciliorum iudicia habentur.

Profecto compertum e superioribus est, haud infrequenter in eodem a Patribus censu cum conciliorum definitionibus habitas sententias romanorum pontificum fuisse. Hoc singulariter emicat in chalcedonensi concilio[4]), quando haec ad Patres verba dirigerentur: *Concil. chalced.*

---

[1]) Vide sis Bonifacii II. ad Caesarium arelat. epistolam, qua arausicana pariter decreta sancivit.

[2]) In conc. oecum. VI. act. XVIII. ap. Harduin. l. c. p. 1400. receperunt Patres una cum chalcedonensi concilio dogmaticum ad Flavianum patriarcham tomum, *ὃν καὶ στήλην ὀρθοδοξίας ἡ τοιαύτη σύνοδος ἀπεκάλεσεν,* quem etiam columnam rectae fidei huiusmodi synodus (chalcedonensis) appellavit.„

[3]) Ap. Harduin. l. c. p. 730. *Ἡμεῖς γὰρ, ὦ θεόπνευστοι, καὶ τῶν ἁγίων ἀποστόλων συνόμιλοι καὶ σύνεδροι, πεφρονήκαμέν τε καὶ ὡμολογήκαμεν ἐκ τῶν ἀνέκαθεν χρόνων, ἐκ σπαργάνων αὐτῶν, κατὰ τὸν ἅγιον καὶ θεοφόρον πάπαν Λέοντα ᾧ καὶ πάντες οἱ θεοφόροι καὶ πανάγιοι πατέρες συμφθέγγονται.*

[4]) Act. II. ap. Harduin. t. II. pp. 283. sqq. *Νῦν δὲ τὸ ζητούμενον καὶ*

„Nunc autem hoc quaerendum et studendum et iudicandum est, ut vera fides stabiliatur, pro qua maxime et concilium factum est.„ Quid porro Patres? Noluerunt admissa [1]) alia, nisi „ea quae sanctorum decem et octo (nicaenorum) sunt et quae sanctissimi Leonis.„ Sed neque aliter habitas fuisse papae Agathonis „suggestiones„ Patrum suffragia de iis in oecumenico sexto concilio [2]) edita luculenter ostendunt, quibus romani pontificis doctrinam non secus ac synodi chalcedonensis et Leonis decreta sequendam edixere. Atque eodem pacto in concilio oecumenico septimo [3]) post alia romanae traditionis praeclara encomia ea recepta fides fuit, quae „tradita . . . et conservata est a sanctis et sacratissimis patribus et magistris nostris, id est, sanctis sex universalibus synodis, atque orthodoxis litteris quae missae sunt ab Hadriano senioris Romae sanctissimo et apostolico papae.„ Sed ad quid plura?

Concil. VI.

Concil. VII.

258. Quum igitur Patribus in conciliis coniunctis [4]) romanorum pontificum declarationes in fidei negotiis tanti essent ac valerent, ut illas conciliorum generalium definitionibus et accenserent et aequipararent, ecquis inficias iret, dogmaticis pontificum declarationibus infallibilem ab illis vim tributam fuisse? Atque hoc eo vel minus dubitandum videbitur, quotiescunque consideretur

---

κρινόμενον καὶ σπουδαζόμενόν ἐστιν, ὥστε τὴν ἀληθῆ πίστιν συγκροτηθῆναι, δι' ἣν μάλιστα καὶ ἡ σύνοδος γέγονεν.

[1]) Ibidem p. 285. *Τὰ ἐκτεθέντα παρὰ τῶν ἁγίων τριακοσίων δέκα καὶ ὀκτὼ πατέρων καὶ τὰ τοῦ ὁσιωτάτου Λέοντος.*

[2]) Vide sis act. VIII. ap. Harduin. l. c. p. 1158. sqq. coll. act. XVIII. pp. 1397. sqq. Eminet quod „Domitius episcopus Prusiados dixit, ibidem p. 1160. *Ταῖς ἀναφοραῖς ταῖς σταλείσαις παρὰ τοῦ πατρὸς ἡμῶν καὶ ἀρχιεπισκόπου τοῦ ἀποστολικοῦ καὶ κορυφαίου θρόνου τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης Ἀγάθωνος . . . ὡς ἐκ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου ὑπαγορευθείσας διὰ στόματος τοῦ ἁγίου καὶ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων Πέτρου καὶ διὰ τοῦ δακτύλου τοῦ προλεχθέντος τρισμακαρίστου πάπα Ἀγάθωνος γραφείσας δέχομαι καὶ περιπτύσσομαι καὶ οὕτω πιστεύω:* „Suggestiones directas a patre nostro Agathone sanctissimo archiepiscopo apostolicae et principalis sedis antiquae Romae . . . tamquam a Spiritu sancto dictatas per os sancti ac beatissimi principis Apostolorum Petri, et digito praedicti ter beatissimi papae Agathonis scriptas, suscipio et amplector: et ita credo.„

Domitius episc.

[3]) Act. II. ap. Harduin. t. IV. pp. 98—123. *Κατὰ τὴν ἀρχαίαν καὶ ἔκπαλαι τῶν χρόνων θεσμοθεσίαν, τὴν παραδοθεῖσαν ἐν τῇ ἁγίᾳ τοῦ θεοῦ μεγάλῃ ἐκκλησίᾳ ἐκ τῶν ἁγίων καὶ πανευφήμων ἀποστόλων, καὶ φυλαχθεῖσαν ὑπὸ τῶν ἁγίων καὶ πανιέρων ἡμῶν πατέρων καὶ διδασκάλων, ἤτοι τῶν ἁγίων ἐξ οἰκουμενικῶν συνόδων, κρατοῦμεν· καὶ τὰ ὀρθόδοξα γράμματα τὰ σταλέντα παρὰ Ἀδριανοῦ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης τοῦ ἁγιωτάτου καὶ ἀποστολικοῦ πάπα.*

[4]) E quibus aperte colligitur, undenam theologi, de quibus secundum Mart. Becanum supra p. 110. adnot. 3. diximus, suam in hac re doctrinam sententiamque desumpserint.

Becan.

6. Romanae doctrinae necessitas.

259. Nihil profecto in Veterum monumentis exploratius est, quam censuisse ecclesiae Patres, iudicia a romanis praeformata pontificibus sancte adoptanda esse. Scilicet nefas esse censebant, a romani antistitis sententia [1]) recedere. Et merito quidem. Est enim

1. romanae sedis fides romanique episcopi *ὁμολόγησις* atque professio [2]) fidelium omnium basis ac petra fundamentalis; qui ergo dissentirent ab illa, cum carerent basi, ruerent necessario ac collaberentur: est item

2. romanus pontifex supremus doctor et pastor universalis, cuius officium est ac munus credentibus sanam fidei doctrinam exhibere et innoxia salutis pascua praebere; atqui huic officio et muneri respondet profecto ovium omnium atque agnorum officium ac munus, boni pastoris vocem audire et antecessorem veracem fideliter sequi. Atqui pia et veneranda antiquitas hoc sibi munus revera inpositum idemque munus sancte inplendum profitebatur. Ita [3]) quum in chalcedonensi synodo „Cecropius reverentissimus episcopus sebastopolitanus dixit: Emerserunt quae ad Eutychem pertinebant, et super iis forma data est a sanctissimo archiepiscopo romanae urbis, et sequimur eum (al. constat nobis), et epistolae omnes subscripsimus: reverentissimi episcopi clamaverunt: Ista omnes dicimus; sufficiunt quae exposita sunt: alteram expositionem non licet fieri.„ Duxerunt ergo chalcedonenses suam consensionem cum sententia sedis romanae uti necessariam. *Cecropius sebast.*

260. Et necessariam eam pariter duxerunt Patres concilii nicaeni secundi auctore Tarasio constantinopolitano patriarcha, qui [4]) *Nicaen. II.*

---

[1]) Cf. lib. sup. c. III. pp. 78. sqq. coll. Hageman. l. c. p. 129.

[2]) Vide adiectam paulo superius adnotationem.

[3]) Act. II. ap. Harduin. t. II. p. 285. *Κεκρόπιος ὁ εὐλαβέστατος ἐπίσκοπος Σεβαστουπόλεως εἶπεν· ἀνεφύη τὰ κατὰ Εὐτυχέα· ἐπὶ τούτοις τύπος ἐδόθη παρὰ τοῦ ἁγιωτάτου ἐν Ῥώμῃ ἀρχιεπισκόπου, καὶ ὑπεγράψαμεν πάντες τῇ ἐπιστολῇ· οἱ εὐλαβέστατοι ἐπίσκοποι ἐπεβόησαν· ταῦτα πάντες λέγομεν· ἀρκεῖ τὰ ἐκτιθέντα· ἄλλην ἔκθεσιν οὐκ ἐξὸν γενέσθαι.* His cf. sp. adducta ex Socrate.

[4]) Act. II. ap. Harduin. t. IV. p. 104. *Ταράσιος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης εἶπεν· ὁ περιαστραφθεὶς τῷ φωτὶ τοῦ Χριστοῦ καὶ γεννήσας ἡμᾶς διὰ τοῦ εὐαγγελίου, Παῦλος ὁ θεῖος ἀπόστολος ῥωμαίοις γράφων, ἀποδεχόμενος τὸ σπουδαῖον τῆς πρὸς Χριστὸν τὸν ἀληθινὸν θεὸν ἡμῶν εἰλικρινοῦς αὐτῶν πίστεως, οὕτως ἔφη· ἡ πίστις ὑμῶν καταγγέλλεται ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ, ταύτῃ τῇ μαρτυρίᾳ ἕπεσθαι ἀναγκαῖόν ἐστι, καὶ ἄβουλον ἡγεῖσθαι τὸ ἀντιτάσσεσθαι. ὅθεν Ἀδρια-*

Tarasius. „dixit: Sacratissimus Paulus Apostolus, qui illustratus est lumine Christi, et genuit nos per evangelium, cum romanis scriberet, approbans studium sincerae fidei eorum, quam in Christum verum Deum *Rom. I. 8.* habebant, sic ait [1]): Fides vestra annuntiatur in universo mundo. Hoc testimonium sequi necessarium est: et inconsulto agit, qui huic conatur resistere. Unde Hadrianus praesul senioris Romae, cum esset particeps eorum, qui praedicto testimonio muniri meruerunt, scripsit expresse et veraciter piis imperatoribus nostris, atque ad humilitatem nostram, affirmans bene ac optime se habere antiquam traditionem ecclesiae catholicae . . . sic confessi sumus, confitemur et confitebimur, consonamus et confirmamus, atque permanebimus in significatione litterarum, quae lectae sunt„ . . . Post quae „sancta synodus dixit: Tota sacratissima synodus ita credit, ita sapit, ita dogmatizat.„ Nimirum quum romana fides doctore gentium Apostolo sit fides catholica, necesse est catholicum quemvis romanae sedis fidem ubi proponitur amplecti.

Concil. ephesin. 261. Id quod litteris [2]) ad concilium ephesinum datis significavit Coelestinus scribens: „Iis quae aguntur intersint (legati romani) et quae a nobis statuta sunt exsequantur. Quibus praestandum a vestra sanctitate non dubitamus assensum.„ Neque aliud *Concil. VI.* etiam Agatho [3]) flagitabat in concilio sexto, ut „omnis praesulum numerus ac sacerdotum, cleri ac populorum, unani-

---

νὸς τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης πρόεδρος, τῶν μαρτυρωθέντων ὑπάρχων μέτοχος γεγράφηκε τρανῶς καὶ ἀληθῶς τοῖς εὐσεβέσιν ἡμῶν βασιλεῦσι καὶ πρὸς τὴν ἡμετέραν μετριότητα, βεβαιούμενος εὖγε καὶ καλῶς ἔχειν τὴν ἀρχαίαν παράδοσιν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας . . . οὕτω καὶ ὁμαλογήσαμεν καὶ ὁμολογοῦμεν καὶ ὁμολογήσομεν, καὶ στοιχοῦμεν και ἐμμένομεν, καὶ βεβαιούμεθα τῇ τῶν ἀναγνωσθέντων γραμμάτων ἐμφάσει . . . Ἡ ἁγία σύνοδος εἶπε· πᾶσα ἡ ἱερὰ σύνοδος οὕτως δογματίζει.

[1]) Rom. I. 8.

Proiectus legat. [2]) Act. II. ap. Harduin. t. I. p. 1471. Ubi Proiectus romani pontificis legatus pariter pontificii mandati exsequutionem requirit. Rei autem rationem adducit Philippus et ipse legatus: exploratam scilicet veritatem „totius fidei vel etiam Apostolorum caput esse beatum Apostolum Petrum.„

Agatho. [3]) Act IV. ap. Harduin. t. III. p. 1109. Quibus simillima repetit in altera epistola ibidem p. 1126. „Quicunque proinde sacerdotum haec, quae in hac nostrae humilitatis confessione continentur, nobiscum sinceriter praedicare desiderant, ut nostrae apostolicae fidei concordes, ut consacerdotes, ut comministros eiusdem fidei, et ut simpliciter dicamus, ut spiritales fratres et coepiscopos nostros suscipimus. Qui vero haec confiteri noluerint, ut infestos catholicae atque apostolicae confessioni, perpetuae condemnationis reos esse censemus: nec aliquando tales in nostrae humilitatis collegio, nisi correctos patimur.„

miter ad placendum Deo animamque salvandam veritatis formulam apostolicae traditionis secum confiterentur et praedicarent.„ Sed enimvero hanc ἀμέσως rei rationem praemisit: „fidem scilicet fundatam super firmam petram . . . beati Petri gratia atque praesidio ab omni errore illibatam permanere.„ Nisi enim erroris fallaciaeque periculum a romanae sedis professione absit, nulla ad eam amplectendam exsistere potest necessitas; hanc tamen Veteres fatentur: et eam quidem constantinopolitani patres cum Agathone fatentur necessitatem salutis; confitentur ergo quod Agatho verbis disertis expressit, fidei formam praeformationesque romanorum pontificum ab erroris, fallaciae falsitatisque formidine inmunes. Sed horum vis vehementer augetur et crescit, si paulo diligentius consideretur

7. Romana sedes velut auctor formularum fidei.

262. Eam itaque oeconomiam receptam fuisse novimus, qua non praeformata de fide iudicia, sed expressae fidei formulae a romanis pontificibus et quidem citra generalia concilia editae et subscribendae proponerentur. Eo faciunt potissimum

1. formula ab Hormisda pontifice praescripta episcopis orientis [1]), qui schismatis Acaciani participes essent: tum *Hormisdae.*

2. symbolum fidei a Leone nono [2]) propositum Petro episcopo: iterum *Leonis IX.*

3. formula praescripta omnibus ecclesiae occidentalis metropolitanis [3]) a Paschali secundo in synodo romana: deinde *Paschalis II.*

4. professio fidei ab Innocentio tertio praescripta [4]) Waldensibus: porro *Innocent. III.*

5. fidei confessio a Clemente quarto Michaëli Palaeologo [5]) proposita: accedit *Clement. IV.*

6. professio fidei a Pio quarto [6]) praescripta: cui tandem *Pii IV.*

---

[1]) A quibus reapse una cum imperatore Justiniano, patriarchis constantinopolitanis Epiphanio, Joanne et Menna, uti in concilio oecumenico octavo actione prima subscripta fuit a patribus graecis aeque ac latinis. Vide Henric. Denzing. enchir. l. c. n. 141.

[2]) De quo cf. ibid. n. 292.

[3]) Cf. eundem ibid. n. 299.

[4]) Ibidem nn. 366. sqq.

[5]) Quam Gregorio X. ipse in concilio lugdunensi II. obtulit, de quo vide Denzing. l. c. nn. 383. sqq.

[6]) Dicitur etiam professio fidei tridentinae, quod patres tridentini sess. XXIV.

Gregor. XIII. 7. addenda professio fidei cum a Gregorio decimo tertio [1]) tum ab Urbano octavo et Benedicto decimo quarto orientalibus [2]) praescripta. Atqui eiusmodi formulae habebantur semper tesserae instar sive orthodoxiae sive heterodoxiae, simulque censebantur necessariae ita ut qui eas amplexus non fuisset, is ecclesiae membrum nullatenus existimaretur. At vero undenam tanta consensionis cum romanae sedis doctrina necessitas [3]), si ea in docenda proponendaque veritate fallere posset aut falli? Atqui est omnimoda illa: haec ergo errandi possibilitas nulla. Videlicet ad pleniorem rei confirmationem consideretur

8. Romana sedes veluti custos orthodoxiae.

263. Enimvero haec erat Maiorum θεωρία et πρᾶξις: Romana Petri sedes est illa firma petra, vi cuius [4]) totum semper fidei depositum sine alteratione conservatur; et iterum: Romanus Petri successor ille supremus est pastor, qui oves et agnos toto ac inmutabili fidei deposito pascere iussus est et pascit. Inde autem sua veluti sponte haec duo exsistunt, tum quod quaecunque definita in ecclesia dogmata fuerunt, ea sarta semper tectaque [5]) in romana ecclesia custodiuntur, tum quod eadem ab illa dubitantibus aeque ac deviantibus sedulo proponenda curantur et declaranda, ut fidei unitas et per apostolicae fidei unitatem una Christi

---

c. 13. de reformat. sess. XXV. c. 2. curam illius romano pontifici relictam voluere; vide ibid. nn. 848. 863.

[1]) Constitution. 51. Sanctissimus Dominus noster ap. Denzing. l. c. n. 868.

[2]) Vide ibidem n. 863.

[3]) Confer quae de hac necessitate praestituta sunt l. I. c. 3. Quo pariter spectant quae opp. t. V. pp. 377. sqq. de s. Gregor. VII. dictat. canon. XXVI. *Christ. Lupus.* disputat Christian. Lupus in scholio: „Quod catholicus non habeatur, qui non concordat Romanae ecclesiae.„ E quibus similiter infert p. 379. „Et hinc lucet Romanam ecclesiam a recta fide esse immobilem atque indeclinabilem. Et ita omnino oportet.„ Id quod illico probat ex oraculo Salvatoris Matth. XVI. 18. Sed quae sit romanae cathedrae in tuendis explicandisque dogmatis capitibus et formulis vis ac praestantia, illustri sermone expositum legitur a viro cl. H. Ha- *Hagemann.* gemann. op. s. c. pp. 117. sqq. 131. sqq. et nominatim pp. 129. sq. ubi scite miratur, quod ad graecos continuo adpellant ob certandi subtilitatem, dum romana ecclesia, quae una ob constantiam incredibilemque in vindicanda veritate repellendoque errore sapientiam unicam semper ostendit, contemnitur prope atque negligitur.

[4]) Cf. allatos superius ad Matth. XVI. 16. sq. commentarios Leonis I. Gelasii, Leonis IX. Theodori studitae et q. s.

[5]) Vide pariter superius praestituta.

ecclesia conservetur et [1]) efficiatur. Unde quanta huius unitatis necessitas, tanta exsistit necessitas adhaesionis subiectionisque praestandae professionibus fidei, quas romanus pontifex ceu principium unitatis ecclesiae declarat atque proponit. Atqui nulla adhaerendi credendique necessitas, ubi exclusa non est formido errandi in eo quod tenendum proponitur: haec ergo olim a propositis per romanum pontificem fidei professionibus ac declarationibus exclusa tenebatur.

264. Et haec quidem iuxta Maiorum sentiendi agendique morem. Rem comprobant universa tam theoretica, ut aiunt, quam practica quae superioribus explicata dedimus antiquitatis documenta; sed eandem hac insigni plane ratione illustrasse iuverit, quam Pelagius secundus in occidentalium aliquot [2]) schismaticorum causa obviam suppeditat. *Pelagius II.* Itaque declaratione praemissa, qua se protestatur inviolabiliter praecedentium conciliorum et ipsius etiam chalcedonensis synodi fidem „operante divina gratia venerari, custodire atque defendere„ subdit: „Si quis autem contra hanc fidem aut sapit aut credit aut docere praesumit, secundum eorundem patrum sententiam damnatum atque anathematizatum se esse cognoscat.„ Sed unde Pelagius sumpsit tantos anathematis infligendi ausus? *Anathema qui non accipit roman. fidem.* Ex hac quam ipse affert causa: „Ubi ergo de fidei firmitate nulla vobis poterit quaestio vel suspicio generari, in unitate fidei atque in sinu sanctae matris catholicae atque apostolicae ecclesiae permanere (scilicet debetis).„ Et unde rursum ista de fidei firmitate praesumptio? Dixit [3]) Pelagius: „Considerate, charissimi, quia veritas mentiri non potuit [4]) nec fides Petri in aeternum quassari poterit vel mutari.„ Fides ergo Petri, fides quam romani episcopi tenent, tuentur, proponunt, quassatione et mutatione superior est; hinc est iugiter vera fidei apostolicae

---

[1]) Non ob solam conservationem unitatis fidei, sed ad efficiendam ipsam fidei unitatem, et ob caritatis etiam et coniunctionis unitatem, primatum esse a Deo institutum, contra Fr. Philip. Hedderich. dis. iur. eccles. german. aliosque eiusdem opinionis fautores tuetur doctor ingolstad. coll. V. pp. 81. sqq. pariterque auctor anonymus in Fr. Phil. Hedder. etc. specimen animadversionum. Placent. 1789.

[2]) Ad Eliam et episcopos Istriae ep. III. ap. Mign. lat. PP. t. 72. p. 708.

[3]) Ibidem. p. 707.

[4]) „Nostis enim, inquit, in evangelio Dominum (Luc. XXII.) proclamantem: Simon, Simon„ et q. s. quibus porro confert Matth. XVI. „Nec portas inferni adversus eam praevalere testatus est.„ *Luc. XXII. Matth. XVI.*

expressio, adeoque necessaria fides et recipienda ab omnibus, qui ad veram Christi ecclesiam pertinere volunt ac porro desiderant.

Argumenti summa. 265. Quae quum ita sint, necessario conseqitur, fidem professionemque romanae sedis constantem esse in ecclesia amussim ac regulam infallibilem orthodoxae professionis et fidei, atque talem illam esse

Ratio ontologica. 1. vi naturae ac constitutionis ontologicae, qua cathedra romana Petri est et inmobilis petra:

Ratio dynamica. 2. vi muneris ac suae dynamicae explicationis, qua pastor romanus gregem pascit universum et pascere illum fide orthodoxa tenetur:

Ratio iuridica. 3. vi promissionis simul atque mandati, adeoque vi iuridicae possessionis, quatenus praesul romanus accipere meruit, ut in fide nunquam deficeret, et iussus est reddere, ut cribrati fratres iugiter confirmentur. Spectato iam priori capite eoque ontologico, romanae ecclesiae fides ac professio in se et obiective, ut loqui amant, infallibiliter est continuo exemplaris ac παραδειγματικὴ totius ecclesiae atque cuiusvis alterius particularis: spectato capite altero eoque dynamico, romani pastoris praedicatio atque doctrina subiective considerata, id est, quatenus ab ipso eiusque ore proficiscitur, infallibiliter est semper sana pabula atque salutis: spectato denique postremo capite et eo iuridico, romanae sedis tribunal iugiter adest, cuius iudicio infallibiliter quae orthodoxa et vera sunt demonstrantur ac firmantur, haesitantium dubia solvuntur, contendentium lites dirimuntur, vacillantes ac devii revocantur, inprobantur errores, falsa atque haeretica condemnantur.

266. De utroque priori capite, eodemque per ipsam πρᾶξιν ecclesiasticae antiquitatis probato, quum non pauca prius exposita *Agatho.* fuerint, satis videtur, haec [1]) contulisse Agathonis quae in con- *Concil. VI.* cilio oecumenico sexto lecta receptaque novimus: „Cuius (Petri) annitente praesidio haec apostolica eius ecclesia numquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est, cuius auctoritatem utpote Apostolorum omnium principis, semper omnis catholica Christi ecclesia, et universales synodi fideliter amplectentes, in cunctis sequutae sunt, omnesque venerabiles patres apostolicam eius doctrinam amplexi, per quam et probatissima ecclesiae lumina claruerunt, et sancti quidem doctores orthodoxi venerati atque sequuti sunt, haeretici autem falsis criminationibus ac

[1]) Act. IV. l. s. c.

derogationum odiis insequuti . . . Haec est Apostolorum Christi viva traditio, quam ubique eius tenet ecclesia.„ Habes romanam fidem inmutabiliter semper unam atque eandem: habes eandem inmutabiliter sanctam semper et salutarem: habes eam inmutabiliter post Apostolos fideliter servatam adeoque vere apostolicam: habes eam in romana ecclesia iugiter vivam: et quum eadem omnium sit et esse debeat in ecclesia fidelium fides, habes illam vere proprieque catholicam. Scilicet eam fidem habes cumque omnibus proprietatibus suis, quam Coelestinus ab ephesinis patribus sedulo[1]) declarandam custodiendamque flagitabat. Sed de tertio neque splendide minus neque minus parce per eundem πράξεως fontem constat. Etenim consideretur

Viva Apostolorum traditio.

Coelestinus I.

9. Romana sedes veluti conciliorum confirmatrix.

267. Ubi illud inprimis animadvertendum venit, quod in universa ecclesia exploratum omnes semper habebant, synodos vel ipsas generales a pontifice romano eoque solo confirmandas esse, ut earum canones vim rationemque certae ac infallibilis normae [2]) consequantur; quo illae valore destituerentur [3]) simul

---

[1]) Ep. ad conc. ephes. ap. Harduin. t. I. pp. 1468. sqq.

[2]) Distincta triplici ratione confirmationis, tum externa atque civili, quae ad effectus civiles ordinatur, tum interna atque suffragii authentici, quae est omnium et tantum episcoporum, tum iudiciali ac decretoria, qua synodorum decretis peremptoria vis tribuitur, ne reformationi vel retractationi amplius esse obnoxia possint: posterior haec uni romano pontifici competit. Unde Nicolaus ad Photium epistola quae habetur in concilio constantinopolitano quarto Act. IV. ap. Harduin. t. V. p. 814. scribit: „Decretalia autem, quae a sanctis pontificibus primae sedis romanae ecclesiae sunt instituta, cuius auctoritate atque sanctione omnes synodi et sancta concilia roborantur et stabilitatem sumunt, cur vos non habere vel observare dicitis, nisi quia vestrae ordinationi contradicunt?„ Sed hinc varium adparet synodorum valor et pretium, prout probatae vel non sunt a pontifice.

Triplex conciliorum confirmatio. *Varium pretium.* *Nicolaus I.* *Concilia.*

[3]) De his cf. TT. wirceburg. de princip. direct. auctorit. concil. gen. aa. III. IV. Rem complectitur in epist. IV. ad Joan. constantinopolit. ap. Mign. lat. PP. t. 72. p. 739. Pelagius II. scribens: „Unde, fratres, reiecta penitus audacia, quae contra apostolicam sedem et contra ipsam Domini Salvatoris vocem qua dictum est: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, sumpta est disputandi contra Domini praecepta, vana errantium corda conquiescant, nec liceat defendi, quod non licet agere (licet agi). Relatum est ergo ad apostolicam sedem, Joannem constantinopolitanum episcopum universalem se subscribere (scribere) vosque ex hac sua praesumptione ad synodum convocare (convocasse) generalem (patet ergo quod superius conclusum dedimus, quaestionem de „universali episcopo vel patriarcha, quaestionem fuisse non meri tituli, sed praerogativae realis) cum generalium synodorum convocandi auctoritas apostolicae sedi beati Petri singulari privilegio sit tradita, et nulla unquam sy-

Pelag. II. *Matth. XVI.*

ac confirmatione eiusmodi privarentur. Sed quid, considerata illa iudicii vi pro utraque sua ratione, tam probante, quae si accedat[1]) inmutabile reddit totius episcopatus votum, quam privante, quae si adsit[2]) reformabile illud relinquitur, quid, inquam, manifestius, quam supremo episcopalis suffragii arbitro veritatisque catholicae catholico iudici, pontifici romano, ex mente Maiorum Spiritum adesse oportere confirmatorem, ne ipse primum neque cum ipso[3]) reliqui porro fratres in fide definienda, declaranda, praedicanda universi deficiant?

---

nodus rata legatur, quae apostolica auctoritate non fuerit fulta. Quapropter quidquid in praedicto vestro conventiculo (quia synodus taliter praesumpta esse non potuit) statuistis ex auctoritate sancti Petri Apostolorum principis, et Domini Salvatoris voce, qua beato Petro potestatem ligandi atque solvendi ipse Salvator dedit, quae etiam potestas in successoribus eius indubitanter transivit, praecipio omnia quae ibi statuistis et vana et cassata esse, ita ut deinceps numquam appareant, nec ventilentur. Etenim ipse Salvator beato Apostolo Petro tamquam ipsa per se veritas loquitur dicens (Matth. XVI): Quaecunque ligaveris„ et q. s. „Multis denuo apostolicis et canonicis atque ecclesiasticis instruimur regulis, non debere absque sententia romani pontificis concilia celebrari (Socrat. II. 8. Sozom. III. 9.): quapropter (ut iam dictum est) recte non concilium, sed vestrum conventiculum et conciliabulum cassatur et quidquid in eo actum est, irritum habetur ac vacuum. Vos quoque deinceps, ut nullius hortatu talia praesumatis, si apostolicae sedis communione carere non vultis. Modo vero ideo suspenditur ultio, ut locum possit habere correctio (s. Leo. ep. 47.).„ His cf. Vitalian. ep. I. ad Paul. archiep. cret. ap. Mign. lat. PP. t. 87. pp. 1001. sq. et Nicolai I. ep. IV. ad Michaelem imperat. ibid. t. 119. p. 773. scribentis: „Ad cuius (apostolicae scilicet traditionis) etenim (sicut ipsi scitis) integritatem observationis multoties conventus factus fuerit sanctorum patrum, a quibus et deliberatum ac observatum existit, qualiter absque romanae sedis romanique pontificis consensu, nullius insurgentis deliberationis terminus daretur.„

Conventicula. *Nicolaus I.*

Stephan. dorens. [1]) Cf. laudatos modo TT. wirceburgenses l. c. Rei specimen, quod satis hic et nunc est, praebet in romana sub Martino I. synodo „supplicatio reverentissimi Stephani, episcopi dorensis, ap. Harduin. t. III. p. 711. quam „suggessit sanctae apostolicae synodo secundum gratiam Dei et regularem auctoritatem praesidentis in ea Martini ter beatissimi papae congregatae in hanc antiquam almamque urbem Romam, pro confirmatione sacra et defensione paternarum et synodalium catholicae ecclesiae definitionum vel promulgationum:„ *Τῇ ἁγίᾳ καὶ ἀποστολικῇ συνόδῳ τῇ κατὰ χάριν θεοῦ καὶ κέλευσιν ἔγκριτον Μαρτίνου τοῦ ὁσίως αὐτῆς προκαθεζομένου τρισμακαρίστου πάπα κατὰ ταύτην συναθροισθείσῃ τὴν μεγαλώνυμον καὶ πρεσβυτέραν Ῥώμην, εἰς βεβαίωσιν ἱερὰν καὶ ἐκδίκησιν τῶν πατρικῶν καὶ συνοδικῶν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ὅρων καὶ θεσπισμάτων, Στέφανος ἐλέει θεοῦ ἐπίσκοπος καὶ πρῶτος τῆς ὑπὸ τῶν Ἱεροσολύμων ἀρχιερατικὸν θρόνον τελούσης δικαιοδοσίας ἀναφέρω τὰ ὑποτεταγμένα.*

[2]) Cf. Anatol. constantinop. ep. ad Leon. coll. Damas. ep. ad oriental. de synod. arim. Gelas. ad epp. Dardan. ep. 13. de latrocin. ephes. et al.

Leo M. [3]) Profecto si in alia fuisset sententia „piissimus imperator Marcianus„ num voluisset Leonem, ut ipse testis est ep. 60. ad Pulcheriam August. „ad omnes episcopos qui chalcedonensi synodo interfuerunt scripta dirigere, quibus

268. Audi, quaeso, de uno Zosimo Prosperum de pelagiana haeresi[1]) exponentem: „Africanorum, inquit, conciliorum decretis beatae recordationis papa Zosimus sententiae suae robur annexuit (al. adtexuit) et ad impiorum detruncatationem gladio Petri dexteras omnium armavit[2]) antistitum.„ Quid si errasset? Errantium conciliorum errori robur dedisset, et gladio Petri abusus dexteras omnium antistitum armasset ad veritatem debellandam. Absit nefarium hoc, atque propterea ab erroris discrimine absit roborator conciliorum omniumque armator antistitum, romanus, inquam, pontifex.

Prosper.

Armator antistitum.

269. His autem accedit deinde, quod antiquitas orthodoxa quid credendum tenendumque non prius habuerit certum et tutum, ac romanae sedis sententia ac confirmatio rem fecerit exceptione maiorem. Ita[3]) in ephesino concilio „Theodotus Ancyrae episcopus dixit: Iustam esse sanctae synodi sententiam demonstravit universorum Deus per litteras Coelestini religiosissimi episcopi huc allatas et vestrae (scilicet legatorum romani pontificis) pietatis adventum.„ Concilii itaque decreta iudicanda vera et iusta dicit Theodotus, eo quod exacta deprehenderentur ad amussim, rectam regulam fidei romanae.

Theodot. ancyr.

270. Ad quod quidem comprobandum confirmandumque adducta ratio confert, ob quam praeteritorum sedis apostolicae episcoporum auctoritates de Dei gratia[4]) expositae leguntur: nimirum „quia nonnulli, qui catholico nomine gloriantur, in damnatis haereticorum sensibus seu pravitate sive imperitia demorantes[5]) piissimis disputatoribus obviare praesumunt et cum

Sedis apost. auctoritates.

---

ea quae illic de fidei regula sunt definita firmaret?„ quod quidem ille „libenter implevit.„ Ad quae vide rursus commentantem Pelagium II. ep. V. ad Eliam et epp. Istriae ap. Mign. lat. PP. t. 72. pp. 721. sq.

[1]) Con. collat. c. 41.

[2]) His manifeste ad Lucae verba XXII. allusisse dicendus.

[3]) Act. II. ap. Harduin. t. I. p. 1473. *Θεόδοτος ἐπίσκοπος Ἀγκύρας εἶπε· Δικαίαν τῆς ἁγίας συνόδου τὴν ψῆφον ἔδειξεν* (al. *ἀπέδειξεν*) *ὁ τῶν ὅλων θεὸς τῇ ἐπιφοιτήσει τῶν γραμμάτων τοῦ θεοσεβεστάτου ἐπισκόπου Κελεστίνου καὶ τῇ παρουσίᾳ τῆς ὑμῶν θεοσεβείας.* Quibus aperte duo ancyranus significavit, tum necessitatem romanae doctrinae, ut ratae essent episcoporum decisiones, tum necessitatem romanae auctoritatis, ut ratum esset episcoporum concilium.

[4]) Cap. III. vide Denzing. enchir. l. c. n. 87. Quibus cf. quae Hormisda de eiusmodi capitibus scribit ad Possessor. in append. ad t. X. opp. Aug. p. 151.

[5]) Quod etiamnum contingere cernimus, quando non desint, qui posthabitis clarissimis decisionibus doctrinae capitum, puta de trinitate, incarnatione, anthro-

Pelagium atque Coelestium anathematizare non dubitent, magistris tamen nostris, tamquam necessarium modum [1]) excesserint, obloquuntur, eaque tantummodo sequi et probare profitentur, quae sacratissima beati Apostoli sedes Petri contra inimicos gratiae Dei per ministerium praesulum suorum sanxit et docuit, necessarium fuit [2]), diligenter inquirere, quod rectores romanae ecclesiae de haeresi quae eorum temporibus exorta fuerat, iudicarint, et contra nocentissimos liberi arbitrii defensores quid de gratia Dei sentiendum esse censuerint; ita ut africanorum conciliorum quasdam sententias iungeremus, quas utique suas fecerunt apostolici antistites cum probarunt. Ut ergo plenius, qui in aliquo dubitant, instruantur, constitutiones sanctorum patrum compendioso manifestamus indiculo, quo si quis non nimium est contentiosus, agnoscat omnium disputationum connexionem ex hac subditarum auctoritatum brevitate pendere, nullamque sibi contradictionis superesse rationem, si cum catholicis [3]) credat et dicat.„ Quae profecto non indigent commentario.

Theodoret. 271. Hinc praeclare de causa sua esse censuit [4]) Theodoretus „Deumque universorum laudavit, quod apostolicis eius (Leonis M.) *Stephan. lariss.* placitis consentiret.„ Eccur? „Quia, inquit larissensis [5]) Stephanus, auctoritas sedis apostolicae, quae a Deo et Salvatore nostro summo Apostolorum data est, omnibus sanctarum ecclesiarum privilegiis antecellit: in cuius confessione omnes mundi requiescunt ecclesiae.„

---

pologia, de habitu scientiae et fidei etc. eadem semper chorda oberrare pergunt; sed quum decisiones illae ab apostolica sede profectae fuerint, non verentur adpellare nunc ad episcopos dispersos, nunc ad eos in unum collectos, nunc ad publicam doctorum opinionem, nunc vel ad ipsam potestatem civilem et laicam. Quo faciunt, quae Pius VI. habet respons. l. c. c. VIII. sectt. I. III. pp. 180. 219.

[1]) Est ergo antiqua iam methodus, defensoribus fidei doctrinaeque romanae opponere atque obiicere exaggerationes et excessus.

Romana oeconomia. [2]) Necessarium id fuit non propter dubiam salutis veritatem, sed propter salutem dubitantium de veritate. Qua oeconomia utitur semper pia mater ecclesia, ut omnem inpleat iustitiam, omnisque praetextus excusationisque species auferatur fragilitati humanae in errores atque perversitatem proclivi.

Concil. valent. [3]) Huc respicere concilii valentini an. 855. Patres videntur can. 6. statuentes: „Idipsum constantissimi et fide plena fatemur, quod sanctissimi patres auctoritate secrarum Scripturarum nobis tenendum reliquerunt, quod africana synodus professa est, quod beatissimi pontifices apostolicae sedis catholica fide tenuerunt.„

[4]) Ad Renatum presbyt. ep. CXVI. ap. Mign. gr. PP. t. 83. p. 1325. *Τὸν τῶν ὅλων ὕμνησα δεσπότην, ὅτι τοῖς ἀποστολικοῖς αὐτοῦ δόγμασι συμφωνῶ.*

[5]) In libel. supplic. oblat. Bonifac. pap. in conc. rom. III. sess. II.

Neque propter aliam rationem in causa Evagrii et Flaviani [1]) mediolanensis maximus doctor „referendum arbitrabatur ad sanctum fratrem nostrum romanae sacerdotem ecclesiae, quoniam praesumimus (scilicet iuris praesumptione) ea te iudicaturum, quae etiam illi displicere nequeant, ut nos quoque . . . cum id gestum esse cognoverimus, quod ecclesia romana haud dubie comprobaverit, laeti huiusmodi fructum examinis adipiscamur.„ *Ambrosius.*

272. Adeo insitum pervulgatumque erat, ut vel ipsi pervicaces olim ad sanctae sedis recurrerent professionem, qua comperta atque recepta corde et ore contentio omnis ac controversia cessabat, et quilibet se catholice credere persuasum habebat. Sed quomodo persuasio haec vel unius cordati esse hominis potuisset, si valuisset opinio, romanae sedis antistitem vel unquam aberrare a recta fide posse? Valuit porro antiquitus prior universim persuasio; ergo pariter valuit olim apud ecclesiam Dei mens ac sententia, romanae sedis antistitem nunquam a recta fide doctrinaque salutis fidelibus omnibus necessariae aberrare posse. At cum his intime nectitur aliud, quod iam adcuratius considerandum videtur: nimirum illa superioritas, qua est

10. Romana sedes supremum fidei tribunal.

273. Praestitutis namque rerum capitibus neque solemne minus neque minus illustre hoc est, quod pertinet ad antiquum communemque usum, in dubiis fideique negotiis ad romanam sedem adpellandi [2]) et eo revocandi rem. Ad id haec illico [3]) faciunt Innocentii primi in epistola milevitanis Patribus data: „Quoties fidei ratio ventilatur, nonnisi ad Petrum episcopos, idest ad sui nominis et honoris auctorem, referre debere.„ *Innocent. I.*

---

[1]) Ad Theophil. alexand. ep. 78. ap. Mign. lat. PP. t. XVI. ep LVI. n. 7.

[2]) Dignus qui hac de re consulatur est Christianus Lupus opp. t. VIII. cui titulus: „Divinum ac immobile s. Petri Apostolorum principis circa omnium sub coelo fidelium ad Romanam eius cathedram appellationes adversus profanas hodie vocum novitates assertum privilegium„; eidemque ita γνωμικῶς praestituit: „S. Gelasius Pontifex ep. 4. Nobis opponunt canones, dum nesciunt quid loquantur: Contra quos hoc ipso venire se produnt, quod Primae Sedi, sana rectaque suadenti, parere fugiunt. Ipsi sunt Canones, qui Appellationes totius Ecclesiae ad huius sedis examen voluere deferri. Ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt. Ac per hoc illam de tota Ecclesia iudicare, ipsam ad nullius commeare iudicium, nec de eius unquam praeceperunt iudicio iudicari. Sententiamque illius constituerunt non oportere dissolvi, cuius potius decreta sequendo mandarunt.„ *Christian. Lupus.* *Gelasius.*

[3]) Inter augustinian. ep. 181.

274. Rem plene et graviter nec citra magnam auctoritatis vim edixere in epistola [1]) data „Domino beatissimo apostolico culmine sublimato sancto patri patrum, Theodoro papae, et summo omnium praesulum pontifici Columbus primae sedis episcopus concilii Numidiae, et Stephanus primae sedis episcopus concilii Byzaceni, et Reparatus episcopus primae sedis concilii Mauritaniae, et universi episcopi de tribus conciliis antedictis africanae provinciae scribentes: „Magnum et indeficientem omnibus christianis fluenta redundantem apud apostolicam sedem consistere fontem [2]) nullus ambigere possit, de quo rivuli prodeunt affluenter, universum [3]) largissime irrigantes orbem christianorum: cui etiam in honore beatissimi Petri patrum [4]) decreta peculiarem omnem decrevere reverentiam in requirendis Dei rebus, quae omnino et sollicite debent, maxime vero iusteque ab ipso praesulum examinari vertice apostolico: cuius vetusta sollicitudo [5]) est tam mala damnare quam probare laudanda. Antiquis enim regulis sancitum est, ut quidquid quamvis in remotis vel in longinquo positis ageretur provinciis, non

Africani.

---

[1]) Lecta in synodo romana sub Martino I. ap. Harduin. l. c. p. 734.

[2]) Atqui si apostolica sedes romana falleretur et falleret, neque fons esset indeficiens neque redundans fluenta pro christianis omnibus; de hac tamen illius excellentia nullus ambigere dicitur; nullus ergo pariter dicendus ambigisse de inmunitate romanae sedis apostolicae tam a falsitate quam a fallacia in iis, quae ab ipsa ad omnium christianorum salutis negotium proficiscuntur.

[3]) Id enim pertinet ad munus supremi universorum per orbem christianorum pastoris.

Cypriani concentus.

[4]) Inter quos africani certe martyrem suum celeberrimum relatum voluere, qui adeo non est ab illis in transversum abripiendus, sed cum iisdem scite componendus, ne veluti singularis deserendus dicatur. Verum quae a Cypriano petita contra adpellationum ius excepit Sibrand. confutata habes apud Gretser. opp. t. VIII. pp. 707. sqq. De vindicato autem contra abusum africanum iure Romam adpellandi cf. Christian. Lupum schol. ad canon. sardic. opp. t. I. pp. 326. sqq. coll. eiusdem dissertat. de african. ecclesiae romanis appellationibus opp. t. VIII. pp. 145. sqq. et Pii VI. respons. l. c. c. IX. sec. 1. n. 10. p. 304.

Pius IX.

[5]) Quae igitur de sua pastorali omnium cura repetentes ingeminant ipsi romani pontifices, ea unanimi suffragio contestantur universi episcopi africani, vetustam illam perhibentes. Unde liquet, qua veritate celebres suas d. 8. Decemb. 1864. encyclicas litteras Pius IX. auspicatus sit: „Quanta cura ac pastorali vigilantia romani pontifices praedecessores nostri exsequentes demandatum sibi ab ipso Christo Domino in persona beatissimi Petri Apostolorum principis officium munusque pascendi agnos et oves numquam intermiserint, universum dominicum gregem sedulo enutrire verbis fidei ac salutari doctrina imbuere, eumque ab venenatis pascuis arcere, omnibus quidem ac vobis praesertim compertum exploratumque est, venerabiles fratres.„

prius tractandum vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almae sedis vestrae fuisset deductum: ut huius auctoritate, iusta quae fuisset pronuntiatio, firmaretur: indeque sumerent ceterae ecclesiae velut de natali suo fonte praedicationis exordium, et per diversas totius mundi regiones puritatis incorruptae maneant [1]) fidei sacramenta salutis.,, Tum conqueruntur de novitate apud civitatem constantinopolitanam, servatum ab ipsis eo usque de re silentium excusant per romanae sedis consuetam vigilantiam; suam tamen ipsorum quoque [2]) curam fatentur; frustra autem illam fuisse lamentantur; retegunt scandali originem ac fontem, cumque in malo gloriae amore reponunt, quo ,,dum sibi nonnulli volunt acuti, perspicaces et sapientes videri, quaerunt [3]) quid novi proferant,,; haec vanitatis studia ad inpietatem conducere auctore Apostolo [4]) probant; ac tandem rursum semet ,,ad largum culminis fontem convertunt rogantes, ut si memoratus superius frater Paulus constantinopolitanus a nefanda se novitatis adinventione (Pyrrhi) ad integram non reformaverit orthodoxae fidei praedicationem . . . auctoritas almae sedis vestrae iuxta patrum sanctiones salubri consilio pertractet a sano corpore separare vulnus insanum, remotoque morbi saevientis flatu cautius quae sunt sincera perdurent, et grex purior ab hac mali contagione spiritali vestri culminis ferramento [5]) purgetur.,, Quibus declaratur

Praedicationis exordium.

Quaerelae de constantinop. ecclesia.

Vanitatis studia.

Adinventio novitatis.

1. πρᾶξις recursus et adpellationis ad sedem romani pontificis:
2. huius usus vetustas:
3. illius universalitas: et

---

[1]) Propterea igitur incorrupta manet fidei puritas in orbe christiano, quod is ab incorrupto fonte romanae sedis pendet.

[2]) Quum ecclesia Christi unum sit ovile, pastores omnes de custodia eius tenentur, ut Cyprianus ait, in solidum; ubi ergo fratrem aberrare a semita recta cognoscunt, tum a regula fraternae admonitionis tum a cura pastorali illum, et pro adiunctis summum pastorem monere tenentur. Id quod africani episcopi praeclaro suo exemplo comprobarunt, vide sis ibidem p. 735.

Coniuncta episcoporum vigilantia.

[3]) His Patres deterrent ab eorum studiis, in re maxime fidei atque theologica, qui perspicaciam sapientiamque dumtaxat in rerum novitate, vituperii autem maculam in eo reperiunt potissimum, quod nihil novi dictum sit.

[4]) I. Tim. I. VI. coll. I. Cor. I. 27. Jerem. V.

[5]) Universus itaque episcopatus Africae ecclesiasticarum severitatem poenarum a romano pontifice uti necessariam, quemadmodum illico ibidem declarat, instantissime postulabat, huiusque necessitatis acerbae necessarias etiam causas dabat.

Poena ecclesiastica.

4. ipsum eiusdem fundamentum, quod apud romanam sedem est apostolica et propterea catholica auctoritas atque iugis fons incorruptae fidei. Iamvero haec continuo nequit absque ullo periculo teneri neque reddi, quotusquisque eam flagitet, citra dotem inerrantiae; tum accedit, quod Scripturae docent [1]) et christiana persuasione receptum creditur, illam esse effectum et opus divinae causae itidemque adsistentis Spiritus sancti; cum illis ergo praerogativis haec simul dona sedi romanae adserta censentur.

Asiatici. 275. Atque haec luculentissime ab Africanis. Sed eadem ab asianis et in eadem pariter synodo [2]) docemur. Est enim rursus dorensis episcopus Stephanus, qui in synodo romana coram Martino primo expositis inmanibus fluctibus per haeresim irruentibus in ecclesiam pace ac tranquillitate compositam, advolasse *Stephan. dorens.* se inquit „ut annuntiemus haec omnia omnium praepositae sedi, dico autem sedi vestrae et principali atque supernae, ad medicinale consultum emersi (universi) vulneris„; cuius praerogativae causas ubi e Scripturis [3]) probavit atque inmutabilem inde ac singulariter firmam cathedrae illius doctrinam adseruit, ita [4])

---

[1]) Matth. XXVIII. 19. sq. coll. Marc. XVI. 14. sqq. Luc. XXIV. 48. sqq. Joan. XIV. 16. sqq. Act. I. 8.

[2]) Ap. Harduin. l. c. p. 712. sqq. *Ἵνα πετασθῶμεν καὶ διαγγέλλωμεν ταῦτα τῇ πασῶν ἀρχούσῃ καὶ ὑπερκειμένῃ καθέδρᾳ, λέγω δὲ τῇ καθ᾽ ὑμῶν κορυφαίᾳ καὶ ὑπερφυεῖ* (haec in textu latino ap. Harduin. desunt) *πρὸς τὴν τοῦ σύμπαντος ἴασιν τραύματος.* Sed quale foret medicamen fidei in romana cathedra, si et ipsa morbo veritatis infirma laboraret?

[3]) Coll. Matth. XVI. Joan. XXI. Luc. XXII.

[4]) Ibid. pp. 714. sqq. *Ζήλου θείου καὶ προθυμίας πλησθεὶς ἔλαβεν μὲν καὶ ἔστηκεν ἐμὲ τὸν ἀνάξιον ἐν τῷ ἁγίῳ Κρανίῳ, ἔνθα δι᾽ ἡμᾶς ἑκουσίως αὐτὸς ὁ ὑπὲρ ἡμῶν φύσει θεὸς ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς σταυρωθῆναι σαρκὶ κατηξίωσε· καὶ ἐκεὶ συνέδησέ με δεσμοῖς ἀλύτοις εἰπών· σύ δώσεις λόγον αὐτῷ τῷ σαρκὶ δι᾽ ἡμᾶς ἑκουσίως ἐν τῷ ἁγίῳ τόπῳ τούτῳ σταυρωθέντι θεῷ κατὰ τὴν ἔνδοξον αὐτοῦ καὶ φοβερὰν ἐπιφάνειαν . . . ταχέως οὖν ἀπὸ περάτων εἰς πέρατα δίελθε, μέχρις ἂν εἰς τὸν ἀποστολικὸν καταντήσειας θρόνον, ἔνθα τῶν εὐσεβῶν δογμάτων εἰσὶν αἱ κρηπίδες. μὴ ἅπαξ, μὴ δὶς, ἀλλὰ πολλάκις γνωρίζων τοῖς ἐκεῖσε πανιέροις ἀνδράσιν πάντα δι᾽ ἀκριβείας τὰ ἐνταῦθα κεκινημένα. καὶ μὴ ἐνδόσῃς ἐντόνως παρακαλῶν καὶ δεόμενος, ἕως ἂν ἐξ ἀποστολικῆς θεοσοφίας εἰς νεῖκος τὴν κρίσιν ἀναγάγωσι, καὶ τῶν ἐπεισάκτων δογμάτων τελείαν ποιήσωνται κανονικῶν τὴν κατάργησιν . . . ἐκεῖνος καὶ πάντες ἀσμένως ἱκετεύουσι, τουτέστι, βοηθῆσαι τῇ πίστει κινδυνευούσῃ τῶν χριστιανῶν . . . ἀλλ᾽ ὁ κύριος ἀντελάβετό μου . . . ὅθεν κατὰ σκοπὸν διώκων καὶ πρὸς τὸ βραβεῖον ἐπειγόμενος τῆς καθ᾽ ὑμᾶς ἀποστολικῆς καθέδρας . . . ἐξέγειρε δὲ τὸν νῦν ἱερῶς προκαθημένον δεσπότην ἡμῶν Μαρτῖνον τὸν τρισμακάριστον πάπαν . . . ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, ἀσυγκρίτως καὶ ὑπερβαλλόντως ζηλῶσαι ζῆλον θεοῦ . . .*

Sophronius hierosolym.

omnino subdit: „Quod utique sciens beatae memoriae Sophronius quondam patriarcha sanctae Christi Dei nostri civitatis, sub cuius dioecesi fungebar sacerdotale officium, non acquiescens omnino carni et sanguini, sed sola quae Christi sunt iuxta sanctitatem vestram excogitans, studuit meam humilitatem sine mora pro huiusmodi tantummodo capitulo, cum sua suggestione ad hanc apostolicam magnamque dirigere sedem, in scripto atque sine scripto per me supplicem vestrum omnium praedictorum virorum adaperiens novitatem, quam videlicet contra orthodoxam fidem memorati viri exponere ausi sunt„ . . . Addit porro, vanam fuisse Sophronii sollicitudinem, quod ad orthodoxiam revocare quaereret haereticos, Theodorum, Cyrum, Sergium, Pyrrhum et Paulum, et quomodo „in sancto Calvariae loco ubi propter nos ipse qui super nos secundum naturam Deus est, Dominus noster Jesus Christus. sponte crucifigi secundum carnem dignatus est„ se ad futurum iudicium provocans „vinculis alligavit indissolubilibus„ ut „quantocius . . . ad apostolicam sedem ubi orthodoxorum dogmatum fundamenta existunt perveniret: non semel, non bis, sed multo saepius aperiens sacris viris ibidem consistentibus omnia secundum veritatem, quae in istis partibus mota sunt, et non quiescas instantius expetens et exorans eos, donec ex apostolica prudentia,

Novitas destruenda.

quae in Deo est, ad victoriam iudicium perducere debeant, et noviter introductorum dogmatum perfectam faciant secundum canones destructionem„: deinde narrando prosequutus, quomodo cum Sophronio omnes petant „fidei christianorum periclitanti manum porrigere„: laudat porro Martini pontificis zelum in novitatis destructione, et hoc esse Romanorum proprium, quibus Apostolus [1] „praecepit attendere eos, qui seditiones et scandala praeter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt et declinare ab illis.„ Quibus nihil, quod in nostra causa merito desideretur, addi posse videtur: quid enim adderes rei capiti atque huic dictorum summae? Orthodoxi orientales fidei periclitanti tutum et unicum quaerunt praesidium apud romanam *κρηπῖδα*, ubi reposita orthodoxorum fundamenta dogmatum; persuasum ergo illis quam quod maxime

Rom. XVI. 17.

εἰς ἐκβολὴν μὲν τῶν ἐπεισάκτων, συντήρησιν δὲ τῶν πατρικῶν τῆς ἐκκλησίας δογμάτων . . . παρακαλεῖ γάρ ὑμᾶς πρὸς ὑμᾶς γράφων τοὺς Ῥωμαίους ὁ θεῖος ἀπόστολος, σκοπεῖν τοὺς τὰς διχοστασίας καὶ τὰ σκάνδαλα παρὰ τὴν διδαχὴν ἣν ὑμεῖς ἐμάθετε ποιοῦντας, καὶ ἐκκλίνειν ἀπ᾽ αὐτῶν.

[1]) Rom. XVI. 17.

erat, romanae sedis fidem periculo atque discrimini heterodoxiae non posse esse obnoxiam.

Europaei. 276. Sed utriusque plagae africanae et asiaticae vocem claritate vincit, quae in eodem concilio [1]) prolata a mediterranei maris insula, cypriensi nimirum Sergio sic insonat: „Firmamentum a Deo fixum [2]) et immobile atque tituli formam (columnarem *Sergius cypr.* inscriptionem) lucidissimam fidei, vestram apostolicam sedem constituit, o sacer vertex, Christus Deus noster. Tu es enim, sicut divinum veraciter praenuntiat verbum, Petrus, et super fundamentum tuum ecclesiae columnae [3]) confirmatae sunt: tibi et claves coelorum commisit, atque ligare et solvere potestative, quae in terra et in coelis sunt, promulgavit. Tu profanarum haeresum depositor exsistis ut princeps et doctor orthodoxae et immaculatae fidei. Igitur non despicias patrum tuorum, pater, fidem aestuantem et ab aliquibus haereticis ventis violentatam, nec non periclitantem: resolve nebulam insipientium lumine tuae divinae scientiae, o sanctissime. Nihil etenim minus est orthodoxae et apostolicae vestrae definitioni atque traditioni, quatenus argumentum aliquod suscipiat a nobis fides.„ Quae insito fulgent splendore.

277. Sed tanto sententiarum splendori quid, quaeso, ad rem de qua agitur conficiendam deest? Eduntur eaedem non singularis cuiuspiam, sed integrarum provinciarum nomine ac veluti traditio totius conspirantis antiquitatis. Et tamen iisdem omnino *Theophylact. primicer. apost.* gemina adiici alia plura potuissent iuxta ea quae „Theophylactus primicerius notariorum apostolicae sedis [4]) dixit: Suggero beati-

---

[1]) Cf. ibidem p. 729. *Στήριγμα θεοπαγὲς καὶ ἀσάλευτον, καὶ στηλογραφίαν διαφανῆ τῆς πίστεως τὴν σὴν ἀποστολικὴν καθέδραν ἱδρύσατο, ὦ ἱερὰ κορυφὴ, Χριστὸς ὁ θεὸς ἡμῶν. σὺ γὰρ, ὡς ἀληθῶς ὁ θεῖος ἀψευδῶς ὑπηγόρευσε λόγος, ὑπάρχεις Πέτρος· καὶ ἐπὶ τῷ σῷ θεμελίῳ τῆς ἐκκλησίας οἱ στύλοι πεπήγασι. σοὶ καὶ τὰς κλεῖς τῶν οὐρανῶν ἐνεχείρισε, δεσμεῖν τε καὶ λύειν ἐπὶ γῆς καὶ οὐρανοῦ κατ᾽ ἐξουσίαν ἐθέσπισε, σὺ τῶν βεβήλων αἱρέσεων καθαιρέτης καθέστηκας, ὡς κορυφαῖος καὶ καθηγητὴς τῆς ὀρθοδόξου καὶ ἀμωμήτου πίστεως. μὴ ὑπερίδῃς τοίνυν τῶν πατρῶν ἡμῶν, πάτερ, τὴν πίστιν κλυδονιζομένην καὶ κινδυνεύουσαν· διάλυε τὴν ἀρχὴν τῶν φρενοβλαβῶν τῷ φωτὶ τῆς σῆς θεογνωσίας, πανάγιε· ἄνελε τὰς βλασφημίας καὶ τὰ φρυάγματα τῶν καινοφώνων καὶ νεοφύτων αἱρετικῶν διδασκάλων, οὐδὲν γάρ ἐστιν ἐλλιπὲς τῇ ὀρθοδόξῳ ἀποστολικῇ ὑμῶν διατάξει καὶ παραδόσει, ὅπως καὶ προσθήκην τινὰ λάβοι πρὸς ἡμῶν τὰ τῆς πίστεως.*

[2]) His manifesta fit ad Luc. XXII. allusio.

[3]) Columnae ecclesiae sunt ipsi praesules atque pastores; ergo ii pariter teste Sergio basi romanae innituntur.

[4]) Ibidem p. 727.

tudini vestrae, quod et ipsam scire sine dubio confidimus, utpote omnium retinentem et supportantem cum multa sollicitudine, quae in Deo est, eorum quae necessantur, vigilantem memoriam: quoniam in scrinio sanctae vestrae ecclesiae plurimae suggestiones *Romana scrinia.* supplicum cum omni cautela reconditae sunt, postulantium per diversa tempora vestram principalem apostolicamque sedem propter novitatem nuper emersam a Cyro et Sergio, vel qui cum eis sentiunt, quatenus eam deponere et canonico anathemati eam submittere debeat.„ Ita ex romani scrinii documentis.

278. Verum quum omnia ista ex eodem monumentorum genere et circa eandem versantium causam deprompta fuerint, alios eosque multimodis ab invicem diversos ad idem confirmandum in medium iuverit adduxisse. Considerentur itaque prae ceteris, quae Eusebius de viennensium et lugdunensium martyrum variis reliquit [1]) *MM. lugdun.*

---

[1]) H. e. l. V. c. 3. *Ἐκθέμενοι καὶ τῶν παρ᾽ αὐτοῖς τελειωθέντων μαρτύρων διαφόρους ἐπιστολάς· ἃς ἐν δεσμοῖς ἔτι ὑπάρχοντες τοῖς ἐπ᾽ Ἀσίας καὶ Φρυγίας ἀδελφοῖς διεχάραξαν· οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ Ἐλευθέρῳ τῷ τότε Ῥωμαίων ἐπισκόπῳ τῆς τῶν ἐκκλησιῶν εἰρήνης ἕνεκα πρεσβεύοντες.* Postrema haec verba ad *Eusebius.* solum referenda papam Eleutherum a) cum aliis vel ipse concedit Christophorsonus: b) postulat membrorum maior distinctio: c) flagitat prioris incisi per verbum *διεχάραξαν* finitio ac terminatio: d) exigit huius incisi sequentis adversativa et *ἐμφατικὴ αὔξησις*, cuius rationem continent postrema haec verba: e) confirmat historia, de qua apud Vales. et Coustant. ad martyr. lugdun. epistol. quaque novimus, ab iisdem lugdunensibus presbyteris Irenaeum Romam directum esse ad Eleutherum papam, cum epistolis tam martyrum quam lugdunensis cleri, ut cum Eleuthero de iisdem rebus communicaret. Cum enim in omnibus ecclesiasticis negotiis primae essent partes episcopi romani, merito lugdunenses hanc controversiam ad eum detulerunt: id agentes et omnibus modis studentes, ut episcopi romani auctoritate, quae semper summa fuit in ecclesia, haec apud Asiam orta dissensio sedaretur, et pax in ecclesia restitueretur.„ Quae quum ita illis auctoribus sint, praeposterum plane non fuerit, verbum *πρεσβεύοντες* reddere non per „legatione fungentes„ sed per „legationem mittentes„: praeterea g) consonum est, receptas in versionibus vulgatis textus graeci ap. Hug. Laemmer. ed. nov. V. 5. p. 358. distributionis particulas „partim ad fratres . . . partim ad Eleutherum„ eliminare. De hac namque distributa oratione nullum apud graecum Eusebium habetur vestigium, sed tota haec posterior pars cum inciso *ἀμέσως* praecedente tantum cohaeret. Unde concludimus, adfirmantibus aeque ac negantibus eiusmodi spectatis rationum momentis, allata superius verba ad unum referri romanum pontificem. Haec si Martin. Jos. Routh. S. T. P. colleg. s. Magdal. *Routh.* oxon. praes. ed. alt. rel. sacr. vol. I. pp. 370. sq. diligentius e veritate considerasset, neque a iudicio Christophorsoni recessisset, neque verba illa „ad utrosque . . . tum ad Eleutherum, tum ad fratres in Asia et Phrygia constitutos referenda putasset„ neque etiam vol. III. pp. 356. sqq. abreptus fuisset ad praeposterum aeque ac iniquum istud iudicium „Beveregio quidem in tom. synodici sui II. scribenti *πρὸς τοὺς λέγοντας ὡς ἡ Ῥώμη πρῶτος θρόνος*, videbatur relatio

„epistolis quas illi dum in vinculis adhuc essent ad fratres in Asia et Phrygia degentes scripserant: sed enimvero etiam ad Eleutherium romanorum tum temporis episcopum propter ecclesiarum pacem legatione fungentes.„ Atqui de Montani, Alcibiadis et Theodoti agebatur potissimum haeresi; huius ergo extinguendae validam causam vetustissimi illi orientales una cum occidentalibus Martyribus apud romanum esse pontificem docebant.

Ecclesia alexandrina.

279. Id quod amplissima confirmat patriarchalis ecclesiae alexandrinae traditio. Considerentur namque paulo penitius quae post quatuor epistolas ad romanum episcopum in causa baptismi datas [1]) in quinta ad Xystum scribit [2]) alexandrinus Dionysius: „Nam profecto opus habeo, frater, consilio tuo et sententiam tuam expeto, ne forte ipse halluciner, tali ad me negotio delato.„ Atqui praecesserant in hoc negotio deliberationes seriae ac diuturnae episcoporum tam seiunctorum quam collectorum in unum; et timet gravissimus praesul alexandrinus, ne forte hallucinetur: propterea consulit fratrum confirmatorem episcopum romanae urbis; hunc ergo ab erroris hallucinationisque periculo apertissime ponit inmunem. Neque secus praestantissmus Dionysii in cathedra alexandrina successor. Consideretur enimvero iterum, quae expressis verbis alexandrinus Cyrillus [3]) ad Coelestinum pontificem scribit: „Si in rebus usque

Dionysius.

Cyrillus.

Aurelian.

illa Aureliani imp. ad romanum episcopum prima iecisse fundamenta pontificiae, quam vocat, tyrannidis. Malim dicere, auctoritatis papalis augmentum attribuendum esse patrocinio Athanasii, quod suscepit Julius episcopus romanus, ex quo ortae sunt ad romanam sedem appellationes a concilio sardicensi constitutae.„ Scilicet fundamenta romanae auctoritatis iecit Christus solus immortalis rex, non imperator paganus, qui tamen splendore illius fundamenti, praeter quod nemo aliud potest ponere, ita erat collustratus, ut eius normae christianos stare iuberet. Sed hinc etiam patet ex quarti demum saeculi licet illustrissimo facto non augmentum auctoritatis, sed argumentum idque praeclarissimum ad probandam illam patefaciendamque peti omnino posse atque etiam debere: et hoc suo loco praestitimus.

Praepostera de adpellationum origine.

[1]) De quibus vide Euseb. h. e. l. VII. cc. 4. sqq.

[2]) Ibid. c. 9. *Καὶ γὰρ ὄντως, ἀδελφὲ, καὶ συμβουλῆς δέομαι, καὶ γνώμην αἰτῶ παρὰ σοῦ, τοιούτου τινός μοι προσελθόντος πράγματος δεδιὼς μὴ ἄρα σφάλλωμαι.*

[3]) Ep. 9. al. 11. opp. t. X. p. 80. ap. Mign. gr. PP. t. 77. *Εἰ μὲν οὖν σιωπῆσαι καὶ μὴ πάντα τῇ σῇ θεοσεβείᾳ γράφοντα τὰ κινούμενα καὶ μέμψεως ἔξω γενέσθαι, καὶ διαφυγεῖν δύνασθαι τὸ δοκοῦν λυπηρὸν, καὶ μάλιστα ἐν ἀναγκαίοις οὕτω πράγμασιν, ὅπου καὶ ἡ τῆς πίστεως ὀρθότης παρασαλεύεται παρά τινων, ἔφην ἂν ἐμαυτῷ· καλὴ καὶ ἀκίνδυνος ἡ σιωπὴ καὶ τὸ ἠρεμεῖν τοῦ ταράτ-*

adeo seriis ac necessariis, ubi recta fides male a quibusdam depravata distortaque periclitatur, citra notam silere et cuncta quae hactenus mota agitataque sunt, citra morositatis vitium celare licuisset, dixissem utique mihi bona ac periculi expers res est silentium; et illud rursum: Praestat quietam vitam agere, quam turbis operam dare. Quoniam vero Deus hisce in rebus prudentiam a nobis exigit, longaque ecclesiarum consuetudo suadet, ut eiusmodi res sanctitati tuae communicentur, non possum equidem quod apertum est, nempe satanam, pessimam illam infraenemque bestiam, quae ab impietatis studio nunquam desistit, in praesentia omnia miscere, contraque Dei ecclesias magna vi insanire, nec non in omnium ubique populorum, qui in rectae fidei semita ambulabant, subversionem studiose eniti, ad pietatem tuam non perscribere.„ Habes itaque doctore alexandrino *Silentii vitium.*

1. necessitatem adpellandi ad romanam sedem, ubi recta fides in discrimen adducitur: habes

2. notatum in tali negotio silentium declaratum veluti dissimulandi morositatisque vitium: expositos habes

3. vel ipsos silendi celandique praetextus, sed a Cyrillo reiectos: habes

4. ecclesiae usum, quo quod necessitas fidei exigit, inde ab antiquo expletum fuit: atqui hoc non aliud erat, quam quod Cyrillus ad Coelestinum in causa nestoriana recurrendo explendum sancte existimabat. Sed enimvero quaeso, num Cyrillo, tanto fidei vindici atque columnae, incompertum erat fidei dogma? Respondet[1]) ipse „verbi ministerium fideique custodiam sibi concreditam:„ ad quid ergo eiusdem ad Coelestinum recursus? Ipsum rursus [2]) exci-

---

τεσθαι κρεῖττον· ἐπειδὴ δὲ καὶ θεὸς ἀπαιτεῖ παρ᾽ ἡμῶν τὸ νηφάλιον ἐν τούτοις, καὶ τὰ μακρὰ τῶν ἐκκλησιῶν ἔθη πείθουσιν ἀνακοινοῦσθαι τῇ σῇ ὁσιότητι, γράφω πάλιν ἀναγκαίως, ἐκεῖνο δηλῶν, ὅτι διακυκᾷ τὰ πάντα καὶ νῦν ὁ σατανᾶς, καὶ κατὰ τῶν ἐκκλησιῶν τοῦ θεοῦ μαίνεται, καὶ ὀρθοποδοῦντας ἐν πίστει τοὺς ἁπανταχόσε λαοὺς, πειρᾶται διαστρέφειν. οὐ γὰρ ἠρεμεῖ τὸ παμπόνηρον ἐκεῖνο θήριον καὶ εὐφόρητον (al. *ἀφόρητον*) *εἰς ἀσέβειαν.*

1) Ibid. p. 84. *Οἱ ἐμπεπιστευμένοι τοῦ λόγου τὴν οἰκονομίαν, καὶ τῆς πίστεως τὴν ἀσφάλειαν, τί ἐροῦμεν ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως, ὅταν ἐπὶ τούτοις σιγήσωμεν;* Ut igitur fidei *ἀσφάλεια* custodiatur, obortis dissidiis Cyrillus necessarium duxit, loqui et ad sedem romanam rem deferre; ab ea ergo fidei pendet *ἀσφάλεια*; adeoque ipsam in fide esse securam et certam necesse est.

2) Ibidem: *Οὐ πρότερον δὲ πρὸς αὐτὸν κοινωνίας ἐκβάλλομεν ἑαυτοὺς μετὰ παῤῥησίας, πρὶν ἂν ταῦτα τῇ σῇ θεοσεβείᾳ ἀνακοινώμεθα· διὸ δὴ καταξίωσον τυπῶσαι τὸ δοκοῦν, καὶ πότερόν ποτε χρὴ κοινωνεῖν αὐτῷ ἢ λοιπὸν ἀπειπεῖν*

piamus: „At quamvis res ita se habeat, non prius tamen illius communionem confidenter deserere ausi fuimus, quam haec ipsa pietati tuae indicaremus. Digneris proinde nobis declarare quid tibi videatur: quo liquido nobis constet, communicare ne nos cum illo oporteat, an vero libere eidem denuntiare, neminem cum eo, qui eiusmodi erroneam doctrinam fovet ac praedicat, communicare. Porro tuae integritatis mens et super hac re sententia non modo piissimis Deoque devotissimis Macedoniae episcopis, sed totius quoque orientis antistitibus perspicue per litteras exponi debet. Nam cupientibus illis ansam dabimus, ut omnes uno animo in una sententia persistant; rectaeque fidei quae iam impugnatur, opem ferant.„ Causa itaque recurrendi erat obtinenda *ἀσφάλεια*, perfecta securitas ac tuta certitudo in negotio custodiendae fidei, puritatis eius eiusdemque unitatis: haec a romanae sedis integritate episcopi orientales orthodoxi omnes quaerentes exspectabant; iidem ergo certitudinem tutam, securitatem, *ἀσφάλειαν*, in fidei negotio apud romanum episcopum profecto supponebant.

Ecclesia antiochena.

280. Ad haec considerentur, quae [1]) luculentus pro antiocheno patriarchatu testis Theodoretus ad Leonem inter alia scripsit propositum argumentum ex ordine pleneque pertractans. Atque illico ab initio

Theodoretus.

1. necessitatem recursus ad romanam sedem probans rationem petit a minori, ut dialectici loqui amant, ad maius: videlicet [2]), „Si Paulus praeco veritatis ad magnum Petrum se contulit, ut iis, qui Antiochiae de legali conversatione ambigebant, explicationem ab illo referret, multo magis nos humiles et pusilli ad

---

μετὰ παῤῥησίας ὅτι τοιαῦτα φρονοῦντι καὶ διδάσκοντι οὐδεὶς κοινωνεῖ. τὸνδ᾽ ἐπὶ τούτοις σκοπὸν τῆς σῆς θεοσεβείας (al. *τελειότητος*) *χρὴ γενέσθαι διὰ γραμμάτων καταφανῆ καὶ τοῖς εὐσεβεστάτοις καὶ θεοφιλεστάτοις ἐπισκόποις τοῖς κατὰ Μακεδονίαν καὶ ἅπασι τοῖς κατὰ τὴν ἀνατολήν. ἐπιθυμοῦσι γὰρ αὐτοῖς δώσομεν ἀφορμὰς τοῦ πάντας μιᾷ ψυχῇ καὶ μιᾷ γνώμῃ στῆναι, καὶ ἐπαγωνίσασθαι τῇ ὀρθῇ πίστει πολεμουμένῃ.*

[1]) Ep. CXIII. ap. Mign. gr. PP. t. 83. pp. 1312. sqq. Cf. Christiani Lupi dissertat. V. de rom. appellatione Theodoreti cyrens. episc. opp. t. VIII. pp. 348. sqq.

[2]) Ibid. p. 1312. *Εἰ Παῦλος, τῆς ἀληθείας ὁ κήρυξ, ἡ τοῦ ἁγίου πνεύματος σάλπιγξ, πρὸς τὸν μέγαν ἔδραμε Πέτρον, ὥστε τοῖς ἐν Ἀντιοχείᾳ περὶ τῆς κατὰ νόμον πολιτείας ἀμφισβητοῦσι παρ᾽ αὐτοῦ κομίσαι τὴν λύσιν, πόλλῳ μᾶλλον ἡμεῖς οἱ εὐτελεῖς καὶ σμικροὶ, πρὸς τὸν ἀποστολικὸν ὑμῶν τρέχομεν θρόνον, ὥστε παρ᾽ ὑμῶν λαβεῖν τοῖς τῶν ἐκκλησιῶν ἕλκεσι θεραπείαν.*

apostolicam sedem vestram accurrimus, ut ecclesiarum ulceribus remedium a vobis accipiamus„: porro

2. eiusdem necessitatis legitimam causam [1]) subiiciens: „Vobis enim, inquit, primas in omnibus tenere convenit„; et id quidem propter dona alia, quae externa sunt [2]) ac mundana: „praecipue autem illam fides ornat, cuius testis idoneus est divinus Paulus [3]) clamans: Fides vestra annuntiatur in universo mundo„: tum a iure progreditur *Rom. I. 8.*

3. ad historicos effectus, quibus exploratum est [4]), inde ab originibus et excelluisse romanam ecclesiam praedicatione veritatis, et ab ea in universum orbem rectae fidei radios diffusos esse atque etiamnum diffundi: id

4. illustrat Leonis „zelo [5]) adversus infames manichaeos„: tum Leonis scriptis „de Dei nostrique Salvatoris incarnatione„ in quibus, inquit [6]), „spiritualem sapientiam tuam admirati, Spiritus sancti gratiam, quae per vos loquuta est, laudibus extulimus:„ verum

5. quum se vexatum exagitatumque ob fidei suae praeiudicia ab alexandrinorum antistite videret, ad Leonem conversus [7]) instanter „rogamus, inquit, et obsecramus, et precamur, et supplices oramus sanctitatem tuam, ut tempestate iactatis Dei ecclesiis opem ferat.„ Suis porro

6. explicatis contra haereticos laboribus: „At ego apostolicae

---

[1]) Ibid. p. 1313. A—B. *Διὰ πάντα γὰρ ὑμῖν το πρωτεύειν ἁρμόττει.* Harmonia igitur cum natura romani pontificis continetur *τῷ πρωτεύειν διὰ πάντα.*

[2]) Ibidem. Sed de his vide, ubi patriarcharum patriarcham romanum esse pontificem ostendimus.

[3]) Ibidem B—C. *Κοσμεῖ δὲ αὐτὴν διαφερόντως ἡ πίστις:* iuxta Paulum Rom. I. 8. Id quod rursum et singulari quidem sententiae *ἐμφάσει* scribit ep. CXVI. ad Renatum presbyt. ibid. p. 1323.

[4]) Ibidem. *Εἰ δὲ εὐθὺς δεξαμένη τὰ τοῦ σωτηρίου κηρύγματος σπέρματα, τίς ἀξιαγάστοις τούτοις ἐβεβρίθει καρποῖς, τίς ἀπόχρη λόγος τὴν νῦν ἐν αὐτῇ πολιτευομένην εὐσέβειαν εὐφημῆσαι . . . ὁ δ' ἐκείνων (Πέτρου καὶ Παύλου) θεὸς καὶ νῦν τῶν ἐκείνων ἐλάμπρυνε θρόνον, τὴν ὑμετέραν ἁγιωσύνην ἱδρύσας ἐν τούτῳ τῆς ὀρθοδοξίας τὰς ἀκτῖνας ἀφιεῖσαν.*

[5]) Ibidem C–D. *Ἀρκεῖ δὲ ὑμῶν καὶ ὁ κατὰ τῶν δυσωνύμων Μανιχαίων ζῆλος . . . ἐντετυχήκαμεν γὰρ τοῖς παρὰ τῆς σῆς γραφεῖσι ὁσιότητος περὶ τῆς τοῦ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν ἐνανθρωπήσεως.*

[6]) Ibid. p. 1316. A—B. *Ἡμεῖς δὲ πνευματικήν σου σοφίαν θαυμάσαντες, τὴν δι' ὑμῶν φθεγξαμένην τοῦ ἁγίου πνεύματος ἀνυμνήσαμεν χάριν.*

[7]) Ibidem. *Παρακαλοῦμεν καὶ ἀντιβολοῦμεν, καὶ δεόμεθα, καὶ ἱκετεύομέν σου τὴν ἁγιωσύνην, ἐπαμῦναι ταῖς τοῦ θεοῦ ἐκκλησίαις χειμαζομέναις.*

vestrae sedis, inquit [1]), expecto sententiam, et oro atque obtestor sanctitatem tuam, ut mihi ad rectum et iustum tribunal vestrum provocanti opem ferat, iubeatque ad vos venire, et doctrinam meam apostolicis vestigiis inhaerentem ostendere„: quod ubi per studia sua omnia suaque orthodoxa opera ostendit, denique

7. concludit iterum sanctitatem pontificis [2]) orando „ut calumniis vexatam et sine causa impugnatam senectutem suam studio et providentia dignetur, tum ante omnia fidei insidiis appetitae quam maximam possit curam gerat, paternamque haereditatem ecclesiis integram custodiat.„ Quibus piissimis votis, ut par

Leo. erat, iusto suo iudicio magnus Leo plenissime satisfecit. Postquam enim monuit [3]) „hostes aequa lance vitandos ac damnandos . . . digno anathemate promptissime atque evidentissime

Poenae ecclesiasticae. feriendos, ne si hoc [4]) a nobis aut obscurius fieri videatur aut tardius, putetur invitum„ ita [5]) pergit: „Sed benedictus Deus noster, cuius invincibilis veritas ab omni haereseos macula mundum te, secundum sedis apostolicae iudicium demonstravit.„

281. E quibus adparet, non illicito quopiam tyrannidis in morem arbitrio romanos pontifices ad se quondam rapuisse supremum in omnes ecclesias iudicium: quod etiam quomodo ab iisdem obtineri potuisset, ne intelligi quidem valet; sed hoc fuisse apud omnes semper et ubique agnitum et in exploratis, iure illud divino romanae sedis episcopo competere. Quo posito inficias ire nullus possit, pro tali persona, qualis est supremus in causis fidei inmutabilis iudex, romanum pontificem necessario praesidio communitum divinitus esse, quod infallibilitatis continetur

---

[1]) Ibidem D. *Ἐγὼ δὲ τοῦ ἀποστολικοῦ ὑμῶν θρόνου περιμένω τὴν ψῆφον· καὶ ἱκετεύω, καὶ ἀντιβολῶ τὴν σὴν ἁγιότητα, ἐπαμῦναί μοι τὸ ὀρθὸν ὑμῶν καὶ δίκαιον ἐπικαλουμένῳ κριτήριον, καὶ κελεῦσαι δραμεῖν πρὸς ὑμᾶς καὶ ἐπιδεῖξαί μου τὴν διδασκαλίαν τοῖς ἀποστολικοῖς ἴχνεσιν ἑπομένην.*

[2]) Ibidem p. 1318. D. *Παρακαλῶ τὴν ὑμετέραν ὁσιότητα τὸ συκοφαντούμενον καὶ μάτην πολεμούμενόν μου γῆρας τῆς ὑμετέρας ἀξιῶσαι κηδεμονίας, καὶ πρὸ πάντων τῆς ἐπιβεβουλευμένης πίστεως παντὶ σθένει φροντίσαι, καὶ φυλάξαι ταῖς ἐκκλησίαις τὸν πατρῷον κλῆρον ἀκήρατον.*

[3]) Ep. ad Theodoret. ap. Mign. gr. PP. t. 83. p. 1422. inter epp. s. Leon. ep. 120. ed. Baller.

[4]) His alludit Leo aperte ad temporariam Theodoreti haesitationem in negotio nestoriano, adeoque subdit ibidem: „Quod quamvis prudentiam tuam res ipsa admonere sufficiat, iam tamen et experimenta docuerunt.„

[5]) Petit ex Renato presbyt. ep. CXVI. ibid. p. 1324. *Πεῖσαι τὸν ἁγιώτατον καὶ ὁσιώτατον ἀρχιεπίσκοπον* (Leonem) *τῇ ἀποστολικῇ χρήσασθαι ἐξουσίᾳ.*

charismate. Id quod luculenter idem comprobat Theodoretus, qui exorato denuo [1]) beatissimo archiepiscopo Leone, „ut apostolica potestate utatur„ adductaque causa apostolicae in romana sede inmutabiliter et ex integro conservatae [2]) fidei subiungit: „Quae a vobis fuerint iudicata in his, qualiacunque ea erunt, iudicii vestri aequitati confidentes acquiescemus.„ Sed quinam acquiescentiae locus dari in iudicio fidei potest, citra tutam infallibilemque veritatis possessionem?

282. Quae quidem manifesta conclusio ex celebri rursum *Ecclesia constantinopolitana.* aliorum apud orientales fidei vindicum, Theodori nempe studitae cum suis presbyteris, ad romanam sedem adpellatione vehementer confirmatur. Provocantes itaque illi [3]) ad illustria antiquitus praecedentium „pontificum exempla, qui similibus temporibus cum fecerint ea quae a nobis, inquiunt, peccatoribus nunc [4]) petuntur, Spiritu sancto afflati [5]) et commemorantur et sancti habiti sunt„ flagitantes [6]) exclamant: „Huc igitur ab occidente, o Christi imitator, Exurge et ne repellas in finem. Tibi dixit Christus Deus noster: Et tu aliquando conversus confirmabis fratres tuos. Ecce *Luc. XXII. 32.*

---

[1]) Ibidem: verba superius dedimus.

[2]) Ibidem 1325. *Τὰ γὰρ παρ᾽ ὑμῶν κριθησόμενα στέρξομεν, ὁποῖα ἂν ᾖ τῇ ὑμετέρᾳ δικαιοκρισίᾳ θαῤῥοῦντες.*

[3]) Paschali papae Romae ap. Mign. gr. PP. t. 99. int. opp. Theodori studitae ep. XII. *Τῷ παναγεστάτῳ φωστῆρι μεγάλῳ ἀρχιερεῖ πρωτίστῳ κυρίῳ ἡμῶν, δεσπότῃ ἀποστολικῷ πάπᾳ Ἰωάννης, Θεοδόσιος, Ἀθανάσιος, Ἰωάννης, Θεόδωρος, ἐλάχιστοι πρεσβύτεροι καὶ ἡγούμενοι τῶν Καθαρὰ, τῶν Πικριδίου, τοῦ Παυλοπετρίου, τῆς Εὐκερίας τῶν Στουδίου.*

[4]) Videbantur monachis esse „adventus antichristi praeludia.„ *Τίς δὲ οὐ λογίσοιτο προεισόδια εἶναι τῆς τοῦ Ἀντιχριστοῦ παρουσίας.*

[5]) Ibidem p. 1153. *Οἳ ἐν τοῖς ὁμοίοις καιροῖς τὰ παρ᾽ ἡμῶν τῶν ἁμαρτωλῶν νῦν αἰτούμενα δεδρακότες πνευματοκινήτως· καὶ μνημονεύονται καὶ μεμακάρινται.*

[6]) Ibidem B—C. *Δεῦρο δὴ οὖν ἀπὸ δυσμῶν ὁ Χριστομίμητος, Ἀνάστηθι καὶ μὴ ἀπώσῃ εἰς τέλος. Πρὸς σὲ εἴρηκε Χριστὸς ὁ θεὸς ἡμῶν· Καὶ σὺ ποτὲ ἐπιστρέψας στηρίξεις τοὺς ἀδελφούς σου. Ἴδε ὁ χρόνος καὶ ὁ τόπος· βοήθησον ἡμῖν ὁ ὑπὸ τοῦ θεοῦ τεταγμένος εἰς τοῦτο· ὄρεξον χεῖρα καθ᾽ ὅσον οἷόν τέ ἐστιν. ἔχεις τὸ ἰσχύειν παρὰ θεῷ ἐκ τοῦ πάντων πρωτεύειν· ἐν ᾧ καὶ ἐτέθης. Πτόησον, δεόμεθα, τοὺς αἱρετικοὺς θῆρας σύριγγι τοῦ θείου λόγου σου. Ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς, θὲς τὴν ψυχὴν ὑπὲρ τῶν προβάτων· ἱκετεύομεν. Ἀκουσάτω ἡ ὑπ᾽ οὐρανὸν, ὅτι ὑφ᾽ ὑμῶν ἀναθεματίζονται συνοδικῶς οἱ ταῦτα τετολμηκότες, καί γε ἀναθεματίζοντες τοὺς ἁγίους πατέρας ἡμῶν. Τοῦτο εἴη θεῷ εὐπρόσιτον· ἀγγέλοις καὶ ἁγίοις χαρμόσυνον· σαλευομένοις στήριγμα· ἑδραιουμένοις ἐπισφράγισμα· καταπεπτωκόσιν ἀνάστημα· πάσῃ ἐκκλησίᾳ ὀρθοδόξων ἀγαλλίαμα· καί γε τῇ σῇ κορυφαιότητι κατὰ τοὺς πάλαι προηγησαμένους μνημόσυνον αἰώνιον.*

tempus, ecce locus: opitulare nobis, qui es a Deo ad hoc ordinatus: porrige manum quantum fieri potest: habes potestatem a Deo, eo quod omnium princeps es: in quo et positus es. Terreto, supplicamus, haereticas feras calamo divini verbi tui. Pastor bone, pone animam pro ovibus, supplicamus. Audiat ecclesia, quae sub coelo est, quod a vobis anathematizantur per synodum qui haec ausi, et iam sanctos Patres nostros anathematizant. Hoc fuerit Deo acceptum, angelis et sanctis gaudium, concussis firmamentum, fundatis stabilimen, lapsis resurrectio, omni orthodoxorum ecclesiae exultatio, et tuae certe celsitudini secundum eos, qui antiquitus praecesserunt, aeternum monimentum,,. A quibus avellenda non sunt, quae [1]) iidem pro accepto auxilio debitas gratias rependentes expositis denuo „impiorum consuetis sibi conatibus, quibus qui mortis metu franguntur in haeresis barathrum traherent et abriperent,, iterum [2]) Paschalem pontificem deprecantur: „Humiles et in membris postremi tam pro sacro proprio capite, quam pro reliquis decertantibus patribus et fratribus audentes legatione fungimur et obsecramus, ut consoletur nos sancta et apostolica anima tua. Primum quidem, quod et facere illam credimus, ne suas pro stabilitate et salute omnium Deum flectentes preces intermittat. Ita obtestamur sacratissima viscera. Deinde ut quae Spiritus sancti instinctu pro humilitatis nostrae utilitate ac perpetua virtutis suae laude deliberavit et statuit, ad exitum Deo adiuvante perducat.,, Scilicet romana sedes habebatur in oriente securum perfugium, et ab eius sententia in discrimine rerum suam praestolabantur salutem.

283. Hinc nihil mirum, id romanos pontifices semper ut iuris officiique sui sibi vindicasse, quod ad episcopos Dardaniae et Illyrii monendo scripsit [3]) Gelasius: „Si quos vero

---

[1]) Ep. XIII. ibidem p. 1155. Iidem superius laudati presbyteri et praeposit *κορυφαίῳ φωστῆρι οἰκουμενικῷ κ. τ. λ.*

[2]) Ibidem. C. *Ἡμεῖς δὲ καὶ αὖθις οἱ ταπεινοὶ καὶ ἔσχατοι ἐν τοῖς μέλεσιν, ὑπέρ τε τῆς οἰκείας ἱερᾶς κεφαλῆς καὶ τῆς ἐνισταμένης ὑπερεχούσης πατρότητός τε καὶ ἀδελφότητος τολμῶντες πρεσβεύομέν τε καὶ ἐκλιπαροῦμεν παρακληθῆναι σου τὴν ἁγίαν καὶ ἀποστολικὴν ψυχήν· πρῶτον μὲν, ὅπερ καὶ πιστεύομεν ποιεῖν, μὴ καταλῆξαι τῆς ὑπὲρ στηριγμοῦ καὶ διασώσεως ἁπάντων θεοκλινοῦς προσευχῆς. Ναὶ, δεόμεθα τὰ ἱερώτατα σπλάγχνα. Ἔπειτα ἃ πνευματοκινήτως αὐτῇ βεβούλευται καὶ ὥρισται ἐπ᾽ ὠφελείᾳ μὲν ἡμῶν τῶν ταπεινῶν, αἰωνίῳ δὲ μακαρισμῷ τῆς οἰκείας ἀρετῆς, εἰς πέρας σὺν θεῷ ἀγαγεῖν.*

[3]) Ep. XI. ap. Mign. lat. PP. t. 59. p. 59.

novos didiceritis motus exsurgere, nobis fraterna debetis sollicitudine reserare, quo subinde, quae Patrum regulis congruant, praestante Domino remedia procuremus„: illudque itidem semper laetabundi egerunt, quod rursum[1]) Gelasius de episcopatus sui primordiis ad Aeonium arelatensem episcopum scripsit: „Quanto enim totius ovilis curam, Christo Domino delegante, susceptam beati Petri Apostoli gubernatio principalis universo gregi debet in orbe terrarum, tanto pietatis affectu cunctas ecclesias earumque rectores amplectitur, et inter diversos mundi turbines si paterna fide vel traditione firmiter perseverant, ubi primum facultas arriserit, et quaerit anxia et gavisa cognoscit„. Sed multo prius idipsum declaraverat[2]) in responsione sua ad synodalem carthaginiensium Patrum epistolam Innocentius primus: „In requirendo de his rebus, quas omni cum sollicitudine decet a sacerdotibus, maximeque a vero iustoque et catholico tractari concilio, antiquae traditionis exempla servastis et ecclesiasticae memores disciplinae, nostrae religionis vigorem non minus nunc in consulendo, quam antea cum pronuntiaretis vera ratione firmastis, qui ad nostrum referendum approbastis esse iudicium.„

Ecclesia romana.

Innocentius I.

284. Quod ergo orbis antiquitatis universus Europa, Asia, Africa a romano praesule iugiter requirebat, firmitatem integritatemque apostolicae fidei, hoc ipsi romani pontifices se universe ex lege institutoque divino illi debere palam professi semper sunt. Atqui officium ac postulatio praestandae credentibus omnibus inviolabilis fidei expleri ab eo tantummodo valet, cui inviolabilem semper fidem tenere, aliosque docere concessum divinitus est. Hanc igitur dotem concessam divinitus romanae sedis praesulibus fuisse, caput erat doctrinae antiquioribus ecclesiae aetatibus exploratissimum. Neque oblitteratum porro sive *δόγμα* fuit sive *πρᾶξις*, verum et illud exploratum iugiter tradebatur, et haec continuo usu deinceps quoque obtinebat. Testis rei frequens itidemque luculentus pro occidentali plaga

Orbis universus.

---

[1]) Ep. XII. ibid. p. 60.

[2]) Innocentii epistola data Aurelio et ceteris episcopis carthagin. concil. an. 417. inter epp. Aug. ep. 181. Coll. eiusdem epistola rescripta Silvano seni, Valentino et ceteris episcopis milevitan. synod. an. 417. int. epp. Aug. ep. 182. ubi Innocentius incipit: „Inter ceteras romanae ecclesiae curas et apostolicae sedis occupationes, quibus diversorum consulta fideli ac medica disceptatione tractamus„: quibus eadem sane semper romani pontificis peremptoria auctoritas significatur.

S. Bernardus. est sanctus Bernardus ita [1]) testans: „Stat zelus et auctoritas romanae ecclesiae super populum Dei: ad ipsam merito referimus non quaestiones, sed laesiones fidei et iniurias Christi; patrum probra atque contemptus; praesentium scandala, pericula posterorum„. Sed ad quid prodesset illa referendi consuetudo ac necessitas, nisi romana ecclesia et crederetur et esset periculis istiusmodi superior? Id quod doceri liquidius non potuit, quam a trape-
Georgius trapez. zuntio Georgio [2]) factum est pro orientali plaga. Post alia enim, quae dubitanti de possibili pontificum lapsu in haeresim respondit, distinctione facta inter haeresim internam absconditamque et inter externam ac manifestam, tum inter lapsum personalem hominis, qui est romanus pontifex, et inter ministerialem pontificis, qui romanam ecclesiam regit, aperte negat, fieri posse, ut „romana ecclesia . . . in haeresim labatur„: cuius rei addit hanc rationem: „Necesse enim omnino erat, nobis tradi divinitus ecclesiam firmam, minime lubricam, et quae in pietatis dogmatibus falli non posset, ut haberemus ab haereticis vexati, sive etiam nos ipsi addubitantes, quo possemus confugere: haec vero est romana„. Quae sunt ad stuporem omnia, conceptisque verbis illud complectuntur totum, quod nobis probandum erat praestitutum. Sed his ad aliud ducimur inde penitissime nexum, quod in se non est minus praeclarum, et Veterum auctoritate non est frequentatum minus. Eo autem pertinet, ut spectetur

11. Romanae sedis doctrina velut tessera veritatis.

285. Est nimirum fuitque semper agnita fides et doctrina sedis romanae uti *κριτήριον* [3]) orthodoxiae et heterodoxiae, romani antistitis vox ac sententia tanquam eius, qui distinguit inter lucem et tenebras, inter verum et falsum, bonum et malum, iustum et iniustum, pium atque inpium. Et primo quidem id docebant

---

[1]) Ep. CLXXXVIII. ap. Mign. lat. PP. t. 182. p. 353. coll. ep. sqq.

[2]) Epist. ad cretens. l. frequenter c. ap. Leo Allat. p. 563. ubi post ea quibus usi iam sumus haec quibus nunc innitimur scribit: *Ἀδύνατον γὰρ εἶναι, πιστεύειν χρὴ, αἱρέσει περιπεσεῖν τὴν Ῥώμης ἐκκλησίαν πρώτην οὖσαν, ἢ τὸ μίαν εἶναι ἡ καθολικὴ ἔχει . . . Ἔδει δὲ πάντως μίαν ἡμῖν δοθῆναι θεόθεν ἐκκλησίαν, ἀσφαλῆ, βεβαίαν, μὴ δυναμένην πλανηθῆναι ἐν τοῖς τῆς εὐσεβείας δόγμασιν, ἵν' ἔχωμεν διωκόμενοι παρὰ τῶν αἱρετικῶν, ἢ καὶ αὐτοὶ ἀμφισβητοῦντες ποῖ καταφύγωμεν. αὕτη δέ ἐστιν ἡ τῆς Ῥώμης.*

[3]) Cf. Ballerin. de vi ac ration. primat. c. XIV. §. 5. nn. 27. sqq.

Veteres ratione negante „quum, auctoribus [1]) Socrate et Sozomeno, ecclesiastica regula interdictum esset, ne praeter sententiam romani pontificis quidpiam ab ecclesiis regulae instar ac normae proponeretur; legem enim esse pontificiam [2]) ut pro irritis habeantur, quae praeter sententiam romani episcopi fuerint gesta.„ Sed potiora illa sunt; quibus idipsum ratione adfirmante effertur. *Socrates.* *Sozomenus.*

286. Ita namque illam declaravit Theodoretus [3]), quum iniusta sua condemnatione enarrata et haereticorum significata perversitate, qua „novam quandam ac spuriam (doctrinam) et apostolicae traditioni prorsus contrariam inducerent„ archidiaconum his rogat: „Dignare igitur, Deo dilectissime, sanctissimi omni ex parte beatissimique archiepiscopi zelum accendere, ut orientis etiam ecclesiae sollicitudine vestra fruantur, ac praecipue traditam ab initio a sanctis Apostolis fidem defendere et intactam haereditatem conservare, et pro nocte obscura liquidam serenitatem efficere, et iniuste in nos paratam caedem redarguere„. Flagitat ergo adcuratissimus ille verbi divini tractator, ut orientales tenebrae romano lumine illustrentur, et abacta nocte errorum veritatis dies illucescat. *Theodoretus.*

287. Sed insignius etiam sanctus Maximus confessor[4]): „Omnes enim, inquit, orbis terrarum fines et qui ubique gentium Dominum *S. Maximus confessor.*

---

[1]) H. e. l. II. c. 17. ed. Taur. 1747. p. 83. C—D. *Ἐκκλησιαστικοῦ κανόνος κελεύοντος, μὴ δεῖν παρὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου Ῥώμης κανονίζειν τὰς ἐκκλησίας.*

[2]) Sozomen. h. e. l. III. c. 10. l. c. p. 97. D. *Εἶναι γὰρ νόμον ἱερατικὸν, ὡς ἄκυρα ἀποφαίνειν τὰ παρὰ γνώμην παραττόμενα τοῦ Ῥωμαίων ἐπισκόπου.* Coll. Athanas. apol. II. ed. Commel. p. 586.

[3]) Ad archidiacon. Romae ep. CXVIII. ap. Migne. gr. PP. t. 83. p. 1327. B—C. *Καινήν τινα καὶ νόθον καὶ ἄντικρυς ἐναντίαν τῇ παραδόσει τῶν ἀποστόλων εἰσήγαγον . . . Καταξίωσον τοίνυν, θεοφιλέστατε, πυρσεῦσαι τὸν ζῆλον τοῦ τὰ πάντα ἁγιωτάτου καὶ ὁσιωτάτου ἀρχιεπισκόπου, ὥστε καὶ τὰς τῆς ἀνατολῆς ἐκκλησίας τῆς ὑμετέρας ἀπολαῦσαι κηδεμονίας· καὶ διαφερόντως τῆς ἄνωθεν παρὰ τῶν ἱερῶν ἀποστόλων παραδοθείσης ὑπερμαχῆσαι πίστεως, καὶ ἄσυλον τὸν πατρῷον κλῆρον διαφυλάξαι, καὶ τὴν ἐπικειμένην ὁμίχλην ἀποσκεδάσαι καὶ ἀντὶ τῆς σκοθομήνης καθαρὰν αἰθρίαν ἐργάσασθαι, καὶ τὴν καθ' ἡμῶν ἀδίκως γεγενημένην ἐξελέξαι σφαγήν.*

[4]) Ex ep. Romae scripta opp. t. II. ed. Combef. pp. 72. sq. *Ταῦτα γὰρ τὰ πέρατα τῆς οἰκουμένης καὶ οἱ τὸν κύριον εἰλικρινῶς καὶ ὀρθοδόξως πανταχοῦ γῆς ὁμολογοῦντες, ὥσπερ εἰς ἥλιον φωτὸς ἀϊδίου εἰς τὴν Ῥωμαίων ἁγιωτάτην ἐκκλησίαν καὶ τὴν αὐτῆς ὁμολογίαν καὶ πίστιν ἰθυτενῶς* (Vat. 2. *ἐκτεινῶς*) *ἀποβλέπουσιν, ἐξ αὐτῆς τὴν ἀποστράπτουσαν αἴγλην προσδεχόμενοι τῶν πατρικῶν* (Vat. 2. *πνευματικῶν*) *καὶ ἁγίων δογμάτων, καθὼς αἱ θεόληπτοι καὶ θεσπέσιοι εἰλικρινῶς καὶ πανευσεβῶς ἐξέθεντο ἅγιαι ἓξ σύνοδοι, ἐκφαντερικώτατα φάσκοντες τὸ σύμβολον τῆς πίστεως. ἀπαρχῆς γὰρ τῆς πρὸς ἡμᾶς καταβάσεως τοῦ σαρκωθέντος θεοῦ Λόγου, μόνην κρηπῖδα καὶ θεμέλιον αἱ πᾶσαι πανταχοῦ τῶν*

vere rectaque fide confitentur, velut in solem sempiternae lucis in sanctissimam romanam ecclesiam eiusque confessionem [1]) ac fidem recta linea respiciunt, ex ipsa effulgurans expectantes iubar, Patrum doctrinae sanctorumque, prout sincere omnique pietate numine afflatae atque divinae sanctae sex synodi exposuere, explicatissime fidei symbolum [2]) edentes. Ab initio enim quando ad nos Dei Verbum assumpta carne descendit, unicam firmam basim ac fundamentum omnes ubique christianorum ecclesiae, quae ibi est maxime nacti sunt habentque ecclesiam, velut in quam, iuxta ipsam Salvatoris promissionem, portae inferi haudquaquam praevaluerint, sed quae rectae fidei in ipsum ac consensionis claves habeat, hisque qui cum pietate accedant eam, quae vere sua natura solaque pietas est, aperiat; claudat vero atque obstruat omne os haereticorum, iniustiam loquens in excelso„. Quidquid ad declarandum explicandumve adderes, sententiarum splendorem claritatemque obfuscares.

288. Crescit tamen valor atque auctoritas prioribus addito testibus alio testium numero, qui aetate sequente sententiam eandem eadem claritate tradendo propagarunt: ii porro sunt laudati superius monachi orientales, qui eidem [3]) Paschali „per

---

χριστιανῶν ἐκκλησίαι, τὴν αὐτόθι μεγίστην ἐκτήσαντό τε καὶ ἔχουσιν· ὡς οὐδαμῶς μὲν κατισχυομένην κατὰ τὴν αὐτὴν τοῦ σωτῆρος ἐπαγγελίαν, ὑπὸ ᾅδου πυλῶν· ἀλλ' ἔχουσαν τὰς κλεῖς τῆς εἰς αὐτὸν ὀρθοδόξου πίστεως καὶ ὁμολογίας· καὶ τοῖς εὐσεβῶς προσερχομένοις ἀνοίγουσαν τὴν ὄντως φύσει καὶ μόνην εὐσέβειαν· ἀποκλείουσαν δὲ καὶ ἐμφράττουσαν πᾶν αἱρετικὸν στόμα, λαλοῦν ἀδικίαν εἰς τὸ ὕψος.

[1]) Ob oculos habet editam a Martino I. in lateranensi concilio professionem fidei.

[2]) Stabilita igitur in ecclesia Dei dogmata fidei integra atque sincera et quidem citra omne sive decrementi sive mutationis periculum in romana et ab romana ecclesia custodiuntur atque docentur.

[3]) Ep. XIII. l. c. p. 1153. sq. *Ἐπεσκέψατο ἡμᾶς Ἀνατολὴ ἐξ ὕψους. Χριστὸς ὁ θεὸς ἡμῶν· τὴν σὴν ἐν τῇ δύσει μακαριότητα, ὥσπερ τινὰ λυχνίαν θεαυγῆ, εἰς περίλαμψιν τῆς ὑπ' οὐρανὸν ἐκκλησίας, ἐπὶ τὸν ἀποστολικὸν πρώτιστον θρόνον θέμενος. Καὶ γὰρ ᾔσθημεν φωτὸς νοεροῦ οἱ ἐν σκότει καὶ σκιᾷ θανάτου ἐνισχημένοι τῆς πονερᾶς αἱρέσεως· καὶ τὸ νέφος τῆς ἀθυμίας ἀπεθέμεθα· καὶ πρὸς χρηστὰς ἐλπίδας ἀνενεύσαμεν μεμαθηκότες δι' ὧν ἀπεστείλαμεν ἀδελφῶν ἡμῶν καὶ συνδούλων, οἷα καὶ ἡλίκα πέπαχέ τε καὶ λέλεχεν ἡ ἁγία ὑμῶν κορυφαιότης· τοὺς μὲν αἱρετικοὺς ἀποκρισιαρίους ὡς λωποδύτας, μηδὲ εἰς ἱερὰν αὐτῆς θέαν προσηκαμένη . . . Ἔγνωμεν οἱ ταπεινοὶ, ὡς ἐναργὴς διάδοχος τοῦ τῶν ἀποστόλων κορυφαίου προέστη τῆς ῥωμαϊκῆς ἐκκλησίας· ἀληθῶς πεπείσμεθα, ὅτι οὐκ ἐγκατέλιπε κύριος τὴν καθ' ἡμᾶς ἐκκλησίαν· μιᾶς καὶ μόνης τῆς παρ' ὑμῶν ἐπικουρίας ἄνωθέν τε καὶ ἐξ ἀρχῆς ἐν ταῖς συμβαινούσαις περιστάσεσιν ὑπαρχούσης αὐτῇ θεοῦ προμηθείᾳ.*

omnia religiosissimo, supremo luminari universali, domino nostro apostolico papae, Joannes, Theodosius, Athanasius, Theodorus, minimi presbyteri et praepositi Catharorum, Picridii, Paulopetrii, et Studii,, scribunt: „Respexit nos oriens ex alto, Christus Deus noster, tuam in occidente beatitudinem, tanquam facem quandam divinitus lucentem, ad ecclesiae quae sub coelo est illuminationem in apostolica prima sede constituens. Etenim spiritale lumen percepimus, qui in tenebris et in umbra mortis improbae haereseos tenebamur; et tristitiae nebulam deposuimus, atque in spem optimam emersimus, cum didicissemus ex fratribus nostris et conservis quos misimus, qualia et quanta egerit et dixerit sancta celsitudo vestra: quando haereticos quidem apocrisarios, velut fures, ne in sacrum quidem conspectum admisit . . . Cognovimus manifestum Apostolorum principis successorem Romanae ecclesiae praesidere, certoque nobis persuasimus, Dominum ecclesiam nostram minime deseruisse, cui unum solumque a vobis auxilium hactenus atque ab ipso exordio in occurrentibus molestiis Dei providentia concessum est.„ Quibus pariter ad rem nihil deest. *Viri religiosi orientales.*

289. Tribus eiusmodi gravissimis adpositis testium documentis veritatem stare omnem, quam adsertam volumus, dici merito deberet, idque eo vel maiori iure, quod illi utpote orientales omnes nullis pro occidente partium studiis abstracti fuerint; verum ad pleniorem rei probationem iuverit tales adiecisse testes, qui latinum pariter suffragium ferant. Atque eiusmodi suffragium iis inprimis comprehenditur, quae ex Agathonis litteris in sexto concilio lectis [1]) prius attulimus. Tale porro suffragium fert Zosimus [2]) universis episcopis per Africam constitutis scribens: „Magnum pondus examinis magna desiderant, ut non sit rebus ipsis, quae geruntur, inferior libra iudicii. His accedit apostolicae sedis auctoritas, cui in honorem beatissimi Petri Patrum decreta peculiarem quandam [3]) sanxere reverentiam. Orandum igitur et incessanter orandum, ut continua gratia *Veritatis fons.* *Zosimus.*

---

[1]) Act. IV. ap. Harduin. t. III. pp. 1110. 1118.

[2]) Ep. ad african. epp. de causa Coelestii, e qua epistola, cui altera illius ad eosdem conferenda, liquet, quanta maturitate ac moderatione romana sedes iudicia parabat semper, ac ferebat in gravi causa personarum: quae quidem de interna sua dispositione fallere iudicem possunt, sed eius sive de orthodoxia sive de heterodoxia prolatum iudicium fallere non possint.

[3]) Sancita a patribus lex, qua regularis ab omnibus servandus ordo praecipitur, inhaerentem romanae sedi auctoritatem supponit, ut ipse Zosimi contextus et textus liquido praefert.

perennique adiutorio Dei, ex hoc fonte in totum orbem pax fidei et catholicae societatis nullis nubibus interfuscata mittatur.„ At quis negaret fonti, unde manat purissimae fidei pax, et continuo perenniterque manat, inperturbabiles eiusdem fidei aquas?

290. Sed addit similis rationis suffragium auctor appendicis ad epistolam Coelestini ad episcopos Galliae: „In quam nos sententiam dirigit beatae recordationis papae Zosimi regularis auctoritas[1]), cum scribens ad totius orbis episcopos ait: Nos autem instinctu Dei etc. Hunc sermonem sincerissimae veritatis luce radiantem tanto Afri episcopi honore venerati sunt, ut ita ad eundem virum rescriberent: Illud vero quod in litteris, quas ad universas provincias curasti esse mittendas posuisti dicens, Nos autem etc.„ Tale suffragium fert Possessor epistola [2]) data ad Hormisdam: „Decet et expedit ad capitis recurrere medicamentum, quotiens agitur de sanitate membrorum. Quis enim maiorem circa subiectos sollicitudinem gerit, aut a quo magis est nutantis fidei stabilitas exspectanda, quam ab eius sedis praeside, cuius primus a Christo rector audivit, Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam.„ Sed in sua illi data [3]) responsione praeclarum itidem suffragium fert Hormisda: „Sicut rationi congruit, inquiens, ut consulant ambigentes, ita par est respondere consultos; quia ipse impellit in errorem, qui non instruit ignorantem„ . . . Atqui certus semper ac in fide tutus prorsus sit oportet, qui ambigentem quemvis consulentemque instruere iugiter paratus esse debet. Sed praeterea tale suffragium fert sanctus Leo [4]) a quo vox romani pontificis dicitur esse „vox vitae, et sicut confessores suos in coelestia provehit, ita negatores ad infernos demergit.„ Est igitur vox salutis ac necessitatis; sed ex eodem Leone vox est perfectae iustitiae: „Manet ergo, inquit [5]) Petri privilegium; ubicunque ex ipsius fertur aequitate iudicium, nec nimia est vel severitas vel remissio, ubi nihil erit ligatum nihil solutum, nisi quod beatus Petrus aut ligaverit aut solverit.„

Veritatis lux. *Possessor.* *Hormisda.* *Vox vitae.* *Leo.*

---

[1]) Pontificia auctoritas regulam facit.

[2]) Ex urbe constantinopol. missa de libris Fausti reiensis ap. Aug. opp. t. X. append. p. 149.

[3]) Ep. ad Possessor. ibidem l. c. p. 150.

[4]) De nat. ipsius s. IV. al. III. c. 3. coll. ser. LXXXIII, al. LXXX. c. 2. in nat. s. Pet. Apost.

[5]) Ibidem.

291. Tale fert suffragium pro occidente simul atque oriente *Agatho.* Agatho papa [1]), secundum quem „sanctae romanae ecclesiae confessio apostolica„ est et „sincerae pietatis arcanum„ et „tuba clarius per totum orbem praedicatur„ et „verae pietatis confessio„ et „verae praedicationis norma „quam romanus episcopus „simplici veritate„ docet atque defendit„ quia non verborum pompas habere cupimus, ait Agatho, ut contentionibus occupemur, nec enim licet in angustiis nobis degentibus: sed qui converti ad veritatem voluerint, rectae nostrae fidei ordinem cum simplicitate cordis verborumque lenitate proferimus. Salvare enim per apostolicae confessionis veritatem commissas nobis divina dignatione animas magis cupimus, quam per verbosam loquacitatem in errorem audientes immittere.„ Tale rursus suffragium fert Nicolaus primus [2]) ad imperatorem Michaëlem *Nicolaus I.* scribens: „Petrus denique a firmitate petrae, quae Christus est, structuram universalis ecclesiae inconcussam et fidei robore solidatam [3]) ita precibus suis munire non cessat, ut errantium vesaniam rectae fidei norma reformare festinet, nec non intrepide eam consolidantes remunerare procuret.„ Atque, ut his finem inponamus, eiusmodi suffragium, quod totius aequipollet orbis christiani voto, complectitur [4]) confessio fidei orientalibus primum a romanis pontificibus proposita et ab illis ipsis deinde ad ineundam *Fideiprofessiones.* unionem oblata, qua iidem profitebantur: „Sicut (romanus pontifex) prae ceteris tenetur fidei veritatem defendere: sic et si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri.„

292. Sed quis enimvero haec invicem componere amico

---

[1]) Ep. ad imperatt. l. c. ap. Harduin. t. III. pp. 1124. sqq. quae lecta fuit in concil. constantinop. III. itemque sexto oecumenico.

[2]) Epist. ad Michaelem imperatorem ap. Mign. lat. PP. t. 119. p. 773.

[3]) Haec sunt plane ad illa expressa, quae superius ex ep. s. Maximi confessoris ad Pet. illust. deprompsimus.

[4]) Professio fidei Michaeli Palaeologo a Clemente IV. an. 1267. proposita et ab illo in oecumenico concilio lugdunensi II. an. 1274. Gregorio X. oblata ap. Denzing. l. c. p. 167. n. 389. De quo praeclare disseruntur in ss. D. N. Pii Papae VI. responsione ad Metropolitanos Moguntinum, Trevirensem, Colo- *Pius VI.* niensem et Salisburgensem super nunciaturis apostolicis. Romae 1789. pp. 192. sqq. ubi concilio lugdunensi adduntur lateranense IV. an. 1215. can. V. et basileense in respons. synodal. III. ad proposita per Tarentium episcopum: „Solum, ait, Petrum in plenitudinem potestatis vocatum esse, alios in partem sollicitudinis:„ atque florentinum an. 1439. decret. sup. primat. nec non tridentinum sess. XXIV. de ref. c. 1. coll. profess. fid. a Pio. IV. praescript. et synod. provincial. Salisburg. an. 1451. ap. Dalham decret. l. I. p. 221.

foedere valeret, eam sedem et cathedram errorum tenebris obnoxiam esse posse, a qua iugiter veritatis lumine irradiatur mundus universus, quaeque radiis sui luminis tenebras noctemque falsitatis continuo expellere tenetur ac consuescit? quis valeret componere invicem haec, errantem fallibilemque eum esse posse, qui cunctis errantibus dubitantibusque semper esse debet esseque consuevit norma ac regula certa orthodoxiae et contra heterodoxiam tutum praesidium? Scilicet haec invicem componere non valebant antiqui nostri Maiores, qui propterea sicuti romanae sedis professionem ceu orthodoxae fidei normam haberent, ita illius iudicia atque sententias veluti certam securamque contra haereses lineam profitebantur. Profecto consideretur

12. Romana sedes uti profligatrix haeresum.

293. Animadversione dignum est, nihil in disputationibus Veterum, sive hi seorsum sive coniunctim essent, frequentius recurrere, quam contestationem, a sede romana profligatos semper *Leo IX.* omnes fuisse haereticos. E multis haec sint Leonis noni [1]) epistola data ad Michaelem Cerularium et Leonem Acridanum: „Nonne, interrogat pontifex, a sede principis Apostolorum, romana videlicet ecclesia, tam per eundem Petrum quam successores suos reprobata et convicta atque expugnata sunt omnium haereticorum commenta [2]) et fratrum corda in fide Petri, quae hactenus nec defecit, nec usque in finem deficiet, sunt confirmata?„ Sed eiusmodi interrogatione confirmativa Leo significat, hanc rem fuisse non modo in occidente, sed etiam in oriente exploratam. Verum quod universim adfirmavit, id probe adseruit [3]) specimine *Orientis haereses.* ducto ex orientali ecclesia subiiciens: „Praeterimus nominatim replicare nonaginta et eo amplius haereses ab orientis partibus, vel ab ipsis graecis diverso tempore ex diverso errore ad cor-

---

[1]) Cap. VII. ap. Mign. lat. PP. t. 143. pp. 748. sq. Similia habent Ambrosius l. s. c. ad verba Domini ap. Matth. XVI. et alii s. c.

[2]) Rem de haereticis inpugnantibus dogma ss. Trinitatis ostendit quem plus semel laudavimus cl. H. Hageman. op. c. passim: speciminis gratia cf. pp. 114. sqq. 439. sqq. ubi, quae evidenter ex probatis superius nostra est generalis ac infinita ϑέσις, eam ipse in speciali definitoque ὑποϑέσεως casu demonstrat, scilicet apud romanam ecclesiam diu fuisse explorata doctrinae capita, de quibus alibi veluti incertis ac dubiis moverentur quaestiones; non aliunde porro quam ab illa principali ecclesia citra quodvis periculum erroris fuisse easdem dissolutas.

[3]) Ibid. c. VIII.

rumpendam virginitatem catholicae ecclesiae matris emergentes. Dicendum videtur, ex parte, quanta constantinopolitana ecclesia per praesules suos suscitaverit pestes, quas viriliter expugnavit, protrivit, et suffocavit romana et apostolica sedes.„ Quos quidem errores a constantinopolitana civitate obortos et a romana sede protritos ex ordine illico enumerat. Scilicet est verissimum, quod sanctus Maximus confessor [1]) pariter universe adfirmavit: „Romanam sedem . . . claudere atque obstruere omne os haereticorum iniustitiam loquens in excelso:„ quodque saeculo prius confessus [2]) Paulinus diaconus haec scribit: „Quodsi ut ceteri auctores haereseos, qui iam dudum ab apostolica sede vel a Patribus iudicati et extra sinum matris catholicae ecclesiae effecti perpetua morte pereant, etiam hi qui nunc deprehensi sunt vel deprehenduntur in perfidia sua permanent, spiritali gladio, quo interimantur, tradantur.„

Constantinopolit. ecclesia erroribus obnoxia.

Maximus M.

Paulinus.

294. Verum quod Leo nonus de constantinopolitanis nominatim haeresibus ostendit, id facile esset ostendere de haeresibus universis, ducto initio ab haereticorum antesignano ac principe Simone mago, quem ipse princeps Apostolorum Petrus profligavit [3])

Petrus.

---

[1]) Opp. t. II. p. 73. *Τὴν Ῥωμαίων ἁγιωτάτην ἐκκλησίαν . . . ἀποκλείουσαν καὶ ἐμφράττουσαν πᾶν αἱρετικὸν στόμα λαλοῦν ἀδικίαν εἰς τὸ ὕψος.*

[2]) Libell. Zosimo pap. oblatus cont. Coelest. an. 417. Alia praebet superioribus similia Christian. Lupus synodor. general. decret. dissertat. de sext. synod. general. opp. t. III. pp. 32. sqq.

[3]) Sane conferantur sententiae: Hygini in Cerdonem; Victoris in Theodotum et Artemam, in Valentinum, Noetum et Sabellium; Zephyrini in Proclum et Montanos; Fabiani in Privatum; Cornelii in Novatum et Novatianos; Stephani in rebaptizantes; Felicis in Paulum samosatenum; Melchiadis in Donatistas; Julii primi in orientalium causis, cuius iudicium non minus ac successoris iuste vindicatur in concilio quarto constantinopolitano act. VI. ap. Harduin. t. V. p. 832. Liberii in ariminenses; Damasi in Apollinarium et Macedonium; Siricii in Jovinianum, Manichaeos, Priscillianistas; Anastasii primi in Origenianos; Innocentii primi et Zosimi in Pelagium et Coelestium; Bonifacii primi in Pelagianos; Coelestini primi in semipelagianos et Nestorium; Sixti tertii in Julianum eclanensem; Leonis primi in Eutychianos et pseudo-ephesinos; Hilari in Macedonianos; Simplicii in Petrum Fullonem; Felicis tertii, de cuius iudicio similiter in octavo concilio l. s. c. p. 833. in Acacium, Petrum Fullonem et Moggum; Gelasii primi in Manichaeos; Symmachi in Anastasium; Hormisdae in novatores scythas atque Faustum reiensem; Bonifacii secundi in Pelagianorum reliquias; Joannis secundi in causa acoemetarum et Contumeliosi; Agapeti primi in Anthimum; Vigilii in acephalos; Pelagii secundi in Joannem ieiunatorem; Severini in causa ecthesis; Joannis quarti in monotheletas; Theodori et Martini primi in Pyrrhum atque typum; Agathonis et Constantini in monotheletas; Gregorii secundi et tertii et sequentium in Leonem et iconomachos; Leonis tertii in Felicem et Elipandum; Nicolai primi in theopaschitas, in Photium et pneumatomachos. Sed haec ad

Pontifices romani et haeretici.

Pius IX. usque ad ultimos, qui in mundum prodierunt et nunc [1]) noni Pii iudicio proscripti sunt. Et rursum, quod Leo nonus a romana sede iugiter effectum fuisse adfirmat, hoc ab aliis modo illius adseritur ius et officium, et modo ab iisdem dicitur ad illius tantum peremptorium iudicium pertinere. Sane

1. huc faciunt, quae iis gemina ac Patres trium africanorum conciliorum Numidiae, Byzaceni, et Mauritaniae scripsisse novi- *Victor carthag.* mus [2]), in lateranensi synodo a Victore carthaginiensi in synodica [3]) ad Theodorum papam dicuntur: „Vestrum est itaque, inquit, frater Sanctissime, canonica discretione solite contrariis catholicae fidei obviare: nec permittere nóviter dici, quod Patrum venerabilium auctoritas omnino non censuit.„ Scilicet tam ad reprimendos schismaticos, quam ad haereticos declarandos propulsandosque semper Patres necessarium censebant, recurrere ad sedem romanam. Etenim

Martin. I. 2. cum Martino primo [4]) persuasum iidem habebant, romanae sedis solius prae ceteris esse „infidelibus haereticis claudere regnum coelorum: . . . quaeque catholicae fidei atque verissimae Patrum traditioni omnino contraria exsistunt, diiudicare dogmata„ adeo quidem ut haec a nemine extinguantur, nisi ab illius sedis pastore. Ita *S. Bernard.* scribit [5]) Bernardus: „Sed ne quid desit coronae tuae, en haereses surrexerunt. Itaque ad consummationem virtutum, et ne quid minus fecisse inveniamini a magnis episcopis antecessoribus vestris, capite nobis, Pater amantissime, vulpes quae demoliuntur *Principiis obsta.* vineam Domini; donec parvulae sunt: ne si crescant et multiplicentur, quidquid talium per vos non fuerit exterminatum, a posteris desperetur.„ Haereseon itaque profligatio et ab ecclesiae veritate expulsio pendebat semperque proficiscebatur a sede romana. Quod quam fuerit persuasum omnibus penitusque insitum

---

schisma usque orientalium satis sunt, ut verum esse deprehendatur, a romana *Christ. Lupus.* ecclesia omnes expugnatos esse ecclesiae hostes. Hinc Christ. Lupus opp. t. VIII. p. 62. de gallican. eccles. roman. appellationibus: „Et certe, inquit, omnia appellatarum ante nicaenam synodum causarum retractatoria iudicia fuerunt acta Romae.„

[1]) Vide sis Syllabum 80. propp.

[2]) Cf. sup. l. c. conc. lat. ap. Harduin. t. III. p. 734.

[3]) Ap. Harduin. t. III. p. 758. epistola lecta in concilio lateranensi sub Martino I.

[4]) In conc. lat. l. s. c. ap. Harduin. t. III. pp. 758. sq.

[5]) Ap. Mign. lat. PP. t. 182. p. 356. ep. CLXXXIX. ad Innocentium de Abaelardo.

3. vel ipsi luculentissime contestantur fabricatores haereseon: quibus inde a suis originibus et porro usque modo nihil antiquius, quam romanae sedis aut habere suffragium aut saltem declinare condemnationis iudicium. Hinc illorum continuae ad romanam sedem adpellationes: sed hinc quoque illorum fraudes et machinationes, ut, si fieri posset, apostolico vicarii Christi oraculo haeretica antichristi placita aliquando confirmata haberent: et inde factum, ut triumphos agerent victoriamque gloriantes canerent, si quando artibus dolisque malis id viderentur consequuti, ut lupus rapax ovina pelle indutus non illico agnosceretur. Sed enimvero nullus usque in finem sedem illam fallere [1]) praevaluit. Atque ut de haereticis posteriorum aetatum [2]) taceamus, huc illico eodem teste [3]) Bernardo facit „Petrus Abaelardus . . . qui extendit palmites suos usque ad mare et usque ad Romam propagines eius. Haec gloriatio hominis illius, quod liber suus in curia romana habet, ubi caput suum reclinet. Hinc confirmatus et confortatus est furor eius.„ Unde hinc quidem ad Innocentium conversus Bernardus: „Verum tu, inquit, o successor Petri, iudicabis, an debeat habere refugium ad sedem Petri, qui Petri fidem impugnat:„ inde vero conversus [4]) ad ipsum Abaelardum percontatur: „Qua mente, qua conscientia recurris ad fidei defensorem, fidei persecutor? quibus oculis, qua fronte intueberis amicum sponsi, sponsae violator?„ Petit [5]) igitur ex „sponsi amico Innocentio: Tu autem, dilectissime pater, ne elongaveris auxilium tuum ab eo: ad defensionem eius conspice, accingere gladio tuo.„ Et amicus sponsi fraudibus illius non irretitus semet accinxit et gliscenti haeresi caput praecidit.

Haereticorum suffragium.

Abaelard.

Porro 4. testis rursum historia est, quot quibusque seducendi Romam corrumpendique artibus usi graeci fuerint. „Sed nequaquam, scribit [6]) Glaber. Non enim potest falli summa veritas, quae spopondit: Portae inferi non praevalebunt adversus eam.„ Neque

Haereticae artes.

Glaber.

---

[1]) Aug. de pec. orig. c. 17. col. c. 31.

[2]) Huc enimvero referri plurima illa debent, quae historia vel unius Jansenianae haereseos praebet.

[3]) Epp. CLXXXIX. et CXCI. ad Innocent. pap. ap. Migne. lat. PP. t. 182. pp. 356. sq.

[4]) Ep. CCCXXX. ad Innocent. pap. ibid. p. 536.

[5]) Ibidem.

[6]) Vide l. sup. c.

Pelagiani. praevaluerunt haeretici Pelagiani. De frequentatis namque Pelagii, Coelestii, ac Juliani ad decipiendam sedem romanam fraudibus pleni sunt commentarii Augustini nunc [1]) monentis adtendendum diligenter: „Quomodo Pelagius obrepere tentaverit ad fallendam etiam apostolicae sedis episcopale iudicium:„ nunc aperientis [2]) quomodo adpellatoriis litteris libellisque Romam missis „ambigua generalitate quid sentiret absconderit„: et nunc [3]) exponentis, quomodo „dogmatis eorum insidiosa venena„ per romanae ecclesiae sententiam comprobata fuisse comminiscerentur. Verum quaeso equidem

Χριστόμαχοι. 5. cur illis tantopere cordi erat, romanae sedis favoribus uti? cur eo suam causam detulerunt orientales, ne dicam orthodoxi [4]) sed Nestorius [5]) cum suis et Eutyches cum monophysitis [6]) sed cur tot monotheletae fraudibus [7]) tot usi minis [8]) iconoclastae, ad iudicium romanum aut corrumpendum aut opprimendum? Quod nimirum in ecclesia Dei universa explorata res esset, ab illius cathedrae iudicio pendere, utrum nec ne eiusmodi, qui suspecti de fide, apud fideles omnes veluti haeretici proscripti

---

[1]) De peccat. orig. c. Pelag. et Coelest. cc. XVII. sqq. nn. 19. sqq. opp. t. X. pp. 261. sqq.

[2]) De grat. Christi cont. Pelag. et Coelest. cc. XXX. sqq. nn. 32. sqq. l. c. pp. 244. sqq. Quibus conferenda, quae scriptis reliquit Marius Mercator commonitorio contra Pelagianos ap. Aug. opp. t. X. pp. 69. sqq. de quibus inter adiectas a Garnerio S. J. dissertationes potissimum IV. porro Gennadii, Prosperi aliorumque documenta ad Pelagianorum historiam pertinentia, quae in eodem t. X. opp. s. Augustini append. a. Maurinis collecta habentur.

[3]) Con. duas epp. Pelagianor. l. II. cc. 1. sqq. nn. 1. sqq. l. c. pp. 431. sqq.

Orientalium perfugium sedes romana. [4]) Cf. Sozom. III. 8. col. Socrat. II. 15. Observatione dignissimum est, quam frequenter orientales et quam solemniter ad romanum pontificem et quidem celeberrimi iidemque etiam sanctissimi praesules perfugerint. Notius est quam ut enarrari diutius debeat, in illius tutelam semet recepisse Athanasium alexandrinum, Eustathium antiochenum, Marcellum ancyranum, Lucium hadrianopolitanum, Chrysostomum porro constantinopolitanum, ipsum alexandrinum Cyrillum, Theodoretum cyrensem et alios passim.

[5]) Vide epist. Nestor. ad Coelestin. conc. ephesin. act. I. ap. Harduin. t. I. p. 1307. Coll. epp. Theodoret. ad Leon. et huius ad illum ll. s. cc.

[6]) Vide ep. Leon. M. ad Eutych. conc. chalced. act. I. ap. Harduin. t. II. p. I. coll. catholicorum collatione cum Severianis ad Julium pap. provocantium ap. Harduin. t. II. pp. 1159. sqq. Le Quien dissertatt. Damasc. t. I. opp. Damascen.

[7]) Vide sis ep. Sergii ad Honor. et huius ad illum concil. sext. actt. XII. XIII. ap. Harduin. t. III. pp. 1303. 1351.

[8]) Cf. Epp. Gregor. II. ad Leon. isaur. conc. sept. act. I. ap. Harduin. t. IV. pp. 11. sqq.

et a corpore Christi abscissi habendi sint, iuxta illa Innocentii [1] in epistola rescripta episcopis milevitanae synodi, qua expositis „ceteris romanae ecclesiae curis et apostolicae sedis occupationibus, quibus diversorum consulta fidei ac medica disceptatione tractat„ censet „Pelagium Coelestiumque, id est inventores vocum novarum, quae sicut dixit [2] Apostolus aedificationis nihil sed magis vanissimas consueverunt parere quaestiones, ecclesiastica communione privari apostolici vigoris auctoritate statuit . . . simulque praecipit, ut quicunque id pertinacia simili defensare nituntur, par eos vindicta constringat.„ Et licet postea suis fraudibus Pelagius „visus est [3] ad tempus aliquid dicere, quod fidei catholicae conveniret; sed illam sedem [4] usque in finem fallere non praevaluit;„ etenim Zosimi sententia pariterque Innocentii ille ab ecclesia extorris fiebat. Nimirum a prima christianae reipublicae aetate receptum usu vulgatumque erat, adprobatos a romana sede cumque eadem coniunctos apud ecclesiam universam orthodoxos existimare; ab illa contra reprobatos ob fidem separatosque veluti heterodoxos iudicare. Noluit episcopus romanus narrante [5] ipso Tertulliano probare et agnoscere prophetias Montani: quid inde? Consequebatur eodem illo auctore, ut paracletus ex universa ecclesia proturbatus haberetur. Sed e contrario noluit idem romanus pontifex veluti heterodoxam condemnare accusatam ab aliquot sive Dionysii alexandrini [6] sive Augustini hipponensis [7] doctrinam: ecquid inde? Hoc inde tum aetatis colligebant, quod neque ille neque iste ignominia extrusorum a quopiam affici possent. Victor venerabilis carthaginiensis episcopus . . . minime praesumpsit, abrogatum Paulum episcopum constantinopolitanum habere, sed consacerdotem adpellavit „donec iudicium de eo nostrae, inquit [8] Martinus primus,

Inventores novarum vocum.

Montanistae.

Accusati Dionysius et Augustinus.

Paulus constant.

---

[1]) Vide inter opp. Aug. t. X. app. pp. 93. sqq.

[2]) II. Tim. II. 23.

[3]) Aug. l. de pecc. orig. cc. 17. et 21.

[4]) Manifesta allusio ad illa, Portae inferi non praevalebunt adversus eam, id est sedem Petri.

[5]) L. c. Prax. c. 1.

[6]) Vide sis Athanas. II. cc.

[7]) Coll. Coelestin. I. ad epp. Gall. ep. 21. Bonifac. II. ep. ad PP. arausic. sed etiam Alexand. VIII. prop. damnat. 30. die 7. Decemb. 1690. Aug. de don. persev. c. 21.

[8]) Concil. lateran. ap. Harduin. t. III. p. 758. E.

apostolicae auctoritatis, id est, principis Apostolorum Petri cognoscat.„ Illius ergo iudicio ac suffragio ab heterodoxis orthodoxi secernuntur: et si quid suo suffragio romanus pontifex communivit, id a catholica regula nec devium neque falsum neque praeposterum in ecclesia ab ullo antiquitus censebatur. Tanti illius iudicium universe fiebat: nimirum authenticum illud, ratum et fixum, inadpellabile ac inmutabile ducebatur. Id quod confirmari nequit luculentius

Haeretici conatus in urbe.

6. quam singularibus antiquissimorum haereticorum [1]) studiis atque conatibus, haeresim in ipsa urbe stabiliendi. Nam illa, de qua nunc diximus profecto potissima est et manifestissima causa, ob quam inde ab ecclesiae primordiis, a prioribus inquam ipsis christianae rei temporibus maxime, factum esse deprehenditur, ut qui deviarent ac deficerent sive a fide et veritate sive a caritate et vita catholica, non tantum utcunque romanum sibi episcopum conciliare quaererent, sed in ipsa eius romana ecclesia et urbe pedem sedemque figere attentarent. Ducto a mago Simone primipilo haereticorum [2]) initio id attentarunt per Valentinum, Cerdonem Marcionemque gnosticorum sectae [3]), per Tatianum encra-

Simon magus.

Gnostici.

---

[1]) De his vide sis op. s. c. H. Hageman. qui Romam venisse enarrat gnosticos pp. 129. sq. antitrinitarios pp. 117. 129. sqq. neoplatonicos p. 130. arianos pp. 600. sq.

Irenaeus.

[2]) Vide Iren. adv. haeret. l. I. c. 23. coll. Euseb. h. e. l. II. cc. 1. 13. ed. nov. Laemmer. pp. 86. 108. sqq. *Πάσης μὲν οὖν ἀρχηγὸν αἱρέσεως πρῶτον γενέσθαι τὸν Σίμωνα παρειλήφαμεν . . . Πρὸς τοῦ ἀποστόλου Πέτρου κατεφωράθη . . . ἐπιβὰς δὲ τῆς Ῥωμαίων πόλεως* . . c. 14. *ἡ πανάγαθος καὶ φιλανθρωποτάτη τῶν ὅλων πρόνοια τὸν κάρτερον . . . Πέτρον . . . χειραγώγει ὃς οἷά τις γενναῖος θεοῦ στρατηγὸς τοῖς θείοις ὅπλοις φραξάμενος τὴν πολυτίμητον ἐμπορίαν τοῦ νοητοῦ φωτὸς ἐξ ἀνατολῶν τοῖς κατὰ δύσιν ἐκόμιζεν* . . . c. 15. *ἡ μὲν τοῦ Σίμωνος ἀπέσβη καὶ παραχρῆμα σὺν καὶ τῷ ἀνδρὶ καταλέλυτο δύναμις*: „Sane hunc Simonem haereticae pravitatis principem atque auctorem fuisse accepimus . . . a Petro Apostolo convictus est . . . ad urbem Romam delatus . . . benigna et clementissima Dei providentia fortissimum et maximum inter Apostolos Petrum et virtutis merito reliquorum omnium principem ac patronum Romam adversus illam generis humani labem ac pestem perducit: qui tamquam strenuus divinae militiae ductor coelestibus armis munitus pretiosam illam lucis intelligibilis mercem ab oriente ad eos, qui versus occasum habitabant, detulit . . . Simonis vis ac potentia cum ipso simul auctore brevi exstincta atque deleta est.„ De his cf. l. I. proleg.

[3]) De quibus vide Iren. adv. haeret. l. I. c. 1. l. III. c. 3. coll. Routh. reliq. sac. t. I. pp. 438. sqq. Euseb. h. e. l. IV. c. 15. *Οὐαλεντῖνος μὲν γὰρ ἦλθεν εἰς Ῥώμην ἐπὶ Ὑγίνου, ἤκμασε δὲ ἐπὶ Πίου, καὶ παρέμεινεν ἕως Ἀνικήτου. Κέρδων δὲ ὁ πρὸ Μαρκίωνος καὶ αὐτὸς ἐπὶ Ὑγίνου, ὃς ἦν ἔνατος ἐπίσκοπος,*

titae[1]) a Saturnino et Marcione profecti, necnon Severiani, per Florinum et Blastum [2]) cathaphrygis similes haeretici, per Theodotum [3]) Theodotiani quos Artemon ac Samosatenus excepit, per Praxeam [4]) monarchiani: id porro cum Novatianis [5]) attentarunt teste [6]) Optato donatistae qui quaerebant „sibi sanctam ecclesiam vindicare. Sed et habere vos in urbe Roma partem aliquam dicitis. Romulus est vestri erroris protentus de mendacio non de radice veritatis.„ Et enumerata serie donatianorum episcoporum, quorum primus „a vestris iam dudum de Africa ad paucos erraticos missus„ interrogat: „Quid est hoc quod pars vestra in urbe Roma episcopum civem habere non potuit, licet multiplex fraudum genus adhibuerit„? respondet: „quia nec valuit puritatem catholicae multitudinis perturbare„; sed „speluncam quandam foris a civitate cratibus sepserunt . . . unde Montenses appellati . . . nec cathedram aliquam nisi pestilentiae„ ostenderunt. Idem attentarunt repetite Manichaei, quos sua adhuc aetate ex urbe expellere Leo magnus [7]) cogebatur. Atque idem denique aliis praetermissis attentarunt cum Pelagio [8]) atque Coelestio Pelagiani, qui non provo-

Encratitae.

Alii varii.

Donatiani.

Manichaei.

εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἐλθων καὶ ἐξομολογούμενος οὕτως διετέλεσε, ποτὲ μὲν λαθροδιδασκαλῶν, ποτὲ δὲ πάλιν ἐξομολογούμενος, ποτὲ δὲ ἐλεγχόμενος ἐφ' οἷς ἐδίδασκε κακῶς καὶ ἀφιστάμενος τῆς τῶν ἀδελφῶν συνοδίας . . . διαδεξάμενος δὲ αὐτὸν Μαρκίων ὁ ποντικὸς ηὔξησε τὸ διδασκαλεῖον ἀπηρυθριασμένως βλασφημῶν: „Nam Valentinus Romam venit pontificatu Hygini. Viguit autem temporibus Pii, qui ad Anicetum usque permansit. Cerdon vero qui Marcionem antecessit, ipse quoque pontificatu Hygini, qui nonus fuit episcopus, quum ad ecclesiam venisset et errorem suum confessus esset, ita deinceps perseveravit: interdum occulte docens, interdum rursus confitens errorem: nonnunquam convictus impiae doctrinae eoque nomine a fratrum conventu remotus . . . Huic succedens Marcion ponticus scholam latius propagavit impudentissime blasphemans.„ De Marcione cf. ib. cc. 17. 21. 30. sqq. coll. Justin. apol. I. 26.

[1]) De quo cf. Euseb. h. e. l. IV. cc. 35. sqq. V. 16. coll. Iren. adv. haer. l. I. c. 1.

[2]) De quibus cf. Euseb. h. e. l. V. 18. 23. sqq.

[3]) De quo ap. Euseb. l. V. c. 26. *Βίκτωρ . . . ἀπέβαλε Θεόδοτον τὸν τῆς αἱρέσεως ταύτης εὑρετήν:* „Victor . . . haereseos illius auctorem ab ecclesia removit.„ coll. Routh. rel. sac. vol. III. p. 355. II. 141. sqq.

[4]) De quo cf. Massuet. praef. in Irenaei libros p. 80.

[5]) De quo ap. Euseb. l. VI. cc. 43. sqq. l. VII. cc. 7. sqq. coll. Routh. rel. sac. vol. III. p. 87.

[6]) L. II. coll. opp. Aug. t. IX. append. pp. 38. sq.

[7]) Coll. ad Turrib. ep. XV. cc. 16. sqq. ser. XVI. (al. XV.) de ieiun. decim. mens. V. ep. I. ad epp. per Ital. VII. ep. VIII. sive constitut. Valentinian. III. alibi.

[8]) Coll. quinque epp. Aurelii, Alypii, Augustini, Evodii, Possidii ep. ad

Pelagius. carunt[1]) tantum ad romanae ecclesiae pontificem, sed suam quoque sedem ibi figere studebant[2]), ut dolo malo fallerent. „Fefellit enim iudicium palaestinum, ait de Pelagio[3]) Augustinus; propterea ibi videtur esse purgatus: romanam vero ecclesiam, ubi eum esse notissimum scitis, fallere usquequaque non potuit: quamvis et hoc fuerit utcumque conatus: sed, ut dixi, minime valuit. Recoluit enim beatissimus papa Zosimus[4]) quid imitandus praecessor eius de ipsis senserit gestis. Ostendit etiam quid de illo sentiret praedicanda in Domino romanorum fides, quorum adversus eius errorem pro veritate catholica, studia consonantia concorditer flagrare cernebat: inter quos ille diu vixerat, et quos eius dogmata latere non poterant: qui Coelestium *Romanum imperium contra haeresim.* eius esse discipulum sic noverant, ut fidelissimum et firmissimum possent de hac re testimonium perhibere.„ Quo facto[5]) constat „in tam nefandi erroris auctores episcopalia concilia et apostolicam sedem universamque romanam ecclesiam, romanumque imperium, quod Deo propitio christianum est, rectissime fuisse commotum, donec resipiscant de diaboli laqueis.„ Scilicet ipsa notitia, quam de Coelestio ob diuturniorem suam in urbe moram romana habebat ecclesia, faciliorem magistri Pelagii reddidit condemnationem.

Innocent. Mar. Mercat. commonitor. c. I. cum Garner. castigatt. et nott. Aug. de gest. Pelag. c. 22. Hieronym. in Jerem. l. I.

1) Cf. Mar. Mercat. commonit. c. I. adiectasque Garnerii castigatt. et nott. Mign. lat. PP. t. 48. p. 69. sqq. et nominatim cf. ibidem pp. 71. sq. adnot. b) de appellatione Coelestii ad Zosimum coll. Aug. de gest. Pelag. cc. 22. sqq. et reliqua opp. t. X. append. pp. 69. sqq.

Innocent. I. 2) Rem significat Innocentius ep. data quinque episcopis Aurelio, Alypio, Augustino, Evodio et Possidio int. Aug. ep. 183. coll. opp. t. X. app. p. 94. „Nam si Pelagius, inquit, quocunque restitit loco, eorum animos, qui facile vel simpliciter crederent disputanti, hac affirmatione decepit, seu hac illi in urbe sint (quos nescientes nec manifestare possumus, nec negare; cum etsi sunt lateant, nec aliquando audeant vel illum praedicantem ista defendere vel talia aliquo nostrorum praesente iactare, nec alicubi possit agnosci); sive in quovis terrarum loco degant, Dei nostri misericordia gratiaque credimus, quod facile corrigantur, audita eius damnatione, qui fuerit pertinax et resistens huius dogmatis auctor inventus.„ Adparet ergo liquido, etiam inde petita ab gratiae hostibus arma, quod suos Romae haberent sequaces. Sed frustra.

3) De peccat. orig. con. Pelag. et. Coelest. c. VIII. opp. t. X. p. 256.

4) De lato a Zosimo in Pelagianam haeresim iudicio cf. Gennad. de scriptt. eccles. Prosp. in chron. ad an. 416. Aug. de pecc. orig. cc. 17. sqq.

5) Ibid. c. XVII. pp. 260. sqq.

295. Hoc tamen ex omnibus colligitur, id continuo haereticos ipsosque etiam schismaticos fuisse conatos, ut Romam sibi conciliarent, ut Romam penetrarent, Romae residerent ac propemodum romani esse viderentur. Eccur vero ista haec omnia? Scilicet, quia probe noverant isti, quod in illius urbis sedisque umbris quiescere ac favoribus tegi, vita sua esset ac salus: quando ratum esset compertumque apud omnes ubique fideles, quod romanum esse idem valet ac catholicum orthodoxumque esse, quod [1]) Rufino teste „neque haeresis ulla illic (in ecclesia urbis Romae) *Rufinus.* sumpsit exordium„ quod ab illa sede haeresis nulla tolleratur, quod haeresis quaelibet ab illius episcopo expugnata profligatur, quodque ab episcopi illius iudicio supremum ac peremptorium orthodoxiae criterium repetitur. At vero nisi haec simul omnia spectata vulgatam apud omnes persuasionem involvant, romanae ecclesiae pontificem a discrimine errandi fallendique inmunem esse, deesse prope dixeris, quibus id comprehensum deprehendatur. Neque satis est: rei eiusdem perspicuum rursus argumentum praebet

13. Romanae sedis iudicium veluti controversiarum terminus.

296. Est enim persuasio in ecclesia plane antiqua, Romae controversias finiri; tum receptum vulgo dictum illud fixumque prope axioma: „Roma loquuta, causa finita est.„ Et illam quidem praefert relata [2]) a sancto Cornelio Novatiani „fraudulenta moli- *Cornelius.* tio„ qua „tres episcopos homines plane rudes ac simplices . . . deciperet, constantissime adfirmans, ipsos quam primum Romam proficisci oportere, ut omnis quaecunque oborta discordia intervenientibus et ipsis una cum aliis pariter episcopis dissolveretur:„ istud vero universim [3]) invaluit inde ab antiquissimis temporibus, atque validum est disertis iam Augustini verbis publice et

---

[1]) Comment. in symbol. aquil. ap. Routh. rel. sac. t. V. p. 331. adnot. 3.

[2]) Epist. ad Fab. antioch. episc. n. 2. ap. Routh. relig. sac. vol. III. p. 22. Ἐπισκόπους τρεῖς, ἀνθρώπους ἀγροίκους καὶ ἁπλουστάτους, πλαστῇ τινὶ ἐπιχειρήσει ἐξαπατήσῃ· διαβεβαιούμενος καὶ διϊσχυριζόμενος δεῖν αὐτοὺς ἐν τάχει παραγενέσθαι εἰς Ῥώμην, ὡς δῆθεν πᾶσα ἥ τις δή ποτε οὖν διχοστασία γεγονυῖα, σὺν καὶ ἑτέροις ἐπισκόποις καὶ αὐτῶν μεσιτευόντων, διαλυθῇ.

[3]) Cf. Ballerin: de vi ac ration. primat. c. XIV. §. V. nn. 34. sqq. coll. G. Phillips. iur. eccles. vol. II. §§. 88. sqq.

Augustinus. coram [1]) fidelium concione instantissime hortantis: „Ubi tales inveneritis, occultare nolite, non sit in vobis perversa [2]) misericordia: prorsus ubi tales inveneritis, occultare nolite. Redarguite contradicentes, et resistentes ad nos perducite. Iam enim de hac causa duo concilia missa sunt [3]) ad sedem apostolicam: inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est: utinam aliquando finiatur error. Ergo ut advertant monemus, ut instruantur docemus, ut mutentur oremus.„ Quibus ea addi debent, quae idem de fraudibus Coelestii [4]) disserit, qui „se litteris beatae memoriae papae Innocentii, quibus de hac re dubitatio tota sublata est, consentire respondit.„ Unde pariter [5]) aquitanus Prosper: „Per venerabilem episcopum Innocentium de beatissimi Petri apostoli sede prolatam manere sententiam.„ Sane ipsius Zosimi, quae est [6]) sagacis accuratique pelagianae historiae examinatoris Garnerii animadversio, „epistolam qua simul error pelagianus et erroris defensores damnarentur, exceptam [7]) ab africanis tamquam formulam fidei ab

Perversa in errantes misericordia.

Prosper.

Garner.

---

[1]) Serm. CXXXI. n. 10. de verb. evang. Joan. VI. opp. t. V. p. 645. ed. Maur. qui secundus fuisse dicitur post decretales Innocentii epistolas in Africam delatas.

[2]) Haec ab illis consideranda forent, qui conqueri satis non habent, quando serpentes pervulgatique errores ad ecclesiasticum tribunal referuntur.

Concil. carthag. [3]) Nimirum carthaginiense et milevitanum: epistolam ad Innocentium datam an. 416. sexaginta novem illius episcopi scripserunt: „Hoc itaque gestum, Domine frater, sanctae caritati tuae intimandum duximus, ut statutis nostrae mediocritatis etiam apostolicae sedis adhibeatur auctoritas pro tuenda salute multorum et quorumdam perversitate etiam corrigenda.„ Huius vero 61. episcopi eodem anno ad Innocentium scripserunt: „Haec ad sanctitatem tuam de concilio Numidiae scripta direximus, imitantes carthaginiensis provinciae coepiscopos nostros, quos ad sedem apostolicam, quam beatus illustras, de hac causa scripsisse comperimus.„ Duxerunt porro „negligentiae culpam si, inquiunt, apud tuam venerationem, quae pro ecclesia suggerenda sunt tacuerimus.„ De his apud Augustinum epistolae 175. sq. deque Innocentii rescriptis apud eundem epp. 181. sq. coll. s. August. con. duas epist. Pelagianorum l. II. c. 4. n. 7. opp. t. X. p. 435.

Concil. milev. *Silentium nocuum.*

[4]) Con. duas epist. pelagian. l. II. c. 3. n. 5. opp. t. X. p. 434. B—C. Quibus conferenda, quae de eodem romanae sedis iudicio habent Gennadius de scriptt. eccles. c. 43. Prosper. chron. an. 416. Verum operae pretium fuerit, consuluisse Garner. ad Marii Mercatoris commonitor. c. I. nn. 4. sq.

[5]) Con. collator. c. V. n. 15. ex ep. 214. afric. episcop. ad Zosimum opp. Aug. t. X. append. p. 176.

[6]) In castigatt. et nott. ad Marii Mercatoris commonitor. sup. nom. Coelestii ap. Mign. lat. PP. t. 48. p. 72. adnot. c. II. n. 8.

Garner. de adpellationibus afric. [7]) Lectu sunt dignissima, quae eximius Garnerius l. c. disputat. de iure adpellationis ad sedem romanam in causis fidei in universa Africa tum in confesso apud omnes, quum quaestio fuisse dicitur Zosimum inter et africanos de

omnibus episcopis subscribendam, qui se catholicos probare vellent.,, Neque africani tantum episcopi per epistolas Innocentii ac porro Zosimi, cuius epistola teste [1]) Maria Mercatore „tractoria dicitur,, causam Pelagianam terminatam habebant, sed [2]) Pelagius et Coelestius per exempla scripturarum, quae universaliter ad omnes episcopos de memorata sede manarunt, „toto christiano orbe damnati sunt.,,

---

adpellationibus in causa disciplinae: coll. Christ. Lup. synod. general. decret. schol. ad conc. sardic. opp. t. I. pp. 326. sqq. Verum silentio praetermitti non debent, quae in laudata frequenter responsione quatuor Germaniae metropolitis data a Pio VI. leguntur c IX. sec. 1. pp. 305. sq. „Eodem prorsus ac de Cypriano eiusque causa silentio obruenda fuisset quaestio alia inter Pontifices Zosimum, Bonifacium et Coelestinum, et inter Africanos Patres exorta super celebri causa Appiarii episcopi. Ideo enim exarsit illa contentio, quia pontificii legati pro fundamento suae legationis afferebant in medium canonem nicaenum de Appellationibus, ex quo huiusmodi pontificium ius confirmabatur. Sicut autem hic canon Patres africanos latebat, eundem inter nicaenos canones referri non posse contendentes; ita receptis et perbenigne habitis pontificiis legatis, nihil aliud africani episcopi pontificem postularunt, nisi ut canon huiusmodi cum nicaenis canonibus conferretur, professi: Se interea adprobationem servaturos, quae in commonitorio allegata sunt de appellationibus episcoporum ad romanae ecclesiae sacerdotem, ut totidem verbis rem narrat Franciscus Vargas in suo, de episcoporum iurisdictione et Pontificis maximi auctoritate, responso Rom. 1563. confirmat. 8. p. 92. Cognitum subinde fuit, canonem illum, de quo erat disceptatio, ad concilium Sardicense pertinere, et non alia de causa unum ex nicaenis canonibus reputatum, nisi quia sardicense concilium erat quaedam appendix et additamentum nicaenae synodi, et nisi quia sardicenses canones in antiquis codicibus post canones nicaenos sine ulla discriminis nota legebantur. Hinc sicut sardicenses canones ab ecclesia recepti eadem nicaenorum canonum auctoritate praestabant, ita disceptatio illa quae gravissimorum hominum sententiis utrinque fuerat disputata, finem sortita est Bonifacii II. tempore, quo Eulalius carthaginiensis episcopus, et ceteri africanae dioecesis Patres consentientes, ea in re cum apostolica sede, a cuius obedientia minime discesserant, reconciliati sunt, eodem Francisco Vargas referente„ ib. p. 93. coll. Bolgeni diss. polem. canon. del concil. di Sardica, Roma 1783. p. II. §. 5. p. 173. et diss. alt. L' autorità suprema del R. Pontefice dimostrata da un solo fatto. Roma 1789.

Pius VI. *Causa Appiarii.* *Bolgeni.*

[1]) Commonit. par. II. col. par. VI.

[2]) Coll. Aug. ad Optat. ep. 195. Valentin. ep. 215. de pecc. orig. c. 21. Mar. Mercator. ll. cc. Prosper c. collat. cc. 1. 10. 41. carm. de ingrat. c. 9. in chronico ad consulat. Honor. et Theodos. VIII. ubi sic: „Concilio apud Carthaginem habito 214 episcoporum ad papam Zosimum synodalia decreta perlata sunt: quibus probatis per totum mundum haeresis pelagiana damnata est.„ Iamvero quum alii e vetustis hunc damnationis effectum adseruerint Innocentii litteris, placuit post Salmasium in eucharist. Usserio de britannic. eccles. primord. occasionem arripere detrahendi aliquid de summi pontificis auctoritate. Verum allatis veterum sententiis reponit Garnerius l. c. dissert. IV. de subscriptt. exactis in causa pelagian. c. VI. „Cum ergo decretum Innocentii a tractoria Zosi-

Prosper. *Garner.*

Bonifac. II. 297. Similiter Bonifacius secundus in litteris ad Caesarium arelatensem, qui a papa Felice catholicae fidei firmitatem poposcerat [1]) finivit massiliensium seu semipelagianorum quaestiones, propterea conquestus, quod quum de hac re praeter multos Patres et prae ceteris beatae recordationis Augustinum episcopum praecipue „maiores sui apostolicae sedis antistites ita ratione probentur disseruisse latissima„ ulli ulterius potuerit „esse ambiguum, fidem quoque nobis ipsam venire de gratia.„ Hinc Prosper aquitanus [2]) Augustinum vindicans: „Tunc, ait, istorum machinae fractae sunt, tunc in superbiae suae sociis ac principibus corruerunt, quando beatae memoriae Innocentius nefandi erroris capita apostolico mucrone percussit . . . quando sanctae memoriae papa Bonifacius piissimorum imperatorum catholica devotione gaudebat, et contra inimicos gratiae Dei non solum apostolicis sed etiam regiis utebatur edictis . . . Apostolica enim sedes quod a praecognitis sibi non discrepat, cum praecognitis probat . . . Igitur huiusmodi hominum pravitati non tam dispensationum studio quam auctoritatum privilegio resistendum est: ut de prostrati dudum dogmatis corpore nullum membrum sinatur assurgere.„ Scilicet non disputatione sed apostolica praescriptione Prosper terminatam vult litem, et quum non obstantibus pontificum decretis latenter denuo spargere errores fraudulenti quidam conarentur, Prosper „confidit Domini protectione praestandum, ut quod operatus est in Innocentio, Zosimo, Bonifacio, Coelestino, operetur et in Sixto, et in custodia dominici gregis haec sit pars gloriae huic servata pastori, ut sicut illi lupos abegere manifestos, ita hic depellat occultos.„ Videlicet a romana sede in causa

Prosper. *Regia edicta.* *Non disputatio sed auctoritas.* *Sixtus.*

---

mi in eo tantum fuerit diversum, quod illud pressius, ista latius doctrinam catholicam contineret; certe neque Prosper neque Gennadius neque Augustinus Patresque africani a Mario Mercatore dissentiunt; sed mirifice potius ipsius sententiam confirmant, simulque demonstrant, sin minus semper, saltem quo tempore damnatur haeresis sine congregatione generalis synodi, opinatos fuisse veteres, ad sedem apostolicam pertinere propter auctoritatis amplitudinem, toti ecclesiae per orbem habitabilem diffusae formam fidei proponere.„ Id quod vir in adserendo strenuus illico probat in medium allatis quae superius pariter deprompta dedimus ex epp. Innocentii ad conc. carthag. et milevit. atque August. ser. 2. de verb. Ap.

Fidei forma citra concilium proposita.

[1]) Bonifac. II. ep. ad Caesar. arelat. cuius rogatu confirmavit, quae in synodo arausicana II. fuerant definita; coll. Cyprian. in vit. Caesar. l. I. n. 35. de quibus opp. Aug. t. X. append. pp. 161. sq.

[2]) L. c. collat. c. XXI. n. 57. epp. Aug. l. c. p. 195.

haereticorum Maiores exspectabant et exspectandum iudicium dicebant; huius porro sedis lato iudicio standum, quum maneat, quod illa iudicarit.

298. Ita africani: sed ita iam olim Constantinus imperator teste [1]) Augustino: „Sed quia Constantinus non est ausus de causa episcopi iudicare, eam discutiendam atque finiendam episcopis demandavit. Quod et factum est in urbe Roma praesidente Melchiade episcopo illius ecclesiae cum multis collegis suis.„ Et profecto id Constantinus ipse in litteris ad Melchiadem datis [2]) quibus semet probum vere ostendit credentium societatis imperatorem diserte fatetur. Facta namque mentione Donatianae adpellationis ad se in gravissimo carthaginiensis epicopi Caeciliani negotio, tum sui doloris „quod in iis provinciis, quas divina providentia suae devotioni mera liberalitate tradidit . . . plebs divisa et episcopi dissentiant„ subdit: „Placuit mihi ut ipse Caecilianus cum decem episcopis qui accusare illum videntur, ac decem aliis, quos ipse ad causam suam necessarios esse iudicaverit, Romam naviget; ut ibi coram vobis, nec non Reticio, Materno et Marino collegis vestris, quos huius rei causa Romam properare praecepi, possit audiri, quemadmodum sanctissimae legi convenire optime nostis. Porro ut de omnibus his plenissimam valeatis habere notitiam, exempla libellorum ad me ab Anulino missorum litteris meis subiecta, ad supra dictos collegas vestros transmisi. Quibus lectis perpendat gravitas vestra, quonam modo praedicta controversia accuratissime diiudicanda sit, et ex praescripto iustitiae terminanda. Siquidem nec vestram sedulitatem latet, tantam a me reverentiam sanctissimae ecclesiae catholicae exhiberi, ut nullum omnino schisma vel dissidium ullo in loco a vobis relinqui velim. Divinitas summi Dei multis annis vos servet, carissime.„ Exploratum ergo Constantino erat

Augustinus.

Constantinus.

1. non sibi sed romano pontifici competere iudicium de causa episcoporum:

2. quare non ad se, imperatorem, sed ad romanum pontificem esse adpellandum in eiusmodi causis:

---

[1]) Ep. CV. al. XVI. n. 8. coll. Routh. rel. sac. vol. IV. p. 277.

[2]) „Constantinus Augustus Miltiadi episcopo urbis Romae et Marco„ qui Valesio auctore postea fuit et ipse pontifex romanus: cf. Routh. l. c. p. 278. sq. coll. Euseb. h. e. l. X. c. 5.

3. a romano episcopo iudicium et terminum controversiarum pendere. Et sane quomodo incompertum hoc Constantino fuisset, quum id Aureliano gentili in exploratis[1]) esset, qui „cum Paulus a recta fide simul et episcopatu excidisset... sed e domo ecclesiae[2]) nullatenus excedere vellet, interpellatus rectissime hoc negotium diiudicavit, iis domum tradi praecipiens, quibus italici christianae religionis antistites et romanus episcopus scriberent. Hoc modo vir supra memoratus cum summo dedecore per saecularem potestatem ab ecclesia exturbatus est.„ Erat ergo res explorata pridem, et vel ipsis gentilibus nota, a romano episcopo controversiarum finem atque terminum petendum esse.

Aurelian.

299. Hinc est, quod eam orientales simul atque occidentales publice solemniterque profiterentur. Qua de re vix quidpiam illustrius flagitari potest, quam quod in octavo oecumenico constantinopolitano quarto[3]) Metrophanes Smyrnae metropolita fraudulentis Photianis respondit: „Verum et quod dixisti: Multos romanorum ecclesia iustificante damnatos arbitramur, et rursus damnante iustificatos habemus, falsum est et procul a veritate.„ Quibus plane coronam inposuit[4]) post novas Photianorum tricas haec sanctissimorum vicariorum conclusio: „Sancta Romana ecclesia ... anathematizavit ac proiecit Photium ... praesulatum adhuc gerente beatissimo papa Nicolao. Iterum autem successor eius Hadrianus divinitus constitutus pontifex romanorum, sicut ille definivit atque praecepit, ita et iste successor eius definivit

Metrophan. smyrn.

---

[1]) Ap. Euseb. h. e. l. VII. c. 30. coll. Routh. rel. sacr. vol. III. p. 357. *Τοῦ δὲ οὖν Παύλου σὺν καὶ τῇ τῆς πίστεως ἑτεροδοξίᾳ τῆς ἐπισκοπῆς ἀποπεπτωκότος... ἀλλὰ γὰρ μηδαμῶς ἐκστῆναι τοῦ Παύλου τοῦ τῆς ἐκκλησίας οἴκου θέλοντος· βασιλεὺς ἐντευχθεὶς Αὐρηλιανὸς αἰσιώτατα περὶ τοῦ πρακτέου διείληφε· τούτοις νεῖμαι προστάττων τὸν οἶκον, οἷς ἂν οἱ κατὰ τὴν Ἰταλίαν καὶ τὴν Ῥωμαίων πόλιν ἐπίσκοποι τοῦ δόγματος ἐπιστέλλοιεν* (al. *ἐπιστείλοιεν*). *οὕτω δῆτα ὁ προδηλωθεὶς ἀνὴρ μετὰ τῆς ἐσχάτης αἰσχύνης ὑπὸ τῆς κοσμικῆς ἀρχῆς ἐξελαύνεται τῆς ἐκκλησίας.*

Brachium saeculare. [2]) Habebant ergo ecclesiae iam domos cleri sibi coniunctas: sed pariter habebat iam tum apud ipsum gentilem imperatorem ecclesia brachium suum quoddam saeculare, quo vindicarentur iura sua, et adgressores iniqui profligarentur.

Photianae exceptiones disiiciuntur. [3]) Act. VI. ap. Harduin. t. V. p. 832. Vindicias sumpsit iudiciorum romanae sedis smyrnensis metropolita, atque obiecta contra hanc a Zacharia chalcedonensi ex ordine et valide confutavit. Hinc autem validissima pariter sunt ad refellendos recentiores schismatis fautores sive graeci illi sint sive russi, si tamen suorum auctoritate Maiorum, orientalium inquam scriptorum ac Patrum, rem iudicatam velint.

[4]) Ibidem. p. 834.

et promulgavit: nosque indignos famulos suos direxit ad hanc Deo conservandam urbem, ad manifestationem et certitudinem veri et iusti iudicii ipsorum in conspectu iusti imperii vestri et huius sanctae ac magnae universalis synodi: ita ut non habeant vocem repedationis vel appellationis; sed quemadmodum iam iudicati sunt, et deiecti, in saeculum maneant. Et ecclesiae orientalium gratia Dei nobiscum sentiunt, stabiliunt, damnant et anathematizant similiter usque in consummationem saeculi.„

300. Sed cui vel plausibile videri posset, invariabile et inmutabile in religionis fideique negotiis iudicium errori esse posse obnoxium? Atqui istiusmodi iudicium secundum totius antiquitatis θεωρίαν ac πρᾶξιν est romanae sedis iudicium: „Beatissimae et apostolicae sedis inviolabiles, inquit [1]) Coelestinus, sanctiones„: *Coelestinus.* et sic quidem sedis huius iudicium inviolabile ac inmutabile semper antiquitas ducebat, ut eo lato omnem cessare quaestionem neque disputationi ullum amplius locum concedendum esse crederet. Quibus addi omnino illud iuridicum debet, quo effertur

14. Romanae sedis sententia nullius obnoxia iudicio.

301. Nam huc spectat et inde nectitur tum vulgatum aliud rursum in ecclesia iuris axioma, quo ratum fixumque est „romanam sedem non iudicari„ tum communis agendi ratio ac methodus, qua receptum semper erat, post latam a sede romana sententiam nullam amplius instituendam controversiam ac disputationem. Et ad primum quod attinet, id Michaeli imperatori disertis his verbis exponit [2]) Nicolaus primus: „Prima sedes non iudicabitur a quoquam. *Nicolaus I.* Neque ab Augusto, neque ab omni clero, neque a regibus, neque a populo iudex iudicabitur.„ Quae licet secundum acta synodorum [3]) apocrypha allegata dicantur, nemo tamen sano utens iudicio propterea illis vim valoremque detrahet: tum quod ea cum reliquis ad romanae sedis primatum spectantibus iuribus ac praerogativis harmonice ac necessario [4]) cohaereant, tum quod expressam praeferant communem omnium persuasionem, tum quod si ab iustitia abessent et a veritate aliena, in ecclesia Dei nunquam praevaluissent, tum

---

[1]) Ep. 21. ad epp. Gall. de errorib. semipelag. c. 11.

[2]) Ep. data an. 865. ap. Denzing. p. 115. n. 269.

[3]) Sinoessae de Marcellino pontifice et romanae sub Silvestro c. 20.

[4]) Recolas, quaeso, singula quaeque a nobis hucusque allata atque porro adferenda.

quod ab ipsa utentium auctoritate valor illis ac vis adseratur; atque ipse nominatim Nicolaus illico est, qui ius illud tuetur ac probat: et

1. illud tuetur ac probat ex rerum naturis, quibus ita comparatum est, ut primae sedis iudicium, nullius alterius nisi „solius Dei sine quaestione reservetur arbitrio„:

2. illud tuetur et probat ex institutione divina tributisque in Petro romanae ecclesiae praerogativis: et

3. idem tuetur ac probat ex ipsis canonici iuris principiis, quibus velut axioma habetur „ubi est maior auctoritas, iudicium inferiorum esse deferendum, ad dissolvendum scilicet vel ad roborandum„: unde

4. inquit „patet profecto sedis apostolicae, cuius auctoritate maior non est, iudicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt; ab illa autem nemo sit appellare permissus . . . Non negamus eiusdem sedis sententiam posse in melius commutari, cum aut sibi subreptum[1]) aliquid fuerit, aut ipsa pro consideratione aetatum vel temporum seu gravium necessitatum dispensatorie[2]) quiddam ordinare decreverit.„ Ean-

Leo IX. dem iuris normam opponit[3]) Cerulario Leo nonus scribens: „Praeiudicium faciendo summae sedi, de qua nec iudicium licet facere cuiquam hominum, anathema accepistis ab universis Patribus omnium venerabilium conciliorum.„ Quod quemadmodum e classicis quos vocant, Scripturae locis, quibus Petro primatus in universam ecclesiam[4]) tribuitur, prius probaverat, ita rursum ex iisdem[5])

Ratio mutandae romanae sententiae.

[1]) Haec conditio vel causa mutandae sententiae a sede romana profectae est diligenter consideranda; quum enim tribunal romanum in appellationum causis secundum data, ut aiunt, et allegata iudicet, contingere potest, quemadmodum per humanam miseriam reapse plus semel contigit, ut illius iudicium reformandum esset, non quasi falsum fuisset, si secundum expositas sibi allegatasque ὑποθέσεις spectaretur, sed quasi subreptum, quod hae ipsae ab aliis expositae prolataeque ὑποθέσεις sive veritate sive adcuratione destitutae deprehenderentur.

Mutationis materia.

[2]) Haec manifeste non ad rem fidei sed ad disciplinam ecclesiasticamque administrationem pertinent. Iudiciorum sententiarumque mutationes ad fidem spectantium attingere substantiam rei non possunt, eiusdem autem formulam expressionemque οἰκονομικῶς et πολεμικῶς plus minusve variis in adiunctis aptam ac necessariam adficere possunt. At haec mutatio non oppositionis sed perfectionis est.

[3]) Ep. ad Michael. Cerul. et Leon. Acridan. c. 11.

[4]) Matth. XVI. Joan. XXI. Luc. XXII.

[5]) Ibid. c. 32.

infert: „Sicut cardo immobilis permanens ducit et reducit ostium, sic Petrus et sui successores liberum de omni ecclesia habent iudicium, cum nemo debeat eorum dimovere statum, quia summa sedes a nemine iudicatur.„

302. At vero haec regula neque per Leonem neque per Nicolaum statuta fuit neque eorum aetate primum invaluit; sed ad illam papa Gelasius iam provocavit nunc [1]) scribens: „Ipsi sunt *Gelasius.* canones, qui appellationem totius ecclesiae ad huius sedis examen voluerunt deferri. Ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt„: et [2]) nunc: „Ad illam, ait, de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt; ab illa autem nemo est appellari permissus.„

303. Ad eandem uti normam antiquam provocavit in occidente quidem magnus beatusque Leo [3]) scribens: „Vestra frater- *Leo.* nitas recognoscat, apostolicam sedem pro sui reverentia (quae expressa sunt ad sardicensium phrasin „sancti Petri memoriam honoremus„) a vestrae etiam provinciae sacerdotibus innumeris relationibus esse consultum; et pro diversarum (quemadmodum vetus consuetudo poscebat) appellatione causarum aut retractata aut confirmata fuisse iudicia.„ In oriente vero, praeter Theodoretum *Theodoret.* luculentissime [4]) idipsum docentem, orthodoxae fidei vindex Cyrillus [5]) ad eandem provocavit testatus et „Deum a se hisce *Cyrill. al.* in rebus prudentiam exigere, et longam ecclesiarum consuetudinem suadere, ut eiusmodi res (nimirum causa Nestorii) sanctitati tuae (id est romano pontifici) communicentur:„ nec quidquam se contra Nestorium ausum esse suscipere, antequam romani pontificis sententiam exploratam habuerit.

304. Respexerunt autem illi omnes inprimis ad celeber-

---

[1]) Ep. ad Faustum.

[2]) Ep. ad epp. Dardan.

[3]) Ad epp. provinc. Viennens. ep. 87. Sed eodem faciunt, quae „dilectis- *Bonifac. pap.* simis fratribus Rufo, et ceteris episcopis per Macedoniam, Achaiam, Thessaliam, Epirum veterem . . . constitutis Bonifacius„ scripsit an. 531. ap. Harduin. t. II. pp. 1125. sq.

[4]) Vide sis l. s. c.

[5]) Ep. ad Coelestin. l. c. *Ἐπειδὴ δὲ καὶ θεὸς ἀπαιτεῖ παρ᾽ ἡμῶν τὸ νηφάλιον ἐν τούτοις, καὶ τὰ μακρὰ τῶν ἐκκλησιῶν ἔθη πείθουσιν ἀνακοινοῦσθαι τῇ σῇ ὁσιότητι, γράφω πάλιν ἀναγκαίως ἐκεῖνο δηλῶν.*

Sardicenses canones. rimos[1]) sardicenses canones, quorum altero statuitur: „Quodsi aliquis episcopus iudicatus fuerit in aliqua causa et putat se bonam

---

Em. Pitra. [1]) De concilii sardicensis vi et auctoritate em. Pitra eccles. iur. graecor. t. I. pp. 484. sq. brevi ac scite haec adnotavit 1. decreta illius tam in oriente quam a latinis statim ab initio et oecumenicis adnumerata ipsisque nicaenis fuisse tamquam partem et appendicem a multis adiecta: 2. fuisse in illo reapse chalcedonensibus testibus expugnatas arianorum reliquias tam ex mente quam a multis Patribus ipsius nicaeni concilii: hinc 3. fuisse utriusque concilii canones antiquissima et fortasse prima sylloge communi titulo comprehensos: fuisse eosdem sardicenses canones 4. a romanis pontificibus Innocentio et Zosimo nicaenorum nomine appellatos: 5. ab ipsis itidem constantinopolitanis Patribus secundi concilii oecumenici sardicense quoddam decretum uti nicaenum fuisse allatum: sane 6. maximam illis in oriente semper tributam auctoritatem fuisse, collectiones canonum a saeculo quarto ac deinceps liquido patefacere: 7. id ipsum *Athanasius.* Veteres testari omnes et maxime Athanasium, qui tradidit a) fuisse synodum hanc a Julio papa convocatam, b) ope imperii utriusque communitam, c) maximo episcoporum numero frequentatam, d) romana approbatione firmatam, e) adeoque universali vi auctam et insignitam. Quare de pretio canonum eiusmodi synodi sapiens nemo dubium movere debet. Addit porro em. editor duplicem illorum lectionem esse relictam aeque antiquam et authenticam, alteram Dionysii exigui, graecam alteram cuius tamen versio a sexto iam saeculo in veronensem codicem accepta fuit. Dabimus utrumque textum, ubi opus visum fuerit. Hoc autem praeteriri silentio non debet, quod vir doctissimus ibidem pp. 485. sq. animadvertit in graecos: nimirum praepostere ab illis contendi 1. sardicenses canones non fuisse iuris veteris orientalis, et 2. ad byzantinos transiisse romanum appellationis *Nicolaus I.* ius: verum 3. Photium impudenter eosdem dissimulasse, unde egregie Nicolaus papa: „Quomodo apud vos ignorantur quae sunt in concordantia quinquaginta titulorum?„ 4. non astute minus quam perverse proprietatem appellationis canonibus *Hincmar. rhem.* tertio quarto quintoque expressam denegari per alios, uti per Hincmarum rhemensem nono iam saeculo „qui omni ope vetare niteretur, ne quis a provinciali synodo Romam provocaret, causamve deferret extra provinciam:„ qui tamen rhemensis ap. Mign. lat. scriptt. t. 126. pp. 303. sqq. in causa Hincmar. laudun. c. V. praeter alia usus etiam sardicensibus decretis tum appellationis supremum tribunal tum decretoriam potestatem ac vim romanae sedi adserit: 5. eodem *Van-Espen.* spectasse Van-Espen utentem hinc regii quibusdam gallicani senatus exemplis et inde hervetiana quinti canonis versione, qua habetur „veluti appellans„ quum tamen codices uno excepto omnes ὅσπερ legant non ὥσπερ: verum 6. tam historiam quatuor priorum saeculorum quam sequentium contestari „causas episcoporum ab universo orbe fuisse ad romanum pontificem vera et ineluctabili appella- *Appellandi iuris divinus legislator.* tione delatas atque ex integro subiectas romanae supremaeque sententiae.„ Cuius rei testes byzantinos ipsos glossatores adducit, Aristenum, Zonaram, Balsamonem, ut concludat „romanum illud ius non esse repetendum, nisi ab ipso ecclesiae divino et immortali legislatore.„ Iuverit etiam, de sardicensi concilio eiusque de- *Hefele.* cretis consuluisse Dr. C. J. Hefele hist. conc. t. I. §§. 58. sqq. qui statuit 1. celebrationem illius revocari ad an. 343—344. 2. finem illius cum fidei sinceram professionem fuisse tum causam plurium episcoporum, qui multiplici vexationi exponebantur: 3. Osium cordubensem ex Julii pontificis delegatione praesedisse: 4. diligenter in causam Athanasii, Marcelli ancyrani et Asclepae gazensis inqui-

causam habere[1]) ut iterum concilium [2]) renovetur, si vobis placet [3]) sancti Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his qui causam examinarunt Julio romano [4]) episcopo, et si iudicaverit, renovandum esse iudicium, renovetur et det [5]) iudices: si autem

---

situm: 5. novam fidei formulam non esse propositam: attamen 6. canones disciplinares constitutos maximi omnino momenti, inter quos illi sunt, quos ad rem nostram protulimus. Id autem ex his generatim expositis adparet, lucem adfundi praeclaram tribus illis speciatim canonibus, qui de negotio adpellationis ad romanum pontificem agunt. Qua in re hoc est insuper considerandum, quod quemadmodum quaelibet *πρᾶξις* iudicio regitur practico quod veritate innitatur, ita appellationis illa consuetudo hinc manifeste regebatur iudicio de primae sedis auctoritate, a qua terminus cuivis controversiae inponeretur, et inde veritate innitebatur explorata, eiusmodi auctoritatem romanae sedis episcopo tributam divinitus reapse fuisse. Atque id vel ipsis canonum verbis satis significatur. De textibus canonum eorumque vindiciis cf. ap. Hefele ibid. §. 64. pp. 535. sqq. *Appellandi iuris fundamentum.*

1) Apud J. B. Pitra S. R. E. card. l. c. p. 470. can. III. *Εἰ δὲ ἄρά τις ἐπισκόπων ἔν τινι πράγματι δόξῃ κατακρίνεσθαι, καὶ ὑπολαμβάνει ἑαυτὸν μὴ σαθρὸν ἀλλὰ καλὸν ἔχειν τὸ πρᾶγμα, ἵνα καὶ αὖθις ἡ κρίσις ἀνανεωθῇ, εἰ δοκεῖ ὑμῶν τῇ ἀγάπῃ, Πέτρου τοῦ ἀποστόλου τὴν μνήμην τιμήσωμεν, καὶ γραφῆναι παρὰ τούτων τῶν κρινάντων Ἰουλίῳ τῷ ἐπισκόπῳ Ῥώμης, ὥστε διὰ τῶν γνειτνιώντων τῇ ἐπαρχίᾳ ἐπισκόπων, εἰ δέοι, ἀνανεωθῆναι τὸ δικαστήριον, καὶ ἐπιγνώμονας αὐτὸς παράσχοι. Εἰ δὲ μὴ συστῆναι δύναται τοιοῦτον αὐτοῦ εἶναι τὸ πρᾶγμα, ὡς παλινδικίας χρήζειν, τὰ ἅπαξ κεκριμένα μὴ ἀναλύεσθαι, τὰ δὲ ὄντα, βέβαια τυγχάνειν:* quae in versione codicis veronensis, ubi hic canon est quintus, sic habent: „Si autem quis episcopus in aliquo damnatur negotio, et aestimet se firmam causam habere, ut iudicium renovetur, si placet vestrae dilectioni, Apostoli Petri honorate memoriam, et scribatur ab his qui iudicaverunt Julio episcopo Romae per vicinos episcopos provinciae, et si oportet innovari iudicium, renovetur et iudicem ipse praebebit. Et si non potuerit ibi adesse et tale fuerit eiusdem negotium, ut iterum renovetur iudicium, semel iudicata non dissolvi, quae autem sunt, maneant firma.„

2) Isidor et Prisca habent „iudicium„ *κρίσις.*

3) Hac phrasi Patres rogantur sententiam de ordinando usu ac modo adpelationum, quae ad sedem romanam pro sua auctoritate fieri semper solebant; nullatenus vero ipsa romanae sedi auctoritas primum tribuitur ac ius, quo fieri ad ipsam adpellationes possent. Quod cum alii tum Gelasius et Nicolaus ll. s. cc. animadverterunt. Cf. de canon. concil. sardicens. Christian. Lup. in schol. synod. general. decret. opp. t. I. pp. 325. sqq. sed multo etiam plenius multoque labore contra Paschasium Quesnellum magni papae Leonis operum pessimum commentatorem dissertatione de antiquis gallicanae ecclesiae ad romanam sedem appellationibus opp. t. VIII. ubi vix quidpiam intactum relinquit, quod ad superiores aliasque non paucas enodandas quaestiones aestimandosque auctores atque scriptores hac de causa merito solet requiri.

4) Hoc individuo nomine adsignificari omnes eandem dignitatis speciem habentes romanos praesules, concreto autem illo casu declarari generatim ius, et ex eo, quod tum fieri volebant, id proponi repetendum, quod similibus in adiunctis fieri deberet semper, nemo est, qui non intelligat. *Canon. acceptio.*

5) Quum penes romanum pontificem dicatur esse tum iudicium de valore latae sententiae, de renovando causae examine, novoque instituendo iudicio, tum

probaverit talem causam esse, ut non replicentur ea quae acta sunt, quae decreverit confirmata erunt. Si hoc omnibus placet? Synodus respondit: Placet.„ A quibus avelli non debent, quae sequentibus illico canonibus statuuntur. Et quarto [1]) quidem haec: „Gaudentius episcopus dixit: „Addendum si placet, huic sententiae, quam plenam sanctitate protulistis, ut cum aliquis episcopus depositus fuerit eorum episcoporum iudicio, qui in vicinis locis commorantur, et proclamaverit agendum sibi negotium in urbe Roma, alter episcopus in cuius cathedra post appellationem eius, qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in iudicio episcopi romani determinata.„ Post quae concilii e pontificis nomine praeses „Osius episcopus [2]) dixit: Placuit autem

---

ipsos determinare novi huius iudicii iudices, diffiteri nemo merito potest, de vera propriaque agi adpellatione. Cf. Ballerin. opp. Leon. t. II. observat. in I. diss. V. Quesnell. pp. 951. sqq. 947. sqq. Roskovany de primat. rom. pontif. pp. 190. sqq.

[1]) Ibid. p. 470. *Γαυδέντιος ἐπίσκοπος εἶπεν. Εἰ δοκεῖ ἀναγκαῖον προσθῆναι ταύτῃ τῇ ἀποφάσει, ἥν τινα ἀγάπης εἰλικρινοῦς πληρῆ ἐξενήνοχας, ὥστε ἐάν τις ἐπίσκοπος καθαιρεθῇ τῇ κρίσει τῶν ἐπισκόπων τῶν ἐν γειτνίᾳ τυγχανόντων, καὶ φάσκῃ πάλιν ἑαυτῷ ἀπολογίας πρᾶγμα ἐπιβάλλειν, μὴ πρότερον εἰς τὴν καθέδραν αὐτοῦ ἕτερον ὑποκαταστῆναι, ἐὰν μὴ ὁ τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπος ἐπιγνοὺς περὶ τούτου ὅρον ἐξενέγκῃ:* quae ita in versione veronensis codicis sunt: „Gaudentius episcopus dixit: Si placet necessarium esse huic addi sententiae quam veram et caritate plenam tulisti, ut si quis episcopus fuerit depositus praesentia episcoporum qui vicini sunt, et dixerit se negotium excusationis habere, non prius in eius cathedra alium ordinari, nisi prius Romae episcopus de hoc cognoscens terminum imposuerit.„ Qua quidem versionis lectione ad graecum textum apte facta multo significatur apertius, ultra sententiam a romano pontifice latam progredi fas nemini esse.

[2]) Canone apud Dionysium septimo, sed in editione graeca et veronensi latina quinto ibidem p. 471. *Ὅσιος ἐπίσκοπος εἶπεν· Ἤρεσεν, ἵν᾽ εἴ τις ἐπίσκοπος καταγγελθείη, καὶ συναθροισθέντες οἱ ἐπίσκοποι τῆς ἐνορίας τῆς αὐτῆς, τοῦ βαθμοῦ αὐτὸν ἀποκινήσωσι, καὶ ὅσπερ* (non *ὥσπερ* ut unus paris. cod.) *ἐκκαλεσάμενος καταφύγῃ ἐπὶ τὸν μακαριώτατον τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας ἐπίσκοπον, καὶ βουληθείη αὐτοῦ διακοῦσαι, δικαιόν τε εἶναι νομίσῃ ἀνανεώσασθαι αὐτοῦ τὴν ἐξέτασιν τοῦ πράγματος, γράφειν τούτοις τοῖς ἐπισκόποις καταξιώσῃ τοῖς ἀγχιστεύουσι τῇ ἐπαρχίᾳ, ἵνα αὐτοὶ ἐπιμελῶς καὶ μετὰ ἀκριβείας ἕκαστα διερευνήσωσι, καὶ κατὰ τὴν τῆς ἀληθείας πίστιν, ψῆφον περὶ τοῦ πράγματος ἐξενέγκωσιν. Εἰ δέ τις ἀξιῶν καὶ πάλιν αὐτοῦ τὸ πρᾶγμα ἀκουσθῆναι, καὶ τῇ δεήσει τῇ ἑαυτοῦ τὸν Ῥωμαίων ἐπίσκοπον κρίνειν δόξῃ, ἀπὸ τοῦ ἰδίου πλευροῦ πρεσβυτέρους ἀποστείλοι, ἵνα ᾖ ἐν τῇ ἐξουσίᾳ αὐτοῦ τοῦ ἐπισκόπου, ὅπερ ἂν καλῶς ἔχειν δοκιμάσῃ καὶ ὁρίσῃ δεῖν, ἀποσταλῆναι τοὺς μετὰ τῶν ἐπισκόπων κρινοῦντας, ἔχοντάς τε τὴν αὐθεντίαν τούτου, παρ᾽ οὗ ἀπεστάλησαν καὶ τοῦτο θετέον. Εἰ δὲ ἐξαρκεῖν νομίζοι πρὸς τὴν τοῦ πράγματος ἐπίγνωσιν καὶ ἀπόφασιν τοῦ ἐπισκόπου ποιήσει ὅπερ ἂν τῇ ἐμφρονεστάτῃ αὐτοῦ βουλῇ καλῶς ἔχειν δόξῃ. Ἀπεκρίναντο οἱ ἐπίσκοποι· Τὰ λεχθέντα ἤρεσεν:* quae ita habent in veronensi codice: „Osius episcopus dixit: Placet, ut si quis episcopus appetitus vel accu-

ut si episcopus accusatus fuerit, et iudicaverint congregati episcopi regionis ipsius, et de gradu suo eum deiecerint, si appellaverit qui deiectus est, et confugerit ad episcopum romanae ecclesiae, et voluerit se audiri, si iustum putaverit, ut renovetur examen, scribere his episcopis dignetur, qui in finitima et propinqua provincia sunt, ut ipsi diligenter omnino requirant, et iuxta fidem veritatis definiant: quod si is qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione sua moverit episcopum romanum, ut e latere suo presbyterum mittat, erit in potestate episcopi, quid velit et quid aestimet. Et si decreverit mittendos esse qui praesentes cum episcopis iudicent, habentes eius auctoritatem, a quo destinati sunt, erit in suo arbitrio; si vero crediderit episcopos sufficere, ut negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio iudicaverit.„

305. In quibus tria non debent confundi, et tria apte debent distingui. Confundi non debent causa multiplex, ob quam in iudicium vocari episcopus possit: sententia varia, quae possit in eum ferri: et certa quaedam causa ac sententia, qua de agitur. Tum distinguantur: *Nonconfundenda.*

I. appellationis negotium, in quo provocare aliquis ad romanum pontificem possit: est porro iuxta canonem tertium quaelibet[1]) causa, ob quam episcopus aliquis fuerit in iudicium vocatus: *Distinguenda.*

---

satus fuerit, et collecti episcopi finium suorum eum gradu deiecerint, et confugerit ad provocationem beati episcopi romanae ecclesiae, et acquieverit eum audiri, et iustum putaverit renovari iudicium rei, scribere episcopis dignabitur providentibus provinciae, quo ipsi diligentius cum scrupulositate singula scrutentur, et secundum veritatis fidem de negotio proferant sententiam. Si vero quis iterum petierit, denuo suum audiri negotium, et per hanc petitionem romanum episcopum moverit; de latere suo episcopos destinabit, ut sit potestatis eiusdem episcopi quod aestimaverit esse. Et si statuerit oportere mitti, qui destinati cum episcopis iudicaturi sunt, habeant auctoritatem eius, a quo destinati sunt. Sane et hoc ponatur in episcopi potestate. Et si putaverit sufficere ad causae cognitionem, et sententiam proferendam episcopi, faciat quod eiusdem erit prudentiae.„

[1]) Profecto canonis tertii verba ἔν τινι πράγματι generalia sunt, uti generalis est phrasis versionis latinae „in aliqua causa„ quaecunque scilicet illa sit; quum porro in eodem canone, uti contextu probatur et praeclare cl. Hefele ostendit l. c. p. 552. secus ac gallicani contendebant, de vera appellatione agatur, manifeste colligitur, curialistarum quos idem Hefele ibidem vocat, nominatimque cl. Palmae praelect. hist. eccles. in coll. urban. 1838. t. I. p. II. pp. 86. 91. sententiam, de quolibet agi episcoporum iudicio, veram esse; quae vero de uno appellationis definito casu ab Hefele dicuntur, ad singulare spectant specimen casus, in quo nisi ordine procederetur, nova et gravissima orirentur incommoda, quae illa aetate reapse nata erant. Quodsi igitur casus hic contingeret, sardicenses viam ac modum procedendi praefinitum quarto quintoque canone volebant. *Gallicani.* *Hefele.* *Palma.*

II. particulare casus specimen appellantis episcopi, qui propter causam aliquam lato in ipsum iudicio fuisset depositus: ubi praecipitatio [1]) ordinisque perturbatio canone quarto vetatur, quae quidem ordinis perturbatio consequeretur, si in depositi locum alius subrogaretur episcopus, antequam interpellatus pontifex sua

---

Contingere scilicet potuit, ut propter causam aliquam ferretur depositionis sententia in aliquem episcopum, qui ad romanam sedem iuxta praestitutum canonem tertium recurreret: ecquid tum? Num alius in eius locum episcopus illico subrogandus? Id excluditur canone quarto. Tum canone quinto declaratur, quousque appellando condemnatus episcopus aliquis suam causam possit urgere, et quousque adeo illius causa terminata ac in ipsum, si depositus fuerit, procedendum non sit. Nimirum posse romanum pontificem appellantis causam examinandam committere vicinis provinciae episcopis; ab horum vero iudicio appellare illum rursus ad romanum posse episcopum: quo facto posse hunc pro sua sapientia vel episcopis recognoscentibus causam suos a latere legatos adiungere, qui auctoritate supremi iudicis instructi una cum illis rem finiant, vel ferre ipsum de episcopo sententiam, si plenam causae cognitionem (*πρὸς τὴν τοῦ πράγματος ἐπίγνωσιν*) habere sibi visus fuerit. Atque haec a) collatis canonum textibus, graeco et latino, omnino respondent: b) praeclaram trium canonum connexionem ostendunt: c) eorundem finem ac *σκοπὸν* historicis tum temporis in adiunctis egregie patefaciunt: atque d) constanti appellationum usu ac ratione firmantur. Unde secus ac contendit Hefele ibid. p. 551. verissimum rursus videtur quod cll. viri
Ballerinii. Ballerinii ac Palma ll. cc. commonstrarunt, in romani pontificis situm esse arbitrio, eum deligere modum causae finiendae, quem pro „sapientissimo consilio suo„ adcommodatiorem iudicaverit, adeoque terminare illam aut per missos a latere legatos potestatis suae plenitudine auctos, aut sine illis proprio iudicio inmediateque suo, si sufficientem causae cognitionem obtinuisse arbitratus fuerit. Id liquido patet tum ex plena utriusque illius modi expositione, tum ex perfecta utriusque eiusdem distinctione atque oppositione tam in graeco textu quam in latino nominatim veronensi: et in graeco quidem prioris modi expositio finitur, *καὶ τοῦτο θετέον;* tum incipit secundi modi expositio a phrasi adversativa, *εἰ δὲ ἐξαρκεῖν νομίσῃ*, quasi diceret, si prior via pontifici non placuerit, sed hanc alteram praehabuerit, ipse est auctor et arbiter, faciat quod sapiens sibi visum fuerit; neque aliter in latino codicis veronensis textu, quo exposito pariter modo priori subiungitur: „Sane et hoc ponatur in episcopi (scilicet romani, qui, ut est in contextu, mittit legatos a latere suo) potestate.„. Tum sequitur alterius modi explicatio, eaque et in se diversa a priori et distincta per phrasium vim, quae ita est: „Et si putaverit, sufficere ad causae cognitionem et sententiam proferendam episcopi (scilicet in causa episcopi iudicandi et appellantis) faciat, quod eiusdem erit prudentiae.„ Sane haec non sunt tantum ita generalia, ut totum causae terminandae negotium pontificis committant arbitrio, sed etiam sic comparata nominatim ac definita, ut reservatum quoque iudicium pontifici relinquant. Atque haec hactenus; de reliquis namque ad canonis mentem spectantibus satis exposuimus.

Cyrillus. [1]) Hinc ad Coelestium de Nestorio scribit Cyrillus opp. t. VII. p. 36. propterea se diu tacuisse, quod non ignoraret *τὸ ἐν τούτοις προπετὲς οὐκ ἔξω μώμου κεῖσθαι* „praecipitem celeritatem in eiusmodi rebus cum vitio plerumque coniunctam esse.„

sententia causam diremisset. Hac norma praemissa negante ac cavente, ne episcopo alicui deposito ante appellationis suae effectum alius substitueretur episcopus, satis prospectum ecclesiastico ordini ac paci visum nondum concilio fuit, sed adiectus

III. canon quintus positive adfirmandoque declarans tum appellationis instantias, tum viam modumque seu potius usum, quo romanus episcopus causae pro sapientiae suae consilio inponere terminum possit, ante quem peremptorio in iudicatum appellantemque illum episcopum agi a nullo debeat.

306. Sed enimvero, quid ex his manifestius apparet, quam supremum ab antiquis controversiarum causarumque omnium iudicem esse romanum pontificem, eiusque sententia supremum illis terminum inponi, qui dimovendus a nemine sit? At quis iterum ignorat, quaestiones plurimum agitatas fidei esse, et fieri posse, quemadmodum factum fuisse tum temporis constat, ut propter fidem vel ipsi episcopi accusentur? Et praeterea, quis ignorat, inmobilem fidei terminum esse nisi infallibilem non posse? Ea ergo mente, qua antiquitus ratum erat omnibus ac firmum, episcopi romani sententia terminari finirique supremum ipsorum etiam episcoporum quaestiones omnes et causas, ob quas appellare ad illum fas esset et ius et usus [1]) comprehensa ac conclusa dici debet doctrina de infallibili pontificis iudicio in dirimendis fidei negotiis.

307. Atqui illa gaudet [2]) antiquitate originali, eadem ergo et ista congaudet. Iuverit rem conspicuo eodemque in ambabus ecclesiae plagis celeberrimo historiae facto illustrasse. Variis agitata turbis orientis ecclesia, ut ipsius paci atque incolumitati Damasus romanus pontifex pro virili consuleret, litteras dedit *Damasus.*

---

[1]) De quo usu praevertente sardicense concilium insignis testis est ipse s. Athanasius apolog. con. arian. n. 20. opp. p. I. ap. Mign. gr. PP. t. 25. pp. 280. sqq. narrans ad Julium pontificem in causa Athanasii scripsisse tam aegyptios episcopos quam eusebianos, quibus *ἔγραψεν εἰκότως Ἰούλιος καὶ ἐπὶ τοὺς περὶ Εὐσέβιον ἀποστείλας δύο πρεσβυτέρους ἑαυτοῦ Ἐλπίδιον καὶ Φιλόξενον* „Julius ut consentaneum erat scripsit (eusebianis) misitque duos e presbyteris suis Elpidium et Philoxenum.„ Tum facto conventu episcoporum plus quinquaginta *ἡμᾶς μὲν ἀπολογουμένους ἀπεδέξαντο καὶ ἐκύρωσαν εἰς ἡμᾶς τήν τε κοινωνίαν καὶ τὴν ἀγάπην* „nos, cum nostram defensionem audivissent, ad communionem et agapen admittendos statuerunt.„ Ita causam probante Julio terminarunt, cuius terminum iustitiamque idem Julius suis ad Eusebianos litteris exposuit atque adseruit. *Athanasius.*

[2]) Cf. Robert. Bellarmin. de pontif. l. II. c. 21.

Paulino antiocheno, quibus „fidem„ seu „fidei confessionem„ subiecit, cui assentiri ac subscribere deberent quicunque vellent „ecclesiae copulari, idest nobis per te voluerint sociari. Unde, pergit, ne aut tibi scrupulus resideret, et volentes forsitan ecclesiae copulari, tua cautio probanda differret, fidem misimus non tam tibi, qui eiusdem fidei communione sociaris, quam his, qui in ea subscribentes, tibi, idest nobis, per te voluerint sociari.„

308. Haec, quae Damasus [1]) praescribit, quisquis secum verset, intelliget procul dubio in primis, quanta existimata olim necessitas fuerit, absque ulla disceptatione ulteriori romanam amplectendi fidem. Sed praeterea accedit: Scilicet Damasus in ea fidei professione, quam epistolae ad Paulinum datae coniunxerat, Macedonii errorem praesertim damnabat, et controversiam illius causa subortam componere studebat. Iamvero de hac quaestione penes orientales tunc ebulliente ita narrat [2]) Sozomenus: „Cum haec quaestio agitaretur, et contendendi studium magis magisque in dies cresceret, episcopus urbis Romae scripsit ad orientales ecclesias, ut Trinitatem consubstantialem, ac honore gloriaque aequalem una cum occidentalibus episcopis confiterentur.„ His [3]) Sozomenus ad confessionem fidei a Damaso editam et a Theodoreto similiter relatam spectare manifeste videtur. Sed interea quid

Sozomenus.

---

[1]) Epist. 5. ap. Coustant.

[2]) H. e. l. VI. c. 22. Ἀνακινουμένης δὲ τῆς τοιαύτης ζητήσεως καὶ ὡς εἰκὸς ταῖς φιλονεικείαις ὁσημέραι πλέον ἐπιδιδούσης, μαθὼν ὁ Ῥώμης ἐπίσκοπος, ἔγραψε ταῖς ἀνὰ τὴν ἕω ἐκκλησίαις σὺν τοῖς ἀπὸ τῆς δύσεως ἱερεῦσι, Τριάδα ὁμοούσιον καὶ ὁμόδοξον πρεσβεύειν· τούτου δὲ γενομένου, ὡς ἐπικεκριμένοις ἅπαξ παρὰ τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίας, ἡσυχίαν ἦγον ἕκαστοι, καὶ τέλος ἔχειν ἔδοξεν ἡ τοιαύτη ζήτησις.

[3]) Cum Sozomenus post eiusmodi factum statim narret Liberii mortem (sic enim orditur cap. 23. „Per idem tempus mortuo Liberio Damasus romanae sedis administrationem suscepit„) illud factum ad Liberium pertinere non desunt qui arbitrentur. At Basilius, qui pro vindicanda Spiritus sancti divinitate libros in Eunomium exaravit, testatur l. II. Eunomium omnium primum haeresim divinitati Spiritus s. infensam in Oriente disseminasse. Scripsit autem eos libros Basilius aliquot annis a Liberii morte; nondum ergo ea quaestio orientem turbaverat Liberii tempore, ita ut is ad eam sedandam litteras ad orientales dedisse dicendus sit. Et sane epistola eiusdem pontificis paulo ante mortem ad orientales missa, in qua gliscentes tum temporis haereses eliminare studet, ne verbum quidem continet de errore contra Spiritum s. utpote qui nondum ipsi innotuerat. Quod igitur a Sozomeno factum narratur, non Liberio sed Damaso tribui debet, quem ad orientales eo de argumento scripsisse certum est: ac proinde Sozomenum minus accurate illud retulisse ante indicatam Liberii mortem credere aequum est.

Basilius.

rei actum est? nimirum addit Sozomenus: „Quo facto utpote controversia iudicio romanae ecclesiae terminata, singuli quievere, eaque quaestio finem accepisse visa est.„ Erat ergo persuasum orientalibus aeque atque occidentalibus, necessariae fidei quaestionibus terminum per romanum inponi episcopum, et omnino oportere, ut qui nollent ab ecclesia resecari, iidem cum apostolica sede „in eiusdem fidei communione sociarentur.„ Sed quaenam cogitari posset acceptandi termini necessitas in fidei negotio, nisi mente praeconceptum foret, qui terminum ponit a veritate aberrare non posse? Verum et alia exstat eiusdem Damasi epistola, qua deductum consectarium nova lucis accessione collustratur. Scripta haec in romana synodo, et quaedam decreta continens, quibus Spiritus sancti divinitas sanciebatur, primum ad Illyricianos missa est, deinde per Sabinum diaconum eiusdem exemplum orientalibus inscriptum, allatum in orientem fuit, ipsique subscripsere in antiochena synodo collecti episcopi centum quinquaginta tres, omnes „consona fide credentes, et omnes ita consentientes„ unde in quibusdam codicibus haec appellatur „synodus romana et antiochensis.„ Hac orientalium episcoporum consensione propriis firmata subscriptionibus, et Romam transmissa compositae res sunt, et quae de illis haereseos suspicio disseminari coeperat, e medio sublata penitus fuit. Ergo fides nulla [1]) neque est neque habetur catholica, nisi quae cum fide sententiaque romanorum pontificum conspiret, cui adeo quivis se ex animo subiiciat necesse est.

Synodus antiochena.

309. Quae quum ita sint, mirari nemo debet de agendi ratione atque methodo, qua antiquitas post latas a sede romana sententias uteretur: ea enim prioris regulae iuridicae necessarium exsistit corollarium; at vero hoc ipso pariter argumentum exhibetur praeclarum, ad rem qua de solliciti sumus vehementer corroborandam. Consideretur itaque ea ratio ac vis, qua dicitur et est

15. Romanae sententiae auctoritas examinationum discriminis inpatiens.

310. Nunquam itaque illa voluit vel passa est, ut iudicium ab ipsa latum ac statuta semel sententia denuo in discri-

---

[1]) Hac de re velim ea consulas, quae Ballerinii fratres in tractatu: „De antiquis collectionibus canonum„ p. II. c. 9. scripserunt atque t. III. opp. s. Leonis praefixerunt, quibus cf. disputata a nobis l. sup. c. III. n. IV. pp. 78. sqq.

Nicolaus I. men examenque adduceretur. Hoc decretis [1]) continetur Nicolai primi: „Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones vel decreta pro catholicae fidei disciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione sceleratorum vel interdictione imminentium vel futurorum malorum a sedis apostolicae praesule salubriter promulgata contempserit anathema sit.„ Idem repetit [2]) in epistola ad Michaelem imperatorem scribens

1. iudicium sedis romanae utpote supremi in ecclesia culminis „solius Dei sine quaestione reservari arbitrio:„ tum

2. qui romanum pontificem non audierint habendos necessario apud ipsum perinde esse ac illos „qui ecclesiam Dei audire contempserint„ : porro

3. romanae ecclesiae „privilegia„ Christi ore in Petro firmata, in ecclesia ipsa disposita [3]) antiquitus observata, et a

---

[1]) Can. 5. statut. an. 863. in synod. rom. ap. Denzing. l. c. p. 112. Quibus Christian. Lupus synod. gen. decret. dissert. de sexta syn. gen. opp. t. I. p. 33. scribit: „De quo edicto ad Hugonem ecclesiae lugdun. primatem scribit Ivo episc. carnotensis: Haec mandata sic volumus observare, ut parati simus, Deo cooperante, quaelibet adversa, pro eorum defensione tolerare. Quia nempe novimus pontificem in illis labi non posse aut falli.„ Quum vero etiam num sint, qui secus arbitrentur, audiant quibuscum rem habeant communem auctore eodem upo inmediate ibidem praestituente: „Latius haec dixi adversum nescio quos nostrorum temporum turbines, qui cum schismaticis atque eusebianis graecis, cum pseudo-synodo basileensi ac sanctione pragmatica conantur romani episcopi in definiendis fidei controversiis, infallibile iudicium circumscribere, et mutilare glorioso illo privilegio, de quo dixit Dominus ad Petrum: Confirma fratres tuos, utique cunctos universae sub coelo ecclesiae episcopos etiam in generali synodo adunatos. Adversum similes Lotharii Francorum regis et quorumdam eius effraeni impudicitiae potrocinantium episcoporum insolentias edixit in romana synodo Nicolaus primus„ quae superius leguntur.

Ch. Lupus. *Ivo carnot.* *Inerrantiae romanae hostes, qui?*

[2]) Data an. 865. ibid. p. sq.

[3]) His Nicolaus aperte distinguit inter subiectum possessionis sive cuius, ut grammatici dicunt, et subiectum utilitatis sive cui: scilicet subiectum quod illa privilegia habet, sedes est romana, subiectum vero in cuius utilitatem ab illa habentur, ipsa est universa ecclesia. Unde praeclari s. Bernardus ep. CLXXXIX. l. s. c. ad Innocentium ita scribit: „Sed ut paulo audacius loquar cum domino meo, attende etiam tibi ipsi, amantissime Pater, et gratiae Dei quae in te est. Nonne cum esses parvulus in oculis tuis, ipse te constituit super gentes et regna? Ad quid, nisi ut evellas, et destruas et aedifices et plantes? Qui ergo tulit te de domo patris tui et unxit te unctione misericordiae suae, attende, quaeso, ex tunc et deinceps, quanta fecit animae tuae; quanta per te ecclesiae tuae, quanta in agro dominico, coelo et terra testibus, tam potenter quam salubriter evulsa sunt et destructa; quanta rursum bene aedificata, plantata, propagata? Suscitavit Deus furorem schismaticorum in tuo tempore, ut tuo opere contererentur. Vidi stultum firma radice, et statim maledictum sicut cedros Libani, et transivi, et ecce non

Subiectum possessionis et subiectum utilitatis. *Bernard.*

sanctis universalibus synodis celebrata atque a cuncta ecclesia iugiter venerata, nullatenus posse minui, nullatenus infrigi, nullatenus commutari [1]) quoniam fundamentum, quod Deus posuit, humanus non valeat amovere conatus, et quod Deus statuit, firmum validumque consistat„: ita tamen

4. apud ecclesiam observata illa semper fuisse„ ut „a Christo donata, a synodis non donata, sed iam solummodo celebrata et venerata.„ Hinc colligit

5. e rerum naturis appellationis usum ac regulam, qua „secundum canones, ubi est maior auctoritas, iudicium inferiorum sit deferendum, ad dissolvendum scilicet vel ad roborandum„ adeoque

6. „patere profecto sedis apostolicae, cuius auctoritate maior non est, iudicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius licere iudicare iudicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt; ab illa autem nemo sit appellare permissus?„ Iamvero

7. quis non videt, antiquis ecclesiarum canonibus appellare ad romanam sedem fuisse praescriptum, quod illi sedi tributam divinitus auctoritatem omnes antiquitus agnoscerent; at vetitum, eiusdem sedis ecclesiae iudicium non secus ac ecclesiae contemnere, quod illam uti hanc inerrabilem profecto scirent ac infallibilem?

311. Hinc est quod Leo nonus [2]) acerbe conqueritur, orien- *Leo IX.*

---

erat. Oportet autem, ait, haereses et schismata esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant.„ Quibus et apostolica proprie auctoritas atque potestas et quidem propterea dicitur romano pontifici tributa, ut Dei ecclesiam apostolico suo ministerio tueatur, sartam tectam custodiat atque amplificet. *I. Cor. XI. 19.*

[1]) Scitum hoc una temperatur, uti supra diximus, exceptione sive potius conditione, quam ipse Nicolaus subdit: „Non negamus, inquit, eiusdem sedis sententiam posse in melius commutari; cum aut sibi subreptum aliquid fuerit, aut ipsa pro consideratione aetatum vel temporum seu gravium necessitatum dispensatorie quiddam decreverit.„ Scilicet romani pontificis iudicium mutari potest, non quod a parte iudicis, adeoque subiective, ut aiunt, consideratum et prae suis in quibus fertur suppositionibus falsum, sed quod vel circa materiem ex sese mutabilem versetur, vel quod in causa sive facti sive personae, in qua sententia secundum data allegataque fertur, haec ipsa data allegataque, ut aiunt, e plena rei veritate non fuerint ipsi exposita, vel definita causa generali specialis nullatenus fuerit pertractata. Ad hunc casum respicit Pelagius II. ep. V. (olim VII.) quae est III. ad Eliam et episcopos Istriae ap. Mign. lat. PP. t. 72. pp. 717. sqq. in quaestione de tribus capitulis. *Mutabile iudicium romanum?*

[2]) Ep. ad Michael. Cerular. et Leon. Acridan.

tales „apostolicam et latinam ecclesiam nova praesumptione atque
Audax schisma. incredibili audacia, nec auditam nec convictam, palam damnasse, pro eo maxime quod de azymis audeat commemorationem dominicae passionis celebrare. Ecce, inquit, incauta reprehensio vestra, ecce non bona gloriatio vestra, quando ponitis in coelum os vestrum, cum lingua vestra transiens in terra humanis argumentationibus et coniecturis antiquam fidem confodere ac subvertere moliatur.„ Erat itaque inauditum in ecclesia Dei et incredibile, apostolicam ecclesiam erroris arguere: immo perinde hoc erat ac fidem antiquam confodere ac subvertere. Quod quum expositis [1]) romanae sedis praerogativis e sacra Scriptura ac Veterum traditione probavit, illa duo ad rem, qua de agitur, spectantia colligit capita, quae paulo prius deprompta fuerunt, quorum priori excludit [2]) iudicii romani ab alio instituendum iudicium, altero vero ad ipsam Christi Salvatoris institutionem respiciens [3]) romanae sedis iudicium inmobile esse declarat et plane a nullo mutandum. Unde quam verum est, apud ecclesiae romanae episcopum
Argumenti summa. esse supremum in omnes et super omnes iudicium: quam verum est, summum iudicem iudicari a nemine posse: quam verum est romani episcopi iudicium ab omnibus ecclesiae fidelibus esse absque tergiversatione accipiendum: quam verum denique est, sententiam citra dubium ab ecclesia tenendam non posse errori esse subiectam; tam verum est, latum a romano episcopo iudicium ab erroris periculo penes antiquos habitum fuisse inmune.

312. Et sane, quomodo ferri posset ac tollerari, ut in ecclesia Dei absque ulteriori disceptatione veluti firmum et inconcussum haberetur, quod errori innexum et a veritate posset esse alienum? Atqui disceptationem ulteriorem tam a conciliorum definitionibus quam a romani pontificis declaratione exclusam voluit Sergius
Sergius cypr. cypriensis [4]) in suggestione oblata Theodoro papae lectaque in lateranensi concilio, quando beatissimi papae Leonis doctrinam confessus subdit: „Multiloquium autem et contradictionem adversariorum non admittimus . . . non est enim, non est Deo

---

[1]) Ibid. c. 7. de quibus vide sis superius.

[2]) Ibid. c. 11.

[3]) Ibid. c. 32.

[4]) Inter oblatas relationes, quas Martinus I. legi voluit in secretar. II. ap. Harduin. t. III. pp. 729. sq. *Μακρηγορίαν οὖν καὶ ἀντιῤῥήσεις τῶν ἐναντίων οι, προιέμεθα . . . οὐκ ἔστι γὰρ, οὐκ ἔστι θεοπρεπὲς οὐδὲ δίκαιον προκειμένης τῆς λύμης τῶν αἱρέσιων καὶ ἀναθεμάτων βλασφήμων ἐγγεγραμμένων λογομαχεῖν.*

placitum neque iustum proposita pestilentia haeresum, et anathematis blasphemiis, verbis contendere." Exclusam illam beatus Agatho voluit, quando de suggestione [1]) sua in constantinopolitano concilio "non tamquam de incertis contendere," sed illam "omnibus praedicari et apud omnes vim obtinere," iussit. Exclusam voluerunt in concilio quarto constantinopolitano [2]) Donatus et Stephanus et Marinus et sanctissimi vicarii senioris Romae dicentes: "Iste (Eulampius) est qui depositus et anathematizatus est a sancta romana ecclesia: et quomodo talia loqui praesumpsit in conspectu imperii tui? nos cum deposito et anathematizato loqui non patimur. Etenim pater noster spiritalis Hadrianus papa romanus sancto et a Deo protecto imperio tuo demonstravit legem et iudicium, quod sancta romana ecclesia de nefandis et praevaricatoribus definivit, et nos cum eis colloqui te non patimur eo quod scriptum [3]) sit: Contradictiones excitat omnis malus. Volumus autem, ut legatur in auribus eorum libellus sanctae romanae ecclesiae: et si desiderant converti et poenitere, ut vel communionem tamquam christiani accipere mereantur. Non enim claudit miserationes suas in huiusmodi contentionibus sancta catholica et apostolica ecclesia ad eos, qui sincere poenitentiam agunt. Persistentibus autem iis, et obturantibus aures suas et corda, et nolentibus audire quae exposita sunt a sanctis patriarchis; nos nihil aliud facimus: neque subvertimus, neque reiudicamus iudicium sanctae romanae ecclesiae sub undecima indictione factum contra Photium moechum et tyrannum ac pervasorem atque sequaces eius. Si voluerint audire nos, quotquot sunt digni, per libelli satisfactionem recipimus eos, et convenientem eius scribimus locum: si vero noluerint, anathematizamus et maledicimus eis, et ab omni sorte christianorum separamus, quia non habemus alium sermonem [4]) ad eos, sed et ethnicis et publicanis transmittimus eos."

Agatho.

Conc. IV. constantinop.

Prov. XVII. 11.

Photii damnatio irretractabilis.

[1]) Epist. synod. de conc. oecum. VI. act. IV. ap. Harduin. t. III. p. 1124. *Τῆς ἀποστολικῆς ἡμῶν πίστεως τὴν ὁμολογίαν προαπηρξάμεθα. ὅμως οὐχ ὡς περὶ ἀδήλων φιλονεικεῖν, ἀλλ' ὡς βεβαία . . . ταῦτα αὐτὰ πᾶσι κηρυχθῆναι καὶ πρὸς πάντας ἐπικρατεῖν κελεύσητο.*

[2]) Act. VI. ap. Harduin. t. V. p. 830. coll. ib. pp. 816. sq. de quibus cf. l. I. pp. 105. sq.

[3]) Proverb. XVII. 11.

[4]) Quibuscum ad unguem cohaerent, quae in eodem concilio peroravit "magnificentissimus patricius et praepositus Bahanes." Act. VIII. ib. p. 880. de

Bahanes patric.

313. Quibus romanae sedis declarationibus non secus ac ipsius ecclesiae voci necessario et illico obaudiendum esse aperte significatur. At vero nulla foret audiendi ecclesiam necessitas, nisi esset *I. Tim. III. 15.* ecclesia [1]) „Dei vivi columna et firmamentum veritatis:„ et non liceret non modo sed oporteret etiam ecclesiae iudicia in diligentissimum advocare examen, nisi de eiusdem inerrantia certo constaret. Atqui capita priora *ὑποθετικὰ* ac conditionalia eodem geminoque plane pacto romanae adseruntur ecclesiae; iuste ergo infertur, pari geminoque iure posteriora quoque capita, quae *ὑπόθεσιν* ac conditionem illorum necessariam praeferunt, tributa olim romanae ecclesiae fuisse.

314. Praestat illud confirmare tam oecumenicis quam particularibus vetustioris etiam antiquitatis documentis. Inter illa *Synod. chalced.* referenda inprimis haec ex synodo chalcedonensi videntur. „Data a sanctissimo archiepiscopo romanae urbis forma fidei„ quam sequentes chalcedonenses omnes episcopi subscripserant, „gloriosissimi iudices et amplissimus senatus„ novam fieri [2]) rei tractationem petebant. Sed „reverentissimi episcopi clamaverunt . . . sufficiunt quae exposita sunt: alteram expositionem non licet fieri,„ et iterum: „regula est quae praedicat sufficere quae sunt exposita.„ Tum rogante rursum episcopo sardicensi „inducias praestari, quatenus cum decenti tractatu accedere ad veritatis

---

quibus diximus l. sup. n. 121. p. 89. coll. Christ. Lup. l. c. t. III. p. 372. qui *Theodos. hierosol.* et haec ex eodem concilio Theodosii patriarchae hierosolymitani adfert: „Patriarchalia capita posuit in mundo Spiritus sanctus, ut in ecclesia Dei pullulantia scandala per ea determinentur, et pacifica constitutio in ipsa interveniat et concedatur. Igitur cum praesidens et praecedens sedes prioris Romae nequaquam receperat Photium, nec etiam orientis tres throni, videlicet Alexandriae et Antiochiae et Hierosolymorum, non erat opus vocare illum ad examinationem et reiudicationem. Huiusmodi enim actiones de iis, qui recepti sunt in ecclesiis et cunctis sedibus, solent fieri. De iis autem, qui nunquam in seniori Roma et reliquis sedibus recepti sunt, nullum omnino debet haberi iteratum iudicium. Huiusmodi enim evidentem in semetipsis habent damnationem propriam, ita ut nos bene fecerimus, cum qui nunquam a seniori Roma et orientalibus thronis receptus est, nullatenus adducentes ad retractationem examinis; Habebat enim hanc secum ferens manifestissimam sui damnationem.„ Quibus non minus romana sedes patriarchalium caput et apex adfirmatur, ac patriarchalis iudicii retractatio negatur.

[1]) I. Tim. III. 15.

[2]) Conc. chalced. act. II. p. 286. *Τύπος ἐδόθη παρὰ τοῦ ἁγιωτάτου ἐν Ῥώμῃ ἀρχιεπισκόπου . . . Ἀρκεῖ τὰ ἐκτεθέντα· ἄλλην ἔκθεσιν οὐκ ἐξὸν γενέσθαι . . . Οἱ ἐνδοξότατοι ἄρχοντες καὶ ἡ ὑπερφυὴς σύγκλητος εἶπον· εἰ δοκεῖ . . . . οἱ ὁσιώτατοι πατριάρχαι διοικήσεως ἑκάστης ἐπιλεξάμενοι ἕνα ἢ δεύτερον τῆς*

causam possint,, (dissentientes) et illico addente: ,,quamvis in nostra persona, qui epistolae beatissimi Leonis subscripsimus, non indigeamus correctione,, dixit ,,Cecropius reverentissimus episcopus sebastopolitanae civitatis: Fides bene disceptata est secundum concilium nicaenum, sanctos Patres et nunc iterum per sanctissimum Leonem,,: atque haec legi voluit.

315. Hinc ipse Leo ad Theodoretum[1]) de oecumenica illa synodo scribit: ,,Nullum nos in nostris fratribus detrimentum sustinere permisit (Dominus), sed quae nostro prius ministerio definierat, universae fraternitatis irretractabili firmavit assensu, ut vere a se prodiisse ostenderet, quod prius a prima omnium sede formatum, totius christiani orbis iudicium recepisset: ut in hoc quoque capiti membra concordent.,, Quibus Leo tam habitum concilii ad romanum pontificem, quam huius in suis iudiciis prae illo vim atque auctoritatem declarat, et sicut irretractabilem fratrum assensum significat, ita definitionem romanae sedis, qua capitis, cui necessario assensus corporis praebendus, irretractabilem pariter adsignificat[2]). Atque idem significat papa Coelestinus in commonitorio episcopis et presbyteris euntibus ad Orientem [3]) dato, quo post alia ita iubet: ,,Et auctoritatem sedis apostolicae custodiri debere mandamus. Siquidem et instructiones, quae vobis traditae sunt, hoc loquantur, ut interesse conventui debeatis: ad disceptationem si fuerit ventum, vos de eorum sententiis iudicare debeatis, non subire certamen.,,

Leo.

Habitus pontificis ad concilia.

Coelestinus.

316. Videlicet ex his liquet, Veteres romani pontificis in causa fidei iudicium ac declarationes cuivis iudici alii subtracta,

---

ἰδίας ἕκαστος διοικήσεως καὶ κοινῇ περὶ τῆς πίστεως βουλευσάμενοι . . . οἱ εὐλαβέστατοι ἐπίσκοποι ἐπεβόησαν . . . κανών ἐστιν ὁ διαγορεύων, ἀρκεῖν τὰ ἐκτεθέντα, ὁ κανὼν βούλεται ἄλλην ἔκθεσιν μὴ γενέσθαι· τὰ τῶν πατέρων κρατείτω . . . ὁ εὐλαβέστατος ἐπίσκοπος Σάρδεων εἶπε . . . ἱκετεύομεν . . . δοθῆναι ἡμῖν προθεσμίαν, ὥστε μετὰ σκέμματος πρέποντος προσελθεῖν τῇ ἀληθείᾳ τοῦ πράγματος· εἰ καὶ τὰ μάλιστα εἰς ἡμέτερον πρόσωπον τῶν ὑπογραψάντων τῇ ἐπιστολῇ τοῦ ὁσιωτάτου Λέοντος, οὐ δεόμεθα διορθώσεως. Κεκρόπιος . . . εἶπεν· ἡ πίστις καλῶς διήρηται . . . καὶ νῦν πάλιν διὰ τοῦ ἁγιωτάτου Λέοντος· καὶ ἀξιοῦμεν . . . καὶ τὰ τοῦ ὁσιωτάτου Λέοντος ἀναγνωσθῆναι.

[1]) Ep. CXX. c. 1. opp. t. I. p. 1219. ap. Mign. lat. PP. t. 54. p. 1046.

[2]) Et sane irretractabilis sit oportet, quum sedis romanae fides specialiter praecipueque ita firma, ut eadem inmutabilis sit teste Stephano episcopo dorensi in supplicatione lecta in lat. conc. sub Martino ap. Harduin. t. III. p. 713. *Κατ' ἐξαίρετον ἰδιοπροσώπως αὐτὸς βεβαιοτέραν ἔχων ὑπὲρ πάντας τὴν εἰς αὐτὸν τὸν κύριον ἡμῶν καὶ ἀμετάτρεπτον πίστιν.* *Stephan. dorens.*

[3]) Legitur conc. ephes. p. I. c. 22. ap. Harduin. t. I. pp. 1347. sq. Col. Ch. Lup. syn. gen. decr. schol. ad decr. ephes. t. I. p. 318.

nulli dubitationi, disputationi nulli voluisse obnoxia. Quae est disertissima Zosimi [1]) atque probatissima sententia: „Quamvis, inquit, Patrum traditio apostolicae sedi auctoritatem tantam tribuerit [2]), ut de eius iudicio disceptare nullus auderet, idque per canones semper regulasque servaverit, et currens adhuc suis legibus ecclesiastica disciplina Petri nomini, a quo ipsa quoque descendit, reverentiam [3]) quam debet exsolvat: tantam enim huic Apostolo canonica antiquitas per [4]) sententias omnium voluit esse potentiam ex ipsa quoque Christi Dei nostri promissione [5]) ut et ligata solveret, et soluta vinciret; par [6]) potestatis data conditio in eos, qui sedis hereditatem ipso annuente meruissent. Habet enim ipse cum omnium ecclesiarum, tum huius maxime, ubi sederat, curam nec patitur aliquid privilegii aut aliqua titubare aura sententiae, cui ipsa sui nominis firma et nullis hebetata motibus constituit fundamenta, et quae sine suo periculo temere nullus incesset. Cum ergo tantae auctoritatis Petrus caput sit, et sequentia omnium Maiorum studia firmaverit, ut tam humanis quam divinis legibus et disciplinis omnibus firmetur romana ecclesia, cuius locum nos regere et potestatem nominis obtinere non latet vos, sed nostis, fratres carissimi, et quemadmodum sacerdotes, scire debetis: tamen cum tantum nobis esset auctoritatis, ut nullus de nostra possit retractare sententia, nihil egimus, quod non ad vestram notitiam nostris ultro litteris referremus; dantes [7]) haec fraternitati, ut in communi consulentes, non quia quid deberet fieri nesciremus [8]), aut faceremus aliquid, quod contra

Zosimus.

Petri ius. in sede romana continuatur.

Divinis humanisque legibus romana firmatur ecclesia.

---

[1]) Ep. ad afric. episcop. in causa Coelestii ap. Aug. opp. t. X. append. p. 104.

[2]) Quo haec vox pertineat, nemo non videt: etenim „Patrum traditione nemini confertur auctoritas„ sed Patrum traditione innotescit, cui collata (divinitus) adserendaque adeo (ab credentibus) auctoritas sit. Atque ita rem esse, contextus insequens docet et Nicolaus supra p. 291. diserte edixit.

[3]) Haec iterum exacta ad illa esse, quae superius e sardicensibus canonibus adlata fuerunt, conferentibus facile patet.

[4]) Garnerius legit „super.„

[5]) En disciplinae legisque ecclesiasticae fundamentum divinum atque dogmaticum.

[6]) Al. „pari . . . conditione iis.„

[7]) En oeconomiam consilii et examinis, quod romanus pontifex episcopis iisque veris quidem, sed obnoxiis iudicibus haud raro concedit ac committit. De quibus videsis paulo post.

Examinis instituendi facultas.

[8]) His contulisse iuverit, quae doctor hipponensis ingenii sagacitate scientiarumque copia nemini secundus ad Bonifacium scripsit Pontificem con. duas

Augustinus.

utilitatem ecclesiae veniens displiceret; sed pariter vobiscum voluimus habere tractatum de illo, qui apud vos (sicut ipsi per litteras dicitis) fuerit accusatus et ad nostram, qui se assereret innocentem non refugiens iudicium ex appellatione pristina, venerit sedem, accusatores suos ultro deposcens, et quae in se crimina per rumorem falso dicebat illata condemnans.„ Quibus universa ad rem, qua de solliciti sumus, accurate pleneque Zosimus complectitur: tum antiquam de irretractabili romani pontificis iudicio traditionem: tum sancitam de eadem causa ecclesiasticam legem: tum divinum utriusque illius fundamentum: tum inmobilitatem fundamenti hinc et inde fundati iudicii inmutabilitatem, quae in manifestam inerrantiam eo potissimum migrare deprehenditur, quod romanae sedis sententia non inpeti nisi temere nec sine periculo posse dicatur, quodque sua solius decreta tam ab ignorantia absint, quam ecclesiae commodis ac necessitatibus prosint: hinc subiectionem sibi vindicant, disputationem non ferunt.

317. Id quod egregia sua pro Augustino oratione [1]) tuetur Prosper aquitanus: „Firmum quidem [2]), inquiens, fundamentum stat . . . Non ergo cum istis (Pelagianorum errorum magistris) nova acie dimicandum est; nec quasi contra ignotos hostes specialia sunt ineunda certamina.„ Sed ubi illud et in quo est repositum? Pergit Prosper: „Tunc istorum machinae fractae sunt, tunc in superbiae suae locis ac principibus corruerunt, quando beatae memoriae Innocentius nefandi erroris capita apostolico mucrone percussit: quando Pelagium ad proferendam in se suosque sententiam, palaestinorum episcoporum synodus coartavit: quando africanorum conciliorum decretis beatae recordationis papa Zosimus sententiae suae robur adnexuit, et ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium armavit antistitum: quando sanctae memoriae papa Bonifacius piissimorum imperatorum catholica devotione gaudebat, et contra inimicos gratiae Dei

Prosper.

Haeresis extinguendae conditiones et causae.

Papa utitur regiis edictis.

epp. Pelagianor. l. I. c. 1. „Haec autem, quae duabus epistolis eorum respondeo, ad tuam potissimum dirigere sanctitatem, non tam discenda quam examinanda, et ubi forsitan aliquid displicuerit emendanda constitui.„ Qua instituta collatione discitur, quae sit loquentis pontificis auctoritas falli nescia, et quaenam modestia doctissimi praesulis errori ceteroquin obnoxii.

Discrimen pontificis et ecclesiae patris.

[1]) Lib. con. collator. cc. 21. sqq. opp. s. Aug. t. X. append. pp. 195. sq.
[2]) II. Tim. II. 19.

non solum apostolicis, sed etiam regiis [1]) utebatur edictis, et quando idem, cum esset doctissimus, adversus libros tamen Pelagianorum beati Augustini episcopi responsa poscebat.„ Neque satis; sed [2]) addit„ venerabilis memoriae pontificem Coelestinum, cui ad catholicae ecclesiae praesidium multa Dominus gratiae suae dona largitus est, sciens damnatis non examen iudicii, sed solum poenitentiae remedium [3]) esse praestandum, Coelestium, quasi non discusso negotio audientiam postulantem, totius Italiae finibus iussit extrudi: adeo et praecessorum suorum statuta et decreta synodalia inviolabiliter servanda censebat, ut quod semel meruerat abscidi, nequaquam admitteret retractari.„ Quae his luculentiora flagitari possint ignoro.

318. Sunt itaque romanorum pontificum iudicia in fidei causis irrevocabilia, neque ullum quaestionibus vel dubiis locum relinquunt. Sed enimvero, quaeso, quaenam rei par et legitima ratio reddi potest, nisi ratio inerrantiae ac infallibilitatis, qua

---

Persuasionis remedio adde brachium saeculare.

[1]) Probe gnari episcopi atque pontifices, non veritatis tantum persuasionibus prospere regi ac contemperari depravatam hominum naturam, sive hi seorsum sive coadunati in societati educandi gubernandique sint, a christianis reipublicae rectoribus hoc flagitabant semper, ut in catholica societate veritatem legemque ecclesiae sua potestate, quae nomine brachii saecularis significari consuevit, sollicite communirent neque infringi a suis subditis sinerent.

[2]) Ibidem n. 58.

Studita.

[3]) Similiter Theodorus studita ep. LXXXVI. ad Michaëlem imperatorem scribit ap. Mign. gr. PP. t. 99. p. 1332. *Πρός τε τὸ συνᾶραι λόγον ἀντιῤῥητικὸν μετὰ τῶν ἑτεροδόξων ἐναντιούμενον, τῇ ἀποστολικῇ ἐπαγγελίᾳ, οὐ καθῆκον εἰ μή τι πρὸς νουθεσίαν μόνον:* „Iamvero sermonem refellendi causa cum heterodoxis conferre apostolico mandato repugnat: minimeque convenit, nisi ad correptionem tantummodo.„ Quibus pariter ratio continetur respondendi ad exceptionem

Orthodoxorum disputationes cum haereticis.

opponentium haud raras orthodoxorum virorum cum haereticis disputationes, Apollinarii episcopi hierapolit. cum Montanistis, Dionysii alexandrini cum chiliastis, Archelai cum Manete, catholicorum episcoporum coram Marcellino comite cum Donatianis, et volente Justiniano cum Eutychianis, atque aliis praetermissis Augustini cum Manichaeis et Arianis. Sunt enim eiusmodi disputationes in ecclesia compertissimae; sed compertae sunt etiam causae illarum ac rationes, quae in eo sitae profecto non sunt, quasi orthodoxis persuasum fuisset, disputationes ex sese aptissimas esse ad terminandas controversias, ad revocandos haereticos, ad conciliandam dissidentium unitatem: nihil minus, quemadmodum diserte adfirmant cum Studita Veteres; sed quod dilectione animarum flagrantes vel ipsi nonnunquam iuri cedendum, accommodatione utendum, debilitati adversariorum occurrendum, iisdemque omnem rebellionis praetextum detrahendum esse putarent. De his vide disputata lib. sup. de methodis ab antiquis adhibitis ad veritatem consequendam et Christ. Lupum ad can. concil. trull. LXIV. opp. t. III. pp. 118. sqq. de pruritu haereticorum ad disputandum, deque vetere ecclesiae lege, qua maxime laicis disputationes cum fidei inimicis interdicuntur.

romanus pontifex in eiusmodi iudiciis excellit? Sane regitur ratio Veritate, nec certo adquiescit, nisi quando illam certo est adsequuta. Iamvero exclusa rei evidentia et excluso examine, certitudo absque ulla plane formidine locum habere nequit nisi ope auctoritatis, et eius quidem quae dote infallibilitatis excellat. Atqui duo illa in casus speciminibus, de quibus agitur, obtinent; colligitur ergo ex Veterum iudicandi agendique more, romanis pontificibus dotem illam denegari nullatenus posse. Quod ne fiat, praeterea efficitur si consideretur *Ratio rei.*

16. Romanae cathedrae ad definienda dogmata auctoritas.

319. Ea videlicet est romanae cathedrae vis, qua par esse cognoscatur, vel ipsis authenticis universalis fidei declarationibus sive definitionibus edendis.. Eiusmodi sane auctoritas

1. illatione colligitur ex iis praerogativis omnibus, quas romanae sedi ex varia ac multiplici docendi agendique ratione apud universam semper ecclesiam recepta tributas tribuendasque ostendimus, atque illae inprimis huc referantur, quibus constat, romanorum pontificum decisiones atque decreta universalia esse, necessaria ac peremptoria. Idipsum

2. virtute, ut aiunt, eo continetur romani pontificis charactere, quo is est[1]) magister et doctor ecclesiae universalis; cum hoc enim ex sese officium cohaeret ac munus, universae ecclesiae rite et *αὐθεντικῶς* necessariam proponendi fidem eiusque professionem; quam amplectendi universi fideles pari profecto obstringuntur officio.„ Tu, inquit [2]) ad sanctissimum et beatissimum a Deo nostro [3])

---

[1]) Cf. lib. I. c. 4. n. VI. capita dogmatica de romano pontifice tenenda: coll. ap. Mign. lat. PP. t. 214. pp. 776. sqq. epp. CCXVIII. sqq. Gregor. catholic. armen. ad Innocent. III. et huius ad illum nec non Leon. armen. ad pap. Innocentium, qui ibid. p. 779. in respons. data Leoni ita habet: „Ipse etiam romanam ecclesiam non solum universis fidelibus praetulit, sed super ceteras etiam ecclesias exaltavit; ut ceterae ab ea non tantum vivendi normam et morum sumerent disciplinam, sed et fidei etiam catholicae documenta reciperent et eius servarent humiliter instituta.„ *Innocent. III.*

[2]) Suggestio directa ad romanum pontificem et postea lecta in lateran. concil. sub Martino I. sécretar. II. ap. Harduin. t. III. p. 729. *Σὺ τῶν βεβήλων αἱρέσεων καθαιρέτης καθέστηκας, ὡς κορυφαῖος καὶ καθηγητὴς τῆς ὀρθοδόξου καὶ ἀμωμήτου πίστεως.*

[3]) Supple, praedicatum: quo indicatur, Petri privilegium, quo beatus a Domino praedicatus fuit, ad successores propagari; et quum illud tributum Petro non sit, nisi quatenus supernam veritatem palam profiteretur, adparet hanc quoque praerogativam ad Petri successores transire.

honorabilem dominum meum, patrem patrum, archiepiscopum et universalem papam, dominum Theodorum„ Sergius Cypriensis: „Tu profanarum haeresum depositor exsistis ut princeps et doctor orthodoxae et immaculatae fidei.„ „Magnum et indeficientem, scribunt [1]) africani episcopi, omnibus christianis fluenta redundantem, apud apostolicam sedem consistere fontem, nullus ambigere possit, de quo rivuli prodeunt affluenter, universum largissime irrigantes orbem christianorum: cui etiam in honore beatissimi Petri Patrum decreta peculiarem omnem decrevere reverentiam in requirendis Dei rebus, quae omnino et sollicite debent, maxime vero iusteque ab ipso praesulum examinari vertice apostolico: cuius vetusta sollicitudo est tam mala damnare, quam probare laudanda.„ Jamvero definitio fidei quid aliud catholicis est, quam authentica revelatae doctrinae declaratio ac propositio, quam uti credendam plena persuasione omnes teneantur fideles recipere? Ad rem illa Possessoris episcopi in epistola [2]) ad Hormisdam data, qua declarata primum necessitate recurrendi ad apostolicam Romae sedem, unde nutantis fidei exspectanda stabilitas, et deinde expositis insidiis periculisque ecclesiae in urbe constantinopolitana, haec porro subdit: „Unde cum quorumdam fratrum animus de codice Fausti cuiusdam, natione Galli, Reginae civitatis episcopi, qui de diversis rebus et frequentius de gratia Dei diserte visus est disputare, in scandalum moveretur; aliis, ut se habent humana studia, in contrarium renitentibus, me crediderunt de hoc ambiguo consulendum. Dixi quidem ea, quae a tractoribus pro captu proprii ingenii disputantur, non ut canonica [3]) recipi, aut ad synodalium vicem pro lege servari: sed habere nos certa, scilicet quae veteri lege vel nova conscripta, et generalibus sunt Patrum decreta iudiciis ad fundamentum fidei ac religionis integram firmitatem: haec autem quae antistites diversi conscripserunt, pro qualitate sui sine praeiudicio fidei solere censeri. Sed cum haec, quantum in eorum frequenti po-

Sergius cypr. *Africani epp.* *Possessor.* *Faustus reiens.* *Discrimen doctoris universalis et particularis.*

---

[1]) Ep. ad Theodor. pap. lecta in concil. lat. secret. II. ap. Harduin. t. III. p. 734. coll. ep. Innocent. I. ad concil. carthagin. Leon. IX. ad Petr. antioch. ep. CI. ap. Mign. lat. PP. t. 143. p. 771.

[2]) Ex urbe constantinopolit. missa de libris Fausti reiensis in Gallia episcopi opp. Aug. t. X. append. pp. 149. sq.

Canonicum quid? [3]) Quisque videt, canonicum heic id dici, quod apud omnes decretoriam habet facitque auctoritatem.

stulatione persensimus, magis eis accusatio videretur: vel pro eorum prece, vel pro obsequii occasione reddendi apostolatui vestro, per Justinum diaconum meum praesumsi apices parvitatis meae ingerere, quibus principaliter orationum vestrarum munimen exposcens, quaeso ut consulentes, quid de praefati auctoris dictis videatur, auctoritate apostolicae responsionis agnoscant: maxime quod filii quoque magistri militum, Vitalianus et Justinianus praecipue, super hac re rescripto beatitudinis vestrae similiter informari desiderant.„ Iamvero sicuti ex his liquido patet, singulorum episcoporum doctorumque auctoritate, in re dubia fidei, haudquaquam indubitatam suppeditari certitudinem; ita aperte significatur conspirantibus una cum occidentalibus etiam orientalibus, certitudinem illam a romano episcopo dari, et quidem ei geminam, quae ad fundamentum fidei ac religionis integram firmitatem requiritur, et generalibus conciliorum iudiciis praefertur. Accedit

Petitur iudicium de dictis et libro Fausti ep.

3. contineri idem aequipollenter iis Maiorum effatis, quibus romanorum pontificum sententiam hinc uti formam praeformationemque [1]) orthodoxae professionis, et inde necessario omnibus sequendam praestituunt. Id praestituit celebri effato Irenaeus [2]) ecclesiae romanae inprimis adserens supremam in ecclesia auctoritatem potestatemque, tum vero praedicationi illius germanam ab Apostolis antiquitatem et universalem apud omnes credentes necessitatem. Sed hoc nec aliud ex sese complecti dogmaticam fidei definitionem compertum est. Quibus inhaerebat Hieronymus [3]) scribens: „Pene praeterii, quod vel praecipuum est. Dum esses parvula, et sanctae ac beatae memoriae Anastasius episcopus romanam regeret ecclesiam, de orientis partibus haereticorum saeva tempestas simplicitatem fidei, quae Apostoli voce laudata est, polluere et labefactare conata est. Sed vir ditissimae paupertatis et apostolicae sollicitudinis, statim noxium perculit caput et sibilantia hydrae ora compescuit. Et quia vereor, imo rumore cognovi, in quibusdam adhuc vivere et pullulare venenata blandaria, illud te pio caritatis affectu praemonendam puto, ut sancti Innocentii [4]) qui apostolicae cathedrae successor est, teneas fidem,

Irenaeus.

Hieronymus.

---

[1]) Vide sis exposita superius.

[2]) Cf. lib. I. c. 3. n. IV.

[3]) Ad Demetriad. ep. VIII. ap. Mign. lat. PP. t. 22. ep. CXXX. n. 16.

[4]) Ubi non secus ac in can. III. sardicensi, de quo supra, individuum nomen, ad quod res tum pertinebat, pro cathedrae romanae episcopo speciatim usurpatum habes.

nec peregrinam, quantumvis tibi prudens callidaque videaris, doctrinam recipias. Solent enim huiusmodi per angulos mussitare [1]) et quasi iustitiam Dei quaerere.„ Ad vitandos ergo errores secura fidei professionisque norma omnibus ecclesiae fidelibus sit oportet romani episcopi doctrina.

Basilius. 320. Hinc magnus Basilius [2]) inplorato ad orientalium ecclesiarum restitutionem in pristinum rectae fidei decus auxilio romani pontificis subdit: „Revera enim laude summa [3]) dignum est, quod a Domino pietati vestrae datum est, adulterium quidem a probo ac puro discernere, Patrum vero fidem sine ulla dissimulatione praedicare: quam quidem et nos suscepimus agnovimusque apostolicis notis signatam: eique et ceteris omnibus, quae in synodico scripto canonice et legitime statuta sunt, assentimur.„ Quasi diceret, a Petro solo, eiusque successore, qui altissima ad hoc benedictione auctus fuit, exspectari postularique *κριτήριον* posse certum, distinguendae falsitatis ab orthodoxia, distinctam dogmatis praedicationem, atque tesseram veritatis apostolicae, vi cuius adsentiendi necessitas credentibus incumbat. At quis inficias iverit, aequipollere haec sententiae adfirmanti, romanae cathedrae eiusque de causa fidei iudicio
Theodor. studit. vim convenire parem definitioni authenticae? Id quod hac Theodori studitae [4]) doctrina confirmasse ac illustrasse iuverit, qua monet

---

[1]) Loquitur porro de iis, qui peccatum originale ab lapsu animarum praeexsistentium repetebant.

[2]) Ad ital. et gal. ep. XCII. n. 3. ap. Mign. gr. PP. t. 32. p. 484. *Τῳ ὄντι γὰρ τοῦ ἀνωτάτου μακαρισμοῦ ἄξιον· τὸ τῇ ὑμετέρᾳ θεοσεβείᾳ χαρισθὲν παρὰ τοῦ κυρίου τὸ μὲν κίβδηλον ἀπὸ τοῦ δοκίμου καὶ καθαροῦ διακρίνειν, τὴν δὲ τῶν πατέρων πίστιν ἄνευ τινὸς ὑποστολῆς κηρύσσειν· ἣν καὶ ἡμεῖς ἐδεξάμεθα, καὶ ἐπέγνωμεν ἐκ τῶν ἀποστολικῶν χαρακτήρων μεμορφωμένην, συνθέμενοι καὶ αὐτῇ καὶ πάσι τοῖς ἐν τῷ συνοδικῷ γράμματι κανονικῶς καὶ ἐνθέσμως δεδογματισμένοις.*

Matth. XVI. [3]) *Ἀνωτάτου μακαρισμοῦ*, altissimi praeconii, quo beatus praedicaris: quae est manifesta ad Salvatoris oraculum „beatus es Simon„ et q. s. allusio. E quibus adparet praerogativas, de quibus Basilius, spectare nominatim et *κατ᾽ ἐξοχὴν* ad Petri in cathedra romana successorem, a quo et per quem indubitata veritas ab errore distinguitur, adcurate doctrina apostolica praedicatur, et statuta synodica consequuntur, ut canonica sint ac legitima, quibus detrectare adsensum orthodoxus nemo possit. Scribendo porro ad Italos et Gallos capadox patriarchatum indicat patriarchae romani, qui illis potissimum provinciis tum coalesceret.

[4]) Epp. l. II. ep. LXXXVI. ap Mign. gr. PP. t. 99. p. 1332. *Εἰ δέ τι ἀμφιβαλλόμενον ἢ ἀπιστούμενον τῇ θείᾳ ὑμῶν μεγαλονοίᾳ διαλύεσθαι ὑπὸ τοῦ ἀρχιερέως εὐσεβῶς· ἡ μεγάλη καὶ θεοστήρικτος αὐτῆς χεὶρ, ὡς ζηλοτυποῦσα τὰ θεῖα ἐπ᾽ ὠφελείᾳ τοῦ παντὸς, κελευσάτω παρὰ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης δέξασθαι*

Michaelem imperatorem: „Quodsi quid est eiusmodi, de quo ambigat aut diffidat divina magnificentia vestra, pie a patriarcha dissolvi posse, iubeat ipsius et a Deo confirmata manus, velut divinorum aemulatrix, ad communem utilitatem, a vetere Roma suscipi declarationem, prout olim et ab initio paterna traditione mos fuit. Haec enim, Christum sequens imperator, suprema est ecclesiarum Dei, in qua Petrus sedem primus posuit, ad quem Dominus dixit: Tu es Petrus et q. s.„ Sed dubiorum incertorumque indubia certaque declaratio ab auctoritate suprema eaque legitima dimanans in negotio fidei a fidei definitione haud differt. Atqui Patrum ab originibus repetenda traditione ratum semper erat, ab antiqua cathedra Petri ob collatam divinitus praerogativam in dubiis ambiguisque fidei rebus declarationem repetere, qua nimirum dubitatio quaevis *αὐθεντικῶς* tolleretur; ab eadem ergo cathedra definitiones fidei emanare inficias ire nemo debebit. Et id certe fiet a nemine, qui praeiudiciis abiectis haec insuper consideraverit, quae praebent

17. Diserta romanae infallibilitatis testimonia.

321. Expensis namque superioribus non paucis pronum iam est, ea addere, quibus quod demonstrare nobis propositum est, disertis potius conceptisque verbis continetur. Atque talia sunt, quae illico rursum suppeditat pietate aeque ac doctrina insignis Theodorus [1]) ad Leonem sacellarium gemina plane ac nunc retulimus scribens: „Quodsi hoc minime probet imperator, deflexitque, ut ipse ait, a veritate Nicephorus patriarcha: mittenda est ad Romanum (scilicet patriarcham) ex utraque parte legatio, et inde fidei accipienda certitudo.„ Verum quaeso, utrum *τὸ ἀσφαλὲς τῆς πίστεως*, secura fidei certitudo ad definitionem fidei satis sit ac necessaria nec ne? Illam porro repetendam a romano patriarcha praescribit Theodorus; inde ergo dubio procul fidei definitio pro- *Theodorus idem.*

τὴν διασάφησιν, ὡς ἄνωθέν τε καὶ ἐξ ἀρχῆς πατροπαραδότως ἐξεδόθη. Αὕτη γὰρ, χριστομίμητε βασιλεῦ, ἡ κορυφαιοτάτη τῶν ἐκκλησιῶν τοῦ θεοῦ, ἧς Πέτρος πρωτόθρονος, πρὸς ὃν ὁ Κύριός φησι· Σὺ εἶ Πέτρος κ. τ. λ.

[1]) Epp. l. II. ep. CXXIX. ap. Mign. l. c. p. 1419. *Εἰ δὲ οὐ τοῦτο καταδεκτέον τῷ βασιλεῖ, καὶ ὥς φησι παρετράπη σὺν ἡμῖν τῆς ἀληθείας Νικηφόρος ὁ πρόεδρος, ἐξ ἑκατέρου μέρους ἀποσταλτέον πρὸς τὸν Ῥώμης. Κακεῖθεν δεχέσθω τὸ ἀσφαλὲς τῆς πίστεως:* quibus cf. allata sup. ex eiusdem ep. XII. ad Paschal. pap. ib. pp. 1152. sq.

ficisci poterit, unde dubitantibus tuta ac infallibilis fidei declaratio redditur. Sane id diserte expressit [1]) Sergius Cypriensis in laudata saepius suggestione dicens: „Resolve nebulam insipientium lumine tuae divinae scientiae, o sanctissime... Nihil enim minus est orthodoxae et apostolicae vestrae definitioni atque traditioni, quatenus augmentum aliquod suscipiat a nobis fides.„

Sergius cypr.

Leo.

322. Idipsum diserte magnus Leo [2]) expressit „quae suo, aiens, prius ministerio definierat„ universali episcoporum adsensu confirmata fuisse. De quorum sensu ne quis dubium moveat, tradita ab ipso Leone in sua ad synodum chalcedonensem epistola vetat: „Unde fratres, inquit, carissimi, reiecta penitus audacia disputandi contra fidem divinitus inspiratam (en ontologicum definitionis fundamentum), vana errantium infidelitas conquiescat; nec liceat defendi quod non licet credi: cum secundum evangelicas auctoritates, secundum propheticas voces, apostolicamque doctrinam plenissime et lucidissime (en logicam definitionis conditionem) per litteras, quas ad beatae memoriae Flavianum episcopum misimus, fuerit declaratum (en authenticam definiendae causae propositionem), quae sit de sacramento incarnationis Domini nostri Jesu Christi pia et sincera confessio.„ Atqui confessio sincera, ideoque aliena ab erroris commixtione, tum pia, adeoque pertinens ad salutis religionisque negotium, innixa revelatione divina eaque perspicue inde explicata atque declarata sic, ut disputatione quavis audace exclusa adquiescendum cuilibet sit, qui vana errantium infidelitate abripi nolit, profecto vim rationemque definitionis dogmaticae, ut aiunt, prae se fert. Et hanc reapse vim dogmaticae Leonis epistolae a chalcedonensibus Patribus tributam fuisse, praestitutis affatim constat. Neque a chalcedonensibus tantum haec illi vis tributa fuit, verum etiam ab africanis episcopis, uti ex synodica Victoris carthaginiensis ad Theodorum papam constat, quae lecta [3]) in lateranensi concilio haec habet: „Ut autem ipsius sedis apostolicae decretis per omnia confirmemur, Leonis beatissimi prae-

Chalcedonenses.

Africani.

---

[1]) L. c. ap. Harduin. t. III. p. 729. *Διάλυε τὴν ἀρχὴν τῶν φρενοβλαβῶν τῷ φωτὶ τῆς σῆς θεογνωσίας, πανάγιε . . . οὐδὲν γάρ ἐστιν ἐλλιπὲς τῇ ὀρθοδόξῳ ἀποστολικῇ ὑμῶν διατάξει καὶ παραδόσει, ὅπως καὶ προσθήκην τινὰ λάβοι πρὸς ἡμῶν τὰ τῆς πίστεως.*

[2]) Ad Theodoret. ep. CXX. ap. Mign. lat. PP. t. 54. p. 1046. de quibus vide adnotata superius.

[3]) Secretar. II. ap. Harduin. t. III. pp. 775. sq.

decessoris vestri apostolicae memoriae definitionem inseri pervidimus.„ Neque aliter Gelasius[1]) ad episcopos orientales: „Quos si a fide integra communioneque catholica putaretis errare, ad apostolicam sedem secundum scita maiorum, et sicut semper est factum, referre debuistis: sicut de Petro (Moggo) alexandrino vel de antiocheno (Cnapheo) Petro, de Joanne (Apameno) et Paulo fecisse monstratur Acacius. Sed quoniam noveratis eos cum apostolica sede sentire, et quid sedes apostolica sua definitione censeret, per illos tantos ac tales episcopos constat orientales antistites nullatenus ignorasse, et vos catholicae atque apostolicae communioni prodidisse contrarios et ab eadem defecisse . . . Si nos non audieratis, quid de fide et communione catholica atque apostolica censeremus; illos adspicere debuistis, et aut sequi, si credebatis esse catholicos, aut apud apostolicam sedem potius accusare, si credebatis errasse. Quid illos iuvat vel suo proposito illam tenuisse sententiam, aut cognoscendo quid sedes apostolica definiret? . . . Sin vero sedis apostolicae regulam subsequendo perspiciebatis illos hanc tenere constantiam, consequenter per illos, et quid nostra definitio contineret, non habuistis incertum, et illorum persequutoribus annuendo, a sedis apostolicae, non ignorantes eius sententiam, consortio retro cessistis.„ Quibus romanae sedi in causis dubiis non minus supremam quam definientem, dirimentem eamque necessariam vim tribuit. Porro ut talem pariter suam habendam esse „apostolicam fidei professionem, postulavit[2]) totidem verbis Agatho papa in sua ad sextam oecumenicam synodum epistola dogmatica scribens, offerendam illam a suis legatis esse non uti rem disputabilem ,,sed ut certa atque immutabilia definitione compendiosa exponentem.„ Et ita illam revera constantinopolitani Patres habuere.

Gelasius.

Errantes accusandi Romae.

Agatho.

Constantinopolitani.

---

[1]) Ap. Harduin. t. II. pp. 925. sq. Quibus conferenda haec Gelasii papae universos per Dardaniam exhortantis episcopos, ut quaestionibus obortis „sollicitudine pastorali ad se quam citius referre properent„ ad res communi consilio catholicoque pro domo unius Domini tractandas „ut, quae orthodoxae definitioni competunt, intemerata serventur.„

[2]) Concil. constantinopol. III. act. 4. ap. Harduin. t. III. p. 1124. *Ὅμως οὐχ ὡς περὶ ἀδήλων φιλονεικτεῖν, ἀλλ᾽ ὡς βέβαια καὶ ἄτρωτα συνελόντι ὅρῳ προσφέρειν ἱκετευτικῶς παρακαλοῦντες.*

18. Sequioris aetatis de infallibilibus pontificum iudiciis doctorum et pastorum mens ac sententia.

B. Thomas. 323. Sed enimvero ad rem nihil flagitari praestantius potest, quam quod gravi disputatione beatus Thomas complectitur directe dataque opera[1]) quaerens: „Utrum ad summum pontificem pertineat fidei symbolum ordinare: Respondeo, inquit, dicendum, quod sicut *Symbolum fidei ordinare, edere.* supra dictum est (in argumento primo) nova editio symboli necessaria est ad vitandum insurgentes errores. Ad illius ergo auctoritatem pertinet editio symboli, ad cuius auctoritatem pertinet finaliter determinare ea, quae sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem summi pontificis, ad quem maiores et difficiliores ecclesiae quaestiones referuntur, ut dicitur[2]) in decretalibus. Unde et Dominus Petro *Luc. XXII.* dicit, quem summum pontificem constituit: Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Et huius ratio est, quia una fides debet esse *I. Cor. I. 10* totius ecclesiae secundum illud[3]): Idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata: quod servari non posset, nisi quaestio fidei exorta determinetur per eum, qui toti ecclesiae praeest; ut

---

[1]) B. Th. 2. 2. q. 1. a. 10. coll. de potent. q. 10. a. 4. ad 13. ubi instituta inter concilii romanique pontificis auctoritatem comparatione docet: „Sicut autem posterior synodus potestatem habet, interpretandi symbolum a priore synodo conditum, ac ponendi aliqua ad eius explanationem, ut ex praedictis patet; ita etiam romanus pontifex hoc sua authoritate potest, cuius authoritate synodus congregari potest, et a quo sententia synodi confirmatur, et ad ipsum a synodo *Synodus ad pontificem provocat.* appellatur. Quae omnia patent ex gestis chalcedonensis synodi„ uti superius ipsi pariter ostendimus. Sed inde colligit illico, non esse „necessarium, quod ad eius (symboli) expositionem faciendam universale concilium congregetur.„ Sequutum *Albert. M.* in hac sua sententia angelicum doctorem fuisse magistrum ipsius, magnum Albertum, tam certo constat, quam indubitatum est, principis scholae vestigiis fideliter institisse discipulos et commentatores. Ita sane Augustinianus professor regius in *J. Putean. Augustinian.* academia tolosana Joannes Puteanus qui in 2. 2. q. 1. a. 6. dubit. 2. hanc alteram ponit conclusionem: „Solius Pontificis Maximi est, res de fide catholica definire, et easdem certo et indubitanter proponere credendas.„ Cui plane consentiunt s. Antonin. O. F. P. in sum. theol. p. 3. tit. 22. c. 2. Ludovic. Bail. apparat. ad concil. qq. 43. sqq.

[2]) Extra de baptismo cap. Maiores.

Hervaeus. [3]) I. Cor. I. 10. Inde petit Hervaeus Natalis Brito O. F. P. quem l. c. sequitur Antonin. eiusdem rei argumentum in tract. de potest. Pap. scribens: „In tota universitate (idest catholicitate) christiana debet esse uniformitas de his, quae pertinent ad unitatem fidei et bonos mores circa necessaria ad salutem. Sed talis conformitas non potest salvari, nisi in ordine ad unum caput seu unum praesidentem, ad quem spectet sententiare, quid credendum et quid non credendum.„

sic eius sententia [1]) a tota ecclesia firmiter teneatur. Et ideo ad solam auctoritatem summi pontificis pertinet nova editio symboli sicut et omnia alia, quae pertinent ad totam ecclesiam, ut congregare synodum generalem et alia huiusmodi.„ Quae decretoria sunt, neque insigni dicentis auctoritate minus quam expositae claritate rei excellunt. Et de auctoritate quidem dicentis non est, cur dicam, quum indubitata ea apud omnes, qui sapiunt, sit et esse debeat: quod vero ad rei, qua de agitur, claritatem attinet, indubitatum pariter est, auctoritatem, qua ordinatur ac figitur symbolum, qua determinantur quae sunt fidei, quaeque ab omnibus inconcussa fide tenenda sunt, errori falsitatique non posse esse obnoxiam. Sed auctoritatem illam Thomas evidenter vindicat romano pontifici; pro hac ergo ipsius auctoritate eiusdemque exercitio romanus pontifex obnoxius errori falsitatique esse nequit.

324. Iamvero sententia tam certa ac firma principis scholae, uti exploratus doctorum veterum tradux doctrinae continuatusque aperte fuit, ita ad sequiores porro theologos, qui maxime fama sanitateque scientiae celebrantur, propagata deprehenditur. Satis est indubitatam illustris theologi mentem eamque particulari specimini casus aptatam retulisse. Is est Franciscus Suares, *Suares.* qui de simplicibus scholarium societatis Jesu votis secundum declarationes pontificum disserens ita [2]) statuit: „Sententia pontificis in his, quae ad doctrinam pertinent, infallibilem continet certitudinem, ex Christi institutione et promissione. Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus con- *Luc. XXII.* firma fratres tuos. Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. *Matth. XVI.* Et concessio facta est, Pasce oves meas. Quae testimonia ita sunt ab ecclesia intellecta, et perpetua traditione ac Patrum, con- *Joann. XXI.*

---

[1]) Operae pretium est contulisse, quae idem Thomas respondet ad opposita sibi difficultates de discrimine inter quaslibet alias personas privatas interque summum pontificem, „cuius auctoritate synodus congregatur, et eius sententia confirmatur„: tum inter ipsas ecclesiae columnas, cuiusmodi erat Athanasius, qui „non composuit manifestationem fidei per modum symboli, sed magis per modum cuiusdam doctrinae, ut ex ipso modo loquendi apparet„ (loquitur de vulgato Athanasii symbolo, quod licet patriarchae alexandrini non fuerit, angelici tamen rationes nullatenus infirmat) interque summum pontificem, cuius auctoritate ob integram fidei veritatem illius doctrina fuit „recepta ut quasi regula fidei habeatur.„ *Discrimen inter summum pontificem privatasque personas.*

[2]) Tractat. de relig. soc. Jes. cur. R. P. Paul. Guéau de Reverseaux. Bruxel. 1857. pp. 125. sqq. l. III. c. IV. coroll. 2.

ciliorum, et ipsorum pontificum definitione firmata ac declarata, et suppono ex propria [1]) materia: et videri possunt, quae Gratianus [2]) congessit et [3]) per plura capita et late Bellarminus de Summo Pontifice, et [4]) Turrecremata in Summa, et ob hanc rem observatum semper in ecclesia fuit, ut graviores fidei quaestiones et causae ad romanam sedem, tamquam ad fidei cathedram et magistram, referrentur, ut dicitur in capite Maiores, de baptismo, et sumitur ex capite Damnamus, de summa Trinitate et fide catholica et capite Fideli, eodem titulo in sexto capite, Ad abolendam, de haereticis, capite Praeceptis, et [5]) capite, Non decet, et [6]) Nulli fas. Ac tandem ex concilio florentino in decreto unionis et [7]) ex tridentino et plura referunt citati auctores. Valde autem diminuta fuisset Christi Domini providentia circa suam ecclesiam[8]), si in decidendis talibus quaestionibus ex cathedra, vicarium suum labi permitteret. Neque ipse iusta posset sub anathematis vinculo subditos compellere ad standum his declarationibus seu definitionibus, si in doctrina tradenda errare posset. Cum ergo ostensum sit, praedictam constitutionem continere declarationem cuiusdam veritatis valde necessariae ad mores ecclesiae et ad quietem, et pacem animarum, plane talis declaratio infallibilem continet certitudinem. Et hoc confirmari potest ex doctrina theologorum et catholicorum omnium, qui pro certo habent, Summum Pontificem non posse errare in doctrina morum ecclesiae tradenda: de qua re videri possunt auctores paulo antea citati.„ Quae quum ad rem confirmandam accommodatissima omnia sint, tum illud auctoritate plenum, quod doctrinam hanc esse declarat non minus catholicorum omnium quam theologorum communem.

325. Et sane, ut in re ceteroquin explorata omnibus, qui theologorum doctrinas norunt, paucissima dumtaxat, prout occurrunt, no-

---

[1]) Vide Suar. de fide disp. 5. sec. 8.

[2]) Dist. 12. decret. et 24, q. 1.

[3]) L. IV.

[4]) L. II. c. 10.

[5]) Dist. 12.

[6]) Dist. 19.

[7]) Sess. VII. can. 3. de baptismo sess. XXV. circa finem decreti de delectu ciborum. Cf. de his aliisque lib. sup. c. IV. n. VI. pp. 124. sqq.

[8]) Vide Simanc. de cathol. institutt. c. 45. coll. Suar. tom. de fide disp. 5. sec. 8. n. 7.

mina proferam, consentit [1]) Martinus Becanus, qui romani pontificis „Secundum privilegium est, inquit, quod omnes christiani, quando oriuntur dissensiones in fide, debeant adhaerere illi parti, quam tenet Romanus Pontifex, et sedes Apostolica; si non velint errare.„ Quo probato disiectisque Marci Antonii De Dominis difficultatibus probat [2]) veteris Testamenti „Pontificem in decisione controversiarum fuisse iudicem omnino infallibilem„ tum [3]) subdit: „Sicut in veteri Testamento, ut iam ostendi, non Scriptura, sed Pontifex et Concilium seniorum, fuit iudex controversiarum; sic etiam in novo hactenus servatum est.„ Id quod tam iure quam facto ostendit [4]) quandoquidem „Post tempora Apostolorum aliae atque aliae controversiae diversis locis ac aetatibus exortae sunt, quas similiter a Pontifice Romano, vel a Conciliis ab eo approbatis, decisas ac diremptas esse, ex historiis ecclesiasticis notum est. Et qui illorum sententiae noluerunt acquiescere pro haereticis habiti, et damnati sunt.„ Adductis ad rem allatis superius ex haereseologia documentis respondet [5]) ad quaestionem, an omnes et singuli, qui in Ecclesia sunt, habent hanc assistentiam et directionem Spiritus sancti, ut in fide errare non possint, praeter alia sic: „Singuli fideles, qui sunt quasi membra ecclesiae, habent quidem assistentiam et directionem Spiritus sancti, sed dependenter a Pontifice, qui est veluti caput Ecclesiae, et a Conciliis, quae sunt quasi cor Ecclesiae. Quamdiu ergo singuli manent colligati cum doctrina Pontificis et Conciliorum, participant de assistentia et gubernatione Spiritus sancti, nec in fide errare possunt.„

M. Becan.

De Dominis.

V. T. pontifex.

Habitus infallibilis capitis ad cor et membra.

326. Consentit Robertus Bellarminus [6]) qui ad „testimonium Lucae: Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos„ scribit: „Ex hoc loco, Romanum Pontificem ex cathedra docentem [7]) non posse errare, deducit beatus

Robert. Bellarmin.

Luc. XXII.

---

[1]) Manual. controvers. l. I. c. 4. de capit. eccles. n. 68.

[2]) Ib. de iudice controversiar. cap. 5. nn. 60. sqq.

[3]) Ibid. n. 79.

[4]) Ibid. n. 83.

[5]) Ibid. n. 127.

[6]) De Verbo Dei l. II. c. 5.

[7]) Hanc phrasin intelligit, ut est paulo prius „de singulari officio docendi totam ecclesiam, constituendo, ac decernendo, quid ab omnibus sit credendum.„ Quo refert illud Hieronymi in ep. ad Damas.: „A pastore praesidium ovis flagito.„

Ex cathedra docens.

Hieronymus.

Bernardus [1]), et ante eum Lucius primus [2]), Felix primus [3]), Marcus in epistola ad Athanasium, Leo primus [4]) de assumptione sua ad pontificatum, Leo nonus in epistola ad Petrum Antiochenum patriarcham, Agatho in epistola ad Constantinum imperatorem, quae lecta est in sexta synodo [5]) et deinde [6]) a toto concilio approbata. Paschalis II. in concilio Romano apud abbatem Urspergensem in chronico: quibus addo, velint nolint haeretici, Innocentium tertium [7]) de baptismo et eius effectu. Si ergo Romanus Pontifex errare non potest ex cathedra docens, certe iudicio eius acquiescendum est, et ipse esse debet summus iudex.„ Rem igitur cum prioribus tam e Scripturis quam e traditione Maiorum certam habet et exploratam.

H. Kilber. 327. Quibus consentit similiter [8]) Henricus Kilber, theologus wirceburgensis, qui praestituto „discrimine olim iam in disputatione Rustici ecclesiae romanae diaconi contra acephalos insinuato et postea in libello ad Clementem quintum a Galliae proceribus etiam usur-
Duplex Papae persona. pato„ inter duplicem Papae personam „considerando eum iam ratione suppositi ut hominem praecise seu doctorem privatum, iam ratione officii ut summum Pontificem, seu ut constitutum a Christo universalem doctorem et magistrum omnium fidelium„ sententiam „quae
Benedict. XIV. a Benedicto decimo quarto in epistola [9]) ad inquisitionem generalem Hispaniae data extra Galliam ubique recepta dicitur . . . etiam independenter ab ecclesiae consensu Pontificem e cathedra [10]) loquentem inerrantia, eiusque definitionem immutabilitate pollere . . . asserendam et vindicandam„ suscipit: et quidem „I. ex

---

[1]) Ad Innocent. ep. 90.

[2]) In ep. I. ad epp. Hispan. et Gall.

[3]) In ep. ad Benignum.

[4]) Ser. III.

[5]) Act. IV.

[6]) Act. VIII.

[7]) Cap. Maiores.

[8]) De princip. directiv. par. VIII. nn. 190. sqq. „An Romanus Pontifex summam habeat auctoritatem? Auctoritatem summam accipiendo scilicet pro inerrantia Pontificis et irrefragabilitate iudiciorum; materiam restringendo ad eosdem terminos fidei, morum et factorum dogmaticorum (quam de Concilio num. 149. proposuimus); per iudicia autem definitiones positivas, perspicuas et certas intelligendo.„

[9]) An. 1748.

[10]) De hac phrasi idem sic: „Doctor universalis, dum auctoritate publica usus ut supremus ecclesiae magister aliquid proponit toti ecclesiae, obligans omnes fideles sub anathemate seu poena haereseos ad illud propositum assensu in-

Scriptura; II. ex traditione, quae colligitur 1. ex conciliis, 2. ex Pontificibus et Patribus, 3. ex ecclesiis et doctoribus; III. ratione, et quidem ex momentis iuris et facti.„ Quare egregie post divi Thomae [1]) et sancti Antonini [2]) doctorum sententias addit „testimonium Ruardi Tapperi, quod [3]) edit his verbis: An autem praepositus familiae Christi falli possit in sua sententia, quando cognoscit circa fidem et mores fidelium, sicut reges et episcopi in suis iudiciis, ab annis centum et quinquaginta coeptum est disputari in utramque partem. A tempore enim concilii constantiensis et basileensis doctores quidam apud solum concilium oecumenicum docent esse infallibilis sententiae privilegium. Veteres vero scriptores Petro totius familiae Christi praeposito et Romano Pontifici post Petrum in terris vicario, eiusque cathedrae proprium esse hoc privilegium infallibilis sententiae, concorditer ex Scripturis tradunt.„ Indicatis itaque anno quo, loco ubi, personis a quibus, orta primum dissensio, evidenter demonstrat Tapperus, praevertentem consensionem fuisse unanimen, universalem et simpliciter antiquam, adeoque ex regula [4]) Augustini Vincentiique lirinensis catholicam esse veritatem, et quidem revelatam fideque tenendam, quum ad Scripturarum illa doctrinam revocata semper fuerit.

R. Tapper.

Quando primum dubitatum?

Praevertens consensio.

Doctrinae de pontificis infallibilitate qualificatio.

328. A quibus ne hilum quidem discordant duo contra placita gallicana scriptores, anonymus alter [5]) in opere de oecumenica cathedrae apostolicae auctoritate dicens: „Commune theologorum adagium est, summum pontificem circa res fidei habere infallibilitatem, non qua privatum doctorem, sed quatenus definit ex cathedra, sive ex praerogativa petrae, super quam aedificata est ecclesia.„ Idque probat illico tum e sacris litteris, tum [6]) ex

Theolog. adagium.

---

terno ac fide divina credendum . . . dicitur loqui ex cathedra.„ Verum uti character indicatus loquentis sufficit, ita postrema conditio est quidem indicium solemnissimum, sed neque unicum, neque semper necessarium, neque etiam, quod phrasin „fide divina credendum„ attinet, cuivis materiae adaptatum. Cf. sup. nn. 146. sqq.

Pontifex e cathedra loquens.

[1]) 2. 2. q. 1. a. 10. q. 11. a. 2. de potent. q. 10. a. 4.

[2]) P. 4. tit. 8. c. 3. §. 5.

[3]) Tr. 3. theol. nn. 6. 7.

[4]) Vide thes. theol. de testimonio et testibus. 1860.

[5]) Alius non est ab eo, qui scripsit de inextincta concilii tridentini veritate. 1689.

[6]) Art. IV. disquisitt. I. II. III. IV. V.

sacris canonibus et conciliis oecumenicis, tum ex unanimi Patrum consensu, et praxi ecclesiae, rationeque theologica, tum reiectis
Launoi. plerisque omnibus Launoii ac reliquorum gallicanorum exceptionibus, confutatur disquisitione sexta nominatim Ludovicus Ellies
Du Pinii exceptio. du Pin, cuius haud paucas refricare naenias etiamnum solent romano huic praesidio infensi quidam doctores: uti illud est, nescire dissentientes invicem romanos theologos, quid requiratur ad hoc, ut romanus pontifex dici ex cathedra loquutus possit. Quae quidem quantam romanae causae vindicibus atque patronis creare invidiam nata videntur, tantam reapse excipientibus inprimunt in re theologica notam inscitiae, in qua vel leviter tincti distinguere occurrentibus dissidiis norunt inter ea, quae summam rerumque essentiam, et quae earum partes accidentales constituunt, quae ad conditionem, quaeque spectant ad ipsam causae veritatem, quae ad obiecti materiam pertinent et quae ad formam subiecti, quae tandem flagitantur, ut res sit vereque obtineat, et quae, ut comperta [1]) sit ac indubitata adpareat. Atqui membra priora, a quibus rei substantia pendet, consensione exponuntur, licet varia sit de variis capitibus [2]) reliquis variorum theologorum opinio.

329. Sed iam veniendum ad alterum eumque theologum
A. Muzzarelli. sapientissimum, Alphonsum inquam Muzzarellium, qui inter alia aurea opuscula theologica inscriptum habet [3]) „de infallibilitate Pontificis probata ex ipsis principiis sententiaque communi [4]) ecclesiae gallicanae„ quo haec doctrinae capita complectitur:

---

[1]) Cf. auctor. de inextinct. concil. trid. verit. l. c. disquisitt. II. VI.

[2]) Vide sis dicta superius de ratione infallibilitatis universe nn. 148. sqq.

[3]) Edit. alt. Aven. 1833. opp. 21—27.

Theologorum in Gallia mens. [4]) De antiquis Galliae scriptoribus, id est vetustis scholarum theologis nullum haberi dubium potest, sed recentiores quoque illis theologi in Gallia exploratam de infallibili romano pontifice doctrinam tuentur. Eiusmodi aliis omissis sunt Andreas Duval. de suprema rom. pontif. in eccles. potestat. an. 1614. Joan.
Maucler. a Celaia in 3. sent. dist. 25. q. 4. Mich. Maucler. in ll. de monarch. div. eccles. et saeculari christ. dicatis Gregor. XV. et Ludovico XIII. p. II. l. 4. cc. 4. sqq. „Haec, ait, ista communis sacrae sapientiae Professorum, quae docetur in scholis, assertio, disceptationum causarumque de fide cursum motumque romani Pontificis in cathedra Petri sedentis consopitum iudicio finiri.„ Hinc A. Duval. l. c. p. II. q. 1. deviationem Alliacensis, Gersonii, Almaini arbitratur „non esse tantae authoritatis, quia tempore schismatum floruerunt„: et q. 4. ad 9. „multo illis celebriores„ parienses doctores privilegium infallibilitatis romano pontifici semper asseruisse, uti sunt „D. Thomas, D. Bonaventura, Hervaeus Armoricus, Henricus Gandavensis, Joan. de Celaia, itemque doctores illi, qui in comitiis scholae generalibus errores Malesoni condemnarunt his verbis: Ad s. apost. sedem pertinet,

I. Ecclesia Dei exposita semper fuit hominum malitiae artibusque quibus utuntur, ut ad errorem pertrahant:

II. Jesus Christus promisit praeparavitque remedium certum, promptum et efficax, universale et perpetuum, contra errorem:

III. Remedium a Jesu Christo promissum praeparatumque auctoritate continetur, quam instituit manifestamque fecit:

IV. Promissum praeparatumque a Jesu Christo remedium habetur in unanimi successorum sancti Petri et reliquorum Apostolorum doctrina ac praedicatione:

V. Remedium hoc complectitur duas partes constitutivas, necessarias, substantiales et essentiales:

VI. Ut inpleatur Jesu Christi promissio, remediique ecclesiae praeparati infallibilitas sibi constet, absoluta episcoporum unanimitas non est necessaria, verum sufficit unanimitas eorum moralis:

VII. Promissio perpetuae adsistentiae facta a Jesu Christo est corpori, non vero singulis quibusque; ideoque infallibilitas promissa est episcoporum corpori, non autem cuivis seorsum episcopo:

VIII. Perpetuae adsistentiae promissio facta est generatim corporis membris, nominatim vero facta est eiusdem corporis capiti:

IX. Veritas inter episcopos semper praevalebit, semperque continebitur consensione maioris episcoporum partis coniunctae cum visibili ecclesiae capite:

X. Solemni Pontificis iudicio nunquam deest consensio maioris episcoporum partis:

XI. Quum Pontifex evulgavit iuridice solemnem quandam constitutionem veluti regulam seu legem fidei, opus fideli non est, exspectare consensum maioris episcoporum partis ad hoc, ut illam tanquam regulam legemve fidei habeat, ut illi se subiiciat, ac veluti decisionem infallibilem eam agnoscat:

XII. Praestituta propositio ostenditur testimoniis [1]) atque principiis ecclesiae gallicanae:

---

authoritate iudiciali suprema circa ea, quae sunt fidei definire. Quo fit, ut inique Vigorius me tamquam scholae paris. desertorem et veluti perduellem scriptis suis traducere et proscindere praesumat, praesertim cum, ut in elencho contra Eucherium aperte significavimus, nihil quidquam a facultate parisiensi contra Pontificis infallibilitatem unquam sit definitum.„

[1]) Huc profecto faciunt praeclare, quae allegari solent tum e prioribus

XIII. Consentientibus ipsis Languetio et Bossuetio universaque gallicana ecclesia, apostolica sedes et cathedra sancti Petri centrum est unicum et necessarium unitatis catholicae:

XIV. Explicatio verae sententiae subiectae phrasibus, sedes apostolica, cathedra sancti Petri, ecclesia romana:

XV. Explicata iam centri catholicae unitatis praerogativa novam pontificiae infallibilitatis demonstrationem continet:

XVI. Examem opinionis Bossuetianae de infallibilitate Pontificis:

XVII. Lapsus, qui fertur, Liberii et Honorii doctrinae ultramontanae circa infallibilitatem Pontificis non opponitur:

XVIII. Ex intentione cleri gallicani propositio quarta declarationis anni 1682. oppositam infallibilitati pontificiae significationem complecti nequit:

XIX. Promissio Jesu Christi per Languetium et Bossuetium explicata confert ad agnoscendam Pontificis auctoritatem in conciliis oecumenicis.

Galliae scriptoribus, puta Hincmari rhemensis in praefat. opusc. de divort. Lothar. reg. et Gerberg. regin. ap. auct. de verit. inext. conc. trid. a. IV. disq. 5. p. 755. Ivo carnot. ad Richer. senon. archiep. ep. 8. Jacob. card. Vitriac. hist. orient. c. 75. an. 1230. tum edita 1324. pro b. Thomae doctrina ab Stephano ep. paris. declaratio: „De concilio venerabilium virorum decani et capituli Parisiensis, et venerabilis P. D. Guillielmi Dei gratia archiepiscopi Viennensis sacrae theologiae professoris et aliorum 23. magistrorum in theologia, nec non 39. baccalaureorum in theologia: . . . „Nos igitur attendentes cum eis, quod sacrosancta Romana ecclesia fidelium omnium mater et magistra in firmissima Petri Christi vicarii confessione fundata, ad quem velut ad universalem regulam catholicae veritatis pertinet approbatio et reprobatio doctrinarum, declaratio dubiorum, determinatio tenendorum et confutatio errorum, praefatum doctorem venerabilem, cuius doctrina fulget ecclesia ut sole luna, nuper sanctorum catalogo adscribendum, doctrinae diligenti excussione et examinatione praehabita super vita ipsius et doctrina, ipsumque quoad vitam puram ac doctrinam salutarem orbi terrae commendabilem praedicavit„ . . . in hist. univ. Paris. t. IV. ad an. 1324. Coll. Francisc. archiep. rothomag. in apolog. evangel. pro cathol. ad Jacob. maior. Britan. reg. Paris. 1625. l. II. cc. 1. sq. Aegid. archiep. bitur. in expos. cap. Cum Marthae. de celebrat. Miss. Nicol. Coeffet. theol. Paris. in tr. pro sac. monarch. eccles. cath. ap. rom. adv. rempublic. Anton. de Domin. archiep. spalat. p. V. discus. n. 5. c. 12. l. I. Gab. Albaspin. ep. aurelian. ad Tert. de pudicit. verba, Episcopus episcoporum, coll. ad s. Optat. de schism. Donat. l. II. Qui ducit ad se angelum, conventus melodun. an. 1579. tit. I. constitutionum: „Operam dabunt ii, quibus haec cura demandata est, episcopi scilicet, et eorum vicarii, ut in omnibus synodis tam dioecesanis quam provincialibus omnes et singuli tum clerici tum laici amplectantur et aperta professione eam fidem pronuntient, quam s. romana ecclesia magistra, columen et firmamentum veritatis profitetur et colit. Ad hanc enim

Declaratio Parisiens.

Doctrina Thomae fulget ecclesia.

Conventus melodun.

330. Sed quo praeclara haec capitum series spectet, nemo non intelligit: eo videlicet, ut haec [1]) ducatur „Conclusio: Pontificis infallibilitatem sequelam esse valde legitimam et prope necessariam principiorum, quae communi adprobatione ab omnibus admittuntur catholicis: . . . rem esse ad fidem pertinentem . . . veluti obiectum et veluti regulam: . . . uti obiectum, quum id doceatur universe ab episcopis in unione cum romano Pontifice ab originibus usque ad saeculum [2]) postremum; ac doceatur propterea, quod illam in Christi Jesu promissis fundatam habeant, adeoque revelatam: . . . uti regulam, quum infallibilem sibi potestatem constanter Pontifices tribuerint, eam exercuerint, auctoritatique eorum semet episcopi et universa ecclesia [3]) semper uti normae ac regulae subiecerint: . . . quo constanti usu constans continetur infallibilitatis adsertio ac declaratio: hinc illam fide christiana [4]) credendam ab omnibus uti obiectum fidei, quicunque rationum illa momenta explorata habent; tum illud, quod Pontificis infallibilitas est unanimis ac constans ecclesiae doctrina.„ *Infallibilitas pontificum qualis veritas?*

331. Quae profecto desiderandum [5]) nihil reliquum faciunt, nisi ut praesentem quoque ecclesiae praedicationem atque doctrinam brevi significemus. Atque huc in primis facit praedicatio ac doctrina romanae ipsius ecclesiae, quae, uti ostendimus, non tantum princeps, verum etiam normalis et regularis omnium eccle- *Praesens ecclesiae doctrina.*

---

propter suam principalitatem necesse est omnes convenire ecclesias.„ Quibuscum consentiunt comitia generalia cleri gallicani ad Innocentium X. 8. Calend. Novemb. 1650. et in epp. 1653. editis.

[1]) Ibidem pp. 182. sqq.

[2]) De postremo saeculo testem adfert Le Normant, episc. lemovic. Recueil des mandem. des evêq. contre la consultat. des avocats, Paris. 1730. qui adfirmat, de infallibilitate pontificis inmutatam esse sententiam et unanimem episcoporum Italiae, Germaniae, Hispaniae, Portugalliae, Hungariae, Poloniae, Dalmatiae, aliarumque terrarum. *Le Normant episc.* *Universalis consensio.*

[3]) Inst. past. de infal. III. c. 57. Fénélon: „Ecclesia, inquit, nullo unquam decreto expresso declaravit, se esse infallibilem; hanc continuo auctoritatem fundamentalem supponere eidem sufficit, eamque contra illos exercere ipsos, qui eandem in dubium vocare ausi fuerint; atque haec constans praxis est declaratio continua, quam ecclesia nobis de auctoritate sua infallibili proposuit.„ A pari. Cf. Ballerin. append. de infallib. *Fénélon.*

[4]) Fide, ait, non catholica, utpote diserte non declarata, sed christiana, utpote revelata: quae quidem distinctio est theologis compertissima. *Fides catholica et fides christiana.*

[5]) Addit tamen aliud ibidem de eadem re opusculum, quo causam tuetur ex concilio Florentino, exceptionesque sive ab Honorii falsitate sive ab conciliis constantiensi et basileensi depellit.

siarum vocatur et est: pronuntiata illius porro sententia e disertis loquendi, nec non agendi indubiis rationibus, iisque ambabus cum constanti sua ac perpetua traditione plane cohaerentibus omnino liquet. Et quod ad rationem attinet agendi, speciatim postea oratio recurret; ad rationem vero theoreticam, ut aiunt, quod spectat, praeclariora exquiri non possunt, quam quae vix ad summum pontificatum evectus priori [1]) sua „Epistola Encyclica ad omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos„ gloriis et victoriis completus noster Sanctissimus Dominus Papa Pius nonus his significavit: „Viva et infallibilis auctoritas in ea tantum viget ecclesia, quae a Christo Domino supra Petrum totius ecclesiae caput, principem et pastorem, cuius fidem numquam defecturam promisit, aedificata suos legitimos semper habet pontifices sine intermissione ab ipso Petro ducentes originem in eius cathedra collocatos, et eiusdem etiam doctrinae, dignitatis, honoris ac potestatis haeredes et vindices. Et quoniam ubi Petrus ibi ecclesia [2]) ac Petrus per romanum pontificem loquitur [3]) et semper in suis successoribus vivit, et iudicium exercet [4]) ac praestat quaerentibus fidei veritatem [5]) idcirco divina eloquia eo plane sensu sunt accipienda, quem tenuit ac tenet haec romana beatissimi Petri cathedra, quae omnium ecclesiarum mater et magistra [6]) fidem a Christo Domino traditam, integram inviolatamque semper servavit, eamque fideles edocuit, omnibus ostendens salutis semitam, et incorruptae veritatis doctrinam.„ Qua firmissime a summo magistro posita doctrina, ut sciamus, quid tenendum animique plenissima adsensione probandum, idem supremus animarum omnium pastor clarissime ostendit, quid agendum. Pergit enim: „Haec siquidem principalis ecclesia, unde unitas sacerdotalis exorta [7]) haec pietatis metropolis, in qua est integra christianae religionis ac perfecta soliditas [8]) in qua semper apostolicae cathedrae viguit

Pius IX.

---

[1]) Data an. 1846. 9. Nov.
[2]) S. Ambros. in Ps. 40.
[3]) Concil. chalcedon. act. 2.
[4]) Synod. ephes. act. 3.
[5]) S. Petr. Chrysol. ep. ad Eutych.
[6]) Concil. tridentin. sess. VII. de baptis.
[7]) S. Cyprian. ep. 55. ad Cornel. pontif.
[8]) Litt. synod. Joan. constantinop. ad Hormisd. pontif. et Sozom. hist. l. III. c. 8.

principatus [1]) ad quam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est qui sunt undique fideles [2]) cum qua quicunque non colligit spargit [3]). Nos igitur, qui inscrutabili Dei iudicio in hac veritatis cathedra collocati sumus, egregiam vestram pietatem vehementer in Domino excitamus, Venerabiles Fratres, ut omni sollicitudine et studio fideles curae vestrae concreditos assidue monere, exhortari connitamini, ut hisce principiis firmiter adhaerentes, numquam se ab iis decipi, et in errorem induci patiantur, qui abominabiles facti in studiis suis humani progressus obtentu fidem destruere, eamque rationi impie subiicere ac Dei eloquia invertere contendunt, summamque Deo ipsi iniuriam inferre non reformidant, qui coelesti sua religione hominum bono atque saluti clementissime consulere est dignatus.„ Porro ad abominabilium istorum studia pontifex inprimis „spectare, inquit, nefarias molitiones contra hanc beatissimi Petri cathedram, in qua Christus posuit inexpugnabile ecclesiae suae fundamentum.„ Cum prima hac sua pastorali institutione ac declaratione Patris Sanctissimi nostri sequentes litteras, allocutiones, actus omnes perfecto concentu constantique consensione penitissime convenire, nemo est qui possit dubitare.

332. Sed cum capitis sententia convenit publica ac solemnis catholici totius episcopatus professio, quam [4]) ad palam testandam suam cum romana sede plenissimam in omnibus coniunctionem collecti Romae in unum plurimi successori Petri dederunt, dispersi porro reliqui suffragantes comprobarunt. „Ex quo *Episcopatus catholici suffragium.* enim, inquiunt, Apostoli Jesu Christi sacrae Pentecostes die Petro ecclesiae capiti in oratione adhaerentes, Spiritum sanctum acceperunt, et divino eius impulsu acti, cunctarum fere nationum viris in Urbe sancta congregatis, unicuique sua lingua potentiam Dei mirabilem annuntiarunt, nunquam, ut credimus, ad hanc usque diem tot eorumdem haeredes, iisdem recurrentibus solemniis venerandum Petri successorem, orantem circumsteterunt, decernentem audierunt, regentem roborarunt.„ Decernentem, aiunt, audierunt; decernendi ergo provinciam soli illi, sibi audientium partes

---

[1]) S. Aug. ep. 162.

[2]) S. Iren. con. haer. l. III. c. 3.

[3]) S. Hieron. ep. ad Damas. pontif.

[4]) Data B. P. Pio IX. „Romae hac die VIII. mensis Junii, anno Domini MDCCCLXII.„

adscribunt. Verum quomodo positi in ecclesia ad docendum pascendumque gregem episcopi audirent Petri successorem decernentem, nisi decreta eius infallibilia forent. De qua potestate ac certitudine illius decernentis ne quis dubitet, subdunt: „Quemadmodum vero Apostolis media inter nascentis ecclesiae pericula nil iucundius accidere potuit, quam divino Spiritu recens afflato assistere primo Christi in terris vicario; ita nec nobis praesentes inter ecclesiae sanctae angustias, antiquius sanctiusque aliud esse potuit, quam quidquid inest venerationis pietatisque erga Sanctitatem Tuam pectoribus nostris, ad pedes Beatitudinis Tuae deponere, simul et unanimiter declarare, quanta prosequamur admiratione praeclaras, quibus supremus pontifex noster eminet, virtutes, quantoque animo iis quae Petrus alter docuit, vel quae tam firmiter stata rataque esse voluit, adhaereamus . . . Nam Tu sanae doctrinae nobis magister, Tu unitatis centrum, Tu populis lumen indeficiens, a divina sapientia praeparatum. Tu Petra es, et ipsius ecclesiae fundamentum, contra quod inferorum portae nunquam praevalebunt. Te loquente, Petrum audimus, Te decernente, Christo obtemperamus.„ Quibus sententiis manifestiores vix habentur. Neque satis; verum subdunt venerabiles Dei sacerdotes, apud

Argumentum ab inimicis. ipsos ecclesiae hostes exploratum illud esse: „Qui talia moliuntur, optime norunt in Sancta Sede, velut in arce inexpugnabili, robur ac vires omnis veritatis ac iustitiae inesse, quibus retunduntur hostium impetus; ibi esse speculam, ex qua vigiles Summi custodis oculi paratas insidias a longe conspiciunt, suis annuntiandas commilitonibus. Hinc odium implacabile, hinc insanabilis livor, hinc continuum scelestissimorum hominum studium, ut Sanctam Romanam Ecclesiam eiusque Sedem deprimant, ac si fieri unquam posset, prorsus exscindant.„ Atque ne soli ipsi collecti, licet plurimi et ex omni orbis terraquei plaga congregati essent, ita sentire viderentur, pergunt: „Hanc vero protestationem, quam publicis Ecclesiae tabulis adscribi petimus, Fratrum etiam nostrorum, qui absunt nomine, tuto proferimus, sive eorum qui, tot inter angustias, vi detenti domi hodie silent ac plorant, sive qui gravibus negotiis, aut adversa valetudine impediti, nobiscum hodie adesse nequiverunt.„ Atque his denique „iungunt vota fidelis sui cleri et populi.„

Synodi provinciales. 333. Profecto, quae nunc sit per omnes terrae plagas authenticorum ecclesiae doctorum de infallibili pontificis magisterio

doctrina, ex eorum synodalibus actis perspicue et certo colligitur. Atqui, ut nostrarum dumtaxat partium mentem patefaciamus, liquidum est, quod ad rem in decretis et actis concilii provinciae Strigoniensis[1]) legitur. Nam edicitur non tantum, quod „Si de rebus fidei et morum aut disciplina ecclesiastica controversia excitata fuit, haec, Roma loquente, finita exstitit; si dubia oborta, Romani Pontificis sententia sublata sunt„: verum disertius: „Petrus, princeps Apostolorum, caput et columna fidei ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus Romanis Pontificibus vivit, iudicium[2]) dicit, ac pascendi, regendi et gubernandi universam ecclesiam sibi a Domino Nostro Jesu Christo traditam plenam potestatem exercet[3]); Romana Ecclesia, quae semper immaculata mansit, et Domino providente, et beato Petro Apostolo opem ferente in futuro manebit, sine ulla haereticorum insultatione firma et immobilis omni tempore persistet[4]); Ecclesia Romana est omnium Ecclesiarum Mater et Magistra, catholicae veritatis et unitatis centrum, in qua est integra et vera christianae religionis soliditas, et ex qua traducem fidei omnes reliquae ecclesiae mutuentur, oportet[5]). Unde Petro in rebus fidei et morum per os Pontificis loquenti omnes per orbem fideles et pastores citra omne dubium assensum semper praebuerunt.„ *Strigoniensis.*

334. Ad haec luculentiora etiam sunt ex actis et decretis concilii provinciae Colocensis[6]) quibus ita docetur: „Quemadmodum ergo Petrus erat petra seu fundamentum ecclesiae, et invisibilis ecclesiae capitis Christi visibilis in terris Vicarius, doctrinae fidei magister irrefragabilis, pro quo ipse Dominus oravit, ut non deficeret fides eius[7]) regni coelestis clavicularius, cui traditae sunt claves regni coelorum, denique gregis dominici pastor supremus in terris, qui et oves et agnos pascendos ita accepit, ut etsi hoc esset Petrus, quod erant ceteri Apostoli, non tamen essent hoc ceteri, quod erat Petrus, cui soli dictum est: Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo ecclesiam meam[8]): pari modo legi- *Colocensis.* *Luc. XXII. 32.* *Matth. XVI. 18.*

---

[1]) Celebratae an. 1858. titul. V. De summo Pontifice pp. 59. sq.
[2]) Conc. ephes. act. 3.
[3]) Conc. florentin.
[4]) S. Hieron. ep. ad Damas. c. 14. caus. 24. q. 1.
[5]) Hadrian. P. ad conc. oecumen. 8. et Pius Papa IX. in Bulla, Ineffabilis.
[6]) Celebratae an. 1863. titul. II. c. I. De Romano Pontifice. p. 68
[7]) Luc. XXII. 32.
[8]) Matth. XVI. 18.

timi eius in Cathedrae Romanae culmine Successores, in quibus semper vivit et loquitur et praesidet, nihilo sunt ipso inferiores, sed pari potestatis plenitudine et omnium Ecclesiarum sollicitudine ceterorum Apostolorum in episcopatu successoribus praevalent, eosque in partem legitimae sollicitudinis admittunt, depositum fidei summo et irrefragabili oraculo custodiunt, Concilia oecumenica cogunt, praesidio regunt, oraculo confirmant, atque iisdem succenturiati ita faciunt plena, ut eadem capite truncato sint nulla. Unde propositiones cleri gallicani anno 1682. editas, quas iam piae memoriae Georgius Szelepcsényi Archi-Episcopus Strigoniensis una cum ceteris Hungariae Praesulibus eodem adhuc anno publice proscripsit [1]) itidem reiicimus, proscribimus, atque cunctis provinciae huius fidelibus interdicimus, ne eas legere vel tenere, multo minus docere auderent.„

Propp. cleri gallicani.

335. Atque, ut aliis praetermissis [2]) concludamus, perspicua sunt, quae in actis et decretis concilii provinciae Coloniensis [3]) docentur, quod nimirum „Exercent episcopi magisterium hoc nulli obnoxium errori, quoties congregati in concilio, quid credendum sit, solemniter, approbante summo pontifice, edicunt . . . Exercent pariter, dum dispersi licet per orbem cum summo pontifice in doctrina conspirantes singuli gregem suum docent . . . Exercent demum, dum sequuntur sententia praeeuntem et pro suprema auctoritate fidei controversias dirimentem summum pontificem, cui per Petrum transmissum est munus tum confirmandi fratres, tum pascendi oves et agnos, tum fundamentum et fulcrum praebendi toti ecclesiae, ut portae inferi non praevaleant. Etenim romana ecclesia, in qua secundum Christi Domini vocem: Tu es Petrus etc. immaculata est semper servata religio [4]) est mater universorum Christi fidelium et magistra [5]) et sicut (Romanus Pontifex) prae ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic etsi quae de fide subortae fuerint, quaestiones, suo debent iudicio definiri [6]) ipseque est omnium Christianorum pater

Coloniensis.

¹) Cf. Peterffy, conc. hungar. part. II. pp. 438. sqq.

²) Cf. Acta et Decreta concil. provinc. Viennens. celebrat. 1858. tit. II. c. I. De Pontifice Romano. pp. 60. sq. et similiter provinc. Pragens. celebrat. 1860. tit. VI. c. I. De canonica regiminis norma pp. 202. sq.

³) Celebratae 1860. c. XXIV. de Ecclesiae magisterio infallibili. pp. 57. sq.

⁴) Formul. fid. Hormisd. pont.

⁵) Conc. lat. IV. c. 5.

⁶) Confess. fid. Mich. Palaeol. propos. a Clemente IV.

et doctor [1]) cuius in fidei quaestionibus per se irreformabile est iudicium [2]).„ Haec est authentici doctoratus perspicua et consentiens doctrina, a qua profecto neque theologorum [3]) neque fidelium mens ac persuasio dissentit. Adparet ergo, quo loco apud ecclesiam Dei sit iudicium atque doctrina de inerrantia seu infallibilitate romanae cathedrae romanique pontificis.

19. Superiorum summa, κρίσις ac confirmatio.

336. Iam peto, fieri ne possit, ut conclusio tot roborata ac confirmata modis in iustum adduci discrimen valeat? Fac sane complectaris simul, unaque consideres rationum omnium momenta, e quibus illa descendit. Et si quidem rationem spectaveris documentorum ac testimoniorum, illico animadvertes, alia theoretica atque alia practica esse, utraque multiplicia ac varia, iuncta invicem singula et vincta, ac ita inter se utraque nexa, ut theoreticis respondeant apprime ac innitantur ea quae practica sunt, quaeque usu universali ac consuetudine antiqua continentur; et vicissim ut practicis illustrentur explicataque manifestentur, quae theoretica sunt, et communi sententia omniumque doctrina tenentur: utrisque porro convenit antiquitas, quod semper; universitas, quod ubique; consensio, quod ab omnibus: sed utraque tandem, tam theoretica quam practica, ad Christi Domini voluntatem ac institutionem revocantur. *Vis testimonii.*

337. Quibus continetur germanus eorum commentarius, quae in fidei confessione [4]) expressit Michael Palaeologus: „Ipsa quoque sancta romana ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam ecclesiam catholicam obtinet: quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe sive vertice, cuius romanus pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse *Michael. Palaeol.*

---

[1]) Conc. Florent. decret. union. graec.

[2]) Art. cler. gallic. reiect. ab Innocent. XI.

[3]) Quum nominari nec omnes nec multi hic et nunc debeant vel possint, citra aliorum praeclarissimorum virorum praeiudicium, hi tres sese offerunt nominati in re dogmatica auctores, qui rem praeclare habent, scilicet Joannes Perrone S. J. praelectt. theol. De Romano Pontifice, Joannes Schwetz in sua theolog. fundament. par. III. c. 4. §. 45. „Auctoritas rom. pont. in definitt. dogm.„ et F. X. Reinerding in sua theol. fundam. tr. II. De rom. pontif. et tres itidem sint viri cll. in re iuridica, videlicet, G. Phillips t. II. c. 9. §§. 88. sqq. F. Walter l. I. c. 1. p. 30. et qui nunc est praesul ecclesiae Magni Varad. gr. unit. Papp-Szilagyi de Illyesfalva enchir. iur. eccl. or. cath. ubi de primat. rom. pont.

[4]) Proposita a Clemente IV. an. 1267. a Michaele oblata Gregorio X. in concilio lugdunensi II. an. 1274. ap. Denzing. l. c. nn. 383. sqq.

veraciter et humiliter recognoscit. Et sicut prae ceteris tenetur fidei veritatem defendere: sic et si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri." Quae nihil quoad claritatem verbornm, universalitatem consensus, modi solemnitatem desiderandum relinquunt.

Valor testium. 338. Si vero consideraveris testes, nihil illis deest, quod ad testimonii valorem ac pretium possit ulterius exigi: spectata namque aetatc, ad apostolica usque tempora adsurgunt; spectata continuatione, non interpellata serie semet excipiunt; spectata amplitudine ad utramque ecclesiae plagam tam orientalem quam occidentalem pertinent; spectato charactere, quem scientificum vocant, illustrissimi quique ex Maioribus habentur; spectato autem charactere morali, sanctimonia pietateque plerique omnes excellunt; spectata denique auctoritate, eorum fere omnes pastores fuerunt et doctores ecclesiae, iique non seorsum modo ac divisim, verum etiam in synodis conciliisque collecti et una suffragium tulerunt. De valore ergo pretioque editi testimonii nullus iure meritoque vel minimum dubium movebit.

Res testimonii. 339. At quonam pertinet testimonium, quidque illo continetur? Haec tria evidenter allatis Maiorum documentis comprehenduntur:

I. in causa fidei atque salutis neque singuli cuiusvis, neque omnium simul pastorum sententias vel decreta [1]) fixam ratamque in ecclesia Dei auctoritatem habere absque supremo episcopi romani suffragio atque iudicio:

II. per ipsum et cum ipso in eadem causa singulorum omniumque vota inviolabilem sortiri potestatem ac vim; ab ipso pendere solo, decernere, dirimere, declarare, definire αὐθεντικῶς fidem universalem ac necessariam. Ita diserte [2]) Joannes Puteanus de habitu concilii universalis ad summi pontificis inerrantiam: „Infallibilis ista assistentia Spiritus sancti non est aliunde repetenda, quam a promissione divo Petro facta. Unde propter connexionem, quam supponimus dari inter episcopos et Pontificem Maximum in con-

J. Putean.

Infallibilis pontifex et concilium.

Georg. trapez. [1]) De quibus praeter allata paulo prius, digna sunt quae superius e Georgio trapez. deprompsimus ap. Leon. Allat. l. c. pp. 506. sqq. ubi romanam ecclesiam confert tactui, sine quo sensus nullus alius esse potest, imo nec animal: „ita fieri nequit, ut ecclesia sit absque romana ecclesia . . . et christianus recte sentire potest dummodo soli romanae adhaereat." Sed id verbis sententiisque disertis declarat Possessor episc. afric. in litteris Constantinopoli ad Hormisdam datis de libris Fausti reiensis int. opp. Aug. t. X. append. pp. 149. sqq. l. c. s.

Possessor.

[2]) L. s. c.

cilio generali, statuendum est, episcopos illic congregatos nullo modo errare posse in rebus de fide decidendis. Si tamen fuerint congregati totius orbis episcopi, absentibus Pontifice Maximo et eius legatis, episcopi subiiciuntur erroribus.„ Hinc

III. citra et contra singulorum suffragia, immo praeter ac supra omnium vota pontificis solius declarationi atque sententiae validam vim ac irreformabilem adseri potestatem. Contra singulorum, non contra omnium, inquam, suffragia; non quasi in ipso veluti summo in capite plenitudo postestatis [1]) non esset, sed quod nunquam fiet, ut contra ipsum sint [2]) reliqui cum gregibus pastores omnes; quum vero superiori, hoc est, tota potestatis plenitudine ipse solus excellat, nullum dubium, quod et sine aliis adeoque praeter ac citra prolata aliorum iudicia statuere atque decernere [3]) pro sententia indeclinabili possit. Praeclare augu-

---

Functio officii legalis.

[1]) Immo teste Georgio trapezuntio ibid. p. 571. *Ὁ δὲ πάπας κατὰ πάντων ἁπλῶς ὡς πρῶτος* „Papa potest absolute contra omnes ut primus.„ Quibus p. 572. subdit: *Δύνασθαι ἢ μὴ δύνασθαι ἕτερον καθ᾽ ἑτέρου οὐ τυραννικῶς νοοῦμεν, οὐδὲ τῷ ἰδίῳ ἑπομένους θελήματι καθυβρίζειν τοὺς συναρχιερεύοντας δεῖν νομίζομεν, ἀλλ᾽ ὡς κριτὰς κατ᾽ ἔθη καὶ κανόνας καὶ νόμους:* „Porro facultatem habere aut non habere unum contra alium, non intelligimus tyrannice, neque fas est, sibimetipsis ex libidine morem gerentes eos qui simul cum illis ecclesiae praesunt, iniuria afficere, sed veluti iudices secundum consuetudines et canones et leges iura dicere.„ Atque eo continetur apprime infallibilitatis praestantia, quod summus pontifex in negotio universalis salutis a normis regulisque necessariae veritatis nunquam deflectat. Quae si rite perpendisset Georgius, ineptam difficultatem praeposteramque hypothesim de Papa haeretico adeoque expellendo peremptorio praeiudicio exclusam habuisset.

Exceptio excluditur.

Episcopi semper cum pontifice.

[2]) Uti enim corpus sine capite exstinctum foret ac mortuum, ita relictum absque corpore caput inane foret ac nullum; quare qui ecclesiae suae se semper adfuturum promisit, is providebit ex aequo tam inconcussae fundamenti stabilitati, quam ne columnae superstructae collabantur omnes, totaque catholica domus corruat; sed idem efficiet, ut fundamento posito suae semper columnae firmiter insistant, per quas ab eodem fundamento universa domus sustineatur, ac iugiter contineatur. Cf. Alph. Muzzarel. l. s. c.

Georg. trapez.

[3]) Quo haec iterum Georgii trapezuntii l. c. p. 562. spectant: *Ἐδόθησαν δὲ αἱ κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν μόνῳ ἀμέσως τῷ Πέτρῳ καὶ τῷ πάπᾳ, ἄρα κατὰ διαδοχήν. Ὅσοι οὖν τῶν ἀρχιερέων διέσχινται ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας τῆς Ῥώμης μὴ μνημονεύοντες τοῦ ἄκρου ἀρχιερέως, ὡς δεῖ, οὐκ ἔχουσι τὰς κλεῖς διὰ τοῦτο καὶ αὐτοὶ καὶ οἱ ἀκολουθοῦντες αὐτοῖς κράξουσι μὲν, Κύριε, Κύριε ἄνοιξον. ἀκούσονται δὲ, φεῦ τῆς ζημίας, οὐκ οἶδα ὑμᾶς:* „Concreditae sunt regni coelorum claves soli Petro immediate, igitur et Papae secundum successionem; adeo ut quicunque praesules ab ecclesia romana dividuntur, non commemorantes, ut addecet, summi pontificis, non habent claves. Ideoque et ipsi et eorum sectatores clamabunt, Domine, Domine, aperi; sed audient, heu damna! Non novi vos.„

Divisi absque clavibus.

Leon. Coquaeus. stinianus in parisiensi universitate doctor [1]) Leonardus Coquaeus: „Quomodo igitur (haeretici) aegre ferunt, nos romanum pontificem conciliis superiorem asserere? Et romano pontifici et conciliis oecumenicis in Spiritu sancto legitime congregatis tantum deferimus, ut nec illum nec ista in definiendis, quae ad fidem et mores pertinent, ac regimen ecclesiae spectant, errare posse asseramus: nec quidquam toti ecclesiae proponere credendum, quod sit erroneum; ut haereticus aut temerarius ille sit nobis, qui vel romani pontificis vel oecumenicorum conciliorum statutis ac definitionibus refragari audeat?„

340. Haec est saniorum e recentioribus theologorum, haec scholae doctorum, haec antiquiorum serie continua Maiorum, sententia, tradita explorataque doctrina, et hoc de romana sede eiusque potestate unanime proindeque validum testimonium. Nihil pro-
Sfort. Pallavicin. pterea mirum, quod narratur [2]) a Sfortia Pallavicinio, Galliae oratori Fererio, qui „quasi pro certissimo posuit, concilium
Pontifex prae concilio. supra Romanum Pontificem esse: Religionem et Ecclesiam Gallicanam non modo id sentire, sed profiteri et iure iurando affirmare tamquam articulum necessarium, idque iure optimo ex Constantiensis Concilii auctoritate„ a primo Pontificis legato efficacissime fuisse [3]) responsum: „Numquam se destituros in forma canonum ac doctrinae ea ponere, quae supremam Pontificis auctoritatem declararent. Si Oratores studebant suam opinionem tueri, Praesides studere veritatem propugnare, hoc est, Pontificem superiorem esse Concilio. Ne inducerent animum, ut oppositam sententiam agitandam proponerent, neque ut a Concilio illius definitionem

---

Luc. XXII. [1]) In antimornaeo t. I. p. 83. coll. A. Reding. op. de oecumen. cathed. apost. authorit. a. IV. disquisit. 5. n. 23. p. 758. Hinc ibidem t. II. p. 237. idem Leonardus: „Cum sedeat in cathedra Petri, pro quo Dominus rogavit, ut non deficeret fides eius, et ut confirmaret fratres suos, non sinet eum ex illa cathedra aliquem errorem loco fidei salutiferae obtrudere fidelibus credendum.„

[2]) Hist. Conc. Trid. l. XIX. cc. 14. nn. 4. 5. coll. l. XXIV. c. 10. nn. 1. 2. ubi ab ipso Suavi cum titulo „episcopus ecclesiae universalis„ conceditur „a Tridentino Concilio praerogativam Romanorum Pontificum supra Concilia declaratam fuisse.„

Seripandus. [3]) Ibidem „Seripandus ad Fererium conversus dixit: Allatum ab illo fundamentum Synodi Constantiensis haud solidum esse: id temporis certum Romanum Pontificem non exstitisse: atque hinc ad schisma sedandum opus fuisse, ut declaratio ad synodum pertineret.„ Profecto aliud est, determinare auctoritatis
Synod. constantiens. subiectum, et aliud est, sive auctoritatem conferre ipsam sive eadem vel etiam superiore auctoritate pollere et excellere. Cf. de his lib. sup. c. III. n. V. pp. 111. sq.

exposcerent: etenim Legatos tam certos in eo persistere, ut vitam potius omitterent, quam id in dubitationem adduci permitterent.„ *Legatorum firmitas romanorum contra gallicos.*

341. Iamvero interrogo

I. utrum tanta ac talis potestas a viro christiano, qui sapiens cordatusque sit, infallibilitatis praesidio destituta cogitari possit vel potuerit? Quis enimvero haec duo apte invicem componere valeret, hinc scilicet quaecunque generatim ab ecclesiae infallibili iudicio repetuntur, eadem etiam soli romani pontificis auctoritati tribuere ac vindicare, et inde eidem huiusce auctoritatis infallibile iudicium negare ac detrectare? Quid enimvero est, quod fideles iudicio ecclesiae authentico ratum fixumque volunt ac flagitant, quodque a vetustissimis, vetustis, sequioribusque ecclesiae doctoribus unius romani episcopi sententiae adsertum non fuit? Dubio ergo procul, romano eidem episcopo tributum ab illis praesidium ad rem par dotemque necessariam [1]) fuisse, inficiari nullus valebit. Atqui tale praesidium et eiusmodi dos non est nisi infallibilitatis charisma. Sed *Ex harmonia doctrinae.*

II. quaero iterum, quid est, quod christiani nominis persuasione tribuitur authentico ecclesiae iudicio, quodque eidem romani pontificis sententiae Maiores non adseruerint? Tribuitur enimvero illi [2]) constantia ac inmutabilitas; atqui hanc eidem Veteres tributam voluere: adseritur illi firmitas fundamenti [3]), cui innitatur; atqui huius vim ab ipsa solida petra proficisci iidem Maiores dixerunt: vindicatur illi necessitas, qua obstringantur

---

[1]) Est rursum trapezuntius qui ita l. c. p. 563. disserit: *Ἀλλ' ἵλεως εἴη θεὸς, ἀδύνατον γὰρ εἶναι πιστεύειν χρὴ αἱρέσει περιπεσεῖν τὴν τῆς Ῥώμης ἐκκλησίαν πρώτην οὖσαν, ᾗ τὸ μίαν εἶναι ἡ καθολικὴ ἔχει. Εἰ γὰρ καὶ αὕτη νοσήσει τὰ τῶν αἱρετικῶν, εἰς ποίαν μίαν τε καὶ ἁγίαν πιστεύσομεν οἱ χριστιανοί; Ἔδει δὲ πάντως μίαν ἡμῖν δοθῆναι θεόθεν ἐκκλησίαν ἀσφαλῆ, βεβαίαν, μὴ δυναμένην πλαθῆναι ἐν τοῖς τῆς εὐσεβείας δόγμασιν, ἵν' ἔχωμεν διωκόμενοι παρὰ τῶν αἱρετικῶν ἢ καὶ αὐτοῦ ἀμφισβητοῦντες ποῖ καταφύγωμεν· αὕτη δέ ἐστιν ἡ τῆς Ῥώμης:* „Sed propitius sit Deus: credendum enim est, fieri non posse, ut romana ecclesia, quae prima est, et per quam universalis, ut una sit, habet, in haeresim labatur. Etenim si et ipsa cum haereticis aberraverit, in quamnam unam et sanctam nos christiani credemus? Necesse enim omnino erat, nobis tradi divinitus ecclesiam firmam, minime lubricam, et quae in pietatis dogmatibus falli non posset, ut haberemus ab haereticis vexati, sive etiam nos ipsi addubitantes, quo possemus confugere. Haec vero est romana.„ Idque illico ex Salvatoris oraculo apud Matthaeum confirmare adgreditur. *Trapezuntius.* *A romana, est ecclesia una sancta.*

[2]) Vide sis commentar. de eccles. Christ. vol. II. l. III. c. 11. pp. 150. sq.

[3]) Ibid. pp. 149.

omnes ad suum praestandum adsensum, nisi anathemate perculsi [1]) velint a Christi corpore abscindi; atqui eadem haec est necessitas, qua Patres quemvis fidelem teneri contenderunt, ut audiat atque sequatur sedis romanae sententiam.

Maximus M.

342. Ad hanc rei quam probatam dedimus summam confirmandam, nihil illustrius, quam quod in causa Pyrrhi [2]) disputat Maximus confessor scribens: „Omnis qui eos, qui Pyrrhum reprobaverunt, anathematizat, sedem romanam, id [3]) est, catholicam ecclesiam anathematizat. Omitto enim dicere, quia utique et seipsum, qui talis est, si dumtaxat sedi romanae communicat, catholicaeque ecclesiae.„ Hinc nolit Pyrrhum vocari sive sanctissimum sive almificum: „Neque enim, pergit, tale quid sacra regula eum vocari permittit. A cuncta enim cecidit sanctitate, qui nimirum ab ecclesia catholica (id est romana) sponte prosiliit. Non enim fas est, illum ex quacunque laude cognominari, qui iam olim damnatus est et abiectus ab apostolica sede romanae urbis, ob externae sensum opinionis, donec ab ea recipiatur conversus ad ipsam; immo ad Dominum Deum nostrum per piam confessionem et orthodoxam fidem, qua sanctificationem recipiat sanctumque vocabulum. Itaque si vult haereticus non esse neque audire, non isti aut illi satisfaciat; superfluum quippe hoc et irrationabile est; quia sicut uno contra eum scandalizato omnes scandalizati sunt: ita quoque uno satisfacto, omnes procul dubio satisfiunt. Festinet pro omnibus sedi romanae satisfacere.„ Perinde ergo est

A romana alienus ecclesia non est sanctus.

1. extorrem fieri ab ecclesia catholica ac praecidi ab ecclesia romana: ac vicissim

2. perinde est coniungi cum ecclesia catholica ac communionem inire cum ecclesia romana: immo

3. perinde est ad Deum per orthodoxam fidei professionem converti ac romanae ecclesiae normam amplecti: ita quidem, ut

4. ob romanae solius ecclesiae sententiam vel receptam vel reiectam aut stes et velut orthodoxus proberis apud omnes, aut cadas et tanquam haereticus ab omnibus reiiciaris.

---

[1]) Ibid. p. 151.

[2]) Diffloratio ex epistola s. Maxim. ad Petrum Illust. ubi Pyrrhi et s. Sophron. Jerosolymit. atque pap. Honor. mention. facit opp. t. II. ed Combefis. p. 76. de quibus cf. quae disseruimus l. I. c. 4. n. IV.

[3]) Haec adde Veterum suffragiis de aequipollentia romanae atque catholicae ecclesiae allatis l. I. c. I.

Frustra igitur reliqua omnia sunt, concludit Maximus, nisi sanctissimae Romanorum ecclesiae beatissimum papam Pyrrhus audierit. Sed unde singularis haec et priva plane auctoritas? Dicit sanctus martyr: eam esse „Sedem apostolicam, quae ab ipso incarnato Dei Verbo [1]) sed et omnibus sanctis synodis, secundum sacros canones et terminos universarum, quae in toto terrarum orbe sunt, sanctarum Dei ecclesiarum in omnibus et per omnia percepit et habet imperium, auctoritatem et potestatem ligandi et solvendi. Cum hoc enim ligat et solvit etiam in coelo Verbum, quod coelestibus virtutibus principatur.„ Est ergo Maximo doctore sententia iudiciumque romani pontificis non irrefragabile minus ac necessarium, atque Christo ipso auctore ita eiusmodi est, ut alterius nullius sit vel esse possit.

Synodorum omnium sententia.

Matth. XVI.

343. Sed expedit, huic testi orientali testimonium adiicere occidentale illudque pluribus nominibus cumulatum et plenum; est enimvero id parisiensis universitatis [2]) totius, quae solemnem hanc per magistrum Petrum de Alliaco professionem coram pontifice edidit: „Igitur pro vestris humilibus filiis universitatis praedictae et pro nobis eorum nunciis, qui suis in hac parte obsequimur mandatis, et documentis innitimur, corde et ore unanimiter protestamur, quod quidquid hactenus in hac causa per eos actum est, et quidquid in ea nunc vel alias pro eis acturi

Paris. facultas.

---

[1]) Scripturarum utitur testimonio; sunt porro sacrae quidem litterae obiectiva, ut aiunt, ac remota fidei regula, non vero subiectiva ac proxima; continent infallibilem Dei normam, sed quis eam inde infallibiliter depromit depromptamque αὐθεντικῶς omnibus proponit? Eo pertinet infallibile ecclesiae magisterium, cuius plena ac solemnissima vox in synodis atque conciliis resonat: unde dogmaticis eorum decretis, ex divina Scriptura Traditionisque regula expressis, credenda omnibus fidelibus proponitur explicata fidei professionisque norma. Atque huc spectat vis sequentis incisi „sed et omnibus synodis„ quo profecto nulla significatur αὔξησις comparate ad incisum praecedens, quum fundatoris incarnati Verbi auctoritate maior ac superior nulla sit; verum summa significatur auctoritas fundationem a Verbo incarnato factam declarans omnibusque credentibus infallibiliter proponens.

Habitus inter infallibile magisterium et s. Scripturam.

[2]) Cf. hist. univers. ad an. 1387. coll. author. de libert. eccles. gallic. praes. c. 9. et A. Reding. de oecum. cathed. apost. authorit. art. IV. disq. 5. §. 2. de infallib. sum. pontif. n. 14. p. 756. ubi additur: „Adeo erat veneranda illi universitati sententia de infallibili iudicio Papae, ut ante hunc annum nullus eius facultatis doctor ab ea recesserit, et postea, licet occasione schismatis aut aliorum dissidiorum ab ea nonnulli declinaverint, nunquam tamen ab ipsis universitatis incunabulis usque ad postremas contentiones defuerint doctores, qui eam sequerentur.„ Qui ergo infallibile sedis apostolicae iudicium defendunt, ii nihil tuentur aliud, quam quod unanimi, universali, constantique Patrum, Doctorum, sequentiumque theologorum scholae suffragio traditum vindicatumque novimus.

Sententia catholica.

aut dicturi sumus, totum correctioni et iudicio sedis apostolicae, et sedentis in ea summi pontificis humiliter submittimus, dicentes

Hieronymus. cum beato Hieronymo [1]): Haec est fides, Pater beatissime, quam in catholica ecclesia didicimus, in qua si minus perite, aut minus caute forte aliquid positum est, emendari petimus a te, qui Petri fidem et sedem tenes. Non ignoramus enim, sed firmissime tenemus, et nullatenus dubitamus, quod sancta sedes apostolica est illa cathedra Petri, super quam eodem Hieronymo teste, fundata est ecclesia; ut habetur eadem [2]) quaestione. Et sicut dicit [3]) Cyprianus: De qua sede in persona Petri Apostoli in ea sedentis dictum est: Petre, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: Haec

Luc. XXII. est igitur, ad quam determinatio fidei et approbatio veritatis catholicae, ac haereticae impietatis detestatio maxime pertinet.„

A. Duval. Unde iure conclusit [4]) Andreas Duvallius parisiensis: „Velint nolint adversarii, liquido constat, veteres ecclesiae gallicanae proceres hanc in summis pontificibus Petri successoribus infallibilitatem semper agnovisse, Christique Domini orationem in Petro non stetisse, sed ad eius successores certissime transiisse, eosque qui hanc veritatem impugnare conati sunt, a ducentis aut circiter annis, quibus in ecclesiam horrenda schismata irruerunt, coepisse.„

344. Quibus quid tandem ad plenam perfectamque demonstrationem desit, equidem non video, nisi forte diserta postulentur testimonia, quibus conceptis edicatur verbis, romanae ecclesiae episcopo itidemque supremo totius ecclesiae doctori ac magistro illud collatum charisma fuisse, quod inerrantiae sive infallibilitatis adpellant. Sed neque eiusmodi desiderantur.

IX. Infallibilitatis charisma romano tributum pontifici.

345. Quemadmodum enim tale charisma tributum divinitus ecclesiae esse, inde communi calculo probatur, quod cum ea docente ac praedicante Christus esse dicitur, Spiritus sanctus decernenti eidem adesse et adsistere, idem illam in omnem veritatem ducere ean-

---

[1]) 24. quaest. 1.

[2]) In cap. Quoniam vetus.

[3]) 93. dist. Qui cathedram.

Adprobatio edendi operis. [4]) De suprem. rom. pontif. in eccles. potestat. quod opus adprobantes duo facultatis theologicae paris. doctores ita: „Iuris ut fiat publici, inquiunt, operae pretium duximus, ad ss. D. N. P. authoritatem tuendam, nec non ad summam cum eodem capite suo visibili Romano Pontifice unionem arctissime retinendam, cui aliter schismaticorum mala mens malusque animus male et seditiose consultum vellet. 10. Kal. Febr. an. sal. 1614.„

demque regere, ut sancta Christi sponsa, sine macula servetur et ruga, Deique ecclesia vere sit columna ac firmamentum veritatis; ita gemina plane et eadem de prima ecclesiae cathedra docente, de romanae inquam ecclesiae episcopo, praedicantur, vix rarius repetuntur, neque minus raro inculcatur et repetitur rei gravitas ac necessitas; atque haec omnia tam ab orientalibus quam occidentalibus, antiquis aeque ac sequioribus. *Adsistens inerrantiae Spiritus.*

346. Sane illorum testis est magnus Basilius [1]), qui patriarchae occidentalis, romani inquam pontificis, inplorans auxilium: „Quid igitur, inquit, facto opus sit, ut rebus nostris subveniatis, et quomodo commiserationem ostendatis erga divexatos, nullo modo a nobis necesse erit vos discere: sed sanctus ipse Spiritus vobis suggeret.„ Quod ne levius laxiusque dictum putetur, sed plena verborum proprietate accipiatur, exigit *Basilius.*

1. gravitas scriptoris,
2. gravitas scripti,
3. gravitas causae et
4. gravitas obtinendi finis, cuiusmodi erat „fides nicaena restituenda, haeresis proscribenda, ecclesiis reddenda pax atque concordia.„ Retenta porro verborum proprietate effertur diserte praesidium, causa illius efficiens, Spiritus sanctus, qui tanquam veritatis Spiritus ecclesiae Dei in suo visibili capite adest. Idem testatur Theodoretus [2]) invocans pariter romani pontificis auxilium: *Theodoretus.* „Nos vero, ait, spiritualem sapientiam tuam admirati, Spiritus sancti gratiam, quae per vos loquuta est, laudibus extulimus, rogamusque et obsecramus, et precamur et supplices oramus sanctitatem tuam, ut tempestate iactatis Dei ecclesiis spem ferat.„ Quae non minus diserta ac priora sunt; significant tamen formalem potius causam, quae ea Spiritus sancti gratia ipsaque eiusdem Spiritus cum gratiae subiecto coniunctione consistit, unde homo spiritualis evadit, spiritualemque sapientiam praefert.

---

[1]) Ad italos et gallos ep. XCII. l. s. c. p. 482. *Τί οὖν ποιήσαντες ἀντιλήψεσθε τῶν πραγμάτων, καὶ πῶς τὸ πρὸς τοὺς θλιβομένους συμπαθὲς ἐπιδείξεσθε* (al. *ἐπιδείξησθε*) *οὐ παρ᾽ ἡμῶν πάντως δεήσει μαθεῖν* (al. *μανθάνειν*) *ὑμᾶς· ἀλλ᾽ αὐτὸ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ὑμῖν ὑποθήσεται.* Haec porro ad romanum nominatim pontificem pertinere, tum ex harmonia tum ex concentu Patrum, tum ex iis constat, quae superius adnotavimus.

[2]) Ad Leon. ep. rom. ep. CXIII. l. s. c. p. 1316. *Ἡμεῖς δὲ τὴν πνευματικήν σου σοφίαν θαυμάσαντες, τὴν δι᾽ ὑμῶν φθεγξαμένην τοῦ ἁγίου πνεύματος ἀνυμνήσαμεν χάριν· καὶ παρακαλοῦμεν, καὶ ἀντιβολοῦμεν, καὶ δεόμεθα καὶ ἱκετεύομέν σου τὴν ἁγιωσύνην, ἐπαμῦναι ταῖς τοῦ θεοῦ ἐκκλησίαις χειμαζομέναις.*

Theodor. studit. 347. Sed idem praesidium vindicat cum pluribus aliis viris religiosis Theodorus studita [1]) non uni vel alteri e sanctis romanae sedis episcopis, verum generatim toti eorum successioni, dum et ipse contra antichristum Christi vicarii opem inplorans: „Terreto, supplicamus, inquit, haereticas feras calamo divini verbi tui . . . Hoc fuerit Deo acceptum, angelis et sanctis gaudium, concussis firmamentum, fundatis stabilimen, lapsis resurrectio, omni orthodoxorum ecclesiae exsultatio, et tuae certe celsitudini secundum eos, qui antiquitus praecesserunt, aeternum monimentum. Qui similibus temporibus cum fecerint ea, quae a nobis peccatoribus nunc petuntur, Spiritu sancto afflati, et commemorantur et beati habiti sunt.„ Quibus non minus causae efficientis operatio operationisque modus, „Spiritu sancto afflati„, describitur, quam formalis effectus operationis a Spiritu sancto profectae, cuius nimirum vi verbum sive dictum sive scriptum non est simpliciter humanum, sed fit deificum [2]) et est vere humano-divinum. Id quod neque minus diserte neque minus splendide iidem viri orientales repetunt [3]) scribentes „ad positum a Christo Deo nostro in occidente pontificem (beatitudinem tuam) tamquam facem quandam divinitus lucentem ad ecclesiae quae sub coelo est illuminationem, in apostolica prima sede„: scilicet significant tum principem romanae praerogativae auctorem eumque ipsum Christum Deum nostrum; tum illius effectum, qui est fax divinitus lucens: tum eiusdem finem et fructum, qui totius orbis illuminatione continetur: et ne ipsa conceptis verbis formula desit, epistolam his absolvunt: „Deinde ut quae Spiritus sancti instinctu pro humilitatis nostrae utilitate

---

[1]) Ad Paschalem pap. epp. l. II. ep. 12. l. s. c. p. 1153. *Πτόησον, δεόμεθα τοὺς αἱρετικοὺς θῆρας σύριγγι τοῦ θείου λόγου σου . . . Τοῦτο εἴη θεῷ εὐπρόσιτον· ἀγγέλοις καὶ ἁγίοις χαρμόσυνον· σαλευομένοις στήριγμα· ἑδραιουμένοις ἐπισφράγισμα· καταπεπτωκόσιν ἀνάστημα· πάσῃ ἐκκλησίᾳ ὀρθοδόξων ἀγαλλίαμα· καί γε τῇ σῇ κορυφαιότητι κατὰ τοὺς πάλαι προηγησαμένους μνημόσυνον αἰώνιον. Οἳ ἐν τοῖς ὁμοίοις καιροῖς τὰ παρ᾽ ἡμῶν τῶν ἁμαρτωλῶν νῦν αἰτούμενα δεδρακότες πνευματοκινήτως· καὶ μνημονεύονται, καὶ μεμακάρινται.*

Maxim. M. [2]) Eodem sensu b. Maximus l. c. p. 76. „Beatissimi papae romani praeceptionem„ vocat „divinam.„

[3]) Ad eundem ep. 13. ibidem pp. 1154. 1156. *Χριστὸς ὁ θεὸς ἡμῶν τὴν σὴν ἐν τῇ δύσει μακαριότητα, ὥσπερ τίνα λυχνίαν θεαυγῆ εἰς περίλαμψιν τῆς ὑπ᾽ οὐρανὸν ἐκκλησίας, ἐπὶ τὸν ἀποστολικὸν πρώτιστον θρόνον θέμενος . . . . Ἔπειτα ἃ πνευματοκινήτως αὐτῇ βεβούλευται καὶ ὥρισται ἐπ᾽ ὠφελείᾳ μὲν ἡμῶν τῶν ταπεινῶν, αἰωνίῳ δὲ μακαρισμῷ τῆς οἰκείας ἀρετῆς, εἰς πέρας σὺν θεῷ ἀγαγεῖν.*

ac perpetua virtutis suae laude deliberavit et statuit, ad exitum Deo adiuvante perducat.„ Illis ergo tradentibus a romano episcopo iudicium atque sententia in negotiis fidei non profertur praeter ac citra sancti Spiritus *κίνησιν*, motionem, quae est quaedam in hominis spiritum decernentis operatio, tam in intellectum quam in voluntatem, tam praepediens et excludens errorem quam illuminans ac ostendens veritatem.

348. Hinc Georgius trapezuntius [1]) ubi „ex magnis sedibus ac patriarchicis extra romanam plane nullam„ esse ostendit „quae aliquando haeresi dehonestata non fuit„ illico subdit: „Ideo vero numquam illam perpessam fuisse, humanum equidem non est, sed divinum.„ Et si quaeras, quo divinum hoc contineatur? respondet: „Virtus enim illius, qui dixerat, Et portae inferi non praevalebunt adversus eam, conservavit et conservabit ipsam praeterea maculae et labis expertem, inculpatam, intaminatam, ab omni haeresi disiunctissimam, rectamque veritatis interpretem. Ob haec omnia, qui ab ea seiungitur, extra ecclesiam catholicam degit.„ En expressam habes romanae inerrantiae causam, Virtutem [2]) Christi, quae erat, est et erit apud supremum illius ecclesiae doctorem: habes effectum illius supra humanum ac plane divinum, eumque tum negantem aberrationis tum affirmantem rectitudinis apud eandem ecclesiam romanam: et habes perversitatis rebellantis sequelam, quae est separatio non ab homine aliquo atque humanis, sed separatio est a Deo ipso atque divinis, a catholica nimirum Christi Dei ecclesia.

Georg. trapez.

Luc. XXII.

A romana seiunctus, est extra ecclesiam.

---

[1]) Ad Cretens. de una, sancta, catholica ecclesia ap. Allat. l. s. c. p. 564. *Σκεπτέον δὲ τίς ποτε τῶν μεγάλων θρόνων καὶ πατριαρχικῶν οὐ κατηκολούθησέ ποτε αἱρέσει. Πάντως οὐδεὶς πλὴν τοῦ Ῥώμης. Τὸ δὲ μηδέποτε τοῦτο παθεῖν, οὐκ ἔστιν ἀνθρώπινον, ἀλλὰ θεῖον· ἡ γὰρ δύναμις τοῦ εἰπόντος, καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς, ἐφύλαξε καὶ φυλάξειεν αὐτὴν ἄσπιλον, ἄμωμον, ἀμίαντον αἱρέσει, ὀρθοτομοῦσαν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας. Διὰ ταῦτα ὁ μὴ ἀκολουθῶν αὐτῇ ἔξω ἐστὶ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας.*

[2]) Hanc phrasim, *δύναμιν εἰπόντος κ. τ. λ.* contulisse iuverit cum verbis angeli Luc. I. 35. *δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι* „Virtus Altissimi obumbrabit tibi„ cuius sanctificatricis virtutis licet alia communicatio, alia operatio, aliudque opus, cum ea tamen iustissime *κατ' ἀναλογίαν* confertur illa, quae pariter sponsae Christi visibili in suo capite adest, apud eam operatur, opusque sanctum et divinum efficit. Diversitatem porro illam inter utramque divinae virtutis participationem, operandi operisque rationem ac vim confundens ineptus apud trapezuntium romanae praerogativae adversarius opponit eidem Georgio ibidem immodice papam extolli ac in deorum numero collocari: videlicet aliud est in divino charismatum ordine et aliud in ordine Dei ipsius constitui. Vide disputata in op. de triplici ordine.

Luc. I. 35.

Virtus sanctificatrix.

Divinus ordo et ordo Dei.

349. Quae si praeclarissima orientalium testificatio est, non minus praeclara ea sunt, quae occidentales doctores tradidere.

Leo. Et inprimis tradit magnus Leo, qui in sua ad Theodoretum [1]) responsione adiutorio Domini tribuit, tum quod ipse primum veritatem definiret, tum quod fratres suae consentirent [2]) definitioni, qua, inquit, omnium consensione ostenditur „vere a se (a Domino) prodiisse, quod prius a prima omnium sede formatum.„ Unde concludit „Deum ipsum per se, ministrum eius, vicisse.„ Et di-

Synodus ad Papam. sertius Leo in litteris [3]) ad Anastasium fratrem: „Si qua vero causa maior evenerit, quae a tua fraternitate illic (nempe in synodo) praesidente non potuerit definiri, relatio tua missa nos consulat, ut revelante (id est praesente et adsistente) Domino, cuius misericordia profitemur esse, quod possumus, quod ipse nobis aspiraverit, rescribamus, ut cognitioni nostrae, pro traditione veteris instituti et debita apostolicae sedi reverentia nostro examine vindicemus.„ Causas ergo graves, in quibus etiam a synodis ad romanum pontificem inde ab antiquis adpellatum esse Leo adfirmat, per romanum pontificem non citra Dei praesidium decidi clare Leo fatetur.

Prosper. 350. Tradit idem Prosper aquitanus [4]) interrogans: „Erravit sacrosancta beati Petri sedes [5]) quae ad universum orbem papae

---

[1]) Ap. Theodoret. l. c. ep. CXIII. bis p. 1319. inter epp. Leon. ep. 120. opp. Leon. t. I. p. 1218. ap. Mign. lat. PP. t. 54. p. 1046. coll. Gelas. pap. ad

Siricius. epp. Dardan. ep. XIII. ap. Mign. lat. PP. t. 59. p. 59. Siricii ad Himer. tarrac. ap. Harduin. t. I. p. 847. „Beatus Apostolus Petrus, qui nos in omnibus, ut confidimus, administrationis suae protegit et tuetur heredes.„

Spiritus adsistentis habitus ad pontificem et ad concilium. [2]) Ea enim duo aperte a Leone significantur: quo quidem perspicue habitus innuitur ac veluti oeconomia Spiritus sancti adsistentis universo pastorum choro ita tamen, ut eorum principis obnoxiorumque „capitis et membrorum„ sua

Ballerinii. servetur ratio. De quibus cf. Ballerin. de vi ac ratione primatus cc. XIII. §. 15. XIV. §. 5. „Ipsos (episcopos) facta collatione fidei, quam s. Leo suis in litteris definierat, cum traditione suarum ecclesiarum, hanc idcirco cognovisse certam et catholicam fidem, quia cum romana fide concordabat; non vero e contra colle-

Contra Bossuet. gisse, Leonis definitionem esse veram, quia cum suarum ecclesiarum traditione convenire inventa est: et multo minus iudicasse hanc consensionem illam esse, quae iudiciis pontificiis firmum et ineluctabile robur conciliet, uti Bossuetus ex sui systematis praeoccupatione intulit l. IX. al. XIV. c. 1. p. 114.

[3]) Ap. Harduin. conc. coll. t. II. p. 1136.

[4]) Lib. con. collat. c. V. n. 15. ap. Aug. opp. t. X. append. p. 176.

Sedes Petri quid sit? [5]) Hac „sedis beati Petri„ phrasi, ut supra ostendimus, supremum ipsum Petro collatum magisterium denotatur, quo singuli Petri successores, puta Zosimus et Pius IX. funguntur.

Zosimi sic ore loquitur: Nos tamen instinctu Dei (omnia enim bona ad auctorem suum referenda sunt, unde nascuntur) ad fratrum et coepiscoporum nostrorum conscientiam omnia retulimus? Erraverunt afri episcopi ad eundem papam Zosimum rescribentes, eumque in sententiae suae huius salubritate laudantes cum aiunt: Illud vero, quod in litteris tuis, quas ad universas provincias curasti esse mittendas, posuisti dicens, Nos tamen instinctu Dei . . . sic accepimus dictum, ut illos qui contra Dei adiutorium extollunt humani arbitrii libertatem districto gladio veritatis velut cursim [1]) transiens amputares . . . instinctu Dei factum esse fideliter sapienterque vidisti, veraciter fidenterque dixisti.„ Quo uno testimonio complexa [2]) habetur sententia Galliae, Italiae, Africae, immo et orientis de sancti Spiritus numine, quo in gravibus fidei causis romanae sedis antistes temperatur ac regitur. Unde Prosper [3]) inter varias ab hostibus Augustini adhibitas fraudes et multiplices eorundem insidias ne praevaleant „confidit Domini protectione praestandum; ut quod operatus est in Innocentio, Zosimo, Bonifacio, Coelestino, operetur et in Sixto, et in custodia dominici gregis haec sit pars gloriae huic servata pastori, ut sicut illi lupos abegere manifestos, ita hic depellat occultos.„ Prosper igitur pontificibus quaestiones fidei dirimentibus protectionem Domini, qua iidem haeresi et errore depulso veritatem credendam docent, confidenter vindicavit.

351. Sed quod ab episcopis utriusque plagae in unum collectis profectum est, efficacioribus id ipsum coloribus depingi non potest, quam quibus Victor carthaginiensis [4]) in sua ad papam Theodorum synodica usus est: africano enim dicendi more ac *Victor carthag.*

---

[1]) A particulari casu, quo certa quaedam Dei gratia operetur citra libertatis ruinam, Patres gratiae operationem generatim argumentando inferunt.

[2]) Huic enim complexioni addi consonans orientalium sententia debet, quae habetur in epistola Petri diaconi et sociorum, qui ob quaestiones fidei ex oriente Romam missi fuerunt, scripta ad episcopos africanos in Sardinia exules, et in qua pariter Zosimi „Papae sententiam explicatam ab africanis conciliis„ depromunt: vide sis inter opp. Aug. t. X. l. c. p. 148. coll. Zosim. pap. ad African. episc. de caus. Coelest. ibid. p. 98. *Petrus diaconus.*

[3]) Ibid. c. XXI. n. 60. p. 197.

[4]) Lecta fuit in concilio lateranensi sub Martino I. secretar. II. ap. Harduin. t. III. p. 756. In graeco textu ita habent: *Διὰ τῆς χάριτος, καὶ οὕτως βεβαίως καὶ ἀμετακινήτως ἐγκάρδιον ἔχει τὸν τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ νόμον . . . ὁ νόμος τοῦ θεοῦ αὐτοῦ ἐν καρδίᾳ αὐτοῦ οὐ μέλανι γεγραμμένος, ἀλλὰ πνεύματι θεοῦ ζῶντος μυστικῶς ἐσφραγισμένος.*

nervoso lex Dei, id est veritas divina inquiens „uberante in vobis (romano nimirum pontifice) Christi gratia in vestra cognoscitur conscientia immobiliter insita; nullatenus de vestro corde recedente lege Christi Dei Domini sacrosancta . . . non atramento, sed Spiritu Dei vivi arcano modo conscripta.„ Ubi pontifex tanquam plenus divinae legis depositarius et custos numine Spiritus protectus, veluti summus interpres ac praeco, sancti Spiritus virtute ac ductu communitus, sic exhibetur, ut apud ipsum reperiatur expressio ac repraesentatio viva rectae doctrinae, cuius imagini et exemplari, uti Victor idem porro dicit, universi debeant conformari.

Adsistentis Spiritus actio.

352. Enimvero ipsi sunt romani pontifices, qui Sergio cypriensi archiepiscopo teste [1]) lumine scientiae divinae excellunt, qui salutarem orthodoxiae ancoram tenent, qui ipsi et quidem singuli *θεοδίδακτοι*, divinitus edocti vocantur, et *θεοφόροι* divinitus acti, et *θεηγόροι* divinitus loquentes, et *θεόπνευστοι* divinitus afflati, non aliter ac sancti Patres una simulque omnes. Hinc pariter ii romani pontifices sunt, quorum fides ac doctrina non utcunque secura et orthodoxa perhibetur, verum uti profecta a divinitus edocto, *θεοδιδάκτως* tradita, a divinitus afflato, *θεοπνεύστως*, cuius professio est *θεογνωσία* dogmatum, divina dogmatum scientia, pro qua consono orientalium cum occidentalibus iudicio mori par est, quamque ad terribile iudicium usque tueri ac defendere necesse est. Et necesse omnino est, quum verbum romani illius doctoris declarantis proponentisque fidem non sit mere humanum, sed hu-

---

Concil. lateran.

[1]) In suggestione ad Theodorum papam directa ac pariter in lateranensi concilio probata l. s. c. p. 729. A—B. *Διάλυε τὴν ἀρχὴν τῶν φρενοβλαβῶν τῷ φωτὶ τῆς σῆς θεωγνωσίας.* Ibid. B. *ὦ θεόπνευστοι καὶ τῶν ἁγίων ἀποστόλων συνόμιλοι καὶ σύνεδροι . . . κατὰ τὸν ἅγιον καὶ θεοφόρον πάπαν Λέοντα.* Ibid. C. *τοῖς θεοδιδάκτοις καὶ ἀποστολικοῖς ὑμῖν πατράσιν ἑπόμενοι.* Ibid. D. *τὰ πρὸς ἀνατροπὴν καὶ καθαίρεσιν τῶν θεοφόρων πατρῶν καὶ τοῦ παναγίου πάπα Λέοντος καὶ τῶν θεηγόρων ὑμῶν γεγραμμένα καθαιρείσθωσαν . . . διακελευόντων ὑμῶν τῶν δεσποτῶν ἡμῶν καὶ θεοπνεύστων πατρῶν . . . εὐέλπιδες καθεστῶτες εἰς τὴν ὑμετέραν θεοδίδακτον καὶ θεόπνευστον προστασίαν.* Ibid. E. *Ἀρκάδιος πεφρόνηκε τῇ ὑμετέρᾳ ὀρθοδόξῳ ἑπόμενος διδασκαλίᾳ . . . καὶ ἡμεῖς . . . συνᾴδοντες τῇ ὀρθοδόξῳ καὶ θεοπνεύστῳ διδασκαλίᾳ ὑμῶν τῶν ἁγιωτάτων ἡμῶν δεσπότων καὶ πατρῶν . . . ταῦτα καὶ τῆς καθ᾽ ἡμᾶς ἱερᾶς συνόδου φρονήματα καὶ τὸν τόμον τοῦ παναγίου καὶ θεοφόρου προοίεται καὶ ἀσπάζεται Λέοντος, καὶ ὡς ἄγκυραν σωτηριώδη τῆς ὀρθοδοξίας διακρατεῖ καὶ τοῖς τῆς ὑμετέρας θεογνωσίας γεγάνηται δόγμασι, μηδὲν τὸ καθάπαξ παραχαράττουσα, καὶ μετ᾽ αὐτῆς τῆς ὀρθοδόξου ὁμολογίας ἀποδημεῖν πρὸς τὸν κύριον καὶ τῷ φοβερῷ αὐτοῦ παραστῆναι προσεύχεται βήματι.*

mano-divinum. Est [1]) enim „Domitius episcopus Prusiados„ qui in sexta oecumenica synodo „dixit: suggestiones directas a Patre nostro Agathone sanctissimo archiepiscopo apostolicae et principalis sedis antiquae Romae . . . tamquam ex Spiritu sancto dictatas per os sancti ac beatissimi principis Apostolorum Petri, et digito praedicti ter beatissimi papae Agathonis scriptas suscipio et amplector; et ita credo.„ *Domit. ep. Prus.*

353. Haec augeri multis prolixiusque continuari possent; sed expedit praestituta complexione esse contentis, ut ad hanc dictorum summam veniamus: *Argumentorum vis.*

Quando a peritis viris et aptis omnes alicuius rei causae adseruntur, omnesque eiusdem effectus; et quando iidem de illa haud raro uti vere exsistente loquuntur, et data opera, et luculenter, suamque inde agendi rationem ac viam moderantur: tum enimvero dubitare velle, utrum illa reapse locum habeat nec ne, aut inbecilli est aut invidi atque maligni. Iamvero res, qua de agitur, est infallibilitas romani pontificis, qui ut supremus doctor ac magister totius ecclesiae, doctrinam christianam veritatemque ad eam pertinentem aut credendam tenendamve, aut damnandam reiiciendamve praescribit. Atqui huius rei singulariter periti eidemque testificandae unice apti sunt nostri Maiores, ecclesiae Patres atque Doctores. Si porro serie nunquam interpellata, et interpretantes Scripturam, et Traditionem enarrantes, et catholica exponentes dogmata, et oppositos errores inprobantes, et collata divinitus ecclesiae iura tuentes, et violatores iniustos depellentes, scilicet et *δογματικῶς* et *ἐξηγητικῶς* et *θετικῶς* et *πολεμικῶς* adserunt ac vindicant:

1. romanae ecclesiae episcopo pro illa sua universalis et supremi doctoris persona, suo munere et officio, dum istam agit et hoc fungitur, causam adesse infallibilitatis efficientem, Christum veritatem et sanctum eius Spiritum, quo protegente et adsistente fiat, ut a veritate aberrare non possit: hinc *Causa efficiens.*

---

[1]) In concil. constantinop. III. act. VIII. ap. Harduin. t. III. p. 1160. *Concil. VI.* *Δομέτιος ἐπίσκοπος Προυσιάδος εἶπεν· ταῖς ἀναφοραῖς ταῖς σταλείσαις παρὰ τοῦ πατρὸς ἡμῶν καὶ ἀρχιεπισκόπου τοῦ ἀποστολικοῦ καὶ κορυφαίου θρόνου τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης Ἀγάθωνος . . . ἐκ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου ὑπαγορευθείσας διὰ στόματος τοῦ ἁγίου καὶ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων Πέτρου καὶ διὰ τοῦ δακτύλου τοῦ προλεχθέντος τρισμακαρίστου πάπα Ἀγάθωνος γραφείσας δέχομαι καὶ περιπτύσσομαι· καὶ οὕτως πιστεύω.*

Causa formalis. 2. causa eundem donari infallibilitatis formali [1]) ipso scilicet divino charismate, auxilio ac numine, vi cuius error inprimis ac falsitas ab eo loquente ac definiente absit, veritas autem necessaria adsit ac doceatur: tum haberi

Causa finalis. 3. causam finalem, a qua romani pontificis infallibilitas haec exigatur: conservationem nimirum depositi divini et apostolici, custodiam orthodoxae in universali ecclesia professionis, firmitatem unitatemque fidei catholicae ad aeternam credentium salutem:

Causa materialis. 4. causam tandem illius materialem, quam vocant, circa quam versetur, aliam non esse, quam quae generatim infallibili ecclesiae iudicio proposita est ac subiicitur:

Effectus. haec, inquam, si adsint, atque hisce positis causis, dubitari profecto de infallibilitatis praesidio romanis episcopis collato potest a nemine, qui christianae revelationis oeconomiae fidem adhibuerit. Sane suum illis effectum respondere ac fructum neque diserte neque luculenter minus ab iisdem Maioribus praedicatur. Quod ut constet, nihil validius, quam quibus Veteres romano pontifici adserunt ac vindicant, ut ostendimus, effectus divini numinis praesidiique subiectivos, quos vocant; unde illum modo divinitus doctum, modo divinitus illuminatum, modo divinitus actum motumque describunt. Praeterea ad idem efferendum nihil expressius, quam quibus ab eisdem romanae sedis episcopo totidem verbis obiectivus formalisque adseritur ac vindicatur effectus, ipsa inquam infallibilitatis res, cuius quidem forma negans consistit in exclusione erroris, aiens vero in praedicatione ac propositione veritatis. Sed utraque romano pontifici, quod probatum dedimus, adseritur: idque tum per modum facti, ut aiunt, referendo, magisterium illud nulli unquam errori obnoxium fuisse nec esse unquam futurum, tum per modum iuris contendendo, institutore sic volente nunquam illud a veritate esse alienum posse.

IX. Capita cum infallibilitate romani pontificis conserta eamque illustrantia.

354. At vero quemadmodum substantiae per naturales virium explicationes manifestantur, manifestatae innotescunt ac deprehenduntur; ita reales veritates realibus suis consectariis atque sequelis patefiunt ac declarantur. Hinc ad confirmandam vim ve-

[1]) Hinc liquet discrimen infallibilitatem inter et inspirationem, de qua vide sis thes. theol. ser. I.

ritatemque infallibilis magisterii, quo totius ecclesiae pastor et doctor, romanus praesul, excellit, nihil efficacius, quam oculis subiicere explicationem illius, et enarrando ea exponere, quae necessaria inde consequutione nectuntur et pendent, tam in theoretico doctrinarum ordine, quam in ordine practico agendi. Atqui utriusque ordinis sequelae omnes ab antiquitate Maiorum probantur et adseruntur. Quare ipsa consectariorum veritate romani pontificis infallibilitas comprobatur.

355. Et re quidem vera, si magisterium cathedrae romanae infallibile est, consequitur:

1. eiusdem iudicia irreformabilia esse ac inmutabilia. Atqui hoc apprime est, quod a Patribus docemur. Consequitur

2. eiusdem professione ac sententia unam semper eandemque apostolicam doctrinam praeferri: atqui id est, quod Veteres inprimis de romanae cathedrae doctrina praedicant: consequitur

3. professionem illius iugiter esse orthodoxam fidei regulam ac formam, ad unitatem catholicam continendam omnibus praelucentem. Atqui hoc ipsum est, quod a Maioribus traditur.

356. Verum posito hoc theoretico doctrinarum ordine pro ordine actionum practico manifeste colligitur:

1. per infallibile solius romani pontificis magisterium iudicari, dirimi, definiri causas quaestionesque *αὐθεντικῶς* plena decretoriaque potestate. Tum vero

2. eiusdem magisterii iudicia, decreta declarationesque citra formidinem, citraque omne dubitationis examen a credentium quolibet esse recipienda atque tenenda. Hinc

3. magisterium hoc quum sit supremum, nullum aliud esse supra; quum universale, nullum aliud esse citra ac praeter; quum sit infallibile, nullum aliud esse contra sive posse sive debere.

Atqui nihil horum est, cuius legitimam *πρᾶξιν* Maiores non admiserint, sed omnia ac singula suo sibi iure constare ac inviolabiliter servanda profitentur ac inculcant. E quibus liquet, ad id demonstrandum, quod huc usque propositum fuit, thesim cum hypothesi concordare, usum et *πρᾶξιν* conspirare cum doctrina ac *θεωρίᾳ*, adeoque romani pontificis, summi in ecclesia doctoris, magisterium errare fallique nescium esse.

XI. Infallibilem inter pontificem interque ecclesiam habitus expenditur.

357. Sed et illud inde liquet, quod certe a multis anxie quaesitum fuit, quodque paucis expendisse, operae pretium est, nimirum

quis sit habitus explicatum inter infallibile pontificis magisterium interque infallibilem ecclesiam universam tam docentem quam discentem? Hinc petitur ipsa veluti ratio oeconomiae, ordo ac prope via, qua semet charisma praesidiumque infallibilitatis in ecclesia explicat. Videlicet non secus, ac qui sibi secundum Salvatoris [1]) parabolam habere firmam domum proponit: fundamento adfert firmitatem primum potissimumque, ut idem in se stabilitum
Matth. VII. 24. absolute stet, nec ipso vacillante omnia corruant; tum vero columnis sic consulit, ut iis non tribuat firmitatem, qua in se absoluteque consistant, verum eosdem collocando in obfirmato illo fundamento, cui quousque institerint, licet magnam domus vim sustineant, de se non trahent ruinam; sed quum primum ab illo deflexerint, collapsae ruinam illico dabunt, quamvis minimum ferendum pondus habeant. Ubi etiam hoc adparet, in magna domo eaque a suo fundamento solida, in qua plurimae columnae vastam sustinent molem, contingere posse, ut earum nonnullae a fundamento excidant, quin ipsa domus collabatur tota vel etiam notabile damnum pati videatur; eo tamen sapientis provisoris curae convertendae, ne simul illae omnes a suo fundamento devient, atque sic domus ad sola basis rudera redacta aut nulla amplius aut vix ulla esse deprehendatur. Consistentibus autem plerisque illis firmiter in firmo fundamento, partes singulae ob interna cum his vincula consertosque nexus continebuntur iunctaque domus tota firmiter stabit. Atqui haec est ecclesiae adcurata imago ac vera, quia ab ipso ecclesiae fundatore [2]) usurpata, ab Apostolis porro plus semel repetita [3]), et a Patribus explicata. Qui ergo ecclesiae firmitati consulit ac providet, Christus in Spiritu sancto, in infallibilitatis dispensando charismate erga fundamentum illius, romanum inquam pontificem, ecclesiaeque columnas, episcopos, non alia oeconomia usus est. Illum hoc praesidio sic primum potissimumque firmavit, ut solus de se absoluteque valeat consistere; episcoporum autem chorum deinde sic relative et per illum confirmavit, ut cum ipso cohaerentes conspirantesque pariter stabiliantur, valorem sortiantur ac vim; unde facta omnium cum petra romana unione, fidelium populi firma fidei unitate convalescant.

---

[1]) Matth. VII. 24. sqq. coll. Luc. VI. 48. XIV. 29.

[2]) Matth. XVI.

[3]) Rom. XV. 20. I. Cor. III. 10. sqq. Eph. II. 20. II. Tim. II. 19. sqq. Hebr. XI. 10.

358. Et haec sane ratio infallibilis oeconomiae est, quam ab ipso Domino apud Lucam selectam ostendimus: ubi Christus ἀμέσως pro solo Petro orando stabilitatis firmitatisque charisma eidem primum obtinuit, a quo porro reliqui fratres universi essent firmandi. Atque haec vere pariter ratio oeconomiae et ordinis erat, qui apud ipsum Apostolorum chorum obtinebat. Eo enim singulorum [1]) referebatur infallibilitas, ut a capite in Spiritu firmato, a Simone inquam Petro, deficere et avelli non valerent, adeo quidem ut sicuti nemo aliud ponere fundamentum posset, super quod aedificaret singulas ecclesias: ita nullus aliud praedicaret evangelium, quam quod esset Apostolorum principis, ecclesiae capitis, omnium cathedrarum basis ac fundamenti; unde praedicatio ac doctrina Petri principalis erat, capitalis et fundamentalis; infallibilis erat et eiusmodi, ad quam Apostolorum praedicatio et doctrina infallibiliter exprimeretur. Atqui manet, ait Leo [2]), Petri privilegium apud eius in romana sede successorem, totius ecclesiae summum iugiter caput ac fundamentum; romana ergo doctrina ac praedicatio pariter capitalis est et fundamentalis pro ecclesia universali. Sed propterea ipsa, uti talis, est infallibilis primum ac principaliter, quacum, nisi, secus ac par foret, singuli semper episcopi, episcoporum certe coetus Christo provisore iugiter conspirabit, ut credentium multitudo infallibili Dei verbo imbuta ad salutem vitamque aeternam conducatur. *Leo.*

359. Atque haec est infallibilitatis eiusdem oeconomia, quam inprimis magnus Leo descripsit petita declaratione [3]) ex ipsa aedificii imagine: et *Leo.*

1. quidem verbis conceptis disertisque adfirmat, de Domini „principali aeternoque praesidio etiam apostolicae opis munimen se accepisse, quod utique ab opere suo non vacat„: scilicet vin-

---

[1]) Haec rursum perspicue Leo habet ad epp. provinc. Viennens. ep. 10. al. 89. c. 1. scribens: „Huius muneris (praedicationis Evangelii) sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocarit, et ab ipso quasi quodam capite dona sua velit in corpus omne manare, ut exsortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere. Hunc enim in consortium individuae unitatis assumptum id quod ipse erat voluit nominari dicendo: Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam: ut aeterni templi aedificatio mirabili munere gratiae Dei in Petri soliditate consisteret.„ *Leo.*

[2]) Ser. IV. c. 3. l. s. c.

[3]) De nat. ips. serm. III. c. 2. coll. ser. IV. c. 2. de quibus cf. quae exposita fuerunt l. I. c. 4. pp. 147. sq. et paulo prius allegata.

dicat sibi et apostolicum ministerium, et huius ministerii opus et exercitium, et ad id apostolicum munimen, quod in principali aeternoque Unigeniti Christi praesidio consistit: quo posito pergit

2. „firmitas fundamenti, inquiens, cui totius ecclesiae superstruitur altitudo, nulla incumbentis sibi templi mole lacessit (al. lacescit)„; sicut ergo fundamento firmitas in se et absolute insit oportet, et huic templi universa moles incumbit, ut firma stet: ita romana sedes in se primum recipiat desuper oportet invictam firmitatem, ut porro superstructa ecclesiae altitudo invincibilem stabilitatem retrahat. Atqui

3. princeps ac indispensabilis firmitas, quam ecclesia postulat, ad rem fidei spectat; consequitur ergo, romanae sedis fidem primo ac per se invincibilem insuperabilemque esse oportere, ut reliquorum fidem sustinendo universam ecclesiam contineat; sed talem esse fidem romani magisterii probat Leo subdens: „Soliditas enim illius fidei, quae in Apostolorum principe est laudata, perpetua est; et sicut permanet, quod in Christo Petrus credidit, ita permanet, quod in Petro Christus instituit.„ Quemadmodum igitur Petri fides ac confessio, quam ipse primus et solus divino confirmatus numine edidit, authentica ac infallibilis fidei formula ac professio erat, quam communi suffragio et adsensu Apostolorum chorus complecteretur ac comprobaret: ita permanente Petri praerogativa apud successores eiusdem, episcopis romanae cathedrae adest divinum praesidium, continua gratia perenneque adiutorium Dei, ut auctore [1]) Zosimo „ex hoc fonte in totum orbem pax fidei et catholicae societatis nullis nubibus interfuscata mittatur.„

Zosimus.

360. Vis itaque nosse, qua veluti via atque oeconomia infallibilitas divinitus apud ecclesiam administretur? Considera habitum fontis ad canalem, et utriusque ad diducendam aquarum puritatem; considera habitum fundamenti ad templum incumbens: considera habitum supremi pastoris ad oves et agnos: primum praeservatur fons, primum consolidatur fundamentum, primum pastor protegitur, sine quibus frustra esset omnis reliqua cura; quum in ordine ad fontis aquas custodiantur canales, in ordine ad fundamentum elevetur templum, et percusso pastore [2]) oves agnique dispergantur. Validis illis validitatis spes his quoque

---

[1]) Ep. ad epp. african. de caus. Coelest. ap. Aug. opp. t. X. append. p. 98.
[2]) Matth. XXVI. 31. Marc. XII. 27.

adfulget. Unde [1]) Sergius Cypriensis ad Theodorum papam: „Sperantes in vestram Deo placitam et beatam protectionem, quoniam non veremur neque formidaturi sumus timore, ubi non est timor, quum adsit Deus et orthodoxa fides.„ *Sergius Cypr.*

361. Ita ergo comparatum est, ut Deus firmitatem episcoporum fideliumque omnium securam tutamque velit providendo consulendoque concordiae ac consensioni illorum ac porro istorum una cum protecto divinitus romanae sedis episcopo. Quae quidem omnia exponi praeclarius nequeunt, quam exposita rursum a Leone fuerunt datis [2]) ad Theodoretum litteris, quibus significat *Leo.*

1. collatum Petro principatus ac regiminis universalis privilegium continuari iugiter, et a se illius successore teneri et exerceri: „Fratres ad sanctum concilium sedes beati Petri direxit„;

2. consentientes cum sede romana episcopos adiuvante Deo de haereticis referre victoriam: „Agnovimus dilectionem tuam superno adiutorio nobiscum tam nestorianae impietatis, quam eutychianae vesaniae extitisse victricem.„ Porro

3. romanae sedis iudicium fundamenti ac basis instar divinitus obfirmati praestituit, a quo declinare episcopos Deus nolit: „Adiutorium nostrum in nomine Domini [3]) qui fecit coelum et terram, qui nullum nos in nostris fratribus detrimentum sustinere permisit.„ Hinc pergit

4. dogmaticas romani magisterii sententias divino numine temperari ac regi: „Quae nostro prius ministerio (Dominus) definierat„; et

5. velle Deum et efficere, ut episcopatus ecclesiae irretractabili illas suffragio comprobet atque confirmet: „Universae fraternitatis irretractabili (Deus) firmavit assensu.„ Verum

6. palam sic manifestumque fieri, quod vere ac reapse est, praefinitas eiusmodi romanas declarationes atque sententias non

---

[1]) Epistola lecta in conc. lat. sub. Martino I. ap. Harduin. t. III. p. 730. *Εὐέλπιδες καθεστῶτες εἰς τὴν ὑμετέραν θεοδίδακτον καὶ θεόπνευστον προστασίαν, ὡς οὐκ εὐλαβηθησόμεθα, οὐ δειλιάσωμεν φόβον, οὗ* (non *οὐ*) *οὐκ ἔστι φόβος, προκειμένου θεοῦ καὶ ὀρθοδόξου πίστεως*, quae non rite vertuntur „praeposito Deo et orthodoxa requisitione„; propterea namque Sergio teste non timendum, nullaque formidinis causa, quod auctore romano episcopo divinitus praefecto certissime tuta veritas et insuperabilis orthodoxa fides exsistat.

[2]) Ap. Mign. opp. Theodoret. t. IV. p. 1319. ep. CXIII. bis opp. Leon. t. I. p. 1218. ep. 120.

[3]) Ps. CXXIII. 8.

a causa mere simpliciterque humana proficisci, sed ab humano-divina: „Ut vere a se prodiisse (Deus) ostenderet, quod prius a prima omnium sede formatum totius christiani orbis iudicium recepisset.„ Unde adparet, doctore Leone, adsensu episcopatus et orbis christiani, romanae sedis sententiis non primum veritatem conferri, sed insitam et quidem divinitus congenitam satius manifestari omnibusque patefieri. Tum denique

7. significat, tantae esse necessitatis consensionem episcopatus cum romana sede, quantae Deo volente est, ut corpus Christi sit, et unum sit et ordinatum sit: „Ut in hoc quoque capiti membra concordent„; capitis igitur primum infallibilem sententiam esse oportet, ut eadem porro membrorum concordantium fiat, et concordandi membris hinc necessitas et inde nulla formido incumbat. Quod ut revera fiat actuque cum capite membra concordent, Deus suavi, ut solet, dispositione attamen fortiter obtinet.

362. Unde concludere licet, infallibilitatis charisma spectato

Inerrantiae charisma prae subiecto.

1. subiecto, convenire primum ac principaliter romanis in Petri sede episcopis et quidem singulis sic, ut [1]) maneant petra fidei, quam ex se praeferant et repraesentent, et ipsi cum Christo veritate soli *ἀμέσως* coniuncti veritatem semper profiteantur, nec a Christo veritate unquam excidentes falsitatem erroremque praedicent; ad reliquos vero episcopos, quod attinet, illud per se non extendi ad singulos seorsum, et ad eorum chorum coetumque non extendi nisi relative, ut aiunt, et in ordine ad coniunctionem cum Petro, a quo divisi statim iure quovis [2]) priventur; tum sic idem

---

Leo.

[1]) Ita Leo itidem s. IV. c. 2. „Cum ego, ait, sim inviolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio utraque unum; ego fundamentum, praeter quod nemo potest aliud ponere: tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quae mihi sunt propria, sint tibi mecum participatione communia. Et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Super hanc, inquit, fortitudinem aeternum extruam templum, et ecclesiae meae coelo inferenda sublimitas in huius fidei firmitate consurget.„ Gemina his sunt s. Anselmi in ev. Matth. XIV. 22. hom. III. p. 600. de quibus cf. supra.

Leo.

[2]) Haec iterum insigni oratione Leo complectitur ser. IV. al. III. c. 2. opp. t. I. pp. 149. sq. „De toto mundo unus Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi et omnibus Apostolis cunctisque ecclesiae Patribus praeponatur, ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus. Magnum et mirabile, dilectissimi, huic viro consortium potentiae suae tribuit divina dignatio; et si quid cum eo commune ceteris voluit esse principibus, numquam nisi per ipsum dedit quidquid aliis non negavit . . . primus est in Domini professione, qui primus est in apo-

ad illos extendi, ut disponente Deo nunquam sit futurum, ut numero, loco ac tempore una ubique simulque omnes vel plerique omnes a suo romano capite deficiant. Hinc considerato

Prae obiecto.

2. obiecto, pertinet idem charisma per se et directe ad professionem veritatemque praedicatam apprime ab eodem romano episcopo, et ad praedicationem sive singulorum sive ceterorum omnium episcoporum eatenus tantum, quatenus una cum illa ac consona est.

Capitale inter romanum pontificem et episcopos alios discrimen.

363. E quibus aliud idque singulare prodit, inter solum romanae ecclesiae episcopum singulosque aliarum ecclesiarum praesules non notabile tantum sed capitale discrimen. Praeter enim quam quod hi particulares doctores et obnoxii sunt, ille vero universalis atque supremus omnium ecclesiarum atque credentium magister et doctor exsistit, comitatur huius magisterium et doctoratus usum exercitiumque ex sese infallibilitatis praesidium, quo illi ex sese destituuntur. Hinc est, quod apud illum ex firmitate suae auctoritatis per sese firmitas redundet in eius doctrinam ac praedicationem, quae a subiecto infallibili dicitur et est pariter infallibilis; apud istos autem e contrario potius ex praedicationis doctrinaeque firmitate firmitas in auctoritatem redundet, quae valoris invicti ac irrefragabilis est, si eadem a romana cathedra profecta probataque fuerit; sed frangitur ac nulla evadit, si ab illa fuerit devia atque reiecta. Videlicet, ut in allata similitudine sistamus, aqua fontana excellit ob praestantiam fontis; sed canalis praestat ob excellentiam aquae fontanae per ipsum decurrentis. Sed inde apparet denuo, quanta necessitudine episcopatus cum primatu vinciatur: praecide a fonte canalem, cohibe aquam illius, inutilis iste et exstinctus perit et arescit.

Vinculum episcopatus cum primatu necessarium.

Ecclesiae constructio.

stolica dignitate.„ Quae sua perspicuitate nihil relinquunt, quod iure flagitetur; et tamen splendore iis vincuntur, quae ibidem c. 3. pp. 151. sq. addit: „In Petro ergo, inquit, omnium fortitudo munitur, et divinae gratiae ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quae per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur.„ Quae quidem aurea omnino habenda sunt; aperiunt enim nobis totam Christi in ecclesiae suae institutione *οἰκονομίαν*; unum habetur supremum caput, unus altissimus ecclesiae angularis lapis, qui est Christus Jesus; ex ipso omnis vis, totum in ecclesiam robur ac firmamentum redundat; defluit ex ipso ut ex vertice summo salutare quodcunque auxilium, quo munitur et solidatur domus ipsius: verum id non penitus inmediate, sed potius mediate tantum contingit; interiacet Petrus, per quem tanquam canalem omnis virtus in universam ecclesiam derivatur.

364. At haec licet verissima sint, ac penitissimae unitatis habitum, quo cum romano doctore doctoratus universus ob ipsam illius plenam αὐθεντίαν, infallibilem auctoritatis vim, devinctus consistit; hoc tamen animadverti sedulo debet, quod ad habitum actionis usumque potestatis attinet, quo se episcopalis auctoritas in ordine ad plenitudinem illam auctoritatis infallibilis explicat. Itaque episcopi, quamvis dependentes, habent tamen cathedras proprias; quamvis obnoxii, sunt tamen iidem doctores authentici; quamvis non peremptorii, sunt tamen veri in fidei causis iudices; unde vere iidem authenticeque a suis cathedris praedicant, vere authenticeque sui gregis fideles docent, iudicia vera et authentica ferunt, dummodo id tamen non citra fiat ac contra romanam infallibilem cathedram, verum cum universali illius doctore cumque iudice illius supremo concordes inveniantur. Scilicet authentice praedicatur ab ipsis, et per ipsos proponitur symbolica professio a supremo infallibili magistro praestituta; in unione cum eodem magistro authentice ab ipsis et per ipsos docetur, declaratur, exponitur vera illius mens ac intelligentia; atque ita secundum communem ac pacificum ecclesiae statum et ordinem, summa semper episcopatus cum primatu concordia regitur ecclesia Dei.

Habitus episcoporum authentice docentium ad doctorem infallibilem.

Stadium pacis.

365. Concordia haec iure divino et ecclesiastico obtinere semper et ubique debet; eam reapse exsistere quovis iure generatim praesumitur; et ut semper et ubique exsistat, mediis praesidiisque divinis, humanis et humano-divinis, uti praestituimus, continuo procuratur. Sed quid si ordo et pax turbetur, si discordiis obortis ac dissensionibus errores dispergantur et haereses? Tum enimvero elucet maxime iudicialis episcoporum auctoritas, eademque adhibita et explicata pro nexu ac vinculo cum suprema ac infallibili cathedra. Episcoporum namque est, de oborto in subiectis sibi territoriis dissidio iuxta receptas probatasque normas iudicare, et si liquida res fuerit, sua sententia et opera efficere ac porro conari, ut compositis dissidiis aberrantes ad veritatis tramitem redeant. Quodsi autem vel res non liqueat, vel dissentientes non acquiescant, neque tumultus dissidiumque cesset, quum nec a singulis nec a pluribus doctoribus sive dispersis sive in unum collectis dirimi causa iudicio peremptorio eoque infallibili possit, ipsorum est, causam cognitam ad supremum infallibilemque iudicem romanum deferre, ne serpat venenum latiusque diffundatur.

Infallibilis magisterii et authentici explicatio.

Stadium belli.

366. Ita legitur [1]) Cyrillus egisse in causa Nestorii; neque aliter agendum actumque semper in ecclesia olim fuisse secundum Julium romanum [2]) testis Athanasius est [3]) tradens illius epistolam in ipsius Athanasii Marcellique causa scriptam, in qua haec leguntur: „O dilecti! Non iam ulterius ecclesiae iudicia secundum evangelium instituuntur, sed vel ad exilium vel ad mortem dantur. Nam si omnino, ut dicitis, aliqua fuit eorum culpa, oportuit iuxta ecclesiasticum canonem [4]), et non eo pacto, rem iudicari: oportuit omnibus nobis rescripsisse, ut ita ab omnibus quod iustum esset decerneretur . . . An ignoratis hanc esse consuetudinem, ut primum nobis scribatur, et hinc quod iustum est decernatur? Sane si qua huiusmodi suspicio [5]) in illius urbis episcopum cadebat, ad hanc ecclesiam illud rescribendum fuit. Nunc autem illi, re nobis non indicata, posteaquam quod libuit egere, nos quibus ea crimina explorata non sunt, sibi suffragatores esse volunt. Nequaquam talia sunt Pauli statuta, non haec Patres tradiderunt; sed aliena est ista forma, novum hoc institutum. Obsecro alacriter toleretis: quae enim scribo, ad publicum bonum conferunt. Nam quae accepimus a beato Petro Apostolo, ea vobis significo„ et reliqua.

Cyrillus.

Julius rom.

367. Sed relata ad romanam sedem causa, omnis propterea iudicandi provincia episcopis nullatenus subtrahitur: immo vero pro diversa ratione diversoque modo, quo summo pontifici,

Varium episcopalis doctoratus exercitium.

---

[1]) Vide l. s. c.

[2]) Epistola ad Danium aliosque ap. Athanas. opp. p. I. pp. 110. sqq.

[3]) Apolog. con. arian. opp. p. I. pp. 113. sqq. 121. sqq. nn. 25. 32. 35. sqq.

[4]) Quum haec scriberet Julius, synodus sardicensis uti Athanasius ibidem n. 36. refert, nondum celebrata erat; stabiliti ergo in hac de adpellationibus canones, quemadmodum superius p. 287. innuimus, nihil statuebant novi, sed recepta ac tradita novis rationibus praescribebant. Sane ibidem n. 20. p. 110. Athanasius haec narrat: *Καὶ οἱ περὶ Εὐσέβιον δὲ πρὸς Ἰούλιον ἔγραψαν· καὶ νομίζοντες ἡμᾶς ἐκφοβεῖν, ἠξίωσαν σύνοδον καλέσαι, καὶ αὐτὸν Ἰούλιον, εἰ βούλοιτο, κριτὴν γενέσθαι. Ἡμῶν τοίνυν ἀνελθόντων εἰς τὴν Ῥώμην, ἔγραψεν εἰκότως Ἰούλιος καὶ ἐπὶ τοὺς περὶ Εὐσέβιον, ἀποστείλας καὶ δύο πρεσβυτέρους ἑαυτοῦ, Ἐλπίδιον καὶ Φιλόξενον:* „Porro Eusebiani quoque ad Julium scripsere: ac sperantes se nobis terrorem incussuros, rogabant, ut synodus cogeretur, et ipse Julius, si vellet, iudex foret. Cum igitur Romam advenissemus, Julius, ut consentaneum erat, litteras scripsit ad Eusebianos, misitque duos e presbyteris suis Elpidium et Philoxenum.„ Quibus non tantum universalis mos Romam recurrendi indicatur, sed adhibita quoque a romano pontifice causas cognoscendi ratio, de qua in canone sardicensi liquido, ut vidimus, exponitur.

Athanasius de adpellatione ad rom. episcopum.

Eusebianorum adpellatio.

[5]) Accusabatur Marcellus haereseos, Athanasius vero criminum vitiorumque,

secundum causarum adiunctorumque varietatem placet decretoriam dicere sententiam, eadem illis adserta manet

1. quando ab ipsis cognita causa fertur sententia, quae adprobatione romana irretractabilis [1]) fiat; eadem iisdem defertur

2. quando ii ipsi sive singuli sive plures sint, qui de causa quaesierunt, suam rogantur sententiam, quae deinde irrevocabili iudicio [2]) a romana sede confirmetur; eadem illis defertur

3. quando in negotio universali supremus et universalis doctor dispersis episcopis cognoscendae causae vel etiam sententiae exponendae [3]) facultatem praebet, cuius vim ipse porro suo iudicio irreformabilem faciat; eadem praeterea illis defertur

4. quum idem pontifex in unum convocat pastores omnes, ut simul unaque secum causam ex ordine cognoscant, et secum ex ordine iudicium dicant, quod profecto collectivum iudicium, cuius tamen pro auctoritatis diversitate diversis iudicibus diversae partes sunt, exceptione quavis superius exsistit; sed

5. neque tum illis iudicandi [4]) demitur facultas, quum praeformata [5]) a summo pontifice sententia iisdem sive seorsum singulis sive coniunctim pluribus vel omnibus proponitur.

Leo.

368. Qui in explicandis romanae cathedrae praerogativis nemini certe secundus est, Leo magnus, idem pariter, quo summa illius iustitia et aequitas fulget, hanc episcoporum praestantiam vindicat. „Nam, scribit [6]) ad episcopum Cyri, ne aliarum sedium

---

[1]) Huc spectant potissimum synodi probatae a sede romana non paucae.

[2]) Huc non pauca faciunt romanorum pontificum responsa ac decreta ad particulares data episcopos adpellantes in particularibus ipsorum causis fideique negotiis.

Ballerinii.

[3]) Egregie Ballerin. de vi ac rat. prim. c. XIV. §. 5. nn. 33. „Cum episcopi in suis sedibus residentes hoc examen instituerunt, suarum ecclesiarum traditionem ac fidem potissimum expendunt, et cum definitione apostolica conferunt, et siquidem eam cum hac concordare inveniunt, suam laetitiam declarare suo calculo solent, eo quod hac ex concordia certi fiant, se et suas ecclesias veram fidem tenuisse et tenere.„ Quibus cf. ibid. c. XIII. §. 15. n. 76.

Iudicare et ius dicere.

[4]) Fecerunt antiqui forenses adcuratum discrimen inter iudicare et ius dicere: et quando quidem a superiore magistratu ius constitutum et formula iuris praescripta esset, a qua in cognoscendo iudicandoque inferior recedere non deberet, ille dixisse ius, iste vero iudicare tantum dicebatur. Atqui discrimen illud in rem hanc nostram commode quadrat: summus enim pontifex dicit ius praestituendo indeclinabilem formam; attamen episcopi vere iudicant, ut „quod prius iuxta Leonem, a prima omnium sede formatum, totius christiani orbis iudicium recepisset.„

[5]) Cf. quae superius de eiusmodi praeformationibus praestituta fuerunt.

[6]) Epist. ad Theodoretum l. s. c.

ad eam, quam ceteris omnibus Dominus statuit praesidere, consensus assentatio videretur, aut alia quaelibet subrepere posset adversa suspicio, inventi prius sunt, qui de iudiciis nostris [1]) ambigerent. Et dum nonnulli a dissensionis incitati auctore ad contradictionum bella prosiliunt, ad maius bonum, malo eius auctore totius bonitatis dispensante, perventum est. Dulcius siquidem munera gratiae divinae proveniunt, quoties non sine magnis sudoribus acquiruntur: et minus bonum videri solet pax continuata per otium, quam reddita per labores. Ipsa quoque veritas et clarius renitescit, et fortius retinetur, dum quae fides prius docuerat, haec postea examinatio confirmarit. Multum denique sacerdotalis officii meritum splendescit, ubi sic summorum servatur auctoritas, ut in nullo inferiorum putetur imminuta libertas. Et ad maiorem Dei gloriam proficit finis examinis, quando ad hoc se accingit exerendi fiducia, ut vincatur adversitas: ne quod per se probatur reprobum, silentii praeiudicio videatur oppressum.„ Sed his ad rem nihil luculentius, nihil illustrius. Etenim praeformata propositaque per romanum episcopum fidei professione ac formula Leo

1. negat ambigendi dissentiendique Christi ministris ullum dari ius ullamque potestatem:

---

[1]) Nemo inde concludat, bene ambigisse illos vel fas fuisse ambigere: neque id colligere moliatur quispiam ex his praevertentibus: „In quo amplior nobis accrescit gaudendi materia, dum tanto magis se perculit inimicus, quanto contra Christi ministros saevius insurrexit:„ praeter quam quod enim contrarium potius significant hostilemque fontem aperiunt, e quo dubitationes dimanarent; simili illa pacto a Leone dicta videntur, ac de Thomae incredulitate postea magnus Gregorius hom. 26. in evangel. Joann. c. XX. dixit: „Plus enim nobis Thomae infidelitas ad fidem, quam fides credentium discipulorum profuit; quia dum ille ad fidem palpando reducitur, nostra mens omni dubitatione postposita in fide solidatur:„ ecquis inde inferret, bene fasque Thomae fuisse, de Domini sui et Dei sui resurrectione ambigere ac dubitare? De his vide sis quae habent Ballerin. de vi ac rat. primatus cc. XIII. XIV. n. 58. ubi haec praeclara: „Tractatus quidem et examen aliquod eiusdem epistolae institutum fuit sub finem secundae actionis dubitantibus illyricianis et palaestinis, non quod licitum crederetur de ea dubitare, sed ut qui dubitabant docerentur. Novum examen hoc consilio factum etiam circa Scripturas et circa definitiones generalium conciliorum nihil supremae auctoritati praeiudicat, ut monuimus n. 59. Cum de docendis et convincendis dubitantibus aut repugnantibus agitur, non ea auctoritate, quae in controversiam cadit, utendum est, sed ex aliis momentis et auctoritatibus apud ipsos minime dubiis doctrinae eiusdem consonantia est declaranda, et difficultates, si quae impediant, sunt disiiciendae.„ Verum de his cf. superius dicta ac porro infra.

Gregorius.

Ballerinii.

Num liceat romani iudicii examen?

2. adfirmat, nefarium dissensum Deo provisore in triumphum cedere declaratae veritatis:

3. adserit usum examinis ac multiplicem eius [1]) utilitatem, quam obiectivam dixeris:

4. episcopis non tantum vindicat ius facultatemque instituendi examinis, sed instituti quoque merita ac fructus, quos subiectivos vocaveris, dilaudat: tum

5. significat potestatis habitum inferiorum obnoxiorumque ad „auctoritatem summorum„ nimirum pontificum: hinc

6. exponit determinatum modum, quo eadem potestas circa propositum versetur obiectum; versatur enimvero circa praestitutam fidei doctrinam, rem inmutabilem adeoque irretractabili [2]) adsensu firmandam; tandem

7. declarat examinis finem, qui non eo pertinet, ut dubia vel ambigua definiantur, sed ut vera ac indubitata probentur probataque contra veritatis inimicos adserantur.

Quale examen permissum?

369. Examen igitur ab episcopis circa rem a supremo pontifice definitam, declaratam, decretam instituendum a Leone non tantum permittitur, sed eorum officii ac meriti esse perhibetur; quod tamen examen neque proficiscatur a dubio, quod vocant, subiectivo quo quis animo dubius haereret; neque etiam obiectivo, quasi ex se indubitata non foret: utrumque dubium Leo excludit. Verum illud quod probat ac dilaudat, est examen adsensionis, comprobationis et vindicationis: scilicet non est examen ad hoc, utrum adsensus praebendus nec ne, sed est examen ad cognoscendam causam institutum ad hoc, ut adsensus veritati (quam romanus episcopus proposuit) praestetur ac praestitutus firmetur validius: „Ut ipsa veritas, ait Leo, et clarius renitescat et fortius retineatur„; est examen non diffidentiae, sed est comprobati adsensus examen, quo et rei credendae et adsensionis praestitae reddantur rationes ac causae: „Dum quae fides (per os pontificis) prius docuit, haec postea examinatio confirmarit„; neque est examen adcommodationis, sed internae persuasionis eiusque strenuae defensionis, quo praestitutae veritatis ac fidei a positis

---

[1]) Ut inimicorum praeiudicia evellantur, ut humanae vires alacrius exerantur, et gratia adspirante divina collecta merita dulciora fiant, si sint fructus laborum, tum ut ipsa veritas distinctius clarescat, probetur probataque retineatur.

[2]) Irretractabilis dicitur adsensus, non quod rem faciat irretractabilem, sed quod irretractabilis res irretractabilem adsensum requirit.

divinitus eiusdem tutoribus, ut oportet, ex animo patrocinia suscipiantur et oppositae adgressiones depellantur: „Et ad maiorem Dei gloriam [1]) proficiat finis examinis, quando ad hoc se accingit exerendi (al. exercendi) fiducia, ut vincatur adversitas.„

370. Atque tale et ad tales fines examen instituere, quod sit adsensionis, confirmationis, ac vindiciarum, et illud tam de fidei fontibus instituere, quam de fidei symbolis, professionibus ac declarationibus, sive eae ab Apostolis repetantur sive a conciliis sive a sede romana, proprii episcoporum ac plane necessarii tam iuris quam officii res est, quam ab ipsis flagitat doctorum ac testium, tutorum ac vindicum nativa ratio, qua fidem, ut par est, authentice praedicare et propagare [2]), docere ac contestari, probare ac vindicare tenentur. Quae si animadvertantur variumque illud ac multiplex examinis genus probe distinguatur, adparet, quam parum cauti sint, quamque parum episcoporum auctoritati consulant, qui propterea [3]) romanae cathedrae iudicia infallibilia ac irrevocabilia esse negant, quod circa illa episcoporum examen versari possit, immo versari debeat. Enimvero tantum abest, ut examen, quale illud diximus, romanae sedis sententiam dubiam ostendat, ut eam indubiam sumat ac inf llibilem supponat; et ut secundum Leonis formam loquentes absolvamus, episcopali eiusmodi examine ipsa veritas, quae per os Petri iam clare nitebat, clarius renitescit, quae iam fortiter tenebatur, fortius retinetur, et fides non primum docetur, sed quam os ac petra fidei prius docuerat, ea postea examinatione recipitur intellecta plenius ac confirmatur solemnius. *Examinis finis et fructus.*

371. Hinc considerata illa episcoporum praerogativa, tum his aliisque pro temporum et adiunctorum varietate, variis spectatis commodis, quae cum ipsa rerum hominumque natura cohaerent, et ideo obiectivae ac reales vocantur, romani pontifices historia teste in causis gravibus lateque diffusis semper amabant curabantque, ut in partes universalis suae sollicitudinis universus quoque episcopatus advocaretur, qui de causis pro ordine suo ac gradu una cognosceret et iudicaret. Ad rem sunt prorsus haec ex *Qua oeconomia utanturpontifices?*

---

[1]) En quam antiqua et veneranda sit formula „Ad maiorem Dei gloriam.„

[2]) Vide sis quas vulgavimus theses de probanda propagandaque fide thes. theol. ser. I.

[3]) Ita Quesnellus ed. opp. Leon. ad h. l. et post illum Bossuetus ap. Ballerin. cumque illo gallicani non pauci usque nunc intra et extra Galliam. *Gallicanorum exceptio.*

Michaël. Palaeologus. confessione Michaëlis Palaeologi [1]), quibus plene explicato romani pontificis primatu debitaque illi ab omnibus ecclesiis et ecclesiarum praelatis obedientia et reverentia exposita subdit: „Ad hanc (romanam ecclesiam) autem sic potestatis plenitudo consistit, quod ecclesias ceteras ad sollicitudinis partem admittit; quarum multas et patriarchales praecipue, diversis privilegiis eadem romana ecclesia honoravit, sua tamen observata praerogativa tum in generalibus conciliis, tum in aliquibus aliis semper salva.„

372. Verum etiam tum quum sibi solis de re iudicium sententiamque servatam vellent pontifices, episcopatus operam non excludebant, neque eiusdem examen inpediebant, verum potius, ut oportet, et illam flagitabant et plenissimam huius facultatem faciebant. Nihil pronius, et iucundius etiam accidere nihil nobis potest, quam universam hanc de romana infallibilitate causam et rem argumento unico eodemque decretorio tum probare tum oeconomiam illius ita patefacere, ut quod lateat, sive spectes conditiones, sive materiam, sive viam et media, sive auctoritatem ipsam definientem formaliter, ut aiunt, eiusdemque effectus, nihil supersit. Consideretur itaque

XII. Singulare infallibilitatis romanae exercitium ac specimen.

Pius IX. declarat immaculatas b. V. M. origines. 373. Certe ad sedis romanae in rebus definiendis illustrandam oeconomiam probandamque luculentius quidpiam nequit adferri, quam illud usque memorabile ac in dogmatum historia plane unicum et singulare [2]) documentum reique perficiendae via ac ratio est, qua uti glorioso nostro actoque divinitus Pio placuit, quum irreformabili fidei declaratione inmaculatas Virginis Deiparae origines universis ecclesiae fidelibus credendas proponeret. Causae *Modus selectus.* iudicium pontifex penes se solum manere voluit ac decrevit. Et ecce, inprimis et ante omnia obnoxios sibi ecclesiae pastores eosque fidei doctores et testes adhibuit, eorum rogavit doctrinam,

---

[1]) L. s. c. apud Denzing. nn. 389.

[2]) Etiam illud divino plane numine factum dixeris, ut haec Virginis causa in qua omnia singularia sunt, et unica singulari omnino et exsorti via ac modo definiretur. Sed singularem semper in hac Virginis beatissimae causa oeconomiam ab romana ecclesia fuisse servatam, ostenditur de immacul. B. M. V. conceptu vol. III. sec. 8. c. 2. aa. 4. sqq.

testimonium de suarum sensu ecclesiarum exploravit. Neque satis, Facta totius causae investigatione diligenti, eadem plene a se cognita et ad iudicium parata, advocavit Pius devinctos sibi ecclesiarum orbis iudices omnes: viderent, examinarent, causam et ipsi cognoscerent; ferendi tamen iudicii non opportunitatem modo, sed ipsum quoque actum et vim, definitionis non diem tantum sed modum totum et formam, ipsamque declarationis formulam, penes se unum fore. Atque ita res ad ineffabilem Dei genitricis honorem et „ad maiorem [1]) Dei gloriam proficiens„ ordine summo et universali laetitia gesta est, „ubi sic supremi iudicis servaretur auctoritas, ut in nullo inferiorum putaretur imminuta libertas.„

Adhibita ratio ac via.

374. Sed quo sapientia plenum ac prope divinum Pii noni consilium eximie coronaretur, hoc profecto erat, quod illud splendidus ac nobilissimus pastorum doctorumque senatus ex universo orbe collectus non citra numen manifestamque Dei providentiam captum censeret: quin immo, inde enim ecclesiae Christi inpensius gratulandum protestabantur [2]) cuius unitati efficacius consuli hac universalis scissionis dissolutionisque aetate nullo modo potuisse, quam singulari eiusmodi solemnissimoque romani pontificis actu, quo uno universis re ipsoque facto patefieret, esse ipsum insuperabile totius ecclesiae centrum, ipsum inerrabilem revelatae veritatis interpretem, ipsum infallibilem credendorum dogmatum testem, doctorem et iudicem, unum ipsum totius salutiferae domus petram ac fundamentum, praeter quod nemini licet aliud fundamentum ponere.

Plena episcopatus cum inita via consensio.

---

[1]) Quae sunt Leonis M. l. c.

[2]) Hoc constat omnibus, nec certe ex memoria ullius unquam delebitur eorum, qui testes rei oculati aderant; id pro ineffabili Virginis in me benevolentia datum etiam mihi fuit, quod nunc in gloriam et honorem eiusdem auctoris tum ad firmitatem certitudinemque testimonio conciliandam unice dictum intellectumque volo; sed plenius ora inpietatis mendaciique obstruentur, si tamen ad hoc exposita veritas valet, et quantus splendor veritati potestatis plenae, quae est in romano pontifice, accesserit ex illo inmortalis Pii actu, profecto aperietur, quando quod praestolamur, historia ipsius facti authentica et adcurata in lucem prodibit. Crassis ac inpudentibus falsorum hominum commentis, quasi dogmatica inmaculati Virginis conceptus definitio novum adposuerit inpedimentum unionis orientalium schismaticorum cum romana ecclesia, atque eiusdem definitionis occasione principes ecclesiarum aliquod contra sedis romanae inerrantiam ediderint signum, rei veritatem opposuit Dr. Hergenröther in suis „novis studiis de separat. oriental. et occidental. ecclesiae„ quae complectuntur „criticam recentiss. op. hist. Dr. Pichler„ Herbipol. 1864. pp. 35. 48.

Mendacia.

Conditiones requisitae. 375. Atque ita conditionibus, quas supremus ipse iudex necessarias censuit ac sufficientes, expletis, comperta explorataque materia, circa quam, ut aiunt, veluti ad fidei pertinente depositum, scilicet „quam [1]) divina eloquia, veneranda traditio, *Pius IX.* perpetuus ecclesiae sensus, singularis episcoporum ac fidelium conspiratio, insignia quoque summorum Pontificum acta atque constitutiones mirifice iam illustrabant„ tandem ad rem concipiendam, declarandam, proponendam certa formula ac inviolabili, qua eadem supremo firmata inerrantiae sigillo ab omnibus esset accipienda, tenenda, credenda, progressus, et ad Petri cathedram in media ecclesiae luce constitutus, citra omne episcoporum circumstantium ad hanc ipsam conficiendam definitionem sive prius sive nunc petitum suffragium, dogma quod agebatur, solus „Pius Nonus [2]) Pontifex Maximus totius Ecclesiae votis annuens statuit supremo suo atque infallibili oraculo solemniter proclamare. Ita- *Definitionis actus.* que Sexto Idus Decembris anni millesimi octingentesimi quinquagesimi quarti in Basilica Vaticana ingenti Sanctae Romanae Ecclesiae Patrum Cardinalium et Episcoporum ex dissitis etiam regionibus adstante coetu, universoque plaudente orbe solemniter pronunciavit ac definivit: Doctrinam quae tenet, beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae Conceptionis fuisse, singulari Dei privilegio, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam, ac proinde ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam.„ Quibns dogmatica rei definitio consummata absolutaque erat.

376. Neque arbitreris et dicas, episcoporum vota praecessisse, successisse eorundem suffragia. Praeter enim quam quod postrema haec tam ad effectus pontificii actus ipsius, quam ad expositam supra oeconomiam divinamque providentiam spectant, qua fit, ut supremum pastorem praeeuntem sequantur obnoxii; priora vero illa vota ab ipsius pontificis provocata actionibus, ad decretas determinatasque per eundem ipsum supremum iudicem praevias conditiones pertinerent, quas propterea visus est voluisse expletas, ut via ad metam planior et expeditior, causa apud universam ecclesiam compertior et exploratior, res gravissima gravius habe-

---

[1]) Vide Bullam dogmaticam Papae Pii IX. eman. die 8. Dec. 1854. „Ineffabilis Deus.„

[2]) Ibidem.

retur, fructus et finis pronior et suavior: interrogare liceat, utrum eiusmodi vota episcopalia non eo apprime referrentur, ut pontifex infallibili iudicio rem finire vellet? et utrum suffragia sequentia non essent pariter in eo, ut infallibili iudicio iam lato episcopi adhaererent? Interrogo iterum, utrum ipsa rei declaratio facta sit infallibilis vi sive illorum votorum sive horum suffragiorum sive etiam utrorumque simul? Hoc scio equidem, et hoc certum apud omnes erat et est, quod, quum memorabili illa die originibus Virginis sacra in augustam sancti Petri Apostolorum principis basilicam hora matutina ingrederemur, nondum daretur infallibilis illibatarum illarum originum declaratio, neque de indole ac formula definitionis faciendae fidelibus constaret, neque per dispersos neque per collectos praesentesque iam in augustissimo omnium templo praesules causa a stadio qualitateque piae fidei esset dimota; scio porro certumque apud omnes erat et est, declarationem, quae inter Missarum solemnia in amplissimis beati Petri aedibus fieret, non esse ab episcopis circumdantibus pontificem, sed a solo Pio Papa Nono profectam; et scio denique certumque omnibus erat et est, quod, quum facta hac pronuntiataque declaratione a Petri cathedra, apud quam sacra actio perficiebatur, et a Petri basilica quasi meridiana hora discederemus, gaudio et exsultatione cor et animus omnium credentium complerentur, quia nunc dogmatica et irreformabili et inerrabili definitione sanctioneque de inmaculatis sanctissimae Matris nostrae Dei Genitricis Mariae originibus constaret, et ea quidem complexionis formula, quae paulo superius legitur et fide tenetur. Quis igitur, quaeso, hanc rei vim adposuit? Quis ei hanc veluti sigilli formam inpressit? Nemo nisi unus et solus Pius Nonus, pontifex romanus. Liquet ergo et meridiana luce clarius est, praeclarissimo illo et unico gloriosissimi nostri ac invicti Pii actu, quem is adplaudente orbe christiano universo consummavit, emicare expressamque penitus eminere tum insitam pontificiis definitionibus infallibilem vim, tum vero eximium ad eius consequendos effectus specimen atque documentum singulare in rei totius administranda temperandaque oeconomia, qua inmortali Pio et insuperabili cum fortitudine nunc regnanti pontifici uti placuit. Et quod Pio placuit, id porro acceptissimum erat omnibus ecclesiarum episcopis; et quod declarando ille definivit, id catholicum nomen iam corde credit ad iustitiam et ore confitetur ad salutem.

Pontificii actus vis ac ratio.

Rom. X. 10.

XIII. Concludendo argumentorum causa pro infallibilitate romana absolvitur.

377. Haec si ceteris omissis ingenua excellunt nobilitate, qua praeclarum est, corporis membra eaque inprimis praestantia ad capitis sui excellentiam dignitatemque contestandam et adserendam conspirare: certe tota pontificiorum gestorum summa demonstrat peremptorio argumento, praeposterum aeque ac nefas *Acta pontificia.* videri, romanae sedis pontificem erroris falsitatisque periculo expositum atque subiectum habere. Id quod hac disiunctiva complexione collegisse iuverit. E duobus enim alterutrum: aut in ecclesia Dei ea, quam tuemur de pontificis romani infallibilitate, sententia tenebatur, aut quae adversantium est hypothesis. Si primum obtinebat, fieri non poterat, quin in variis monumentis ecclesiasticis, sive dogmaticis ac symbolicis, sive sacris ac liturgicis, sive catecheticis et homileticis, sive exegeticis, historicis, iuridicis, sive denique apologeticis et polemicis, aliqua ex multiplicibus ac variis rationibus significaretur, romanae sedis episcopum esse veritatis

1. illabile fundamentum:
2. securum perfugium:
3. tutissimum portum:
4. firmamentum divinitus protectum contraque errorem munitum: cuius propterea
5. irreformabile sit et inadpellabile iudicium: a quo separari et avelli
6. nefas certumque naufragium.

Quodsi vero altera hypothesis vera censebatur, contingere pariter non poterat, quin contraria illis plane traderentur; quin adeo romana sedes haberetur

1. columna fragilis:
2. auxilium infirmum:
3. portus naufragus:
4. communibus tantum viribus utens:
5. humanum veluti tribunal atque mutationibus obnoxium: cuius proinde
6. iudicia necessario subiicienda examini, citraque notam deseri contemnique possent, immo quandoque etiam deberent.

378. Iam peto: utram consectariorum classem christiana ecclesiae monumenta praeferunt? Num forte posteriorem? Atqui

adlegata superius Veterum documenta satis demonstrant, nullum monumentorum ecclesiasticorum genus esse, a quo non absit posterior haec, et quod non contestetur, et quidem omnibus prope modis formularumque rationibus contestetur, priorem consectariorum classem penes ecclesiam Dei universe obtinuisse. Nihil ergo clarius, quam penes eandem ecclesiam fuisse certam exploratamque sententiam de infallibili romanae sedis magisterio. Sedis, inquam, sanctissimae ecclesiae romanae, in quam, magno Maximo [1]) teste, „omnes orbis terrarum fines, et quicunque in omni terrae loco Jesum Christum Dominum nostrum cum candore et orthodoxia profitentur, veluti in solem lucis aeternae defixos oculos habent iugiter, et in confessionem eius et in eius fidem, recipientes ab ea effulgentem splendorem paternorum sanctorumque dogmatum, sicuti divinitus actae protectaeque sanctae sex synodi cum accuratione et pietate exposuerunt, ma- *Maximus.*

---

[1]) Licet usurpatum iam insigne hoc s. Maximi documentum fuerit, iuverit tamen iterum illud ac tertio obiicere oculis, tum quod adeo praestet, tum quod illius auctor exstiterit orthodoxae apud orientales fidei instaurator vereque columna, tum quod illud ex recensione cod. DLXXXIX. Bessarion. bib. s. Marc. Venet. facta a J. P. Secchi op. c. p. 336. adponere libeat: *Πάντα* (non *ταῦτα*, ut est in ed. Comb. cf. opp. t. II. p. 72.) *τὰ πέρατα τῆς οἰκουμένης καὶ οἱ τὸν κύριον εἰλικρινῶς καὶ ὀρθοδόξως πανταχοῦ γῆς ὁμολογοῦντες, ὥσπερ εἰς ἥλιον φωτὸς ἀϊδίου, εἰς τὴν Ῥωμαίων ἁγιωτάτην ἐκκλησίαν, καὶ τὴν αὐτῆς ὁμολογίαν καὶ πίστιν ἐκτενῶς·* (ap. Combef. *ἰθυτενῶς*) *ἀποβλέπουσιν ἐξ αὐτῆς τὴν ἀπαστράπτουσαν αἴγλην προσδεχόμενοι τῶν πατρικῶν καὶ ἁγίων δογμάτων καθὼς αἱ θεόληπτοι καὶ θεσπέσιοι εἰλικρινῶς καὶ πανευσεβῶς ἐξέθεντο ἅγιαι ἓξ σύνοδοι, ἐκφαντορικώτατα φάσκοντες τὸ σύμβολον τῆς πίστεως· ἀπ᾽ ἀρχῆς γὰρ τῆς πρὸς ἡμᾶς καταβάσεως τοῦ σαρκωθέντος θεοῦ λόγου μόνην κρηπίδα καὶ θεμέλιον αἱ πᾶσαι πανταχοῦ τῶν χριστιανῶν ἐκκλησίαι τὴν αὐτόθι μεγίστην ἐκτήσαντό τε καὶ ἔχουσιν, ὡς οὐδαμῶς μὲν κατισχυσμένην κατὰ τὴν αὐτοῦ τοῦ σωτῆρος ἐπαγγελίαν ὑπὸ ᾅδου πυλῶν· ἀλλ᾽ ἔχουσαν τὰς τῆς εἰς αὐτὸν ὀρθοδόξου πίστεως καὶ ὁμολογίας κλεῖς· καὶ τοῖς εὐσεβῶς προσερχομένοις ἀνοίγουσαν τὴν ὄντως φύσει καὶ μόνην εὐσέβειαν· ἀποκλείουσαν δὲ καὶ ἐμφράττουσαν πᾶν αἱρετικὸν στόμα, λαλοῦν ἀδικίαν εἰς τὸ ὕψος. Καὶ γὰρ ἅπερ αὐτὸς ὁ τῶν ὅλων δημιουργὸς καὶ δεσπότης ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς, οἵ τε τούτου μαθηταὶ καὶ ἀπόστολοι, καὶ οἱ καθ᾽ ἑξῆς ἅγιοι πατέρες τε καὶ διδάσκαλοι καὶ μάρτυρες ἱερουργηθέντες, οἰκείοις ἔργοις τε καὶ λόγοις, ἀγῶσί τε καὶ ἱδρῶσι, καὶ πόνοις καὶ αἵμασι, καὶ τελευταῖον ἐξαισίοις θανάτοις, διὰ τὴν ἡμῶν τῶν εἰς αὐτὸν πιστευόντων αἰώνιον ζωὴν καὶ ἀθάνατον ὕπαρξιν, εἰς τὴν ἁγίαν αὐτοῦ* (ab *αἰώνιον* usque *αὐτοῦ* verba desunt ap. Combef. quo tota sermonis vis infringitur) *καθολικὴν* (ap. Combef. *καὶ ἀποστολικὴν*) *ἐκκλησίαν ἐθεμελίωσαν καὶ ᾠκοδόμησαν, διὰ δύο ῥημάτων ἀπονητὶ καὶ δίχα καμάτου* (non *θανάτου*), *ὢ τῆς τοῦ θεοῦ μακροθυμίας καὶ ἀνοχῆς, καταλῦσαι σπουδάζουσι, καὶ ἀκυρῶσαι τὸ μέγα καὶ πάμφωτον καὶ πανύμνητον τῆς χριστιανῶν ὀρθοδόξου θρησκείας μυστήριον.*

nifestissime edicentes symbolum fidei; enimvero ab initio descensionis ad nos incarnati Dei Verbi, unum fundamentum ac robur [1]) omnes ubique christianorum ecclesiae maximam illic obtinebant et habent, quippe quae nunquam iuxta ipsius Salvatoris promissionem sit ab inferni portis superanda; quae contra orthodoxae in ipsum fidei professionisque habeat claves; quaeque pie accedentibus aperiat verum reipsa et unicum religionis cultum; sed claudat et obstruat omne haereticum os, quod loquitur iniustitiam in altum. Quaecunque enim ipse omnium creator et rex Dominus noster Jesus Christus, discipuli eius et Apostoli, sequentesque sancti Patres et doctores et martyres sacrificati, propriis suis operibus et verbis, certaminibus et sudoribus, laboribus et cruoribus, insolitis denique ipsorum mortibus propter credentium in eum vitam aeternam et inmortalem exsistentiam nostram super hanc sanctam eius catholicam ecclesiam fundarunt et aedificarunt, haec per duas voces absque labore et opera, o Dei longanimitatem ac patientiam, dissolvere conantur, et evertere magnum illud

---

[1]) Comparatione instituta inter trium idiomatum voces, Roma, Ῥώμη, רמה sive רומר, c. s. eruditus vir in laudato de cathedra s. Marci opere p. 350. colligit secundum Hieronymum, nomen Urbis praeferre eiusdem characterem, quem beatissimus hic et maximus doctor alterum contra Jovinianum librum terminando hac apostrophe complectitur: „Ad te loquar, quae scriptam in fronte blasphemiam Christi confessione delesti, urbs potens, urbs orbis domina, urbs Apostoli voce laudata, interpretare nomen tuum. Roma aut fortitudinis nomen est apud Graecos, aut sublimitatis iuxta Hebraeos. Serva quod diceris, virtus te Excelsam faciat.„ Haec vocum auguria et pia doctoris bethlehemitici vota eo vehementius nunc complenda desideramus et petimus, quo iam angustius Urbs undique ab hostibus cingitur: verum quidquid isti valeant, contra fortitudinem sublimitatemque romanam, quam tuemur, non praevalebunt; ea enim non ex muris dependet, sed ex illo invicto ac insuperabili, qui intra hos muros suam figere sedem volebat, quae porro ad finem usque saeculi neque extinguetur in illa, neque ab eadem abstracta avelletur. Sed de his disputavimus alibi, idque ex Pii VI. etiam respons. l. c. p. 187. Hinc si eveniret, quod Deus avertat, ut pontifex ab Urbe cogeretur discedere, vera tamen semper haec duo manerent, quae in „flosculo veritatis de ecclesiarum unione ex variis orientalis ecclesiae libris studio RR. PP. O. S. Basilii M. Balasfalvensium collecto olim et semel iterumque edito nunc denuo novis recensito curis„ Romae ex typ. S. Cong. de prop. fid. 1862. p. 15. habentur de Petro primum ex Menologio 30. Junii ad Laudes: „Romae reliquarum urbium maximae tu fuisti primus episcopus et gloria et laus et ecclesiae fortitudo, Petra, et portae inferi non praevalebunt adversus eam, sicut Christus praedixit„: tum hoc alterum ibidem ex Tropario 16. Januarii: „Romam non deserens ad nos pervenisti.„ Videlicet pervenire ac migrare ad alias regiones pontifex potest, sed romanum idem episcopatum deserere non potest.

Hieronymus.

Praestantia Romae.

Infallibilis pontificis sedes iugiter est romana.

Liturg. Graec.

et luce claritateque completum orthodoxae christianorum religionis mysterium." Ut ergo falsa non est orthodoxorum fides, tot tantisque innixa testibus: ita vel potius propterea falli nescia est pontificia romanae sedes ecclesiae.

XIV. De romanae huius infallibilitatis ambitu et extensione.

379. Sed quis est huiusce infallibilitatis ambitus, quaenam extensio? Tantum scilicet ex praestitutis, quantum infallibilitas tributa ecclesiae patet; et tantum ista, quantum ecclesiae doctoratus ac salutis magiterium. Sed huius radix, fons ac fundamentum est apud romanum pontificem; tantum itaque huius patet infallibilitas, quantum semet eiusdem extendit universalis atque supremi in ecclesia doctoratus ac magisterii vis, cuius illa dos est atque praesidium. Atqui magisterii huius ambitus complectitur universam veritatem Salvatoris revelatam, quatenus ea praedicanda ac docenda, testanda ac probanda, adserenda est ac vindicanda. Quare quae ab eodem magisterio proficiscitur atque proponitur veluti salutis praedicatio ac doctrina, quae huius ab eodem illo testificatio atque probatio adfertur, quae ad eam hinc custodiendam inde adserendam vindicandamque postulantur ac necessaria statuuntur: ea citra quodvis dubium omnemque formidinem veritate excellunt, et ab utraque falsitate tam subiectiva [1]) quam obiectiva [2]) penitus absunt, et ne homines falli possint, sed credant, abesse debent.

1. Romana infallibilitas refertur ad res ac materiam.

380. At vero expedit haec enucleatius explicasse per partes, *Salutaris veritas revelationis.* et diribuisse adcuratius veritatum ordines, ad quos supremi magisterii dos illa illudque praesidium semet extendit. Itaque

I. Veritas salutis *κατ' ἐξοχήν* est veritas divinae revelationis ac fidei, qua ordo veritatis theologicus constituitur; in hoc igitur ordine supremum pontificis magisterium vera infallibiliter praedicat, docet, proponit credenda. Quae porro credenda proponuntur,

---

[1]) Est discordia verbi a mente subiecti dicentis oborta a praepostera subiecti ipsius voluntate — mendacium.

[2]) Est discordia verbi dicti ab obiecto percepto oborta a praepostera obiecti perceptione vel expressione — error sive in verbo mentali sive in verbo orali.

ut rationabile sit obsequium nostrum, sua probatione non destituuntur. Sed divina veritas ac doctrina divinitus revelata probari proprie nequit, nisi divino verbo [1]) divinoque testimonio; quae adeo et ipsa ad theologicum revelationis fideique ordinem spectant. Unde in eodem pariter veritatis ordine supremum pontificis magisterium, verbi testimoniique divini interpretationem declarationemque infallibiliter credendam proponit.

Salutaris veritatis probatio.

381. Sed generalia haec sunt: divinus revelationis ac theologicus doctrinae probationisque ordo genericus est. Verum ut deprehendas, circa quas nominatim veritates infallibile pontificis magisterium versetur, specificos quaeris veritatum ordines a generico illo comprehensos? Accipe rem. Quum providentiae ordine divinitus [2]) instituto totus homo seu tota hominis natura provecta elevataque sit, revelatio coelestis omnes complectitur veritatum species prope ac rationes, quibus oportet homo elevatus in variis ad ipsum suamque naturam pertinentibus ordinibus dirigatur, directusque vitam explicet supernam atque divinam. Complectitur itaque

Multiplices veritatis ordines.

Logicus.

1. ordinem veritatis logicum, ad rationem intelligentiamque directae, qui est christianae fidei provectique intellectus, exserentis et explicantis semet in ordine concipiendi ac cogitandi, adsentiendi sentiendique, tum vero etiam loquendi, efferendi scilicet illa riteque profitendi; hunc igitur ordinem proposito symbolo declaratisque fidei veritatibus pontifex maximus infallibili doctoratu regit ac continet, ut in romana unitate idem omnes credendo sentiant [3]) idem omnes profitendo dicant. Complectitur

Ethicus.

2. ordinem veritatis ethicum, ad voluntatem ordinatae, qui est morum christianorum provectique liberi arbitrii, exercentis semetque explicantis in ordine volendi et adpetendi, agendi, operandi riteque vivendi; et hunc pariter ordinem exposita promulgataque lege Christi, quae lex est spiritus vitae et libertatis [4]) romanus pontifex infallibili ministerio [5]) administrat ac temperat,

---

[1]) Vide sis thes. theol. de habitu inter scientiam ac fidem, ser. I.

[2]) Cf. „de triplici ordine, naturali, praeternaturali et supernaturali.„

[3]) Philipp. II. 2. sqq. coll. I. Cor. I. 10. II. Cor. XIII. 11.

[4]) Rom. III. 27. VIII. 2. I. Cor. IX. 21. Gal. VI. 2. Jacob. I. 25. II. 8. sqq. al.

Suares.

[5]) Rem confirmat F. Suares l. c. n. 228. p. 126. „Ex doctrina theologorum et catholicorum omnium, qui pro certo habent, summum pontificem non posse

ut in romana unitate credentes omnes ex eadem divina norma suam vitam ducant et digne [1]) ambulent vocatione, qua vocati sunt. Porro complectitur

3. ordinem veritatis iuridicum adficientis [2]) similiter voluntatem, sed conversae ad societatem coniunctionis humanae, qui ordo est christianae ecclesiae provectaeque societatis religiosae, mutuis semet hominum in invicem officiis explicantis et iuribus, quae Deus ipse Salvator constituit et consecravit; atque hunc ordinem infallibili auctoritate [3]) romanus pontifex uti divinum proclamat, tuetur et adserit, ut romana unitas fidelium „veritatem facientium [4]) in caritate crescat in illo per omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate.„ Et *Iuridicus.*

4. complectitur ordinem veritatis historicum, ad institutionem de rebus actis comparatae, qui ordo est factorum divina revelatione certorum, provectaeque adeo relationis sive oralis sive scriptae continentis exponentisque non pauca, quae in praefatis ordinibus sive a prima causa sive a causis secundis [5]) *Historicus.*

---

errare in doctrina morum ecclesiae tradendae.„ Hoc vellem probe animadverteretur, sententiam de infallibili in hac causa iudicio pontificum dici a Suare communem omnium theologorum non modo, verum etiam catholicorum doctrinam. Neque satis; sed ex eadem illorum doctrina bifariam, ut rerum ipsae naturae postulant, hanc pontificis inerrantiam omnino patere: quatenus videlicet partes illius complectitur positivas, ut aiunt, atque adfirmantes, quibus „pertinet ad bonos mores„ docendos praecipiendosque, et „ex opposito„ partes negantes et excludentes illa, quibus „inferri possunt absurda et scandalosa in ecclesia.„

[1]) Ephes. IV. 1. sqq.

[2]) Unde inseparabilis ab ordine morali adparet ordo iuridicus: hic illum supponit, neque citra neque praeter illum concipi ullo pacto veluti humanus potest, multo minus veluti christianus.

[3]) Est l. c. n. 229. Suares iterum, a quo „confirmatur, quia pontifex in declarando aliquo iure, an divinum sit vel humanum, infallibilem habet auctoritatem; quis enim dubitet, concilium tridentinum, cum definit sacramenta omnia esse de iure divino instituta, aut confessionem ex praecepto divino praemittendam esse ante communionem, quando intercedit conscientia peccati mortalis, infallibilem doctrinam tradere? Aut quis neget, summum pontificem habere in huiusmodi doctrina tractanda aequalem vel maiorem potestatem?„ Tanta nimirum tribuebatur vis et auctoritas capiti supra reliquum corpus. *Suares.*

[4]) Ephes. IV. 15. sq.

[5]) Huc igitur ea faciunt omnia, quae divinitus narrantur facta tam a Deo supremo omnium auctore, quam a creaturis eius potissimum rationalibus sive in coelis sive in terris.

acta gestaque sunt; circa quae infallibile romani pontificis magisterium identidem versatur, ut in unitate romana tuto ea omnia credi valeant, quaecunque ab ipsa auctoritate divina hominibus dicta manifestataque fuerunt.

382. Iamvero sicut generatim ordo supernaturalis atque divinus licet toto coelo diversus [1]) intime tamen cum ordine naturali eodemque creato cohaeret, et natura creata non quidem illius sive causa sive fons sive radix sive proprium etiam fundamentum, sed tamen exsistentis illius conditio [2]) est: ita speciatim

Salutaris veritas rationis. II. cum ordinibus veritatum theologicis nectuntur intime ordines veritatum anthropologici in suo naturali ordine illis respondentes. Sane

Intelligentiae. 1. cum ordine veritatis supernae, quem fidei provectique intellectus diximus, ordo cohaeret veritatis naturalis, qui speculationis vocatur ac philosophiae rationalis. Rursum

Morum. 2. cum ordine veritatis supernaturalis ethico et practico, ordo cohaeret veritatis naturalis item ethicus, qui est humanorum actuum et morum sive moralis philosophiae. Porro

Juris. 3. cum iuridico itidemque ecclesiastico veritatis revelatae ordine, consertus penitus est ordo veritatis naturalis, qui est societatis humanae ac civilis ordo politicus et philosophiae iuris tam privati quam publici. Denique

Facti. 4. cum veritatibus revelatis historici ordinis, consertus omnino ordo naturalis, qui est factorum exsistentium, quae experientiae cognitionique externae subsunt vel subesse possunt, et ad disciplinam scientiamve humanae historiae spectant.

383. Sunt porro quatuor isti cum illis prioribus ita vincti et nexi, ut iidem horum veluti conditio ac prope hypothetici exsistant. Quare istis pessumdatis perversisque ordinibus veritatum naturalibus, consistere amplius supernaturales illi [3]) non possunt; non secus ac supernaturalis ordo elevationis evertitur totus, everso ordine naturali ac creationis.

---

[1]) Vide disputata uberius lib. „de triplici ordine.„

[2]) Qua expleta locum ille, si liberrimo eiusdem auctori placuerit, habere possit et habeat; sed placuit liberalissimo bonorum omnium largitori, creatam hominum naturam instituto ordine superno exaltare, exaltatam perficere et consummare. De quibus diximus op. s. c.

[3]) Fac in ordine rationis ac philosophiae adfirmes, rationis lumen ex se ad omnia vera infallibiliter valere, vel fac neges eandem vi auctoritatis et sensuum

384. Ut autem credi firmiter ac citra formidinem possit, constare etiam debet firmiter ac citra formidinem de necessaria hypothesi fidei deque conditionibus credendi. Necesse itaque prorsus est, has quoque ratas habere et fixas, et eas in tutela esse eorum, penes quos certum reperitur fidei praesidium. Quemadmodum ergo ecclesiastici magisterii est, sarta tecta custodire ac tueri fundamenta fidei atque credendi, ita eiusdem magisterii esse adparet, sarta custodire tectaque hypothetica omnia conditionesque eiusdem fidei, ut quavis exclusa errandi formidine, immo vero, quod non salvis conditionibus eveniret, excluso quovis inanitatis nullitatisque periculo, supernae ac salutares veritates inmutabili constantia et firmitate inaccessa opinionum commentis, quae dies [1]) delet, subsistant credique divinitus possint. Unde ut illa, non quidem infallibiliter credantur, siquidem revelata divinitus non sint, sed infallibiliter teneantur, siquidem vera et ad fidem necessaria sint, nullum esse dubium potest vel debet, ecclesiae magisterium auctum dono perfecto [2]) desursum descen- *Jacob. I. 17.*
dente a Patre luminum, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio, ad ea omnia et eatenus semet extendere, quae requiruntur et quatenus ea postulantur, ut nullo pacto salutaris fides eiusque veritates ad credendum propositae in discrimen veniant. Atqui demonstratum dedimus, infallibilem illam magisterii dotem residere supremum apud romanam Petri sedem; itemque demonstratum dedimus, exclusis aut perversis quatuor veritatis naturalis ordinibus consistere ac defendi varios respondentes revelatae veritatis ordines nullatenus posse. Ergo supremi magisterii eiusque infallibilis ius est et officium, sana naturalis rationis, ethices, iuris principia, tum ordinis

---

externorum adsequi veritatem certo posse: illico fides aut non est amplius necessaria aut inpossibilis evadit. Fac porro in naturali morum ordine adfirmes libertatis vires ex sese ad omnes cuiusvis bonitatis actus valere, aut neges voluntatem libertate excellere: et reddes illico aut inutilia auxilia aut inpossibilia merita. Praeterea in ordine iuris publici naturalis, fac adfirmes societatem civilem hominibus procurare omnem felicitatem, aut ius constare facto consummato: et ecclesia Christi illico aut non est necessaria aut est inpossibilis, quum rebellio quaevis contra eam legitima sit ac suo gaudeat iure. Fac tandem in ordine historico neges sive populum hebraeorum in Aegypto, sive in Judaea Pontium Pilatum, sive Petrum Romae fuisse: et evertisti illico verbi divini veritatem et credendum fidei dogma pessumdedisti.

[1]) Cic. de nat. deor. 22.

[2]) Jac. I. 17.

quoque historici [1]) facta eaque omnium illorum consectaria adserere, tueri ac vindicare, citra et praeter quae veritates ordinis theologici statui, probari atque defendi tuto nequeunt. At vero circa illa versantur humanae scientiae, rationis et morum, iuris et facti, philosophicae, inquam, disciplinae tam theoreticae quam practicae, iuridicae atque historicae. Harum namque illa constituunt obiectum ac materiam.

2. Infallibilis doctor ad scientias refertur ac formam.

385. Per quae liquido patet, unde et quanta romanum pontificem inter interque humanas scientias intercedat necessitudo, quae quidem

Officium magistri. 1. a parte illius est muneris [2]) necessitas, quo tenetur pro sua auctoritate moderando temperandoque negative quidem cavere, ne ab indisciplinata scientiarum cultura tam veritati fidei, quam fidelibus credentibus detrimentum [3]) adcrescat; positive autem prospicere, ut ex earum felice profectu necessaria inprimis tam fidei quam credentibus tributa ac commoda praestentur, tum ornamenta opportuna ac decora conferantur:

Officium discipuli. 2. a cultoribus vero scientiarum necessitas officii, quo, quemadmodum fidem et quaecunque ad rite credendum postulantur, amplecti et sequi tenentur: ita etiam obligantur ad obedientiam praestandam supremo fidei magistro, sive devios errorum exces-

---

[1]) De huius extensione vide adnotat. sup.

[2]) Quam sedulo semper diligenterque, sed quanta etiam cum fortitudine citra omnem προσωποληψίας rationem romani pontifices inde ab antiquissimis aetatibus hoc suo contra superbos inflantis scientiae cultores munere functi iugiter sint, videlicet Cornelius, Zephyrinus, Callistus, Victor, Dionysius, Felix et alii de quibus sup. p. 265. in causis Novatiani, Hippolyti, Tertulliani, Montani, Origenis, Dionysii alexandrini, Pauli samosateni, aliorumque sectantium paganae philosophiae placita, egregrie exponit plus semel laudatus H. Hageman. op. c. pp. 118. 126. 130. 151. 215. 250. 265. 296. 335. 370. 445. 484. 558. et in singulis ll. pp. sqq.

I. Tim. VI. 20. [3]) Erat enimvero semper, inde a prima in paradiso hominis per pomum tentatione ac deinceps et usque adhuc, falsi nominis scientia, ut gentium doctor loquitur, quae veritatis deposito divinitus facto opponeretur iugiter. Oppo-*Oppositiones scientiae.* sitiones porro falsae illius scientiae fieri possunt bifariam: vel per singularia errorum capita e diametro supernis Dei revelatoris veritatibus opposita, vel per universam rationem ac viam docendi totamque discendi μέθοδον illi aversam et oppositam, qua veritates eaedem rite docentur adcurateque discuntur. Prior oppositio illa comparabilis videtur cum scopulis viae ad metam ceteroquin rectae

sus prohibenti, sive rectam veritatis lineam indicanti ac praescribenti:

3. a parte tandem humanae scientiae, naturae est necessitas *Officium scientiae* ac rei ipsius; haec enim ut inmutabilem cum supremo veritatis archetypo harmoniam ac conformitatem ex sese [1]) exigit et flagitat: ita tantum abest, ut inerrabile praesidium refugiat ac reformidet, ut illud etiam amet ac propemodum concupiscat, ne corrumpi violarique possit. Tantum igitur beneficium, quod creatae nulli menti sua natura inest, id amator hominum Deus pro sua sapientia in ordine ad supernam veritatem et salutem supremo eiusdem doctori romano pontifici concessit.

3. Ad ordinem et scientiam salutis alii referuntur rerum scientiarumque ordines.

386. Quo constituto salutari rerum ordine, humanarum ordo scientiarum vel ipsis spectatis rerum naturis exigit, ut illi subsit, contemperatus eidem et obnoxius exsistat. Et profecto

---

iniectis; haec vero altera plenae cuidam a meta aberrationi ac deviationi: priori *Duplex errorum via et fons.* illa efficitur, ut mens partialibus inficiatur erroribus; hac vero posteriori efficitur, ut mens a veritate divina penitus abducatur, immo etiam ad consequendam eam inpos propemodum ac inpar reddatur, qua re nihil profecto funestius. Iamvero, quemadmodum romana sedes pro munere custodiendi, ut Paulus ait, depositum, priores semper oppositiones profligavit: ita hoc earum alterum genus profligabat *Error situs in re ac materia.* semper profligatque, et per rerum naturas sanam, auctoritate et longa saeculorum auctoritate probatam, communiterque in ecclesia receptam docendi discendique viam ac rationem sive scientificam, ut loqui amant, μέθοδον tuetur, adserit, vindicat. Atque huc pertinent vindiciae, quas summi pontifices catholicae sumpserunt scholae. Sane, non id illi volunt tantum et exigunt, ut ne doctrinae capita, quae universim communiterque in scholis catholicis erant recepta, sive uti revelata sive uti cum revelatis necessario vincta et nexa, tanquam falsa et praepo- *Error situs in forma ac methodo.* stera reiiciantur vel irrideantur; sed quod amplius graviusque possit videri, ut ne illarum, quam vocant, forma, via nimirum ac ratio docendi discendique theologicas et, quae ad eas postulantur, philosophicas disciplinas, id est, ipsa habendi tractandique rem scholae methodus, quae adeo scholastica audit, contemnenda, irridenda, expungenda penitus dicatur atque statuatur. Hinc clare et evidenter in celebri 80. propp. Syllabo Pius Papa noster: „Methodus, inquit, et principia, quibus antiqui doctores scholastici theologiam excoluerunt„: scilicet ad excolendi *Syllab. prop. XIII.* methodum respicit a scholasticis usitatam, non vero ad eorum dumtaxat doctrinas; et eodem gloriosissimus pontifex similiter respicit in epistolis ad archiep. Monacens. et Frising. datis die 11. Decemb. 1862. et die 21. Decemb. 1863. de quibus vide sis opusc. quibus tit. „Papa et ideae recentiores„ sive hodiernae, par. I. pp. 59. sqq. par. II. pp. 62. sqq. coll. opusc.. „De theolog. scholae seu de scholastica„ Vindobon. 1866.

[1]) Sunt enimvero deviationes atque errores contra obiectivae veritatis naturam, ideoque etiam contrarii sunt subiectivae veritati scientiae humanae, quae

Habitudo ontologica. 1. sua natura ontologicus seu obiectivus ordinum habitus exigit, ut inferior ordo infinite superiori, et adeo naturalis subsit supernaturali, divino humanus; hinc

2. exigit, ut ordo quoque veritatum creatus subsit increato veritatum ordini, id est, ut ordo veritatum manifestatus creatione, idemque humanae rationi ac lumini mentis naturali respondens, subsit ordini veritatum patefacto per revelationem, eidemque divinae elevationi ac lumini sancti Spiritus respondenti; et inde

Ordo obiectivus. 3. exigit, ut obiectiva quam vocant ordinis prioris scientia, quae ontologico ipso veritatum ordine, quatenus habitum dicit ad mentem lumine naturali perfusam, continetur, subsit scientiae obiectivae ordinis divini habitum dicentis ad mentem perfusam supernaturali lumine; inde rursum exigit

Ordo subiectivus. 4. ut scientia ordinis prioris subiectiva, quae ipsa illius in lumine spiritali expressione, repraesentatione [1]) ac loquutione per verbum mentale vel etiam orale facta consistit, subsit expressioni, loquutioni ac declarationi factae secundum divinam Altissimi scientiam ab ipso Verbo et Spiritu sancto, qui loquutus est in Apostolis, per prophetas et sanctos Dei homines, factae in lumine Dei, et factae eodem divino numine praesente, adsistente atque protegente.

387. Sed huic rationi considerationique habitus ordinum ontologici, unde praeesse theologicus, humanus scientiarum ordo subesse deprehenditur, ratio accedit ac contemplatio habitus

---

eo est perfectior, quo adcuratior ac plenior divini illius archetypi ectypus sive expressio exsistit: de quibus statuimus thes. theolog. ser. II. parerg. II. §. 4. thes. XLIV. sq. p. 20. Hinc et scientia fidei est praeclarior reliquis.

Gen. I. [1]) Verbo Dei opera creata exsistunt: „Dixit et facta sunt„; eatenus porro illis inest veritas, quatenus ideam, mentale veluti Dei verbum, referunt, quod efficiente verbo Deus expressit; est autem scientia hominum sita in veritate illa rerum percipienda, cognoscenda, intelligenda; sed rei perceptio, intellectio, cognitio, est eiusdem spiritalis sive mentalis expressio, repraesentatio, loquutio, est verbum eius mentale, quod iterum eatenus veritate gaudet, quatenus rei ontologicam veritatem refert; tandem mentalis verbi per vocem expressio ac manifestatio est verbum orale, quod rursus eo verius est, quo illud amplius refert, aliisque intelligendum clarius revelat. Ad utrumque igitur hoc verbum postremo significatum ratio humanae scientiae spectat. Verum ordo fidei complectitur Dei Verbum non manifestatum effectione ac creatione ex nihilo; sed ipsum tum Spiritu sancto Domino inspiratum, tum vero illud infinitum et hypostaticum Dei verbum manifestatum proprie dicta revelatione, „Et Verbum caro factum est et habitavit in nobis: et vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre plenum gratiae et veritatis.„ Quantum ergo Verbum hoc ontologicum et verbum eius logicum, ethicum, iuridicum, historicum,

Verbum multiplex.

Joan. I. 14.

ethici potius atque finalis. Divinae enim in utroque ordine manifestationes eidem factae subiecto neque ex voluntate, consilio ac providentia auctoris ac revelatoris Dei, neque ex hominum indole atque natura avulsae sunt, avelli debent ac possunt; sed e contrario, ordo uterque ipso institutore Deo ad illuminandam perficiendamque creaturam eandem coniunctus est, nec apud idem subiectum aliter ac intime devinctus esse potest et debet, quin [1]) tamen unus cum altero confundendus, sed unus potius ad alterum ordinatus ac relativus, hinc ordinandus referendusque sit. *Habitudo ethica.*

388. Ita enim comparatum aeternis decretis fuit, ut creatus manifestationum ordo sic sub increato revelationum ordine esset, ut idem creatus ad hunc increatum esset, et id quidem propter hominem esset. Hac in praesenti providentiae statu posita ordinatione finali, insito propemodum pondere suopteque ingenio eo fertur ac dirigitur creatus veritatum ordo, ut primum, per se et in se ad illum reapse sit, et per ipsum relativae suae ad increatum divini Verbi ordinem conditiones expleantur. Hinc autem idem porro, quatenus ex sese habitum praefert ad mentem intelligentem scientemque, quo obiectivae, ut loquuntur, scientiae rationem ac vim continet, sic vult intelligi et sciri, ut per ipsum subiective similiter apud intelligentes scientesque iisdem illis conditionibus fiat satis, quibus pie ad credendum adfecti a parte sua ad veram ac salutarem supernorum scientiam adquirendam, promovendam perficiendamque praeparentur ac disponantur, apti et habiles, expediti promptique evadant: qui finis a divina ordinatione ac institutione necessarius, necessarius a salute colentium scientias, et adeo necessarius, a rerum naturis, ut certo obtineatur, avertenda calamitas depravati corrupti eversique ordinis veritatum naturalis. Atqui mens humana, uti creata quaelibet, ex sese errori obnoxia et labilis est. Unde habitus [2]) ipse quo veritatum iste ordo ad mentem intelligentiam- *Ordinatio finalis.*

---

vincit ac superat verbum quodvis ontologicum creatum, quod dici quaevis licet perfectissima creatura potest, tum eiusdem verbum logicum, ethicum, iuridicum, historicum: tantum theologicus atque divinus revelationis ordo vincit et superat ordinem humanae scientiae pure rationalis, moralis, iuridicae atque historicae, adeoque tantum haec illi subesse et obnoxia reddi debet.

[1]) De his cf. commentar. de triplici ordine l. c. Vindobon. 1864.

[2]) Spectes, quaeso, hinc necessariam ac non mutandam ordinis veritatum naturalis ad supernaturalem veritatum ordinem relationem, spectes pariter necessarium utriusque ordinis habitum ad mentem rationemque humanam tam fallibi-

que humanam refertur, quo formalis, ut aiunt, et obiectivae scientiae [1]) ratio consistit, profecto exigit ac flagitat tutelam atque praesidium tutum, ne a semet ipso ille devius fiat, inutilis vel etiam noxius debito fini ac praestitutae ordinationi, et ne ita ipse supremus fidei ordo frustretur.

Salutis necessitas. 389. Verum multo idem etiam evidentius requirit necessitas salutis [2]) apud labiles homines, et eos erroribus aeque obnoxios scientiarum cultores. Atqui bonorum fons, qui abundanter delectabilia effudit atque utilia, idem non defuit in necessariis. Dedit enim illud concessitque ecclesiae Dei, et in ea illud coniunxit nominatim ac principaliter cum summo omnium credentium doctore atque magistro, cuius propterea infallibili auctoritati [3]) tutelae atque praesidio tam scientiarum cultores quam ipsae humanae scientiae multiplici titulo eatenus subsunt, quatenus eaedem et ex se ad fidem recteque credendum faciunt ac diriguntur, et praepostere adhibitae tam revelationis quam rationis veritati obsunt.

4. Ordinum ac doctrinarum harmonia et concentus.

390. Scilicet romani pontificis, idest petrae ac fundamenti fidei, cuius est, infallibili magisterio interpretari, declarare, definire veritatem ordinis divini revelatam, eamque omnibus fidelibus

---

lem ex se ac mutabilem, veritate tamen quae ad salutem sit liberandam ac firmandam: et adparebit necessitas praesidii, ut veritas ordinis divini credatur, ordinis humani teneatur.

Scientia obiectiva et subiectiva. [1]) Res in se obiective exsistentes profecto non sunt scientia, verum ex se sunt et esse possunt obiectum scientiae, id est cognitionis certae perque suas rationes ac causas firmae. Scientia igitur concipi nulla potest citra mentem veritatis cognoscentem; hinc uti subiectiva dicitur, quum veritatum certa complexio mente rationalis cuiusdam subiecti exprimitur: ita obiectiva dici nequit, nisi veritatum quaedam complexio, quatenus velut intelligibilis ac scibilis respicit atque refertur ad intellectum mentemque cognoscentem. Cf. thes. theol. de scient. et veritate.

[2]) Si enim mens semet praepostere ad veritatum illarum ordinem referat, scientia falsa prodit, quae causae materiali, ut aiunt, sive obiecto non respondet nec causae finali, divinae ordinationi satisfacit; et ideo divinus ipse ordo frustratur apud creaturam fide sive provehendam sive provectam.

[3]) Sed nemo non videt, ita scientiam humanam non humanae auctoritati, verum divinitus statutae, et quidem ratione divini ipsius charismatis, fieri obnoxiam; et omni inde iure existimari debet et teneri, non scientiam subiectivam
Syllab. prop. X. tantum, id est, philosophos atque cultores disciplinarum sive rationalis sive ethicae sive iuridicae et historicae, qua late patent; sed ipsam quoque scientiae culturam, rationem ac modum, veritatem rerum obiectivam concipiendi exprimendique, unde

ad credendum proponere, eius etiam est, veritatem naturalem, veritatem ordinis creati, quam illa requirit certamque supponit, certo tutoque iudicio ratam fixamque praestituere. Et hoc quidem pacto summa plane consequentia dogmatum, harmonia atque concentus sibi constant. Etenim quemadmodum supernaturalis ordo generatim eo [1]) pertinet, non ut una veluti aliqua humanae naturae particula sive portio divinitus provehatur; verum ut humana natura tota ad novum illum ordinem, eumque priori non modo sua perfectione respondentem sed infinite pleniorem perfectioremque sublimetur: ita non pars quaedam naturalis rationis seu aliqua illius potentia ac facultas, sed elevatur tota quanta est ad superrationalem ordinem non exstinguentem connaturalia, ut aiunt, verum ea novis viribus novoque lumine inbuentem, cuius uti ultima absolutio ac consummatio est coelestis ac inmediata Dei in lumine visionis intuitio, ita prima eius conditio ac praeparatio [2]) est terrestris ac inmediata creationis in lumine fidei cognitio.

391. Haec est via, qua semet totus redimendus homo redemptori Christo subiicit, et christiano humanus ordo redditur obnoxius. Quo haec ex vita sancti Gregorii [3]) insigniter faciunt de studiis ipsius nazianzeni atque magni Basilii: „In tota quidem grammatica nihil omnino eos fugit, non metrorum scientia, non

Christiano humanus ordo obnoxius.

Gregor. naz.

Encyclopaedia ad Christum.

---

scientia subiectiva nascitur ac formaliter constituitur, ecclesiastici magisterii iudicio obnoxia esse, in quantum haec fidei aut amice consulunt aut hostiliter opponuntur. Illius namque est, avertere, ne sive spectata materia sive ex praepostera adhibita methodo scientiarumque cultura pervertatur sana scientiarum doctrina, quatenus ea ad fidem revelatamque veritatem necessaria adparet. Incredibilia pro scientia inde commoda sicuti inmensum pro cultoribus scientiarum beneficium! illa corruptelis hi perversitati ac perditioni eripiuntur. Sed cf. adnotata paulo prius p. 362.

[1]) Cf. commentar. de triplici ordine par. II. c. 2.

[2]) Consule sis quae ibidem cc. 1. 2. diximus de supernae elevationis subiecto, eius conditione ac dispositione, causa illius efficiente, formali ac finali.

[3]) Vit. s. Gregor. naz. opp. t. I. ed. Paris. 1842. pp. CXXXI. sq. *Γραμματικῆς μὲν οὖν αὐτοῖς οὐδοτιοῦν παρεῖτο λαθὸν, οὐ μέτρων ἐπιστήμη, οὐ ποιητικοὶ σκοποὶ καὶ τρόποι, οὐχ ἱστορίας πλῆθος, οὐ πολιτικῆς λέξεως καθαρότης. ῥητορικῆς δὲ τὸ τῆς φράσεως κάλλος ἀπανθησάμενοι, τὸ ψεῦδος ἐξέκλιναν. φιλοσοφίας δὲ ἠθικῆς, καὶ ὅση ἐν δόγμασι καὶ ἰατρικῆς ἔνδειξιν, καὶ ἀναλογισμῶν, οὐ μέχρις ἐλευθέρου μετέσχον παιδεύσεως, ὡς ἂν μὴ ἰδιωτῶν μόνον τὸ πλέον ἔχοιεν, ἀλλὰ καθάπερ τινὲς παιδευταὶ καὶ διδάσκαλοι ἄριστοι. τῆς δ' αὖ μουσικῆς, ὅσον μὲν ἀρχαῖον καὶ ἐναρμόνιον ἐκμαθόντες, τὸ τῆς ψυχῆς θυμοειδές τε καὶ δυσκάθεκτον ἐξεμάλασσον. τὸ δ' ὅσον πρὸς ἡδονὴν φέρει, ταῖς σκηναῖς*

poetici scopi et tropi, non historiae copia, non forensis dictionis puritas. In rhetorica autem eam rationem habuerunt, ut verborum elegantia decerpta atque collecta, falsitatem ipsius mentiendique libidinem vitarent. Philosophiam porro, tam eam quae in moribus, quam quae in placitis et doctrina, medicaeque indicatione et ratiocinatione versatur, non liberali tantum eruditione tenus perceperunt, ne indoctis duntaxat superiores essent: verum quemadmodum praeceptores quidam, praestantissimique doctores. Iam in musica ita se compararunt, ut quidquid in ea antiqui et concinni est addiscentes, eam animi partem, in qua irarum exsistit ardor effrenisque impetus, emollirent: quidquid autem ad voluptatem impellit, ad theatra relegarent. Quin etiam numerorum supputationes, et geometriae aequitatem, siderumque situm ac motum, velut novi Moyses et Daniel, edocti sunt: ita tamen ut non tam ab illis
II. Cor. X. 2. ducerentur, quam, quod ait Scriptura, intellectum omnem in captivitatem redigerent in obsequium Christi; atque hanc primariae sapientiae pulchritudinem tegumentumque statuerent." Scilicet universam duo illi humanarum disciplinarum scientiarumque prope encyclopaediam amplectentes Domino illam Christo coelestique eius sapientiae subiugem morigeramque fecerunt: „Ac per omnia, ut ita loquar, tam meliora quam deteriora, grassati sunt: ut cum iudicio ea partim fugere, partim amplexari possent. Mihi enim subdit [1]) vitae auctor, magnopere probatur, quod quidam, licet a nostra caula extraneus, dixit: Haud enim turpe ea nosse quae minus honesta sunt: quin potius curationem ex eo contingere, iis utique qui non invido, sed candido ac benevolo animo ea, quae dicuntur, accipiunt." Sic iste et sic magna illa ecclesiae totius catholicae lumina, omnigena humanarum litterarum copia et eruditione referta ac completa, adeoque doctoris cuiusvis catholici, maxime-

---

ἀπεπέμψαντο· ἀριθμῶν δὲ λογισμοὺς, καὶ γεωμετρίας ἰσότητα, καὶ ἄστρων θέσιν καὶ κίνησιν, καθάπερ νέοι Μωυσῆς τε καὶ Δανιὴλ ἐκπαιδεύονται, οὐ πρὸς ἐκείνων μᾶλλον ἀγόμενοι, ἀλλ' αἰχμαλωτίζοντες κατὰ τὸ γεγραμμένον πᾶν νόημα εἰς τὴν ὑπακοὴν τοῦ Χριστοῦ· κάλλος τε καὶ σκέπην τῆς πρώτης σοφίας ταύτην τιθέμενοι.

[1]) Ibid. *Καὶ διὰ πάντων, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἐβάδισαν, βελτιόνων τε καὶ χειρόνων ὥστε τὰ μὲν ἔχειν φυγεῖν, τὰ δὲ ἑλέσθαι μετὰ συνέσεως. ἐπαινῶ γὰρ τὸν εἰπόντα κἂν θύραθεν ἕστηκεν τῆς ἡμετέρας αὐλῆς. οὐ γὰρ τόγε γνῶναί τι τῶν μὴ καλῶν, ἄτιμον· ἀλλ' ἴασιν ἐξ αὐτοῦ συμβαίνεσθαι τοῖς μὴ φθόνῳ τὰ λεγόμενα, ἀλλ' εὐνοίᾳ δεχομένοις.*

que viri theologi perfecta specimina et exemplaria, quorum [1]) in excolendis scientiis vestigia tuto adcurateque sequatur ac premat.

Christus, christianus, societas christiana.

392. Inde vero prodit suus proprius elevatae rationis cogitandi, volendi, loquendi operandique modus, qui est omnino christianus, conveniens [2]), inquam, ac congruus fidelibus Christi quem induerunt, veritatis hypostaticae carne factae, in cuius oeconomia ordo naturae adsumptae penitus erat subiectus ordini adsumentis ita, ut *τὸ ἡγεμονικὸν* [3]) esset apud hypostasim Verbi. Similiter ergo in oeconomia christiana, sive singulorum seorsum, sive eorum simul in societate collectorum, ordo naturae ac rationis subiectus sit ordini supernaturali divinitusque revelato sic, ut *ὁ ἡγεμὼν* omnium totiusque christiani ordinis moderator et rector sit ac maneat ipsius Salvatoris Christi in terris vicarius, Petri successor, ecclesiae romanae episcopus ac pontifex romanus: ipse perpetuus doctor apostolicus, cuius auctoritati ac tutelae commissa pro semper omnis neces saria christiana veritas, tum credenda necessario fides revelationis,

---

Gregor. naz. eruditio.

[1]) Quam iidem duumviri in omni, quam vocant, classica litteratura artiumque bonarum cultura praestantes essent, probari nequit evidentius, quam quae ab altero eorum, Gregorio inquam, lata „egregia illa tyranni (Juliani) lege, qua christianos graecorum disciplinis imbui vetaret„ praestarentur, ut „scite et prudenter vir beatus eluderet„ vim istius ac violentiam, ibid. p. CXXXVII. *Πρὸς δὲ τὴν θαυμασίαν τοῦ τυράννου νομοθεσίαν τὴν προστάττουσαν μὴ δεῖν χριστιανοὺς τὰ Ἑλλήνων μυεῖσθαι μαθήματα· ὁρᾶτε τοῦ μακαρίου τὴν σύνεσιν.* Quod vero ad s. Basilium attinet, idem Gregorius, or. XLIII. l. c. pp. 778. sqq. laudes celebrans magni illius sui amici, est, qui descripta rursum doctorum credentium proprietate ac indole, qua „non res creatas adversus creatorem, ut stulti faciunt, concitant, sed ex rebus conditis conditorem agnoscunt, atque omnem intellectum, ut Apostoli verbis utar, Christo captivum submittunt„: *οὐ τῷ κτίστῃ τὴν κτίσιν ἐπανιστάντες κατὰ τοὺς ἄφρονας, ἀλλ᾽ ἐκ τῶν δημιουργημάτων τὸν δημιουργὸν καταλαμβάνοντες, καὶ, ὅ φησιν ὁ θεῖος ἀπόστολος, αἰχμαλωτίζοντες πᾶν νόημα εἰς Χριστόν,* Basilium velut incomparabile christiani theologi ac sacerdotis exemplum statuit, qui quum in omni disciplina litteraria ad stuporem versatus, eruditionem (nominatim rhetoricam) reliquam „accessionis dumtaxat, ac velut corollarii cuiusdam rationem habebat, hoc tantum scilicet ex ipsa fructus decerpens, quantum auxilii, ut ea ad nostram philosophiam uteretur:„ ib. p. 780. *Τῷ δὲ λόγοι μὲν τὸ πάρεργον ἦσαν, τοσοῦτον ἐξ αὐτῶν δρεπομένῳ, ὅσον εἰς τὴν καθ᾽ ἡμᾶς φιλοσοφίαν συνεργοὺς ἔχειν:* „quidquid supererat, ut pietatis cultoribus infrugiferum contempsit„: ib. p. 789. *τὸ περιττὸν διέπτυσεν, ὡς ἄχρηστον τοῖς εὐσεβεῖν ἐθέλουσιν.*

Julianus tyrannus. — *M. Basilii doctrina.* — *Inpiorum pseudoscientia.* — *Humanae scientiae finis-christiana philosophia.*

[2]) Hinc more christiano cogitare, contemplari, veritatem consectari, et excolere, apud vetustissimos idem frequenter est ac *φιλοσοφεῖν*, et theologia idem ac philosophia *κατ᾽ ἐξοχὴν* accepta.

Christiana antiquorum philosophia.

[3]) De his vide sis disputata a Dionys. Petavio theolog. dogmat. t. V. de incarnat. Verb. l. V. c. 12. l. VIII. c. 12. coll. l. sup. c. II. n. XII. 7. p. 41.

tum tenenda necessario scientia rationis: et ita ipse vindex et adsertor fidei credentium salutaris, morum christiani populi, iustitiae societatum humanarum, veritatis denique historiae generis atque factorum, quae cum illa nexa sunt et vincta.

5. Priorum summa probatur.

393. Atque hanc de supremo romanorum pontificum magisterio doctrinam apud universam semper antiquitatem obtinuisse

Dicta. 1. summa eorum, quam superioribus collectam dedimus, aperte evincit: idipsum confirmat

Doctrina. 2. quod christianorum orthodoxorum nullus unquam, sive is pastor simul et doctor, sive doctor tantum, sive fidelis simplex esset, se suamque [1]) doctrinam, in ordine ad fidem, illorum iudicio subtractum voluerit: quin immo

Facta. 3. quod se nemo suosque litterarum fructus ex animo illorum iudicio subiicere recusare auderet. Iamvero quisquis arctum philosophiam inter et theologiam vinculum novit; quisquis veterum scriptorum in pertractandis, exponendis, adserendis [2]) veritatibus exploravit, et quisquis illa etiam speciatim inspexit, quae romanae sedis iudicio ab illis expresse subiicerentur: is dubium nullum movebit, utrum nec ne vetusti ecclesiae doctores supremo fidei magistro philosophica quoque scientiaeque humanae placita pro eorundem cum fidei dogmatis nexu obnoxia fecerint faciendaque existimarint.

Theodoretus. 394. Memoria digna ex orientalibus haec sunt Theodoreti, qui „sunt enim mihi, scribit [3]) ad magnum Leonem, quae partim ante annos viginti, partim ante octodecim, partim ante quindecim, partim ante duodecim scripsi, quaedam contra arianos et eunomianos, quaedam contra iudaeos et gentiles, quaedam contra

---

Vetusti apologetae. [1]) Argumento sunt apologetae omnes, qui cum Justino, Theophilo antiocheno, Clemente alexandrino, Tertulliano id inculcant continuo ac probant, veritatem philosophorum cum christianorum veritate omnino consentire, eam ad hanc praeparare, illam huius, quae est tota veritas, esse veluti partem, eandem proinde a christianis teneri et coli et perfici, sed gentilitatem per eandem ipsam refutari et everti.

Synodus V. [2]) Satis est vel sex priores quintae synodi contra origenianos contulisse canones, ut specimen amplissimi nexus deprehendatur, quo christiana veritas cum cosmologia, anthropologia et pneumatologia, quae tamen nobilissimum humanarum disciplinarum obiectum constituunt, secundum Maiores copulata vinctaque sit. Cf. Denzing. enchir. symbol. ed. 4. nn. 172. sqq. pp. 58. sqq.

[3]) Ep. CXIII. ap. Mign. PP. gr. t. 83. p. 1317.

magos qui sunt in Perside, alia de universali providentia, et alia rursus de theologia, deque divina incarnatione. Exposita etiam sunt a me per divinam gratiam tum apostolica scripta tum prophetica oracula. Et facile est ex his cognoscere, an stabilem fidei regulam servarim, an ab eius rectitudine deflexerim. Sed nolite, obsecro, supplices meas preces respuere, nec miseram meam canitiem post multos labores contumeliose tractatam despicere.„ At quis nescit, quam ampla in eiusmodi controversiis, et quam necessaria materia statuendi exponendique de sanae potissimum [1]) philosophiae rationisque principiis atque doctrina?

Adprobandi libri proponuntur.

395. Et similis necessitas in controversia de libero humanae voluntatis arbitrio, de natura eique insita sive ad bonum sive ad malum potestate. Atqui ex occidentalibus haec sunt memoria digna Augustini, qui quae contra duas epistolas Pelagianorum scripsit [2]) ea ad Bonifacium romanae ecclesiae episcopum „potissimum dirigere non tam discenda quam examinanda, et ubi forsitan aliquid displicuerit emendanda constituit.„ *Augustinus.*

396. Ad quae expressa omnino est Anselmi in librum de fide Trinitatis [3]) praefatio, qua postquam significavit „nullum reprehendendum . . . si fide stabilitus in rationis eius indagine se voluerit exercere„ adeoque apprime exercere scientiam, tum quod inexhausta veritas id permittat, tum quod praevertentes doctores numquam dixerint omnia, tum quod in ecclesia Dei gratiae dona numquam desint, tum quod ipsa sacra Scriptura [4]) ad indagandum invitet, „denique quoniam, inquit, inter fidem et speciem (scilicet visionis) intellectus, quam in hac vita capimus, esse me- *Anselm.*

Theologica colenda scientia et promovenda.

---

[1]) Nonne rationalis ordinis erat de Deo divinaque providentia plurimum cum gentilibus quaestio? nonne quaestio cum iudaeis haud parum historica et facti? nonne rationales eosque adcuratissimos conceptus de natura maxime deque supposito postulabant controversiae de *θεολογίᾳ* aeque ac de *οἰκονομίᾳ* cum haereticis? Conferas de his, si lubet, Leontium Byzantin. de sect. a. V. §. 6. Anastas. antiochen. de Trinitat. orat. I. nn. 13. sqq. Theodor. Abucar. opusc. I. Joan. Damasc. de fid. orth. l. I. cc. 8. sqq. coll. quae de triplici ordine statuimus p. I. c. III. §. III. pp. 30. sqq.

[2]) Lib. I. cap. 1. opp. t. X. pp. 411. sqq. quibus „de his rebus, quae hoc tempore episcopalem curam, si qua in nobis est, ad vigilantiam pro grege Dominico stimulo recentiore sollicitant.„

[3]) Contra blasphemias Ruzelini sive Roscelini opp. ed. Par. 1721. p. 41. ubi rationes profectus necessitatisque scientiae inprimis theologicae recenset.

[4]) Is. VII. 9.

dium intelligo, quanto aliquis ad illum proficit, tanto eum propinquare speciei (ad quam omnes anhelamus) existimo„; illico subdit: „Hac igitur ego consideratione, licet sim homo parvae scientiae, confortatus, ad eorum, quae credimus, rationem intuendam, quantum superna gratia mihi dare dignatur, aliquando conor (al. conabor) assurgere; et cum aliquid quod prius non videbam reperio, id aliis libenter aperio: quatenus quid secure tenere debeam, alieno discam iudicio. Quapropter, mi Pater et Domine, christianis omnibus cum reverentia amande, et cum amore reverende, Papa Urbane, quem Dei providentia in sua ecclesia summum constituit pontificem, quoniam nulli rectius possum, vestrae Sanctitatis praesento conspectui subditum opusculum: ut eius auctoritate, quae ibi suscipienda sunt, approbentur, et quae corrigenda sunt, emendentur.„ Atqui

a) haec disertis Anselmi verbis referuntur ad scientiam eiusque culturam. Rursum

b) disertis Anselmi verbis effertur, secure sibi, qui tamen est ipse doctor ecclesiae, non constare, nisi iudicio alieno, quod tutum sit. Eiusmodi autem

c) dicitur iterum diserte romani pontificis divinitus constituti sententia. Hinc concluditur

d) ad illius auctoritatem pertinere, ferre de scientiae christiani doctoris fructu vel adprobationis vel reiectionis iudicium.

397. Quod adeo verum est, ut haberetur voluntatis probe orthodoxae et ab haeresi subiectiva, quam vocant, plane alienus, qui sua studiorum opera, quum ad rem fidei attinerent, romani episcopi sententiae in omnibus obnoxia vellet. Quorum insigne

Lateranense IV. specimen recurrit in lateranensi quarto concilio [1]), in quo Joachimi damnato errore veluti haeretico Innocentius cum Patribus

---

Augustinus. [1]) Cap. II. definit. con. abbat. Joachim. et Amalricum. Sed quam ille antiquus vulgatusque in ecclesia usus fuerit, docet teste Augustino de pecc. orig.

Coelestius. cc. 5. 23. versipellis Coelestii libellus, quem Romae Zosimo dedit, quoque facta inter fidem et quaestiones praeter fidem distinctione, ita ut illam se diceret amplexum, in his forte ignorantiae errore deceptum, fassus est, velle se pontificis sententia corrigi. Mendacium erat et latens in subiecto fraus, quam penetrare

Zosimus. profecto Zosimus non valuit; sed quum animum fidei doctori morigerum forinsecus praeferret, Zosimus hominem probavit, neque uti haereticum reiecit, quemadmodum ipse examine instituto scripsit in duabus ad africanos epistolis de causa Coelestii ac Pelagii l. c. pp. 98. sqq. Hoc tamen ad rem nostram plane faciens animadverti debet, quod Coelestius semet vel in ipsis quaestionibus, quas praeter

subdit, nihil inde derogari religiosae illius familiae: „Maxime cum ipse Joachim omnia scripta sua Nobis assignari mandaverit, apostolicae sedis iudicio approbanda, seu etiam corrigenda, dictans epistolam, quam propria manu subscripsit, in qua firmiter confitetur, se illam fidem tenere, quam romana tenet ecclesia, quae (disponente Domino) cunctorum fidelium mater est et magistra.„ A quibus avellenda haec alia eiusdem concilii sententia non est, qua subdit: „Reprobamus etiam et condemnamus perversissimum dogma impii Amalrici, cuius mentem sic pater mendacii excaecavit, ut eius doctrina non tam haeretica, quam insana sit censenda.„ Quibus non minus error circa revelatam doctrinam in se, quam circa sanam ipsam mentem sanamque rationis doctrinam, quae in fidei eversionem redundat, aperte reiicitur atque damnatur.

Joachim ab.

Amalric.

398. Nimirum ad idem confirmandum facit, quod romana sedes iudicium illud in adprobandis reiiciendisque doctrinis librorum scriptorumque continuo usu exercuit. Et omissis [1]) aliis probavit [2]) Paulini libellum [3]) pontifex, idemque Coelestii placita reiecit: et rursum, sicut Fausti reiensis [4]) inprobata accusatio, ita adsertus [5]) Augu-

---

fidem diceret, corrigendum submitteret: „Ecce, scribit Zosimus ad africanos l. c. p. 100. Pelagius Coelestiusque apostolicae sedi in litteris suis et confessionibus suis praesto sunt.„ Id ergo ad hominem probe orthodoxum pertinere ac sufficere, in ecclesia Dei recepta sententia erat.

[1]) Referri huc debet celebre Gelasianum decretum de libris s. Scripturae, generalium conciliorum, orthodoxorum Patrum, deque aliorum scriptorum operibus sive probandis sive inprobandis ap. Harduin. t. II. pp. 936. sq.

[2]) Ita Paulinus diaconus in oblato libello contra Coelestium ap. Aug. opp. t. X. append. l. c. p. 103. „Ego tamen Deo et Christo Domino gratias ago, quod ecclesiae suae causam ita agi voluit, ut sedes apostolica, a qua oportuit ore duorum pontificum haeresim condemnari, ea damnanda praeceperit, quae a me Coelestio fuerant obiecta: cuius ego non damnationem, sed correctionem semper optavi et opto: cui nunc iam non mecum, sed cum universa Dei ecclesia causa est, sicut data ad beatitudinem tuam scripta testantur; cum contra apostolicam sententiam venire nititur . . . Unde oro beatum apostolatum tuum, ut hunc meum libellum suscipi iubeas, quo gratias referam tantae sedi, et sententiis iustissimis pro parte mea latis.„

Paulin. diac.

[3]) Quod ad fidei libellos attinet, romanae sedi oblatos, huc faciunt, quae plus semel alibi tum in lateranensi sub Martino I. synodo leguntur ap. Harduin. t. III. pp. 707. sqq. ubi tam „de suggestionibus oblatis sanctae apostolicae sedi, quam de venerabili eiusdem scrinio, quo conservari illae condigne solebant.„

Fidei libelli.

[4]) Cf. ep. Possessoris episc. afric. ex constantinopol. urbe ad Hormisdam papam missa de libris Fausti reiensis int. opp. Aug. l. c. pp. 149. sq.

Possessor de Fausto reien.

[5]) Coelestini papae ad Galliarum episcopos epistola pro Prospero et Hilario seu pro ipso Augustino de gratia Dei opp. Aug. l. c. p. 132. „Augustinum

Coelestin. pro August.

stinus et eius scripta [1]) maxime ad Hilarium et Prosperum defensa. At quanta in eiusmodi disputationibus de gratia fuerit ac porro sit necessitas philosophiae rationalis, ex pluribus iam prius allatis innotuit; sed idem manifestissimum ex iis fit, quae Marius Mercator [2]) de Coelestii Pelagiique libris, qui in synodis primum examini subiecti deinceps ad romanae sedis iudicium deducebantur, narrat, quaeque in epistola [3]) ad Innocentium africani episcopi

Marius Mercat.

Africani epp.

Doctores suos romana sedes tuetur.

sanctae recordationis virum pro vita sua atque meritis, in nostra communione semper habuimus, nec unquam hunc sinistrae suspicionis saltem rumor aspersit, quem tantae scientiae olim fuisse meminimus, ut inter magistros optimos etiam a meis semper decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt, utpote qui ubique cunctis et amori fuerit et honori. Unde resistatur talibus, quos male crescere videmus. Nefas est haec pati religiosas animas: quarum afflictione, quia membra nostra sunt, nos quoque convenit macerari; quamvis maneat hos beatitudo promissa, quicunque probantur persecutionem propter iustitiam sustinere, quibus quid promittat Dominus in futurum, sequens sermo declarat. Non est agentium causa solorum: universalis ecclesia quacunque novitate pulsatur. Intelligamus, haec ipsa vobis, quae nobis non placent, displicere. Quod ita demum probare poterimus, si imposito improbis silentio, de tali re in posterum querela cessabit.„ Ita romani pontifices tuentur doctorum sibi fidelium nomen et auctoritatem.

Novitatibus ecclesia pulsatur.

Hormisda.

[1]) Ea tuetur Hormisda datis litteris ad Possessorem, de quo vide paulo prius allata. Pontifex vero exposita ecclesiastici Patris vi et auctoritate, tum probata „diligentia per multa discurrente nimirum scientiae cura, et inprobato „animo a veritate (Patrum) declinante„, denique adfirmata necessitate „praefigendi libros etiam Veterum in auctoritatem recipiendos sancto Spiritu instruente, ne opinioni suae lector indulgens, non quod aedificationi ecclesiasticae conveniret, sed quod voluptas sua concepisset adsereret„ (quibus ad Gelasii decretum de Scripturis canonicis et apocryphis respicere videtur), ita pergit opp. Aug. l. c. p. 151. „Quid ergo calumniantibus opus erat extra constitutos ecclesiae terminos porrigere quaestiones, et de his quae habentur dicta, quasi dicta non sint, movere certamina? cum christiana fides canonicis libris, et synodalibus praeceptis et Patrum regularibus constitutis, stabili et inconcusso termino limitetur? De arbitrio tamen libero et gratia Dei, quid romana, hoc est catholica, sequatur et asseveret ecclesia, licet in variis libris beati Augustini, et maxime ad Hilarium et Prosperum, possit cognosci, tamen in scriniis (de quibus vide quae supra deprompta fuere) ecclesiasticis expressa capitula continentur, quae si tibi desunt et necessaria creditis destinabimus.„

Secundum Patres cura scientiae.

Librorum censura.

Apostol. scrinia.

[2]) Commonitor. de Coelest. ed. Garner. ap. Mign. PP. lat. l. 48. pp. 69. sqq. cc. 1. sq. coll. int. opp. Aug. t. X. append. pp. 70. sqq.

[3]) Inter epp. Aug. ep. 175. coll. opp. Aug. t. X. l. c. p. 91. quibuscum conferenda, quae quinque episcopi Aurelius, Alypius, Augustinus, Evodius et Possidius ad eundem Innocentium scripserunt ibid. opp. Aug. t. X. pp. 92. sq. coll. int. epp. Aug. ep. 177. simul autem pontifici miserunt tum „librum quem dederunt quidam religiosi et honesti adolescentes servi Dei„ tum „ad ipsum (Pelagium) scriptam ab uno nostrum epistolam.„

scribunt: „Hoc itaque gestum, inquientes, Domine frater, sanctae caritati tuae intimandum duximus, ut statutis nostrae mediocritatis etiam apostolicae sedis adhibeatur auctoritas pro tuenda salute multorum et quorumdam perversitate etiam corrigenda. Id enim agunt isti damnabilibus disputationibus suis, ut non defendendo sed potius in superbiam sacrilegam extollendo liberum arbitrium, nullum relinquant locum gratiae Dei, qua christiani sumus, qua et ipsum nostrae voluntatis arbitrium vere fit liberum, dum a carnalium concupiscentiarum dominatione liberatur.„ At vero qui fieri potuisset, ut iustum ferretur a romana sede in hac causa deque Pelagianorum operibus iudicium, nisi pontifex iustam simul de natura deque naturali voluntatis arbitrio sententiam figere valuisset? Qui ergo illud a romana sede iudicium petebant, haeretici Pelagiani [1]) aeque ac synodi [2]) episcoporum, profecto in ea firma persuasione erant „apostolicae sedis auctoritatem„ ad naturalium scientiarum obiecta etiam semet protendere.

399. Sed enimvero cur tantopere viis insistere obliquis, quando semita recta aperta sit et cuivis evidenter pateat? Suum namque magisterium pontifices non ad fidem tantum revelatamque doctrinam, verum ad rationem quoque eiusque scientiam extendisse [3]) ex actis a sede romana emanatis manifestissimum est. A romanis enim pontificibus infallibili iudicio *Romana pontificum acta.*

I. exclusum fuit commentum de eversa ac nulla naturae rationalis vi; hinc ipsius rationis potestas in naturali veritatis theoreticae et ethicae ordine adserta, et ita vel ipsa rationalis morum et iuris philosophiae scientiaeque generatim facultas ac possibilitas servata incolumis. Porro *De naturali rationis vi.*

---

[1]) Cf. Augustin. lib. de grat. Christi cc. 30. 32. 33. de Pelagii litteris cum libello fidei ad Innocentium Papam ab ipso Pelagio missis, sed Zosimo redditis; coll. Aug. de peccat. orig. cc. 17. 21. et int. Aug. sermon. olim 191. de temp. nunc in append. ser. 136. tum int. Hieron. opp. sub titulo: symboli explanatio ad Damas. de quibus ap. Aug. opp. t. X. append. pp. 95. sq.

[2]) Carthaginiensis et milevitana una cum quinque laudatis supra episcopis. *Africanae synodi.* Iamvero datis Innocentius responsis ad duas synodos, carthaginiensem et milevitanam, nec non ad quinque illos episcopos, laudat illorum zelum, quo, ut decet sacerdotes maximeque verum iustumque et catholicum, rem controversam ad sedis apostolicae iudicium retulerint, servantes antiquae traditionis exempla, ecclesiasticae memores disciplinae ac nostrae catholicae religionis vigorem vera ratione firmantes; causam porro a se iudicatam dicit, et Pelagianos veluti haereticos ab ecclesia extorres facit.

[3]) Cf. quae scripsimus commentario de triplici ordine p. II. c. 3.

Exclusus excessus. II. vindicatis nostrae naturae congenitis viribus, fuerunt exclusi tam supernae evectionis quam nimiae depressionis excessus[1]) et ita proprius rationi eiusdemque scientiis locus suus et ordo adsignatus. Sed rursum

Firmatus habitus. III. exclusa hinc rationis cum fide confusio, inde eiusdem a fide avulsio, et verus inter utramque definitus habitus atque mutuum prope commercium, ut par est [2]), fidem inter divinam interque humanam scientiam luculenter declaratum. Neque satis; verum etiam

Significata methodus. IV. quod speciatim ad rationis usum attinet, in ea excolenda scientia, quae data opera circa fidem revelatamque veritatem versatur, perversitas methodi exclusa, qua nec ratio nec fides earumque scientia sarta tecta consistere amplius possent, tum praefinita forma ac indicata via, qua tuto semper summoque cum fructu et vero religionis totiusque humanitatis emolumento ad nobilissimam illam perficiendam scientiam [3]) connitendum.

400. Ex his, quae generalissima ac fundamentalia capita sunt, nemo non videt, quam ampla, quam utilis ac plane necessaria romani magisterii actio in tuenda confirmandaque vi ac veritate naturalis rationis humanarumque scientiarum fuerit et usque sit.

Theologicus scientiae ordo. Gregor. IX. Sane 1. quod ad theologicam generatim disciplinam attinet, Gregorius nonus [4]) parisiensibus theologiae magistris praepostera exclusa scientiae cultura „auctoritate mandat, et districte praecipit, quatenus praedicta vesania penitus abdicata, sine fermento mundanae scientiae doceant theologicam puritatem, non adulterantes verbum Dei philosophorum figmentis, ne circa altare Dei videantur lucum velle contra praeceptum Domini plantare, et mellis commixtione sacrificium fermentare doctrinae in sinceritate et veritatis azymis exhibendum. Sed, pergit, contenti terminis a Patribus institutis, mentes auditorum vestrorum fructu coelestis eloquii saginetis, ut foliis verborum semotis limpidas aquas et puras tendentes ad hoc principaliter, ut vel fidem adstruant vel

---

[1]) Huc tota pertinet Gregorii IX. epistola ad magistros theologiae parienses d. non. Jul. 1233. coll. Joan. XXII. ap. Raynald. ad an. 1231. n. 48. et 1317. n. 15. Coll. damnata a Gregorio XI. doctrina Raymundi Lulli ap. Natal. Alex. saec. XIII. c. 3. a. 20.

[2]) De his cs. sis thes. theol. de habitu scientiam inter ac fidem, serie I.

Pius IX. [3]) Cs. sis Pii IX. syllab. propp. VIII. sqq. de quibus vide „Der Papst u. d. modern. Ideen.„ I. II. Vindob. 1865.

[4]) L. c. ap. Denzing. enchir. symbol. ed 3. pp. 164. sqq. n. 379.

mores informent, hauriant de fontibus Salvatoris: quibus referti interna crassitudine delectentur.„ Et ita similiter, quod ad ordinem attinet

2. philosophico-theologicum [1]) Joannes vigesimus primus in philosophiae rationem, qua Bentus averroista Parisiis utebatur, per Stephanum episcopum inquirere, et ad se referre iussit. Atqui Stephanus cum facultate theologica notavit errores ab illo admissos circa philosophum et [2]) philosophiam: scilicet circa utriusque [3]) obiectum, veritatem [4]) et auctoritatem [5]), fontes [6]) fundamenta [7]), habitum ad theologiam, ordinemque [8]) ad fidem. Liquet igitur, voluisse illos philosophum ac philosophiam spectata *Philosophico-theologicus. Joan. Papa XXI.*

---

[1]) Sic eum denominare placuit, ut philosophici ordinis habitus ad theologicum exprimeretur, vi cuius, uti praestituimus, ad illum semet charisma magisterii ecclesiastici porrigit.

[2]) Ap. Denzing. enchir. symbol. ed. 3. p. 170. n. 390. vide c. X. 2. „Item quod nulla quaestio disputabilis est per rationem, quam philosophus non deberet disputare et determinare: quia rationes accipiuntur a rebus.„ Ubi veritatem rerum obiectivam cum norma subiectiva eiusdem rite cognoscendae confundit. Sed haec inerrabilis norma pro omni re disputabili non est apud mentem fallibilem, uti est humana; pro re autem connexa cum fide, est apud magisterium supremi doctoris, cuius adeo est, illam determinare. Unde et philosophus et philosophia, quae obiectivae veritatis investigatione absolvitur, normae auctoritatique obnoxia est. Cf. Syllab. l. c. *Bentus.*

[3]) Ibidem sequitur: „Philosophia autem omnes res habet considerare secundum diversas partes sui.„

[4]) Ibidem p. 171. n. 391. 3. „Item quod possibile vel impossibile simpliciter, id est omnibus, est possibile vel impossibile secundum philosophiam:„ quasi philosophica veritas esset veritas simpliciter et absoluta.

[5]) Ibidem n. 392. 4. „Item quod sapientes mundi sunt philosophi tantum„: n. 393. 5. „Item quod non est excellentior status, quam vacare philosophiae:„ quasi philosophia foret ordine suprema scientia.

[6]) Ibid. n. 394. c. 11. 1. „Item quod homo non debet esse contentus auctoritate ad habendam certitudinem alicuius quaestionis„: quasi auctoritas non foret etiam in philosophia fons veritatis ac certitudinis aptus et legitimus.

[7]) Ibid n. 395. 2. „Item quod ad hoc, quod homo habeat certitudinem conclusionis, oportet quod sit fundatus super principia per se nota. Error, si generaliter tam de certitudine apprehensionis quam adhaesionis loquitur„: quasi certitudo de veritate omnis ab intuitione repeteretur.

[8]) Ibid. n. 396. 4. „Item quod nihil plus scitur propter scire theologiam:„ quasi ex proprio theologiae obiecto nulla accederet veritatis ratio veritati philosophiae; n. 397. c. 12. „Item quod non est credendum, nisi per se notum vel quod ex per se notis possit declarari„: quasi fides rationibus hnmanae intelligentiae esset obnoxia. Hinc addit Stephanus ibidem n. 398. „Dicunt ea esse nota et vera secundum philosophum, sed non secundum fidem catholicam, quasi sint duae veritates contrariae et quasi contra veritatem sanctae Scripturae sit veritas in dictis gentilium damnatorum.„

dignitate auctoritateque theologiae et authentico in theologicis magisterio obnoxiam.

Sed his accedunt specialia veritatum capita ad varios scientiarum ordines spectantia, quae statuta declarataque a romanis pontificibus fuerunt. Et ut earum aliquot recenseamus:

Cosmologicus. *Joannes XXII.* *Eckard.*

3. in ordine cosmologico Joannes vicesimus secundus adseruit temporariam mundi creationem, et philosophicas Eckardi rationes [1]) contrarias reiecit: „Quod Deus non potuit primo producere mundum, quia res non potest agere antequam est; unde quam cito Deus fuit, tam cito mundum creavit.„ Tum: „Concedi posse, quod mundus ab aeterno fuerit.„ Atqui nemo non videt, hanc esse propositionem etiam cosmologicam, quae ut in philosophicis locum habet, ita habitum manifestum ad theologiam praefert:

Anthropologicus. *Hadrian. I. Leo X.*

4. in ordine anthropologico cum Hadriano primo [2]) et Leone decimo [3]) adseruerunt iidem romani pontifices tum humanae naturae synthesin ex anima et corpore, tum utriusque partis perfectionem ac indolem, tum animae ad ipsum suum corpus habitum cumque eodem commercium:

Logicus. *Clemens VI.*

5. in ordine logico damnatis Nicolai de Ultricuria [4]) commentis adseruit Clemens sextus menti intelligentiaeque humanae

a) potestatem adsequendae de rebus certae cognitionis, sive per adparentia naturalia, adeoque per sensus externos, sive per conclusionem [5]) unius rei ex alia: adseruit

b) certitudinis [6]) rationem ac indolem: adseruit

c) illius [7]) obiectum: adseruit

---

[1]) Propp. 1. 2. damnat. 1329. ap. Denzing. l. c. p. 179. nn. 428. sq.

[2]) Concil. rom. an. 794. ap. Denzing. l. c. p. 110. n. 255. coll. prop. 55. Mich. Baii damnat. a Pio V. Gregor. XIII. Urban. VIII. l. c. p. 308. n. 935.

[3]) In Bulla „Apostolici regiminis„ ib. l. c. p. 218. n. 621. coll. Clement. V. in Clementin. de sum. Trinit. et cathol. fid. l. c. p. 174. nn. 409. sqq.

[4]) Damnat. 1348. l. c. p. 183. nn. 457. sqq. prop. 1. „Quod de rebus per apparentia naturalia quasi nulla certitudo haberi potest„ Eodem facit c. sup. Mich. Baii prop. damnat. a Pio V. Gregor. XIII. Urban. VIII.

[5]) Ibid. proposit. 2. „Quod non potest evidenter evidentia praedicta ex una re inferri seu concludi alia res„ etc. coll. prop. 30. „Quod nescimus evidenter, quod in aliqua productione concurrat subiectum.„

[6]) Ibid. prop. 9. „Quod certitudo evidentiae non habet gradus.„

[7]) Ibid. prop. 10. „Quod de substantia materiali alia ab anima nostra non habemus certitudinem evidentiae.„ In edit. 4. an. 1865. propositt. istae ex alia recensione ductae nonnihil variant.

d) illius [1]) principia: et

e) adseruit certitudinem ordinis [2]) causarum et effectuum naturalium. Sed quam haec sint intima primae philosophiae, nemo non videt. Praeterea

6. in ordine ethico sanctus Pius quintus, Gregorius decimus tertius et Urbanus octavus reiecta Baii haeresi, adseruerunt *Ethicus. Pius V. al. Baius.*

a) naturalem congenitamque morum [3]) legem:

b) honestatem [4]) operum ad illam expressam:

c) distinctum utriusque [5]) illorum a supernaturali ordinem: et

d) ipsum moralis ordinis fundamentum prope [6]) ac conditionem. Et eundem cum illis ordinem morum ac meriti Alexander octavus [7]) adseruit, dum ad rationem utriusque, spectato etiam ordine philosophico, necessariam esse libertatem vindicaret. Et cum illo idem vindicarunt laudati pontifices contra Baïum decernentes [8]) nec non contra Jansenium statuentes [9]) Innocentius decimus, Alexander septimus, Clemens undecimus, declarata et damnata uti haeretica hac propositione: „Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae (nimirum quae ex se ea est, quam philosophia pro obiecto habet) non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.„ Longum porro nec necessarium *Alexander VIII. Innocent. X. al. Jansen. Vitae honestas.*

---

[1]) Ibid. prop. 11. „Quod excepta certitudine primi principii non est alia certitudo, nisi primi principii fidei„; coll. prop. 53. „Item quod hoc est principium primum et non aliud: Si aliquid est.„

[2]) Ibid. prop. 14. „Quod non scimus evidenter, quod aliqua causa causet efficaciter, quod non sit Deus.„ Prop. 15. „Quod non scimus evidenter, quod aliquis sit vel esse possit effectus naturaliter productus.„ Prop. 17. Quod istae consequentiae non sunt evidentes: actus intelligendi est; igitur intellectus est: actus volendi est; igitur voluntas est.„ Quae si Cartesiano illi videntur similia: „Cogito, ergo sum„ differunt tamen fine et usu.

[3]) Cf. damnat. Baii prop. 22. de qua vid. thes. theol. de ordine elevationis cap. IV. coll. de triplici ordine c. III.

[4]) Ibid. prop. 25.

[5]) Ibid. propp. 34. 36. 37. 38.

[6]) Ibid. propp. 46. 50. sqq.

[7]) Propp. damnat. an. 1690. ap. Denzing. l. c. pp. 342. sqq. nn. 1156. sqq. coll. prop. 36. Lutheri damnat. a Leone X. an. 1520. „Liberum arbitrium post peccatum est res de solo titulo; et dum facit, quod in se est, peccat mortaliter.„ *Luther.*

[8]) Damnatis Baii propp. 27. 39. 40. 65. 66. „Sola violentia repugnat libertati hominis naturali„; e qua rursum pendent propp. 67. 68. 75. l. c.

[9]) Damnata prop. 3. ap. Denzing. l. c. p. 316. n. 968. coll. propositionibus priori aliisque deinceps pluribus Quesnelli a Clemente XI. damnatis ap. Denzing. l. c. pp. 351. nn. 1216. sqq.

nunc est, omnes percensere pontificum actus [1]) quibus vel ipsam honestatem humanae vitae adsertam voluere. Sed quilibet intelligit, his constare summam veluti totius ethices naturalis. Insuper

Iuridicus. 7. in ordine iuridico, qui tamen cum priori penitissime ac necessario [2]) ita cohaeret, ut seiungi ab eo neque possit neque *Urban. V.* debeat, adseruit Urbanus quintus iustitiam proprietatis atque do- *Proprietas iusta.* minii, damnata uti falsa, erronea, haeretica hac [3]) Dionysii Soule- *Soulechat.* chat ex secta fratricellorum propositione: „Haec benedicta lex amoris omnem aufert proprietatem et dominium„: adseruerunt *Commercium.* ius et iustitiam in hominum mutuo [4]) negotio ac commercio, in contractibus [5]) generatim et speciatim, in contractibus [6]) census *Reditus.* seu reditus, mutui ac cambii [7]) ut aiunt, et [8]) mohatra, iustitiam

---

Innocent. XI. [1]) Satis est e. g. contulisse damnatas an. 1679. 2. Mart. ab Innocentio XI. propositiones 8. sqq. ap. Denzing l. c. p. 324. nn. 1025. sqq et nominatim *Mollities.* consideretur haec quae ibid. p. 328. n. 1066. est propos. 49. „Mollities iure naturae prohibita non est. Unde, si Deus eam non interdixisset, saepe esset bona, et aliquando obligatoria sub mortali.„ En in speciali casu eoque summi momenti declaratam moralem naturae legem.

Lex sit moralis. [2]) Justitia et leges proficiscuntur a principio, quod est ethicum et morale; diriguntur ad subiectum ethicum et morale; dirigunt actus humanos, qui ethici et morales esse debent; et adducunt ad finem, qui sit bonum ipsius subiecti, quod auctore vel ipso pagano philosopho, apud Ciceronem de officiis, nisi honestum esse non possit. Quare principium, subiectum, obiectum et finis iuris ac legum non ferunt, ut eae inhonestae sint ac inmorales. Hunc nexum ipsa, quae iam subiiciemus, omnia patefaciunt.

[3]) Prop. 1. ap. Denzing. l. c. p. 184. n. 468. col. prop. 2. ibid. n. 469.

Alexand. III. [4]) Decr. l. V. tit. 19. c. 6. insignia sunt haec Alexandri tertii: „In civitate tua dicis saepe contingere, quod cum quidam piper seu cinnamomum seu *Contractus.* alias merces comparant, quae tunc ultra quinque libras non valent, et promittunt se illis, a quibus illas merces accipiunt, sex libras statuto termino soluturos. Licet autem contractus huiusmodi ex tali forma non possit censeri nomine usurarum, nihilominus tamen venditores peccatum incurrunt, nisi dubium sit, merces illas plus minusve solutionis tempore vaIituras: et ideo cives tui saluti suae bene consulerent, si a tali contractu cessarent, cum cogitationes hominum omnipotenti Deo nequeant occultari.„

Urban. III. [5]) Huc faciunt decreta de usuris: Urbani III. Decr. l. V. t. 19. c. 10. *Usura.* ap. Denzing. l. c. p. 144. n. 340. coll. Clement. l. V. tit. 5. de usur. c. Ex gravi. coll. Gregorii IX. ibid. c. 19. ap. Denzing. l. c. p. 163. n. 378. coll. Leon. X. bull. Int. multip. Denz. l. c. p. 219. n. 623. coll. propp. 41. 42. damnat. ab Innocent. XI. l. c. nn. 1058. sqq. ab Alexandro VII. prop. 42. l. c. n. 1013. Benedicti XIV. encyclic. de usura, it. Pii VIII. Decreta l. c. n. 1470. coll. resolut. congreg. s. Offic. approb. a Gregorio XVI. ib. 1471.

Cambium. [6]) Calixti III. decret. ib. p. 214. n. 607.

[7]) S. Pii V. decret. ib. p. 311. n. 960.

[8]) Damnat. ab Innocent. XI. prop. 40. l. c. p. 326. n. 105.

in compensatione [1]) et [2]) tollenda necessitate et indigentia, iustitiam in ordine restitutionis [3]) ac satisfactionis [4]), propriae defensionis [5]): adseruerunt iustitiam auctoritatemque iudicii [6]) ordinem eius et publicae [7]) potestatis: sed, ne recenseamus omnia, adseruerunt vim sanctitatemque iuramenti [8]) ad ordinem iustitiae continendum tantopere [9]) necessarii. Verum nemo, qui valet, non perspicit, his conflari universum prope ordinem naturalis iustitiae ac iuris, et eius non privati tantum, verum etiam publici. Et quod ad hoc attinet praeterea accedit

Compensatio. *Iusta defensio.*

8. in ordine sociali, quemque politicum vocare solent, adseruit [10]) Martinus quintus auctoritatem domini civilis: adseruit [11]) Leo decimus ius ac iustitiam belli: adseruit Alexander septimus vim potestatemque principis legiferam [12]) damnata propositione hac: „Populus non peccat [13]) etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam.„ Sunt igitur vel ipsi casus belli et pacis, in quibus iustitiam vel iniustitiam pontifices authentico iudicio fidelibus populis declararunt. Sed hinc colligitur

Socialis ac politicus. *Dominus.* *Bellum.* *Lex.*

9. in ordine universo disciplinarum ac institutionis fidelium romanum fuisse episcopum, qui earundem multiplices veritates adseruit, sententiaque sua firmavit, declaravit.

Disciplina ac institutio.

---

[1]) Damnat. ab Innocent. XI. prop. 37. ibid. n. 1054. *Mohatra.*

[2]) Ibid. prop. 36. n. 1053. *Necessitas.*

[3]) Ibid. propp. 38. 39. nn. 1055. 1056. *Restitutio.*

[4]) Damnat. an. 1665. ab Alexandro VII. prop. 2. „Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.„ *Duellum.*

[5]) Damnat. ab Innocent. XI. propp. 30. sqq. l. c. nn. 1047. sqq.

[6]) Damnat. ab Alexandro VII. l. c. n. 989. propos. 18. coll. prop. 26. n. 997. *Auctoritas publica.*

[7]) Ibid. n. 990. prop. 19.

[8]) Damnat. a Joanne XXII. error 3. Waldensium l. c. n. 415. coll. damnat. a Martino V. prop. 43. Wikleff. coll. art. 12. proposit. Hussit. l. c. n. 556. damnat. ab Innocent. XI. prop. 26.

[9]) Nam religione ac moralitate seclusa nullum est ac nihil valet iuramentum. *Iuramentum.*

[10]) Adprobata damnatione art. 30. Huss. l. c. n. 550. p. 195. *Martin. V.*

[11]) Reiecta prop. 34. Lutheri ibid. n. 658. p. 224. „Praeliari adversus Turcas est repugnare Deo visitanti iniquitates nostras per illos.„ *Leo X.*

[12]) Die 24. Septemb. 1665. ib. p. 320. n. 28. *Alexand. VII.*

[13]) Ubi rursum adparet, hanc quoque rem, quae capitalis in societate est, ad conscientiam revocari, sine qua nulla lex salva, nulla humana auctoritas firma.

401. Sed quid ex praestitutis his adparet? Illud nimirum, vix dari in humanarum scientiarum ordine ullum, qui vinctus cum summi pastoris magisterio non sit. Scilicet vinctus cum summo ecclesiae pastore ac salutis doctore totus homo elevatus, universa elevata humanitas. Atqui huius est scientiarum encyclopaedia. Hanc pro suis cum divino ordine nexibus supernum illius magisterium moderatur ac temperat; pro iisdem nexibus in eadem semet exercet christianus scientiae cultor, qui supremum ab illo docendus est et pascendus ad vitam; ac propterea in scientiarum cultura nihil sibi permittit, quo, quod attinet sive ad obiectum ac materiam sive ad methodum ac formam, expresso illius iudicio, moderamini atque nutibus adversetur.

Vincta cum pontificis magisterio encyclopaedia.

Scientiarum universitas.

402. Scientiarum encyclopaedia ita exculta constituit catholicam scientiarum universitatem: et haec erat idea, immo erat et res veterum, quae exsistebant, universitatum, quaeque adeo citra romani pontificis magisterium actionemque esse et cogitari non possunt nec debent.

Catholica scientiarum firmitas.

403. Sed hinc in illis praeclara scientiarum unitas et harmonia: vera porro earundem catholicitas, tum, citra quod [1]) genuina scientia consistere nulla potest, solida inde earundem firmitas. Enimvero sicut ex norma revelationis obiectiva, Scripturis et Traditione, firmitatis robur nunc directum nunc indirectum in obiectivas rationis veritates redundat: ita firmitas normae subiectivae supremi magisterii obiectivam veritatem declarantis et definientis in subiectivam scientiarum naturalium firmitatem apud illorum cultores reflectitur. Unde ubi christiana scientiarum illa ratio et cultura servabatur, generalia studiorum collegia vere acies erant veritatis ordinata contra humanas errorum perversitates.

Wikleffitae.

404. Propterea nihil mirum, quod homines novarum rerum contra antiquam fidem veritatemque studiosi cum Joanne Wikleff his geminisque in instituta illa propositionibus [2]) inveherentur:

---

[1]) Hinc Plato negabat, de ente iugiter mutabili de τῷ μὴ ὄντι haberi scientiam, quae dumtaxat de τῷ ὄντι, de ente stabili dari posset, cuiusmodi sunt ideae semper eaedem.

Luther.

[2]) Art. 29. inter damnat. 45. l. c. n. 505. p. 188. Haec postea Lutherus sequutus, testibus Adriano papa, in bulla adversus illum, et Clicthovaeo de miss. sacrif. c. 29. eoque progressus est, ut dixerit, scholas christianas esse Sodomas et Gomorrhas et malorum omnium sentinas. Quibus peius nihil dictum legitur

„Universitates, studia, collegia, graduationes et magisteria in iisdem sunt vana gentilitate introducta; tantum prosunt ecclesiae sicut diabolus.„ Quibus reiectis ac damnatis Martinus quintus probato Constantiensium iudicio illa quoque studiorum humanaeque ac divinae scientiae asyla adseruit. *Martin V.*

405. Et iure summo: sunt enim cum supremo tutissimoque fidelium omnium magistro vincti humanarum ordines scientiarum, quae ab illius norma habent veritatis sive firmissima principia sive inmobiles fines prope ac terminos. Cum eodem ergo vinctae [1]) penitus christianae scientiarum scholae, sedes, universitates. Atque huc spectat oeconomia et vis magisterii eius, qui vocatur et est vicarius Christi in terris. Aeterna Verbi sapientia fons est, fundamentum et exemplar omnis scientiae in coelo et in terra. Eiusdem sapientiae inter homines salutaris manifestatio, ut est [2]) norma sapientiae aeternum generi necessaria: ita scientiarum nulla eidem esse contraria sive potest sive debet, sed eidem quaelibet conformis reddenda ac consona. Verbi incarnati in terris vicarius est romanus episcopus, qui personam illius gerit, normam illius [3]) inmutabilem praefert, inmobilem illius manife- *Habitus magisterii ad universitates.*

---

apud Baronium ad an. 316. de Licinio imperatore, neque apud August. de civ. Dei l. XVIII. c. 32. et Gregor. naz. c. Julian. or. de Juliano apostata neque apud Paulum diacon. l. XXII. de Habdalo mahometano syriaeque tyranno. *Scholarum osores.*

[1]) Scite F. Suares tract. de relig. soc. Jesu l. V. c. 4. ed. Bruxel. 1857. p. 284. col. 2. n. 604. „Igitur, inquit, publica studia vocamus ea, quae . . . pro omnibus sive laicis et saecularibus sive religiosis cuiuscumque ordinis exponuntur, quae tunc universitates appellantur, quando privilegiis pontificiis ac regiis muniuntur, ut in eis usque ad literarios gradus progressus fieri possit.„ E quibus genuinus itidemque antiquus universitatis conceptus colligitur. *Suares.*

[2]) Egregia sunt illa b. Augustini in Joan. tr. 45. „Non est autem cuiquam spes vera et certa semper vivendi, nisi agnoscat vitam; quod est Christus, et per ianuam intret in ovile. Quaerunt ergo plerumque tales homines etiam persuadere hominibus, ut bene vivant, et christiani non sint. Per aliam partem volunt ascendere, rapere et occidere: non ut bonus pastor, conservare atque salvare. Fuerunt ergo quidam philosophi de virtutibus et vitiis subtilia multa tractantes, dividentes, definientes, ratiocinationes acutissimas concludentes, libros implentes, suam sapientiam buccis crepantibus ventilantes, qui etiam dicere auderent hominibus: Nos sequimini, sectam nostram tenete, si vultis beate vivere. Sed non intrabant per ostium: perdere volebant et occidere.„ Atque idipsum porro de pharisaeorum et haereticorum scientia ac sapientia repetit. *Augustinus.* *Scientia ac philosophia a Christo aversa.*

[3]) Tam obiectivam, ut aiunt, revelatam scilicet doctrinam, quam subiectivam, videlicet iustam veramque illius declarationem: de quibus cf. paulo prius exposita.

stationem [1]) custodit, infallibili ore ac sententia docet, declarat, tuetur ac vindicat; huic ergo normae opposita nulla humana scientia sit, sed ad eam quilibet cultor scientiarum christianus atque fidelis semet exigat atque adcommodet.

6. Pii Noni Syllabo firmatur.

406. Suo supremi doctoris munere ad tuendam omnem christianam veritatem romani pontifices, ut par erat, functi semper, uti vidimus, sunt. Sed nescio, utrum actus ab iisdem prodierit ex adiunctis splendidior, ex rerum magnitudine amplior, ex materia et obiecto gravior, et pro hominum conditione salubrior eo, qui nuper emanavit a Pio glorioso nostro pontifice et uno totius humanae rei valido sospitatore. Quae a multis pontificibus singillatim adserta supra dedimus, ea simul omnia Pius et insuper uno actu complexus tuetur, sed ea vindicat pariter, quae quo recentius eo peius vexantur.

407. Postquam enim apostolico more [2]) qua potestate loqueretur praestituit, ac supremum sibi doctoris et pastoris commissum officium declaravit, suo porro munere [3]) pro summa auctoritate fungens „praedicandi verbum, instandi opportune, importune arguendi, obsecrandi, increpandi in omni patientia et doctrina„ ubi maxime inpleta videntur quae [4]) Apostolus praedixit: „Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur„ pastor vigilantissimus „in omnibus laborans, opus faciens evangelistae [5]) ministerium suum implens„ secundum gloriosa praedecessorum [6]) exempla

II. Tim. IV.

1. statuit universe de superno divinitusque instituto salutis ordine, de salutari fide [7]) ac morum doctrina, de Christi ecclesia

---

[1]) Cf. I. Tim. VI. 20. II. Tim. I. 14. „Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum qui habitat in nobis.„

[2]) Cf. ingressiones epistolarum Pauli aliorumque Apostolorum.

[3]) II. Tim. IV. 2. sqq.

[4]) Ibidem.

[5]) Divinae veritatis enarratoris authentici.

[6]) Vide encyclicam „Quanta cura„ adnotationibus auctam par. II. opusculi cui titulus „Papa et ideae recentes„ Vindobon. 1865.

[7]) Cf. ibid. pp. 1. sqq.

et sacris eius iuribus, de christianae huius oeconomiae necessitate, cui nationes aeque ac singuli homines [1]) obnoxii exsistunt: hinc statuit generatim *Ordo salutaris.*

2. de erroribus temporis directe oppositis [2]) tum exercitio pastoralis officii, doctrinae ac fidei, ecclesiae et iuribus eius, illorum fontes aperit [3]), machinationes retegit. Verum quum istae fraudulento ac nefario ausu in ipsas totius instituti divinitus ordinis conditiones convertantur, statum, naturam ac indolem: hinc sentiendi eiusmodi loquendique perversitate in encyclicis litteris [4]) universe damnata et reiecta, in addito propositionum syllabo speciatim Pius *Errores oppositi.*

3. tuetur ac vindicat vim necessitatemque unius divinae revelationis uniusque religionis [5]) divinitus institutae, indifferentismo et latitudinarismo [6]) damnato: *Una instituta divinitus religio.*

4. tuetur ac vindicat vim necessitatemque rationis et sanae philosophiae, pantheismo, naturalismo et rationalismo, quem absolutum [7]) vocant, reiecto: *Ratio ac philosophia sana.*

5. vim et auctoritatem ordinis theologici, mutuas eum inter et philosophicum ordinem habitudines, scientiam scientiaeque methodum, illius principium itidemque praesidia, quibus is tam in se quam in suis cum aliis disciplinis relationibus tutus sit et certus, tuetur ac vindicat excluso rationalismo [8]) quem moderatum adpellant. Porro *Habitus inter theologicum ordinem et philosophicum.*

---

[1]) Ibid. p. 4.

[2]) Ibid. pp. 2. sq.

[3]) Ibid. pp. 3. sqq.

[4]) Vide ibid. pp. 4. sqq.

[5]) Considerato ordine historico, videlicet eo spectato, quod Deus per Christum in Spiritu sancto revelatam institutamque voluit ac dedit supernaturalem religionem, et eam quidem ad omnium omnino hominum salutem plane necessariam, profecto liberum amplius ulli mortalium esse nequit, in ordine religioso pro suo lubitu et arbitrio, vel etiam pro solo rationis lumine semet habere et gerere; sed illam quilibet tenetur amplecti, et ratione revelatori subiecta ad aeternam consequendam salutem ex illius nutu ac praescripto per unam et solam ecclesiam Dei manifesto conniti.

[6]) Syllabi §. 3. ibid. pp. 22. sqq.

[7]) Syllab. §§. I. coll. II. ibid. pp. 17. sqq. Sicut in priori paragrapho ea reiiciuntur, quae cum ipsa etiam sana ratione et philosophia pugnant, quaeque ad probandae adserendaeque fidei conditiones, praeambula, ut aiunt, et requisita referuntur: ita quae paragrapho posteriori continentur, reiiciunt habitum relationemque praeposteram, quae rationem inter ac revelationem, fidem humanamque scientiam statuitur.

[8]) Syllab. §. II. ibid. pp. 20. sqq.

Ordo morum. 6. vim necessitatemque ordinis ethici et eius non christiani tantum ac theologici, verum etiam naturalis ac philosophici, repudiatis opinionum [1]) commentis de illius natura ac indole, deque eius separatione a iure et lege. Tum nominatim

Ordo iuris et officii. 7. vim rationemque ordinis officiorum et iuris, quaeque ad eum spectant, principia ac conditiones, amplitudinem illius, sanctionem et obligationem, tuetur ac vindicat confixis figmentis [2]) de norma iuridica et ethica, quae esset a facto consummato, a factorum exitu, a numeris, ab inmoderato amore erga patriam suamque nationem desumenda. Jamvero ad haec, depulso [3]) inpotentissimo civilis potestatis dominatu, tuetur ac vindicat

Ecclesiae potestas ac societas. 8. vim, perfectionem necessitatemque ecclesiasticae societatis, potestatem eius hominum nulli obnoxiam, infallibilem prae suo obiecto, sive id supernum credendumque sit sive naturale et tenendum; abusus inpatientem ac coercitivam; temporalis possessionis ex sese capacem et indigam; in suarum ordine rerum, personarum, disciplinarum, omnino inmunem; tandem potestatis universalis et supremae in totam ecclesiam et in ipsa nationalia concilia subiectum, quod quidem non esse nisi episcopus dicitur inmobiliter romanus. Hac stabilita adsertaque religiosa credentium societate contra aliam civilis potestatis invasionem, tuetur ac vindicat pontifex conservandae illius veluti conditionem, scilicet

Coniugalis societas. 9. vim dignitatemque supernam matrimonialis fidelium coniunctionis[4]), propria solius ecclesiae circa eandem iura potestatemque definiendi, quibus in adiunctis illa valeat ac liceat. Deinde

Societates perversae. 10. condemnatis variis clandestinis ac inpuris hominum coniunctionibus [5]) omni hominum societati, ecclesiasticae, civili, ac familiari pariter inimicis, eandem una ac simul pontifex tuetur ac vindicat. Sed non satis; verum

Iustus humanarum societatum habitus. 11. iustum inter utramque hominum societatem, civilem inquam et ecclesiasticam, habitum conservandum tuetur et adserit, dum hinc illiberale inpietatis dogma explodit, quo sola vera Christi ecclesia apud civilem potestatem vel penitus excluditur et respublica ab ecclesia avellitur, vel sua destituitur praerogativa, dum omnibus sectis aequiparatur, et ipsam cum venerando suo

---

[1]) Syllab. §. VII. ibid. pp. 34. sqq.
[2]) Syllab. ibid.
[3]) Syllab. §. V. ibid. pp. 23. sqq.
[4]) Syllab. §. VIII. ibid. pp. 36. sqq.
[5]) Syllab. §. IV. ibid. p. 23.

capite esse humanarum rerum vicissitudinibus, quas solent [1]) etiam profectus nominare, subiectam subiiciendamque contenditur; inde autem profligat reipublicae tyrannidem, potestatem actionemque [2]) in ecclesiam, in eius fidei morumque doctrinam, in sacramenta eorumque administrationem, et in consilia evangelica eorumque professionem, in educationem universamque theologicam institutionem cleri ipsius, in scholas deinde populares totamque iuventutis christianae [3]) culturam, in omnem denique ecclesiae vitam, maxime in fidelium cum pastoribus et totius ovilis cum summo pastore communicationem: scilicet ut illud repellatur inpium, quasi vero principes huius mundi rectores forent regni coelestis. E contrario *Potestatis profanae invasiones repelluntur.*

12. infirmato eversoque inpiorum scelere, quo [4]) apostolico ecclesiae principi eripere temporalem principatum satagunt, vindicat atque tuetur non compossibilem tantum, ut loquuntur, neque utilem modo vel opportunam, sed pro normali ordinatoque ecclesiae suique capitis statu necessariam exsistendi, vivendi semetque in ordine suo explicandi [5]) conditionem ac commoditatem. *Temporale Papae dominium.*

408. Ita Pius nonus: quibus rerum scientiarumque ordinem nullum praetermisit, ad quem apostolicam sui magisterii auctoritatem non extendisset. Ad ecclesiam universam universalis doctor et magister supremus loquutus est, ut salutis viam et veritatem omnes ecclesiae catholicae filios [6]) doceret: ex ore Pii loquutus est Petrus, quaeque rata habet aut reiecta, ea infallibili ac irreformabili iudicio constituit statutaque manent. *Syllabi auctoritas.*

---

[1]) Syllab. §. X. ibid. p. 40.

[2]) Syllab. §. VI. ibid. pp. 28. sqq.

[3]) His praescriptionibus ac monitis gloriosus pontifex pastoralem curam ostendit, quam magnam semper eiusdem praedecessores de iuventutis institutione habebant, et quam in lateranensibus conciliis Alexander ac Innocentius uterque tertius aliis omissis manifestarunt, et de qua pariter concilium tridentinum sess. V. c. 1. de reform. sess. XXV. c. 18. de reform. gravissime statuit. Cf. F. Suar. l. c. l. V. c. 5. nn. 620. sqq. pp. 292. sq. et n. 630. p. 297. ubi de conatibus antiquiorum haereticorum loquitur in perdendis pueris atque iuvenibus. *Iuventutis educatio.*

[4]) Syllab. §. IX. ibid. pp. 39. sqq.

[5]) De his postea dicetur amplius.

[6]) L. c. pp. 10. sq. „Itaque omnes et singulas pravas opiniones ac doctrinas singillatim hisce litteris commemoratas auctoritate Nostra apostolica reprobamus, proscribimus atque damnamus, easque ab omnibus catholicae ecclesiae filiis veluti reprobatas, proscriptas atque damnatas omnino haberi volumus et mandamus.„

7. **Corollariis aliquot res absolvitur.**

409. Ex his omnibus collegisse aliquot iuverit consectaria, quae per universam de infallibili pontificum magisterio praemissam disputationem exsistunt; sed nunc emanatis Pii noni gravissimis una cum propositionum Syllabo litteris, usum apprime practicum habent, quo suos eaedem litterae fructus salutares sortiantur ac porro ferant.

Corollarium I. Romano pontifici, veluti authentico ac infallibili salutis magistro salutaris debetur obedientia, quaeque tanquam vera revelationis ille definit, ea ad salutem credenda profitendaque infallibiliter, et iterum infallibiliter sunt ad salutem tenenda ac docenda, quae in ordine ad illa idem tanquam vera rationis declarat.

Corollarium II. Penes romanum pontificem est negative primum, opinionem cuiuslibet humanae scientiae vel disciplinae oppositam credendis tenendisque veris salutaribus authentica ac infallibili sententia reiicere ac condemnare, et hoc una cum praepostera illius ratione ac causa, sive ea in errore sit circa materiam atque obiectum sive in usu methodi atque formae scientiarum; et contra positive, penes ipsum est, adserere ac tueri quamvis, salutari doctrinae necessariam humanarum scientiarum veritatem una rursum cum eiusdem ratione ac causa tam materiali obiecti, quam formali viae methodique illius comparandae et comprobandae. Et in his ei pariter est docilitas adhibenda et pietas.

Corollarium III. Quare ut cuiusvis christiani probe fidelis est, fide amplecti aut aversari, quae a romano pontifice tanquam vera revelationis vel uti iisdem opposita definiuntur; ita scientiarum cultoris christiani probeque fidelis est, quae a romano pontifice sive uti rationis vera sive ut iisdem opposita declarantur, sua doctrina comprobare, si primum, si alterum, confutare.

Corollarium IV. Scilicet, ut summa brevique dicam: sicut quilibet christianus homo per baptismum factus[1]) Christi discipulus, per magistrum, qui est suprema ac inmutabilis veritas quemque sequi est pollicitus, ad certum ac inmutabilem determinatur et devincitur cogitandi, sentiendi loquendique ordinem[2]) quo dicatur ac sit vere christianus: ita positus a Christo ipso in terris vicarius,

---

Matth. XXVIII. 19

[1]) Id significat phrasis *μαθητεύσατε βαπτίζοντες*, baptizando facite discipulos.

[2]) Is respondeat elevationis suae ordini, principio, fini atque mediis.

Petri in romanae ecclesiae sede successor, eundem cogitandi, sentiendi loquendique ordinem loco Christi infallibili suo iudicio supremum sic determinat, ut firmus idem ac inmutabilis inter credentes perseveret. Hunc igitur supremum credentium magistrum christiani omnes vi datae Christo fidei diligenter audire atque mente, animo et ore fideliter sequi tenentur. Quo fit, ut Christi fideles vinciantur christianae veritatis unitate, quam ab illo qui est eius determinans principium, romanam vocamus.

410. Itaque, ut absolvamus, hoc ratum porro et fixum sit: Romanus pontifex, prae superno christianae itemque inmutabilis veritatis ordine, quo is late patet, sive illa sua natura potius contemplativa sive activa sit, in suis velut universalis supremique doctoris iudiciis [1]) est inerrabilis omnino ac infallibilis doctor.

411. Sed idem pontifex, prae ordine christianae et ex se mutabilis actionis, in suis, quas uti summus ecclesiae pastor sententias fert, est penitus inadpellabilis legumlator et iudex.

CAPUT VI.

De Pontificis romani inmunitate ab iniustitia,

sive

De praesidio inadpellabilitatis romanae in regendo.

412. Quum semet hominum vita rationalis non exserat tantum mente ac intelligentia circa intelligibile cognitionis obiectum, *τὸ νοητὸν*, quod in se idem semper ac inmutabile est; sed explicet semet etiam voluntate volendique viribus circa agibile operationis obiectum, *τὸ πρακτέον*, quod est varium et multiplex: hinc *Orbis vitae rationalis.*

---

[1]) Quamvis in concreto, ut aiunt, et secundum communiter contingentia nullus oriri scrupulus possit, loquutus aliquando nec ne fuerit pontifex veluti summus doctor et universalis: mota tamen ab auctoritatis pontificiae inpugnatoribus etiam hac de re quaestio est. Cui vindices eiusdem romanae praerogativae reponentes advertendum praescribunt tum ad materiam sive obiectum, quod proponitur quodque ad ordinem salutis ecclesiamque universalem pertineat oportet; tum ad rationem ac formam, qua declaratio proponatur ac fiat. Et ita nullum, inquiunt, cum Suare l. s. c. nn. 230. sq. tum obtinere posse dubium de qualitate ac persona declarantis pontificis, si in eius decretis reperiantur verba „quae falsis interpretationibus omnem viam praecludunt, scilicet, motu proprio, ex certa scientia, ex plenitudine potestatis. Primum scilicet, motu proprio (ut doctores dicunt) excludit subreptionem *Indicia loquentis e cathedra pontificis.* *Suares.*

ad obtinendam apud multitudinem mentium intelligentiarumque unitatem exigitur authentica veritatis norma pro omnium intellectu, et ad ordinem apud multitudinem agentium obtinendum conservandumque requiritur authentica agendorum norma pro omnium voluntate. Haec ipsa ratio manet spectato homine christiano, observata tantum proportione elevationis provectionisque illius ad ordinem supernaturalem salutis, in quo veritas regnat et iustitia.

I. Necessitas authenticae ac universalis actionum normae.

413. Nimirum eo quod homo per Christum in ecclesia sublimatus fuit totus, non modo indiget pro intelligentiae ordine ac veritatis superno magisterio ac doctore, sed pro ordine voluntatis actionumque imperio etiam iusto tutoque pastore; et eo quidem utroque sociali[1]) publico, ecclesiastico. Propterea ferri nequit eorum placitum [2]) lutheranum, calvinianum, anglicanum, qui detracta disciplina et administratione nolunt ecclesiae obnoxium nisi symbolum et sacrum liturgiae cultum. Atqui Christus in ecclesia sua voluit [3]) non docentes modo ac discentes sive audientes, sed regentes quoque ac sequentes sive obedientes. Et quod Christus voluit, id in ius factumque abiit, dum et ipse primus esset non ecclesiae tantum institutor, sed suorum etiam rector ac

Eadem magisterii ac regiminis forma.

---

a litteris apostolicis . . . Ex certa scientia . . . pontifex iudicat, se non deceptione aliqua, sed ex vera et perfecta informatione concedere . . . De plenitudine potestatis . . . ad tollendam omnem ambiguitatem expresse additur . . . quia non poterat clarius exprimi, pontificem operari ut pontificem et non privatam personam, quam dicendo se hoc declarare ex plenitudine potestatis; hanc enim non habet nisi quatenus pontifex est. Et quia potestas debet esse accommodata actui, certum est, hic non esse tantum sermonem de potestate iurisdictionis, sed maxime de potestate quae clavis scientiae appellatur . . . Potestatis autem plenitudo in hoc genere nihil aliud est, quam quod potestas sit ad docendum cum assistentia Spiritus sancti ac certitudine infallibili.„ Sed de his praestitutum luculenter.

[1]) Id cohaeret cum natura ecclesiae, quae est societas perfecta, de quo cf. l. I. c. II. pp. 10. sq.

Grotius aliique.

[2]) Quod multorum antecessores tuentur, Grotius, Pfaffius, Buddeus, qui externam actionum disciplinam civili imperanti vindicant ex inmediato iure naturali. Praepostere videlicet, quandoquidem hoc iure, ne dicam ecclesiatica, sed ne ipsa quidem societas civilis ordinata perfectius exsistat, verum mediato tantum.

[3]) Coll. Matth. XVIII. 16. quae ad disciplinam actionemque faciunt; Joan. XX. 21. quae ad regimen pertinent; I. Cor. XII. 28. ubi de gubernatione sermo est. De quibus vid. l. sup. l. c.

gubernator, et post ipsum a primo ad decimum nonum usque saeculum apud ecclesiam sui semper essent rectores disciplinaeque administratores. Porro uti magisterium ecclesiasticum ab ecclesiastico regimine, etsi re distinctum, subiectum tamen si spectes, disiunctum disparatumque non est; qui enim pastores, ii etiam doctores exsistunt, et qui docent, non nude, sed cum auctoritate [1]): ita a forma ecclesiastici magisterii, regiminis forma alia atque diversa non est. Atqui inter doctores unus est *πρωτοδιδάσκαλος*, per cuius supremam cathedram totius forma magisterii determinatur; similiter forma regiminis ad *μοναρχίαν* revocatur, ita quidem ut *μοναρχίας* subiectum ipse sit *ὁ πρωτοδιδάςκαλος*, qui adeo suo hoc sensu suaque proportione iugiter illud praeferat Christi [2]) cuius vicarius est: „Erat enim docens eos sicut potestatem habens, et non sicut scribae eorum et pharisaei.„ Rursum, inter pastores unus est [3]) *πρωτοποιμὴν* seu *ἀρχιποιμὴν*, qui principatu excellit, isque adeo est idem ipse *πρωτοδιδάσκαλος*, doctorum doctor et princeps. *Matth. VII. 29.*

414. Scilicet quemadmodum apud mentes intelligentiasque christianas obtinetur unitas per visibile unitatis principium, romanum pontificem, qui authentica intellectus norma sententiam proponit infallibilem, quam qui amplectuntur lumine unius eiusdemque veritatis perfunduntur: ita apud christianas voluntates obtinetur ordo, harmonia et pax per idem unitatis centrum, romanum pontificem, qui authentica actionum lege inadpellabilem dicit sententiam, qua qui reguntur, eodem caritatis spiritu in vinculo pacis uniuntur. Quod postremum quum statuimus, claritatis distinctionisque ergo haec iuverit praemonuisse. *Unitas sentiendi volendique.*

415. Humana actio certe innitatur ratione oportet, *τῇ θεωρίᾳ ἡ πρᾶξις*, et voluntatis opera iudiciis regantur quae practica vocant. Sed ratio, *θεωρία*, iudicia, ad ordinem veritatis referuntur. Atqui in hoc ordine romanum pontificem pro suo munere infallibilem *Mediata ab errore inmunitas.*

---

[1]) Id significatur abunde Matth. XXVIII. coll. Marc. XVI. de quibus cf. lib. sup. l. c. tum quae in ss. litteris leguntur de commissis clavibus ad ligandum, solvendum, de traditione facta satanae, de potestate subiiciendi in obedientiam, arguendi cum imperio, ulciscendi omnem inobedientiam, quaeque his gemina ac consona sunt, et de quibus lib. sup. plus semel expositum est. *Scripturae doctrina.*

[2]) Matth. VII. 29. *Ἦν γὰρ διδάσκων αὐτοὺς ὡς ἐξουσίαν ἔχων, καὶ οὐχ ὡς οἱ γραμματεῖς.*

[3]) Cf. sup. disputata de vi *ἀρχιποιμένος* et *ποιμενάρχου*.

ostendimus; nihil ergo ex dictis manifestius, quam authenticas illas romani pontificis regulas normasque agendi, quatenus ordinem supponunt veritatis sive revelatae sive simpliciter rationalis, sive contemplativae sive activae, et huius rursum sive ethicae sive iuridicae, sive politicae, infallibiles esse, nec proinde a dirigentibus proficisci principiis, quae veritate destituantur sive in ordine intellectus, sive in ordine morum, sive in ordine iuris. Verum de his nunc satis.

II. Romani pontificis in actionum ordine summa praerogativa.

416. Attamen illa ipsa romani pontificis in veritatum inmutabili ordine praerogativa, fundamentum est alterius eiusdem praerogativae, ad quam probandam adgressi sumus, qua scilicet inadpellabilis dicitur et est in mutabilium [1]) ordine actionum. Videlicet, quod plane consonum est, obtinet, ut, quemadmodum ordo veritatis fundamentum vel conditio est ordinis agendi, ita praerogativa romani pontificis prae ordine priori fundamenti conditionisque instar sit praerogativae prae altero ordine.

1. Ex probatis infertur generatim.

417. Sane in actionum christiano et salutis ordine potestas legifera ac iudiciaria, quae sit universalis, suprema et peremptoria, potestas normam figens voluntati, modum determinans agendi, sententiam in hoc rerum genere ferens, idque pro universa Dei ecclesia, et quidem omnibus, et citra adpellationem ad aliam ullam auctoritatem, talis, inquam, potestas nequit esse, nisi quam constet omnino non posse filios ecclesiae illudere praeposteris, peccata iis iniungere, illisque praecipere iniusta. Atqui hanc conditionem ac hypothesim per romanum pontificem expleri ostendimus. Quare iam de thesi.

418. Itaque penes romanum pontificem universalem esse potestatem ac supremam ferendi leges, quibus moderetur ac contemperet totius ecclesiae disciplinam; illius esse, quae ad ordinem,

---

[1]) Illud igitur quaerimus, quod ad inmutabilis verorum ordinis attinet aptationem adcommodationemque ad ordinem actionum, qui varius est ac multiplex, et multum ab adiunctis tam hominum pendet quam locorum et temporum.

tranquillitatem ac pacem ecclesiae in tanta agibilium varietate pertinent, determinare; illius, obortas de agendis quaestiones decretorio et inadpellabili iudicio finire: abunde demonstrat supremi et universalis pastoris munus, quo romanus episcopus, ut suo loco [1]) diximus, eximie praestat, ac inmediatam in totam ecclesiam vim potestatemque habet.

2. Ex traditione continui usus probatur.

419. Sed quum propositum sit, non nudam *θεωρίαν*, verum *πραγματείαν* praebere, expedit, ex antiquis ecclesiae monumentis usum rei patefacere. Atque huc iam facit data ad perturbatos Corinthios sancti Clementis epistola [2]) quam Irenaeus „necessariam dixit, qua illos ad pacem revocaret„: scilicet non erat necessaria tantum Clementis epistola, ut violatores stabiliti in ecclesia ordinis ad ordinem revocarentur et pacem; sed vim quoque illa necessitatis sive obligationis, ut aiunt, continebat [3]) qua Corinthii ad pacem tranquillitatemque ordinis redire tenerentur. Huc rursum quae idem „tradit [4]) Irenaeus: eadem tempestate (imperante Vero) Aniceto romanae ecclesiae praesidente, Polycarpum, qui etiamnum superstes erat, Romam venisse ob quaestionem quandam, quae de pascha inciderat, et cum Aniceto colloquium habuisse.„ His si contuleris, quae in eadem causa sub Victore [5]) acta sunt, facile intelliges, ex omnium persuasione supremum in illa iudicium ab romano episcopo [6]) dependisse.

Irenaeus.

Clemens rom.

Polycarp.

---

[1]) Lib. sup. c. III.

[2]) Adv. haer. l. III. c. 3. coll. Euseb. h. e. l. V. c. 6. Niceph. l. IV. cc. 14. sq. *Ἀπέστειλεν ἱκανωτάτην γραφὴν τοῖς Κορινθίοις εἰς εἰρήνην συμβιβάζουσα* (Niceph. et Ruf. *συμβιβάζουσαν*) *αὐτούς*.

Eusebius.

[3]) De his egregia rursum habet Hageman. l. c. pp. 680. sqq.

[4]) Apud Euseb. h. e. l. IV. c. 21. ed. Laem. pag. 270. *Ἐπὶ δὲ τῶν δηλουμένων, Ἀνικήτου τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας ἡγουμένου, Πολύκαρπον ἔτι παριόντα τῷ βίῳ γενέσθαι τε ἐπὶ Ῥώμης καὶ εἰς ὁμιλίαν τῷ Ἀνικήτῳ ἐλθεῖν διά τι ζήτημα περὶ τῆς κατὰ τὸ πάσχα ἡμέρας, Εἰρηναῖος ἱστορεῖ.* Similibus de causis Eleutherum convenit Irenaeus petens illius sententiam, de quibus Euseb. l. c. l. V. c. 6.

[5]) Ap. Euseb. h. e. l. V. cc. 26. sqq. Ad idem romani episcopi iudicium ab Aureliano imperatore revocatam rem tradit Eusebius ibid. l. VII. c. 30. Vid. sup.

[6]) Idipsum concluditur ex controversia de baptismo haereticorum, de quo superius pariter diximus.

420. Sed huc porro faciunt quae scribit [1]) ad episcopos Galliae Coelestinus papa: „Cuperemus quidem, inquit, de vestrarum ecclesiarum ita ordinatione gaudere, ut congratularemur potius de profectu, quam aliquid admissum contra disciplinam ecclesiasticam doleremus. Ad nostram enim laetitiam et benefacta perveniunt, et moeroris aculeis nos quae fuerint male facta compungunt. Nec silere possumus, cum ad hoc ut ab illicitis revocemus aliquos officii nostri provocemur instinctu [2]) in speculis a Deo constituti, ut vigilantiae nostrae diligentiam comprobantes et quae coercenda sunt resecemus, et quae observanda sunt sanciamus. Et quamvis circa longinqua spiritualis cura non deficit; de se per omnia qua nomen Dei praedicatur extendit: nec notitiam nostram subterfugiunt, quae in eversionem regularum novellae praesumptionis auctoritate tentatur.„ Praeclara omnia, quaeque diserte totum id comprehendunt, quod volumus; sed confirmatur idem specialibus disciplinae capitibus, quae pontifex reprobat corrigendaque praecipit: nimirum

Coelestinus.

Divino excitus instinctu silere non potest.

1. cultum [3]) habitumque sacerdotalem, de quo statuens concludit: „Erant quidem multa, quae pro disciplina ecclesiastica, vel ipsius rei dicere ratione possemus: sed ab his ad alia devocamur.„ Scilicet

Disciplina.

2. reprehendit eos, qui „poenitentiam morientibus denegarent, nec illorum desideriis annuerent, qui obitus sui tempore hoc animae suae cupiunt remedio subveniri.„ Cuius rei crudelitatem inpietatemque [4]) postquam ostendit, ita absolvit: „Cum

---

[1]) Apud Harduin. t. I. pp. 12. 58. sqq.

Ministerii apostol. gratia.

[2]) Hac phrasi ministerii sui gratiam denotat, qua in altissimo constitutus loco inpellitur ad vigilandum de observanda ecclesiastica disciplina.

Cultus ecclesiae gallicanae.

[3]) Ibid. I. Digna sunt quae referantur: „Didicimus enim, quosdam Domini sacerdotes superstitioso potius cultui inservire, quam mentis vel fidei puritati. Sed non mirum, si contra ecclesiasticum morem faciunt, qui in ecclesia non creverunt; sed alio venientes itinere, secum haec in ecclesiam, quae in alia conversatione habuerant, intulerunt. Amicti pallio et lumbos praecincti credunt se Scripturae fidem non per spiritum sed per litteram completuros . . . Unde hic habitus in ecclesiis gallicanis, ut tot annorum tantorumque pontificum in alterum habitum consuetudo vertatur? Discernendi a plebe vel ceteris sumus doctrina, non veste; conversatione, non habitu; mentis puritate non cultu. Nam si studere incipiamus novitati, traditum nobis a Patribus ordinem calcabimus, ut locum supervacaneis superstitionibus faciamus.„

Poenitentiae severitas.

[4]) E quibus colligi potest; quid antiquitas ecclesiastica censuerit de poenitentiae ea severitate, quasi certis criminibus nullam unquam veniam ac remissionem concessisset.

ergo sit Dominus cordis inspector, quovis tempore non est deneg
ganda poenitentia postulanti, cum ille se obliquet (al. obliget) iudici, cui occulta omnia noverit revelari.„ Tandem

3. eos reprehendit, qui contra canones conferrent vel modo indebito [1]) vel indignis plane hominibus ordines.

421. Hinc Nicolaus primus nihil inauditi vetabat, quum reiiciens Photium [2]) scriberet: „Antea doctor prorupit, quam doctus exstiterit; prius magister videri cupit, quam discipulus audiri; prius auditor esse debuit, ac deinde institutor. Sed hic doctoris e contrario cathedram eligens, docere prius elegit ac deinde coepit doceri; prius sanctificare curavit, ac demum sanctificari: prius illuminare voluit, et postmodum illuminari. Haec itaque catholicus ordo prohibet: et sancta nostra romana ecclesia talem electionem semper prohibuit per antecessores nostros catholicae fidei doctores. Quorum nos tenorem observantes, instituta ipsorum esse inviolabilia censemus.„ E catholicis porro fidei doctoribus, quos illico in medium profert, praeter Coelestinum [3]) „sanctissimum doctorem et nostrae romanae sedis praesulem egregium„ Leonem „sanctissimum doctorem [4]) et apostolicae romanaeque sedis pontificem egregium, cuius laus in quarta synodo magnificatur„ Gelasium [5]) „Leonis meritis non imparem„ et praedecessorem [6]) Adrianum adducit „sanctissimum praesulem in epistola quam Constantinopolim pro venerandis imaginibus destinaverat.„ Unde colligit [7]) Nicolaus: „Talibus itaque, fratres carissimi, qui iuris nostri (id est canonum) gubernacula custodimus, necesse est obviemus . . . ac deinde cum nostro praesulatui significatum fuerit, quid de eo agendum sit, apostolica sanctione diffiniemus: ut vestra ecclesia

Nicolaus I. *Photius.* *Catholicus romanae ecclesiae ordo.* *Inviolabilia instituta romanorum pontificum.* *Romani iuris traditio.*

[1]) Nimirum variis ordinum gradibus non observatis. Quo pertinent apud Nicolaum I. in ep. ad Michael. imperat. l. inf. c. haec sardicensis concilii: „Si forte aut dives aut scholasticus de foro aut ex administratore episcopus fuerit postulatus, ut non prius ordinetur, nisi ante lectoris munere et officio diaconii aut presbyterii fuerit perfunctus, ut per singulos gradus, si dignus fuerit, ascendat ad culmen episcopatus.„ Similiter Gregor. M. epp. l. V. ep. 21. ad Constantin. Aug. opp. t. III. pp. 750. sqq. *Sardicens. concil.*

[2]) Ep. IV. ad Michael. imperat. in VIII. synod. act. 4. et ap. Mign. lat. PP. t. 119. p. 774.

[3]) Ep. II. c. 21. cf. l. s. c.

[4]) Ad Anastas. thessalon. ep. LXXXVIII. c. 33.

[5]) Ep. VI. c. 3.

[6]) Ep. V. circ. fin.

[7]) Ibid. pp. 775. sqq.

quae tantis quotidie quatitur anxietatibus, inviolabilis deinceps et inconcussa permaneat.„ Quibus Nicolaus et supremam suam ad ecclesiasticum ordinem conservandum potestatem et universalem suam propterea curam et utriusque finem clare descripsit. Hinc idem inter alios hunc [1]) in romana synodo canonem fixit: „Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones vel decreta pro catholicae fidei disciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione sceleratorum vel interdictione imminentium vel futurorum malorum a sedis apostolicae praesule salubriter promulgata contempserit, anathema sit:„ quia tali contemptu ecclesia Christi non minus perturbatur et evertitur *πρακτικῶς* ac contemptu decretorum doctrinae ac fidei *θεωρητικῶς*.

Ordo ecclesiasticus.

Contemptor romani decreti anathema.

Innocent. III.

422. Unde Innocentius tertius: „Ipsam etiam, ait [2]), romanam ecclesiam non solum universis fidelibus praetulit, sed super ceteras etiam ecclesias exaltavit, ut ceterae ab ea non tantum vivendi normam et morum sumerent disciplinam, sed et fidei etiam catholicae documenta reciperent et eius servarent humiliter instituta.„

Romana vivendi norma.

Mich. Palaeolog.

423. Quae iis sunt simillima, quibus Michael Palaeologus [3]) in concilio lugdunensi confessus est: „Sanctam romanam ecclesiam summum et plenum primatum et principatum [4]) super universam ecclesiam catholicam obtinere; quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum [5]) principe sive vertice, cuius romanus pontifex

---

[1]) Can. 5. in syn. habita an. 863.

[2]) Ep. ad Leon. illustr. reg. armen. ap. Mign. lat. PP. t. 214. pp. 779.

Professiones fidei.

[3]) Confess. fid. l. s. c. ap. Denzing. l. c. n. 389. Quibus cf. decret. union. graec. in bull. Eugen. IV. ibid. n. 589. tum profession. fid. graecis praescript. a Gregor. XIII. per constitution. „Sanctissimus Dominus„ ibid. n. 871. et profess. fid. orientalib. praescript. ab Urbano VIII. et Benedicto XIV. per constitution. „Nuper ad Nos„ ibid. n. 876. conc. Ruthen. Zamosc. ed. Laem. Friburg. 1865. §. 7. p. 10.

[4]) Quibus cf. allata superius ex conc. chalced. act. 16. nicaen. II. act. 2. ap. Hadrian ad Taras. lateran. IV. c. 4. Anastas. II. ad Anastas. imperat. Joan. II. ep. ad Justinian. imperat. et conc. Ruthen. Zamosc. ibid. §. 11. p. 14.

Constantinop. III.

[5]) His simillima habent Patres concil. constant. III. ep. synod. ad Agathonem ap. Harduin. t. III. p. 1437. *Ὅθεν καὶ ἡμεῖς ὡς πρωτοθρόνῳ σοι τῆς οἰκουμενικῆς ἐκκλησίας τὸ πρακτέον παρατιθέμεθα ἐπὶ τὴν στερεὰν πέτραν ἑστῶτι τῆς πίστεως, τοῖς παρὰ τῆς ὑμετέρας πατρικῆς μακαριότητος πρὸς τὸν εὐσεβέστατον βασιλέα τῆς ἀληθοῦς ὁμολογίας ἐμφιλοχωρήσαντες γράμμασιν· ἅπερ καὶ ὡς ἀπὸ τῆς κορυφαίας τῶν ἀποστόλων ἀκρότητος θεολογηθέντα γινώσκομεν:* „Itaque tibi ut primae sedis antistiti universalis ecclesiae quid gerendum sit relinquimus stanti super firmam fidei petram: litteras confessionis vestrae ut a summo Apostolorum vertice divine perscriptas agnoscimus.„

est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit . . . Ad quam potest gravatus quilibet super negotiis ad ecclesiasticum forum pertinentibus appellare : et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius potest iudicium recurri: et eidem omnes ecclesiae sunt subiectae, ipsarum praelati obedientiam et reverentiam sibi dant.,,

Tribunal ecclesiasticum.

424. Quibus cum fidei professiones ac formulae orientalibus plus semel a romana sede propositae et ab illis, uti constat, acceptae plane consentiant, colligitur iuge et concors totius ecclesiae suffragium et usus, quo firmatur ac statuitur, christianam omnem vitam tam internam, quae maxime fidei morumque normis determinatur, quam externam, quae semet potissimum externis disciplinae institutionisque actibus explicat, moderamine ac lege temperari romani pontificis uti supremi ecclesiae legislatoris ac iudicis, cui omnes per orbem episcopi cum omnibus gregibus suis obnoxii sunt.

Pius VI.

425. Rem gravissimo auctoritatis rationumque pondere exponendam curavit Pius sextus in data ad quatuor Germaniae metropolitanos responsione, in qua [1]) haec adcommodatissima leguntur: ,,Nonnisi manifesto errore potuisti, archiepiscope Moguntine, episcoporum in sua dioecesi auctoritatem auctoritati summi Pontificis exaequare, et in hanc sententiam [2]) erumpere: ,,Jura episcopalia nullo modo limitationi obnoxia sunt, imo ad episcopum, et archiepiscopum spectat pleno iure liberum, et plenipotens exercitium, quod pridem libertas ecclesiastica vocari solebat, et habet pro fundamento omnem independentiam ab omni incompetente alia jurisdictione.,, — Omnia enim concilia, et concilium praesertim Basileense, tanto laudum cumulo a Vobis, vestrisque Collegis elatum, cuius verba nos exscripsimus supra [3]), Vos admonent: solum Petrum in plenitudinem potestatis vocatum esse, alios in partem sollicitudinis: ita ut Pontifici non tamquam duci, sed tamquam capiti subiiciantur, et ut qui contra sentiunt, schismaticorum haereticorumque nota a Joanne Gersone inurantur [4]) his verbis: ,,Schismaticum et haereticum habendum, qui negaret,

Pseudo-libertas ecclesiastica.

Discrimen ducis et capitis.

Gerson.

[1]) SS D. N. Pii VI. respons. ad Metropol. Romae 1789. c. IX. sec. 1. pp. 300. sqq. coll. c. VIII. sec. II. nn. 25. sqq. pp. 187. sqq.

[2]) In litt. encyclic dat. die 26. Novemb. 1788. §. Nemo melius.

[3]) §. 31. Similia tuetur pontifex in collect. decision. Sed. Apost. relat. ad negot. eccles. Gall. Rom. 1800.

[4]) De Statib. eccles. consid. I.

Status papalis institutio. statum papalem institutum esse a Deo supranaturaliter et immediate, tamquam habentem primatum monarchicum, et regalem in ecclesiastica hierarchia;„ et qui sentiunt „quod quilibet episcopus in sua dioecesi est Papa, vel pastor supremus aequalis Papae romano, errare in fide et unitate ecclesiae contra articulum hunc, Et unam sanctam Ecclesiam, et si pertinaces maneant, iudicandos *Marsil. de Padua.* esse haereticos, sicut Marsilius de Padua et [1]) quidam alii.„ Cumque Corinthius episcopus, liberam hanc potestatem praetexens, subdit Pius [2]), agnoscere potestatem vicarii Thessalonicensis *S. Sixtus.* abnueret, hinc sanctus Sixtus episcopis scribens synodo apud Thessalonicam congregandis merito illum coarguendum duxit: „Noverit, inquiens [3]), Corinthius episcopus sibi licentiam potestatis liberae minime tribuendam, si huic voluerit ecclesiae resultare.„ Ad nos quod spectat, muneri nostro, quantum in Domino possumus, non deerimus. Sed ut maturius agamus, tam Encyclicam hanc, quam alias pastorales epistolas [4]) et reliqua scripta omnia subiicienda curabimus examini peculiaris illius Congregationis, quam uti dictum est [5]) iam deputavimus pro examine deliberationum Emsensium. Et sane ferri omnino non potest, Venerabiles *Praepostera casus ordinarii et extraordinarii distinctio.* Fratres, ut Vos distinctionem amplexi casus ordinarii et extraordinarii in ea tantum parte divini primatus iura agnoscatis, ubi Christus potestatem largitus est Petro, confirmandi fratres suos, eademque divini primatus iura agnoscere detrectetis in altera illa parte, ubi Petro in universum, et indefinite contulit pascendorum agnorum et ovium potestatem, quam catholicorum nemo oppugnabit unquam, quaeque per se sufficit ad patefaciendum,

---

[1]) De Auferibilibus cons. III.

[2]) Ibid. n. 7.

[3]) Ep. 15. ex lectis in conc. rom. III. ap. Lab. t. V. coll. 855. D.

Doctrinae scandali plenae aetate Emsensium sparsae. [4]) „Epistolam praesertim archiepiscopi Salisburgensis, subiicitur, ibidem in adnotat. diei 29. Jun. an. 1782. ubi Is de lectione agens sacrarum Scripturarum, de cultu Sanctorum, sacrarum Reliquiarum, ac de Indulgentiis, et praetexens veterem prioremque disciplinam, plura iussit adfirmavitque scandali plena. Illud tantum animadvertimus, praecepisse subditis utriusque sexus et conditionis lectionem sacrarum Scripturarum, versionemque excudi curasse Testamenti Novi pro faciliori distributione in populum. Noverat ille, Tridentinos Patres aliter sensisse, at subdit: „Illorum eruditorum sententiam Ecclesia Salisburgensis nunquam pro lege habuit, nec acceptavit; neque etiam opportunum esse, ut si etiam tum facta alicubi esset prohibitio, ea ex unius temporis calamitate in omnem temporum et locorum seriem protraheretur.„ Dalham. pp. 651. sq.

[5]) C. VIII. §. 14.

quanta absurditate fiat comparatio inter potestatem summi Pontificis, cui nullus est limes adiectus, et inter auctoritatem metropolitanorum intra certos fines coercitam et circumscriptam, quae[1]) ab humana institutione manavit. At, continuando pontifex subdit[2]), Vos dum romano Pontifici potestatem esse negatis cohibendae ac refraenandae inferiorum episcoporum auctoritatis, dumque contenditis, esse eandem cuiuscumque praefinitionis expertem, Vos, inquimus, nolentes ac nil tale putantes illud fundamentum subvertitis, vi cuius Vos Metropolitani super alios episcopos fuistis elati, qui proinde quotidie poterunt impune, si velint, Vestram supra se positam auctoritatem excutere. Res ita se habet. Quocirca expectabimus, quid responsuri sitis argumento, quo Vos lacessendos putamus. Dicite, quaeso, unde graduum distinctio, si cuius, prout ab ecclesiae primordiis factum est, unus episcopus pluribus aliis episcopis quocumque tandem nomine praesideret? Non a iure divino: quippe ordo episcopatus, ut ipsimet sentiunt, unus est et par in omnibus. Non ab universali concilio: quippe longe iam ante invaluerat ea distinctio, quam de cogendo universali concilio cogitaretur. Non a provincialibus synodis: quippe provinciarum distinctionem antecedere debuit ipsa graduum distinctio, qua unus in definita quadam regione ceteris eiusdem provinciae episcopis praeesset. Non ex pacto convento inter nonnullos episcopos, quibus commodum visum esset, hanc hierarchiae formam instituere; nam nec isti minuere poterant, aut alteri subiicere auctoritatem sibi divinitus tributam, nec praeter divinum institutum alterius cuiusvis auctoritatem amplificare; aliunde nec successoribus eam legem praescribere potuissent, cui se ipsi sua voluntate[3]) subiecissent.„ Sed neque hic subsistere pontifici placuit, sed rursum colligendo subdit: „Sola ergo suprema Petri eiusque successorum auctoritas, quae Apostolorum et episcoporum auctoritati antecellit, quemadmodum aetate nobis proximiore Vestras ecclesias ad gradum metropoli-

Humana metropolitarum institutio.

Romana hierarcharum constitutio ac vis.

---

[1]) Vid. Ant. a Torre cit. Expostulat. c. III. §. 1. pp. 114. sq. et supra c. I. §. 39. n. 78. coll. quae sup. ipsi statuimus.

[2]) Ibid. nn. 8. sq. pp. 302. sq.

[3]) „Ita interrogando ratiocinatus doctissimus auctor in c. lib. Opuscula ad hierarchicam ecclesiae constitutionem spectantia p. II. p. 125. Post haec, qui fieri potest, ut „Widerleger„ seu confutator irridendum putet discrimen inter omnes receptum circa pontificiae et metropoliticae dignitatis originem ac vim? prout illud irrisit in suo libello, Kurze Widerlegung d. Reflexions pp. 135. sq.„

ticum extulit, ita antiquioribus saeculis patriarchatus et primatias instituit, certoque ordine edixit [1]) ut pluribus episcopis unus praeficeretur, et uni plures subessent; ita tamen ut omnes ecclesiae Matri sine ullo discrimine subiicerentur. „Ostentant quidem, inquit [2]) Thomassinus, non paucae (ecclesiae) fundatores Apostolos. At unius Petri administratio, quas illustravit ecclesias eas gradu honoris et potestatis prae ceteris conspicuo decoravit;„ et rursus luculentiori sermone: „Privilegio, inquit [3]) cum Hincmaro, Petri supra ceteros Apostolos evecti contineri patriarcharum primatum et metropolitanorum omnium privilegia. Haec enim omnia in eo uno sita sunt, quod praesint episcopi alii aliis. At Christus Apostolis solum Petrum praeesse iussit. Hinc ergo perspicue illud efficitur, quascunque episcoporum supra alios episcopos praecellentias ceu radios a sole luminis fonte, ab hac praerogativa manasse.„ His positis concludit [4]) Pius: „Quae cum ita sint; non est diffugio locus. Nam vel debebitis exui quocumque, Venerabiles Fratres, privilegio, aut si nemo ex Vobis vult esse sui honoris desertor, confiteri debebitis, ut par est, auctoritatem episcoporum non esse ita numeris omnibus cumulatam, ut a nemine pendeat, sed auctoritati Pontificis eam subiici ac subesse [5]) oportere.„ Argumentatio copiosa et prolixa, sed ita valida et efficax, ut ne hiscere quidem adversariis datum esse amplius ac reliquum videatur. Videatur, inquam; nam habuisse tamen illi, et habere etiamnum [6]) qui contrarii sunt et opponunt, aliquid sibi videntur, quod excipiant.

Thomassin.

Auctoritatis privilegium apud episcopos omne a sede romana.

426. At ne haec quidem illis a Pio rima relicta, et per eum ne praesentibus quidem evadendi eadem permittenda. Enimvero

---

[1]) Vide suo superius loco disputata.

[2]) L. c. p. I. l. 1. c. 14. n. 1.

[3]) Ib. n. 4. coll. c. 30. n. 3. Add. Hallier. de sacris election. p. III. l. 1. s. V. c. 4. n. 18. et Nat. Alexand. dis. XVI. saec. V. ed. Paris. t. IX. p. 642.

[4]) Ib. n. 10.

Gregor. M.

[5]) „Add. Primum iamdiu declaravit s. Gregorius M. occasione electionis Constantii in episcopum Mediolanensem inquiens: „Quatenus huiusmodi servata consuetudine, et apostolica sedes proprium vigorem retineat, et a se concessa aliis sua iura non minuat.„ Epp. l. III. ep. 30. Alterum vero primatibus et metropolitanis quibuslibet proposuit Thomassinus his verbis: „Hanc ergo Petri potestatem divinitus institutam necesse est in omnibus aut imitandam, aut participandam proponi, qui iuris aliquid, et potestatis in episcopos assequuntur.„

[6]) Mirum sane videtur, a catholicorum etiam dogmatum explanatoribus, quod Cypriano accidit, veluti difficultatem contra romanae sedis invictam auctoritatem constanter ad hanc diem usque obmoveri. Excipiant Pii responsum.

Cyprianum obiicere nec non Bernardum in more positum est. Ad quod illico [1]) Pius: „Ad testimonia autem sanctorum Cypriani et Bernardi, quod attinet, huc illuc excerpta, atque ex obscurioribus locis avulsa, quibus consuevistis abuti contra saniores critices regulas, ea toties hucusque explicata fuerunt, ut nova declaratione non egeant Petrus ipse De Marca [2]) qui solito sancti Cypriani abutitur testimonio, alium eiusdem Cypriani locum considerans, ubi sanctus doctor supremam sancti Stephani Papae auctoritatem agnoscit: „Nulla industria, inquit, novatores hoc testimonium Cypriani elevare possunt.„ Quid autem de sancto Bernardo dicemus, qui quum ab Eugenio Pontifice quaesiisset, Quis es? hoc dedit eiusmodi interrogationi responsum, ceteris fortasse omnibus sanctorum Patrum testimoniis illustrius: „Sacerdos Magnus, Summus Pontifex. Tu Princeps Episcoporum etc. Habent illi assignatos sibi greges, singuli singulos: Tibi universi crediti, Uni Unus; nec modo ovium, sed et Pastorum Tu Unus Omnium [3]) Pastor.„ E quibus profecto exploratissimum est ac manet, qua quidem, auctoritatem potestatemque romani pontificis, ut suo loco probatum dedimus, ad universas christiani orbis ecclesias inmediate pertinere; qua vero, normae eiusdem ac legi neminem, sive is fidelis sit simplex, sive praesul et pastor exsistat, semet subtrahere posse neque debere, nisi stabilitum divinitus ordinem ecclesiae pessumdare velit atque evertere.

Cyprian. et Bernard falso opponuntur.

427. Id quod idem Sanctissimus Dominus animadvertere non omisit, quando nominatis metropolitanis, qui ab inmediato pontificis in ipsorum dioeceses per missos legatos potestatis exercitio ruinam timerent et auctoritatis episcopalis et optimae gregum suorum pacis, his [4]) occurrere satageret: „Desinite, quaeso, comminisci ullam rerum confusionem oriri, ubi suprema ecclesiastici capitis potestas cum episcoporum potestate iungatur. Haec enim suprema auctoritas non alio spectat, nisi ut rectus ordo servetur, et ad fidelium bonum maiori vigilantia comparandum, et ad finem primatus divinitus instituti adsequendum: instat enim et urget quotidie Jesu Christi praeceptum

Nulla ab romana actione confusio.

---

[1]) Ibid. n. 10. p. 304.

[2]) „De concord. l. I. c. 10. n. 8. Add. Super interpretatione percelebris illius s. Cypriani „Episcopatus unus est„ etc. inter cetera scripta consuli potest liber, L'episcopato, c. II. n. 20. ubi perquam feliciter explicatur.„

[3]) Cap. VIII. §. 28.

[4]) Cap. IX. n. 28. pp. 315. sq.

Petro eiusque successoribus datum, ut agnos pascant et oves.

Hieronymus. Mementote eorum, quae sanctus Hieronymus ad Damasum [1]) scripsit: „Qui tecum non colligit, spargit.„ Imo id si fiat, ubique ordo aderit, et summa tranquillitas et pax, quae deesse non

Rectorem agnoscat universitas. potest, si rectorem suum agnoscat universitas, ut nuper [2]) ex Theodosio et Valentiniano imperatoribus intellexistis. Eo vel magis, quia dum sancta sedes suo fungitur apostolatus officio, cum Vestra tum aliorum episcoporum causa non desinit in suis destinationis litteris nuncios commonefacere, ut in sibi collatis

Romana prudentia ac moderatio. facultatibus exercendis omni utantur prudentia et [3]) moderationem adhibeant: qui sane agendi modus procul turbarum et confusionis occasionem avertet. E contrario evitari omnino non posset maxima rerum omnium perversio, gravissimumque christiana respublica detrimentum caperet, si contra divinam institutionem cuique liceret episcopo, ut perperam a Vobis contenditur, in sua dioecesi quidlibet agere absque omni dependentia. Secus enim non una erit ecclesia, non una fides, non una disciplina, sed tot erunt ecclesiae, quot episcopi.„ Nimirum, romanus pontifex quemadmodum tanquam supremus et universalis ecclesiae pastor

Legifera ecclesiae potestas sola romana. divinitus institutus supremam habet et universalem in totam ecclesiam iurisdictionis potestatem atque legiferam: ita eiusdem auctoritatis vi idem in universa ecclesia omnibus ius dicit, et fert in illa omnibus legem.

Lex. 428. Sane, quod receptum vulgo est, lex dicitur ordinatio rationis promulgata ad bonum commune ab eo, qui potestatem habet. Atqui romanus pontifex isque solus habet potestatem in universam ecclesiam; ipse ergo et is solus leges pro universalis

Vita christiana. ecclesiae bono, cuiusmodi est ordo totius christianae vitae sive ea sacra dicatur, quae circa Dei divinorumque externum cultum [4])

---

[1]) Ep. 57. al. s. c.

[2]) Cap. VIII. §. 161. al. s. c.

[3]) Vid. c. VIII. §. 143. De hac romana praerogativa cf. Hageman. l. c. pp. 558. 682. sqq.

[4]) Vide damnat. a Pio VI. pistor. pseudo-synod. propp. 30. sqq. coll. decret. Eugenii IV. pro graecis et armenis ap. Denzing. l. c. n. 606. coll. n. 361. de

Liturgica. conformatione cum sancta romana ecclesia in liturgicis: item n. 373. fidei profes-

Alcuin. sionem ab Innocent. III. propositam Waldensibus. Ad rem haec sunt Alcuini, Caroli M. praeceptoris et, ut Galli volunt, universitatis fundandae parisiensis auctoris de div. off. l. I. c. 19. „Religionis cultum sic Dominus instituit, ut in beatissimo Petro principaliter collocaret atque ab ipso quasi capite dona sua vellet in corpus omne manare.„ „Nota haec verba, inquit auth. de inextinct. conc. trid. verit. A.

versatur, sive sacramentalis, quae in administrandis [1]) recipiendisque sacramentis et sacramentalibus expletur, sive simpliciter ecclesiastica, quae ad communem christianae conversationis pietatem [2]) pertinent, ferre valet, ipse solus [3]) qui et solus valet latas rursum vel mutare vel etiam abolere.

3. Usu nominatim legationum apostolicarum expolitur.

429. Hac autem inmediata in omnes potestate pontificem usum semper in contemperanda, ut par est, fidelium vita fuisse, decretales pontificum litterae inde ab Apostolis patefaciunt, quaeque [4]) prius deprompsimus satis superque ostendunt. Patefacit inprimis antiquus continuusque legatorum romanorum usus, quem quum Germaniae quatuor metropolitae nollent agnoscere, ita [5]) Pius sextus scribere iussit: „Sed ut rei veritas magis elucescat, eas modo vobis rationes explicandas suscipimus, quae cuilibet persuadeant, ius esse romano pontifici habendi aliquos in dissitis praesertim locis, qui sui absentis personam repraesentent, qui iurisdictionem suam, atque auctoritatem stabili delegatione collatam exerceant; qui denique suas vices obeant, idque ex intima vi ac natura primatus, ex iuribus dotibusque cum primatu ipso coniunctis, ex constanti ecclesiae disciplina a primis usque saeculis deducta, ex auctoritate ecclesiasticarum atque imperialium legum, ex communi denique canonistarum, ac iure consultorum, praesertim germanicorum sententia.„ Quibus illico per partes demonstratis [6]) subii-

Legationes romanae.

Pius VI.

Reding. in op. de oecumen. rom. cathed. authorit. a. IV. disq. 5. n. 16. p. 757. in corpus omne, ne putes, Alcuinum sensisse, a summo Pontifice in alias ecclesias seorsum acceptas, non autem in corpus ipsum ecclesiae universalis fidei veritatem aliaque divina dona manare.„ Unde constat, ab universali orbis communione separatos esse, sicut docet b. Pelagius, qui qualibet dissensione inter sacra mysteria Apostolici Pontificis memoriam non frequentant.„ Quo videlicet spectat commemoratio in dyptichis, uti orientales dicere consuevere.

[1]) Speciminis ergo cf. Honorii III. decretum de materia eucharistiae pro Suecis ap. Denzing. l. c. n. 374.

[2]) Cf. Clementis V. definitiones quibus sectas Beguardorum et Beguinarum damnavit ap. Denzing. l. c. nn. 399. sqq.

[3]) Hinc a Pio VI. damnatae propp. 6. sqq. pistoriensium circa iura episcopis praeter fas tributa ap. Denzing. l. c. nn. 369. sqq. tum propp. 47. 77. quibus isti praestituta principia de episcoporum potestate casibus particularibus aptant.

[4]) Vide sup. allata.

[5]) SS. D. N. Pii Papae VI. respons. c. VIII. sec. II. p. 187.

[6]) Ibid. nn. 32. sqq. pp. 195. sqq. His cf. prae ceteris Leon. M. ad Marcian. ep. CXI. ap. Mign. lat. PP. t. 54. pp. 1020. sqq.

Nuncii ordinarii et extraordinarii. citur: „Si igitur ex una parte abhorret a vero, et verbo Dei cum scripto tum tradito repugnat, romanum pontificem nil posse in aliena dioecesi, praeter quam extraordinario casu [1]), eumque non posse, nisi ad tempus, quousque periculum existit, gregem verbo et exemplo [2]) pascere; iam funditus concidit ea Nunciorum ordinariorum et extraordinariorum distinctio, quam suo ingenio confictam, nullaque auctoritate subnixam Vestri Schismatici Scriptores [3]) obtrudunt. Et rursus, si Verbo cum scripto, tum tradito constat ex aliqua parte, Romanum Pontificem in vim sibi concreditae Universorum curae ac solicitudinis, non solum posse ac debere in extraordinariis eventis Fratres fluctuantes confirmare, et obvenienti malo occurrere, sed insuper posse ac debere semper omni cum auctoritate ordinaria atque perpetua malum ipsum, quoad eius fieri potest, antevertere, ac praecavere pascendo ac regendo tam Filios, quam Matres, tam Populos, quam Pastores, ita ut incolumis sit semper Unitas Fidei, salva Membrorum erga Caput Submissio, intacta Morum Puritas, intemerata Disciplinae, Canonumque Custodia, prompta ad repellendos enascentes morbos Remedia, parata cuique pro rerum opportunitate Subsidia in dispensationibus, in causis, et in aliis rebus, quae a Suprema tantum Ecclesiastica pendent [4]) Potestate; si, inquimus, haec omnia Verbo constant tum scripto, tum tradito, iam nemo non intelligit, Vos aliorum captos insidiis adversus veritatem praeliari. Quemadmodum enim ipsi conceditis, inesse Pontifici, ubi extraordinaria eventa id postulent, facultatem mittendi Nuncios extraordinarios ad mala purganda et tollenda, quae altera pars est Apostolici muneris cum Primatu coniuncti, ita concedatis oportet, inesse Eidem facultatem mittendi, et ha-

---

Electores Germaniae. [1]) „Ut ex novatorum sententia tradit Elector Coloniensis. Vid. §§. 3. 4. 7. 8. huius cap.„

[2]) „Et repetit Elector Moguntinus. Vid. §. 9.„

[3]) „His aliisque rationibus innixus contra eosdem Germanicos scriptores probat Doctor Ingolstadiensis, frustraneum esse discrimen inter Nunciaturas extraordinarias seu ad tempus, et inter ordinarias fixas et permanentes. Colloq. XVIII. pp. 111. 112.„

Unitas ecclesiae conservanda et efficienda. [4]) „Non ob solam conservationem Unitatis Fidei, sed ad efficiendam ipsam Fidei Unitatem, et ob Charitatis etiam et Coniunctionis Unitatem, Primatum esse a Deo institutum contra Hedderichium aliosque, sustinet ac probat Doctor Ingolstadiensis Colloq. V. p. 81. et Auctor Opusc. In Fr. Philippi Hedderich. Dis. Juris Ecclesiast. German. specimen animadversionum. Placentiae 1789. §. 1. pp. 4. 5. 6.„

bendi Nuncios stabili praeditos iurisdictione ad bonum servandum et ad gubernandum, quae altera pars est iurium atque officiorum Apostolici principatus; pars, inquimus, quae nullis nec Temporis nec Loci limitibus est circumscripta, quaeque si non magis, non minus certe, quam prima interest Christianae Reipublicae, ita ut quicunque ius hoc Pontifici adimendum curet, is naturam vimque Primatus a Christo instituti radicitus convellat atque eruat. Atque hoc loco, nec magis absurda, nec magis evidens esse potest Vestra Vestrorumque Scriptorum pugna et contradictio. Etenim ex verbis, quae supra [1]) in medium attulimus, tam a Vobis, quam ab illis pro legitima habetur mittendorum Nunciorum facultas, pro conservatione Unitatis Fidei, Puritatis Morum, Constitutionis Hierarchicae, Canonum et Disciplinae. At huiusmodi rationum momenta, quae Vestro iudicio apta sunt vindicandis Legationibus Nunciorum, qui a sancta Sede per Christiani Orbis plagas mittuntur ibique habentur, proprio quodam iure ad Nunciaturas pertinent ordinarias et stabiles; utpote quae solae possunt assidua Nunciorum vigilantia, et stabili eorum auctoritate custodire ac tueri Fidem, Mores, Hierarchiam, Canones et Disciplinam; nihilque prorsus commune habent cum extraordinariis Nunciaturis, quarum scopus cum eo maxime spectet, uti Vos affirmatis, Vestrique Scriptores contendunt, ut invectum Archiepiscoporum, Episcoporumque negligentia malum avertant, non possunt illae quidem bonum servare, quod iam abiit atque recessit. Quamobrem si rationum momenta potiora sunt verbis, id omne, quod Vos in medium affertis adversus stabiles Nunciaturas, mirum in modum confirmat ac fovet indubia Pontificis iura, habendi Nuncios stabili iurisdictione pollentes.,,

430. Longiorem disputationem adponere totam propterea libuit, quod ipsius praefert pontificis nomen; quod est in plures eosque illustres ecclesiae praesules directa, qui in contraria abirent; quod eadem minime aliena a nobis ac dissita, sed propinqua ac cognata loco, tempore, argumentoque continet; quod singula egregie commonstrant, romanum pontificem non esse tantum universalem doctorem, cuius cathedra suprema sit ac plane ad omnes qui credunt pertineat; sed universalem quoque pastorem esse, cuius regimen supremum sit ac inmediate semet ad omnes fideles

---

[1]) „A §. 3. ad 9.„

extendat; quod perspicue tuetur specimen evidens, quo romanus episcopus supremam suam in omnes potestatem regiminis ac iuris dicundi auctoritatem iugiter exercere actu soleret; quod tandem, atque id etiamnum haud parum iuverit, praeclare evincit, quo loco sunt esseque credentibus omnibus debent, qui nuntiorum nomine apostolicorum sive speciali et extraordinaria ad tempus, sive communi, ordinaria stabilique legatione a romano pontifice quaqua versus mittuntur. Quae quidem quum ad conservandum regimen ac gubernationem totius ecclesiae tanti, ut quilibet intelligit, momenti sint, ne valida capitis romani actio in membra sensim excludatur, et vita denique romana in his omnis exstinguatur; mirari nemo debet, simul ac manifesta in illam oppositio et pugna innotesceret, id supremum in terris animarum pastorem egisse, ut strenue oppugnantium conatus retun-

Tertullian. derentur, iidemque „de sua paratura, ut cum Tertulliano [1]) loquamur, repercuterentur.„

Ius mittendi legatos. 431. Id quod sextus Pius effecit, dum „litteris in forma Brevis ad Metropolitanos Moguntinum, Trevirensem, Coloniensem et Salisburgensem„ datis tum querelas et argumenta [2]) ab illis prolata, tum origines istorum exponit ac fontes, auctores et fautores, tum vero apostolicae sedis ius [3]) vindicat „tam extraordinarios quam ordinarios mittendi nuncios stabili iurisdictione pollentes„ :

I. „Ex iure [4]) primatus„ :

II. „Ex constanti Ecclesiae disciplina. Jus hoc, inquit [5]) pontifex, in Primatus cardine solide constitutum multo fulgidiorem lucem mutuatur a constanti ecclesiae consuetudine ac disciplina.

Consuetudo mittendi legatos. Ad hanc enim oculos convertentes, non iam Isidorianarum Decretalium [6]) praesidio, sed firmissimis monumentis ostendemus, Romanum Pontificem, quo recte defungeretur iniunctum sibi a

---

[1]) De carn. Christ. c. VIII.

[2]) Capp. I—VII. pp. 1—169.

[3]) Capp. VIII. sq. pp. 170—336. sectt. 1. sqq.

[4]) Sec. II.

[5]) Sec. III. p. 198. n. 34.

[6]) „Ut auctor opusculi, Istoria prammatica §. 29. persuadere conatur Germanis, innixum nempe quibusdam dumtaxat Isidorianis affirmasse Pontificem in litteris in forma Brevis diei 18. Octob. 1786. ad defunctum episcopum Frisingensem datis, notissimae sunt canonicae sanctiones, per quas potest Romanus Pontifex vi sui Primatus . . . suos mittere Nuncios.„

Deo Apostolatus officium, habuisse semper a primis ecclesiae [1]) saeculis ad haec usque tempora in dissitis locis sub variis nominibus varios ecclesiasticos viros, aut ex provinciae episcopis selectos, aut ab Urbe missos, qui stabili iurisdictione muniti suas illic vices obirent.„ Sed nescio, an exercitium et usus romanae iurisdictionis in ecclesiam universalem ostendi queat efficacius.

432. Nisi quis postulet, ut expressius etiam collata olim nuntiis potestas iurisdictionis significetur, unde certius porro exploratiusque de regiminis pastoralis exercitio constet, quo romana sedes usa semper est. Sed neque hanc explicare pluribus et adcuratius enarrare Pius sextus [2]) praetermisit. Ad rem sane non modo facit expensum responsalium munus, sive ut graeci loquuntur, apocrisariorum, „qui perpetuo in aula permanebant, et causas fidei, et disciplinae, ac totius ecclesiae negocia prosequebantur.„ Porro quemadmodum iidem „saeculo quinto sunt [3]) antiquiores„: ita „et eorum iurisdictio nec adeo rara [4]) erat, nec talibus (uti ab adversariis opponebatur) limitibus [5]) circumsepta; utpote quae

Collata olim legatis potestas.

Apocrisarii.

---

[1]) „Utque in hac parte, scite ibidem dicitur, quae tantopere interest, nullus sit locus diffugio, eam Nobis lubet temporum sequi distinctionem, qua Vester Scriptor in libro, dè Legatis etc. est usus. Tres porro hic distinguit epochas temporum, quarum I. a saec. IV. ad IX. ducit, II. a saec. IX. protrahit ad saec. XV. III. a XV. saec. ad nos usque deducit.„ Hinc pontificia responsio procedit section. III. „A primis saeculis ad saec. usque IX.„: sec. IV. „A saec. IX. ad saec. usque XV.„: sec. V. „A saec. XV. ad nostram usque aetatem.„

Tres legationum epochae.

[2]) L. c. sec. III. pp. 199. sqq.

[3]) „Hincmarus Rhemensis t. II. p. 206. primam apocrisariorum originem repetit a temporibus, quibus Constantinopoli sedem imperii statuit Constantinus: Apocrisarii ministerium, inquit, ex eo tempore sumpsit exordium, quando Constantinus M. sedem suam in civitate sua, quae antea Bizantium vocabatur, aedificavit. Et sic Responsales tam Romanae sedis, quam et aliarum praecipuarum sedium, in palatio pro ecclesiasticis negociis excubabante.„ Cf. Leon. M. l. s. c.

Responsales.

[4]) „Talis non erat apocrisariorum iurisdictio ex Thomassin. sententia, Vet. et nov. Eccles. disciplin. par. I. l. II. c. 108. n. 1. id quod confirmat c. 118. n. 14. ex petitione ab imp. Constantino Pogonato facta Leoni II. ut apocrisarium ad se mitteret, qui „in emergentibus sive dogmaticis, sive canonicis, ac prorsus in omnibus ecclesiasticis negociis Vestrae Sanctitatis exprimat ac gerat personam„

Ab imperatoribus petuntur.

[5]) „Ex eodem Thomassin. l. II. c. 107. adeo tenuis et exigua esse non poterat apocrisariorum iurisdictio, cum delegatos referat ad disciplinam in provinciis redintegrandam, ad Monasteria pristinae sanctimoniae restituenda, ad causas abdicatorum episcoporum rursus ad examen vocandas, ad servandam tam decretorum pontificiorum quam canonum custodiam, uno verbo ad personam Papae repraesentandam.„

Illorum iurisdictio ac vis.

unice pendebat ab arbitrio Pontificum, qui quoties eamdem delegabant exteris plerumque, sive episcopis, sive Romanae Ecclesiae [1]) diaconis, toties ius exercebant suum stabiles mittendi et habendi legatos, qui modo maiori modo minori iurisdictione [2]) fulgentes, causas apud exteras ditiones definiebant. Quodsi memorati Pontifices (Leo et Gregorius) salva, et integra esse voluerunt iura Episcoporum et privilegia Metropolitarum in causis, quae ad ipsos pertinerent, salva et integra pariter esse voluerunt iura apostolicae sedis super Episcopos et super Metropolitanos tam in causis, quam in aliis omnibus rebus quae [3]) ad eamdem sanctam sedem spectarent.„

Origines apostolici vicarii.

433. Sed ad rem inprimis inquisitio [4]) facit, qua expenditur: „Quo ex tempore Vicarii Apostolici esse coeperint, quo nomine, et qua de causa a Pontificibus designati sint, qua iurisdictione insigniti fuerint, in quas personas, et pro quibus negotiis?„ Et

Vicarii Illyrici.

initio sumpto „a Vicariatu Illyrici, qui antiquitate ceteris antecellit„ quamvis apud eruditos illius origo incomperta sit et obscura „cum plerique antiquiorum Pontificum et praesertim Damasi epistolae interierint„ ostenditur tamen, dubitari non posse „quin a primis Ecclesiae saeculis ea sit repetenda.„ Id quod ex documentis conficitur sancti Innocentii [5]), sancti Bonifacii [6]), sancti Sixti [7]) eo nomine Tertii, sancti Leonis [8]) magni, tum ipsorum Illyrici episcoporum „qui in id maxime incubuerunt, ut antiquam hanc consuetudinem tuerentur adversus Patriarcham Constantino-

---

Apocrisarii constantinopolitani.

[1]) „Hincmar. l. c. coll. Thomassin. l. c. c. 108. n. 14. ubi seriem texit apocrisariorum Constantinopolim ablegatorum, quos inter recenset Pelagium, Sylverium, Gregorium M., Sabinianum, Bonifacium, aliosque quorum plerique ad summum pontificatum mox evecti fuere„

Ivo.

[2]) „Id testatur Ivo ep. 59. „Quum secundum Leonem legationis officium pars sit apostolicae solicitudinis, non plenitudo potestatis, quae etiam pars modo plus modo minus recipit, pro arbitrio committentis.„

[3]) Cf. Thomassin. par. I. l. I. c. 6. n. 21.

[4]) Ibidem nn. 40. sqq. pp. 202. sqq.

Thomassin.

[5]) „An. 412. ep. ad Rufum, quae est V. ap. Labbé. t. V. col. 846. coll. ep. IV. ad Anys. col. 845. Haec tradit Thomassin. l. c. c. 18. n. 7. „Iecere Damasus et Sirycius prima fundamenta Vicariatus Apostolici Thessalonicensis: culmen vero imposuit Innocentius I.„

[6]) An. 422. ep. VIII. Labbé. t. V. col. 848. ep. IX. ib. col. 850.

[7]) An. 431. ep. XIV. col. 855. ep. XV. ib.

[8]) An. 444. ep. XXV. col. 863.

politanum, et aliquot Episcopos eius asseclas [1]) nova molientes contra Sanctae Sedis eiusque Vicariorum iurisdictionem, quo soli dominarentur et imperitarent, episcopis reliquis in servitutem redactis: quod quidem consilium Vestri quoque iniisse videntur Emsensis Conventiculi delegati.„ Quibus adiectis Illyricorum de antiquitate vicariorum apostolicorum [2]) testimoniis, pontifex [3]) concludit: „Si itaque ex indubiis monumentis [4]) certum est, Vicariorum Apostolicorum destinationem cum iure perpetuae legationis habitam fuisse iam inde ab ineunte saeculo quinto tamquam veterem ecclesiae disciplinam a Patribus et a Maioribus institutam, et per tantum temporis custoditam, nemo unus negabit, huius institutionis originem esse a primis fere ecclesiae incunabilis repetendam.„ *Constantinopolitani et Emsenses.*

434. Et ne quis per distinctionem inter iura primatialia et patriarchalia a fautoribus emsensibus fraudulenter obiectam [5]) deceptus existimet, vicarios illos ab episcopo romano missos fuisse non primatiali sed iure patriarchali, rursum in medium allatis testimoniis disertis Innocentii [6]) Bonifacii [7]) Coelestini [8]) Sixti tertii [9]) et Leonis [10]) pontificum, qui iure primatus a se vicarios *Iura primatialia et patriarchalia.*

---

[1]) „Hi erant Probianus defamator Demetriadae civitatis episcopus, quem Abundantius nec debere episcopum secundum canones nominari aiebat, utpote qui eam ecclesiam invaserat, et per temeritatem usurpaverat, ac potius legitime non obtinuerat; nec non Demetrius Sciatensis civitatis episcopus aliique nonnulli, qui contra electionem Stephani Larissensis Metropolitani Thessaliae confugerant ad Epiphanium Patriarcham Constantinopolitanum, ut ius in provincia sibi facere praepararent. Vid. prim. Stephani libel. supplic. aliosque trium Episcoporum Elpidii, Stephani et Thimothei Bonifacio porrectos ap. Labbé. cit. tom. V. coll. 836. et 842.„

[2]) „Stephan. metropol. thessal. ep. ad Bonifac. l. c. p. 840. coll. Elpid. Timoth. Stephan. ep. ad Bonif. l. c. pp. 842. sq. Theodos. echin. in conc. rom. an. 531. l. c. pp. 835. sqq.„

[3]) Ibid. n. 45. p. 205.

[4]) „Id fatentur vel ipsi criticissimi: Steph. Balut. in not. ad Pet. de Marc. de concord. sac. et imp. l. IV. c. 2. l. V. cc. 24. sqq. tum Just. Einning. Boehmer. in observ. ad eumd. de Marc. l. V. c. 24. §. 9. obs. XVIII. et Febron. nov. comment. posit. VII. p. 45. al.„

[5]) Vide respons. Pii VI. ib. pp. 205. sq. allata ex op. de legatis, et opusc. Istoria prammatica.

[6]) Ad Ruf. ep. V. l. c. col. 846.

[7]) Ad eumd. ep. VII. ib. col. 847. ep. IX. col. 849. ep. X. col. 850.

[8]) Ep. XIII. ib. col. 854.

[9]) An. 437. ep. XVII. col. 857.

[10]) Ep. XXV. col. 863.

eiusmodi posuisse edicunt, tum collatis illyricianorum episcoporum documentis, quibus declararunt [1]) se facultates Apostolicas protueri, quoniam nullus ecclesiasticus ordo illam Vestram, ad pontificem scribunt, quae a Salvatore omnium, et primo Pastore Vobis est conlata, potest praecellere potestatem: exiguum est, vel humile, in quo providentia Vestra respicit. Quantum Vos apud Deum omnes praecellitis, tanto Vos necesse est cogitare, quia haec est probatio Deum amantium, ut post Deum Pater et Doctor sanctae Ecclesiae Petrus Vestrae et totius mundi testatur. Quia Domino dicente tertio: Amas me? pasce oves meas; tradit prius Vobis mandata ostendens, et per Vos deinde omnibus per universum mundum sanctis ecclesiis condonavit„: ex his, inquam, merito [2]) infertur „titulum patriarchae occidentis, qui in pontifice coalescit cum titulo et dignitate primatis, nihil posse vi ac naturae primatus adimere; cum praesertim titulus primatus a pontificibus delegantibus expressus, fuerit ab episcopis, ad quos Vicarii delegabantur, agnitus [3]) ac receptus.„

Vicarii tum temporis facultates:

435. Sed quaenam Vicariorum eiusmodi romanorum erat potestas? qualibus erant distincti facultatibus? „Amplissimae quidem erant, ita [4]) Pius, huiusmodi facultates, adeo ut pontifices professi fuerint [5]) se illis ea cuncta committere, quae a se geri potuissent.„ At generalia haec sunt; adeoque per partes et ex ordine, distincta primum iurisdictione ordinaria a contentiosa „ad facultates voluntariae iurisdictionis quod attinet„ enarratur [6]) concessum eis fuisse:

1. Ordinariae ac iurisdictionis voluntariae.

I. „Ius illud, quod [7]) visitationis ecclesiarum vocamus.

II. Ius inquirendi probandique idoneitatem [8]) illorum, qui ad episcopale munus proveherentur.

---

[1]) Ita Stephan. ep. lariss. in libel. in conc. Rom. III. sess. I. oblato s. Bonifacio: col. altero libel. eidem porrecto sess. II. l. c. coll. 836. 840. 842.

[2]) Ibid. n. 52. pp. 209. sq.

[3]) Cf. libel. supplic. coll. 839. sqq. nec non adiect. adnot. a Luc. Holsten. ib. col. 869.

[4]) Ibidem n. 53. p. 210.

[5]) Bonif. ep. ad Ruf. n. 8. l. c. col. 848.

[6]) Ibidem nn. 54. sqq. pp. 210. sqq.

Bonifacius.

[7]) Bonifacius Rufo n. 7. col. 847. „Te ergo, Frater carissime, omnis cura respectat earum ecclesiarum, quas Tibi vice Sedis Apostolicae a Nobis creditas recognosces, ut et prava corrigas, et dissipata componas.„

[8]) Sixtus III. episc. synod. ap. Thessalon. congregand. n. 15. col. 855. Bonifac. ad Ruf. n. 10. col. 853. Coelestin. episc. per Illyric. n. 13. col. 854.

III. Ius ordinandi [1]) Metropolitanos facta prius diligentiori inquisitione.

IV. Ius convocandi concilii, si legitimae causae convocationis adessent; iniuncto illis onere [2]) mittendorum actorum ad Apostolicam Sedem pro eorumdem actorum confirmatione.

V. Ius concedendae Metropolitanis Episcopis veniae [3]) e suis discedendi ecclesiis.

VI. Ius, ut certiores fierent eorum [4]) quae a quocunque sive episcopo sive sacerdote gerebantur.

VII. Ius ad examen revocandi, curaque et studio diligenti [5]) referendi ea, quae quis vellet ab Apostolica Sede postulare.

VIII. Ius noscendi statum ecclesiarum, deque illo ad Sanctam Sedem ea, qua par esset, diligentia referendi, ne Vicariorum culpae verteretur, si quid in antiquas sanctiones [6]) accidisset."

2. Extraordinariae ac iurisdictionis contentiosae.

436. Ad facultates vero quod spectat contentiosae iurisdictionis, iudicium Vicariorum Apostolicorum subire [7]) debebant

I. „Causae Maiores in prima instantia.

II. Causae quaecumque [8]) inter Episcopos et Patres obortae.

III. Causae et actiones quaevis [9]) quibus aliquis contra episcopum ageret.

IV. Licitum praeterea erat Vicariis Apostolicis, de aliis causis ecclesiasticis [10]) iudicium ferre sive per se, sive adhibitis in socios consiliarios illis episcopis, quos eligere maluissent, permissumque erat eisdem designare iudices, illisque causas definiendas delegare.

Sixtus l. c. n. 15. col. 855. Leo ad Anastas. n. 24. col. 862. Jus ordinationis agnovit etiam de Marca dissert. de primat. §. 42.

[1]) Leo l. c. coll. 892. 864.

[2]) Sixtus l. c. Coelestin. l. c. Leo l. c. tum in decret. c. 41. et ep. 48.

[3]) Sixtus ad Proclum const. n. 16. col. 856.

[4]) Sixtus univers. episc. Illyr. l. c.

[5]) Innocent. l. c. Coelestin. l. c.

[6]) Leo l. c.

[7]) Sixt. episc. ad Thessal. congreg. l. c. et Leo ad Metrop. Achai. n. 26. col. 864.

[8]) Bonif. ad Ruf. l. c. Sixt. univ. episc. Illyr. l. c. Leo Metrop. Illyr. l. c.

[9]) Sixtus l. c.

[10]) Innocent. ad Ruf. l. c. Bonifac. ad episc. Macedon. Achai. etc. n. 10. col. 852. Sixtus episc. syn. ap. Thessal. l. c.

V. Ad haec iudicabat quoque de causis [1]) quae iuxta tunc vigentem disciplinam in gradu appellationis ad synodos deferebantur. Si vero de causis gravioribus ageretur [2]), aut si partes in causis minus etiam gravibus ad Apostolicam Sedem voce provocassent a decretis episcoporum, aut Vicariorum Apostolicorum, tunc earumdem iudicium ad solum pontificem unice pertineret.„

3. Amplitudo subiecti in quod illae exercebantur.

437. „Hae autem facultates, cum voluntariae tum contentiosae iurisdictionis, quemadmodum omnes causas et negocia ecclesiastica comprehendebant: ita comprehendebant etiam fideles omnes, omnesque episcopos et metropolitanos, qui certiores effecti per epistolas de Vicariorum ad se legatorum destinatione explicite monebantur, ut illos susciperent, susceptosque reverentia et honore prosequerentur, ut in delegatis supremam delegantis dignitatem susciperent, utque eorum voluntati et constitutis parerent, ac se conformarent, si sua privilegia salva esse vellent, sicque cuperent, ut nihil de ipsis debito honore decederet.„ Neque hoc absque luculenta probatione ex veterum pontificum [3]) litteris ducta relinquitur, immo „quum omnis vilescat auctoritas, nisi vim habeat adiunctam continendi homines in officio et compellendi coercendique contumaces formidine poenae:„ ostenditur [4]) collatam vicariis hanc pariter coercendi potestatem. Neque satis; sed ostenditur [5]) etiam, collatae iisdem vicariis potestati episcopis [6]) semet omnino subiecisse; ostenditur [7]) insuper, Illyricianis aliquot episcopis, aegre ferentibus Thessalonicensis episcopi illam praerogativam, suasque adeo querelas ad imperatorem nefarie [8]) deferentibus restitisse episcopos [9]) alios, seseque romanos [10]) op-

4. Necessitas poenae et collata potestas.

---

[1]) Leo ad Anastas. l. c.

[2]) Leo ll. cc.

[3]) Bonifacii ad univ. per Thessal. episc. l. c. Sixti ad episc. Illyr. l. c. ad episc. syn. thessal. l. c. Leonis ad Anastas. l. c.

[4]) Ibidem n. 68. p. 216. ex ep. Coelest. ad episc. Illyr. l. c. et Bonifac. ad Ruf. l. c.

[5]) Ibidem n. 69. p. 217.

[6]) Bonifac. ad Ruf. l. c. et Stephan. cum aliis in libel. supplic. oblato in conc. Rom. l. c. Bonifacio.

[7]) Ibid. n. 70.

[8]) De his habet Balut. in continuat. Pet. de Marca l. c. l. V. c. 24. coll. Labbé. col. 849. et Holsten. ib. col. 872.

[9]) Cf. Bonifac. ad Ruf. l. c.

[10]) Ibidem.

posuisse pontifices „quodque maiori animadversione dignum est [1]) adversus episcopos erexisse se laicum etiam principem [2]) scilicet Honorium occidentis imperatorem„ ita ut „immota manserit [3]) Thessalonicensis Vicariatus iurisdictio non Theodosii dumtaxat tempore, sed aliorum etiam imperatorum„ usque ad Justinianum, qui „pluries iteratis precibus impetravit . . . a Vigilio Pontifice [4]) . . . . Vicariatus divisionem.„ Quibus Pius [5]) ad rem subdit: „Atque hic sinite, Venerabiles Fratres, ut animorum Vestrorum attentionem paullisper excitemus. Quemadmodum Vigilius Pontifex rogatu Justiniani imperatoris divisit sexto Ecclesiae saeculo stabilem Illyrici seu vicariatum seu legationem, ita Nos [6]) rogatu electoris Palatini, principis territorialis iurisdictionem divisimus stabilium Germaniae nunciaturarum. Restiterunt ac repugnarunt episcopi Illyriciani adversus divisionem vicariatus, quemadmodum et Vos adversus divisionem nunciaturarum Germanicarum restitistis ac repugnastis. At moniti illi a sancto Gregorio paruerunt. Parebitis Vos monitionibus nostris? Ipsa est rei divisio, par atque eadem auctoritas.„ Quae est argumentatio plane convincens.

Illyriciani et Germaniae metropolitae.

438. Ex hac autem tota vicariatus illyrici causa singulare emicat specimen non tantum supremae penes sedem romanam potestatis; sed eiusdem quoque exercitii et universalis per eam ecclesiastici regiminis. Simillimum illi specimen est quod emicat in vicariatu [7]) arelatensi, tum in hispalensi, tarraconensi atque cantuariensi; simile in vicariatu [8]) siculo; simile tandem in legatione [9]) sancti Bonifacii, quae ut ab initio extraordinaria fuisse videtur, ita, postquam archiepiscopus Coloniensis et deinde Moguntinus factus ille est, ordinaria erat. Et quod ad hanc spectat, quae est nostris rationibus propinquior quemadmodum romana

Specimina vicariorum apostol.

---

[1]) Ita l. c. n. 72. p. 219.

[2]) Ibidem, coll. superius a nobis hac de re allatis.

[3]) Ita ibidem n. 79. pp. 222. sq.

[4]) An. 540. cf. novell. 131. an. 541. c. 3. coll. l. c. nn. 80. sqq. pp. 224. sqq. de aliis eiusdem vicariatus fatis.

[5]) Ibid. n. 82.

[6]) Et ita deinceps inmutavit alter Pius, cogentibus adductus tum dominantis rationibus, universam in Gallia dioecesium dispositionem.

[7]) De his vide sis Thomassin. l. c. cap. 30.

[8]) Cf. Thomassin. l. c. cap. 18. coll. Gregor. M. epp. l. I. ep. 1. ed. 1770. et ap. Gratian. dist. 94. can. 1. coll. Gregor. epp. l. II. ep. 7.

[9]) Vide sis Thomassin. l. c. capp. 30. sqq. coll. sancti martyris epistt. 131. sqq. Labbé. tom. X. coll. 31. sqq.

Bonifacius German. apost. iurisdictio inde nihil [1]) detrimenti passa dici debet, quod Bonifacium pontifex duci Francorum commendaret: ita romanae sedis suprema potestas et vis mirifice tum Bonifacii synodalibus [2]) statutis, tum his [3]) declaratur eximie, quae sanctus ille scriptis ad posteros transmisit: „Apostolicam sedem esse omnium fidelium in Christo spiritualem matrem, et debere neminem renuere illius feriri disciplina, vel emendari censura iuxta illa proverbia Salo- *Praescripta eius.* monis: ne dimittas legem matris tuae .... maledictio matris eradicat fundamenta; illa utique, quae arrogant divisa a sede illius, cui dictum est: Tu es Petrus .... et super arenam concupiscentiae carnalis, seu humanae praesumptionis probantur *Non renuenda pontificis censura.* posita: Cursus rivi minime prosperatur, si a suo fonte dividatur .... Imo, subdit [4]) Pius, felicitatem ecclesiarum, quae filiae essent Romanae ecclesiae, in felicitate ac prosperitate matris [5]) tamquam in fundamento collocavit: secundum antistitis, inquiens, vel rectoris sui qualitatem et valetudinem, afficit totius christianitatis membra, ut illius incolumitati sua respondeant incolumitate, et congaudeant; et nihilominus eius languoribus suo languore *Sors romana sors ecclesiarum omnium.* consentiant, et sicut eius gloria conglorificantur, sic eius deiectione deiiciuntur. Ad extremum praecipit, ut reliquae ecclesiae ab

---

[1]) Hinc Pius VI. l. c. n. 91. pp. 230. sq. „Haec quae adhibita tunc fuerunt officia, adhibere etiam nunc solent per consuetas litteras publicae fidei testes atque indices, quae ad principes dantur, quoties novi ad eosdem nuncii ablegantur: Ecclesia enim semper postulavit, et postulat summorum principum patrocinium, semperque optavit et optat, ut membra suo capiti cohaereant et colligantur, ut religionis res feliciter procedant, et secundo progrediantur sine ulla *Confunduntur ecclesiae officia, principum patrocinia, episcoporum obsequia.* offensione cursu Sed ne Vobis quidem datum erit inficiari, catholicos principes gloriae et honori sibi duxisse semper, si christianae reipublicae bono suam operam commodarent, et ecclesiae precibus obsecundarent nec non episcopos tanto strictius teneri providas ecclesiae constitutiones fovere, et colere obsequio, quanto ceteris honore et dignitate antecellunt; ita ut nonnisi per manifestam iniuriam a Pet. De Marca et ab Einningio Bohemero ecclesiae officia, principum patrocinia et episcoporum obsequia confundantur, et commisceantur simul cum libera tum regum, tum episcoporum consensione, perinde ac si sine huiusmodi consensu nec pontifices mittere nuncios, nec nuncii a pontifice missi ullam possent iurisdictionem exercere: quo absurdius nihil esse potest, et magis ab antiqua ecclesiae disciplina alienum.„

[2]) Ep. 105. „Professi sumus, inquit, fidem catholicam et unitatem et subiectionem Romanae ecclesiae fine tenus vitae nostrae velle servare Sancto Petro, et Vicario eius velle subiici„ . . .

[3]) Ep. 91. col. Nic. Serrar. rer. Mogunt. p. 563.

[4]) L. c. n. 93. p. 232.

[5]) Utinam hac tempestate fideles omnes sancti Germaniae nostrae Apostoli mente ac persuasione completi essent ac compulsi!

hac unice peterent magis, quam a paternis traditionibus sacrorum canonum disciplinam; utque episcopi omnes ad eius arbitrium suam conversationem remitterent et intenderent.„ Videlicet princeps Germaniae Apostolus idemque principis in ea sedis licet antistes, personam tamen simul legati praeferens romani, id disertis expressit verbis, quod antiquo constantique vicariorum et legationum pontificiarum usu continetur, supremo romani pastoris regimine ordinem unitatemque totius fidelium ovilis contemperari, salutarem ab illo ecclesiarum vim omnem ac potestatem, inpulsionem omnem, vitam ac motum pendere.

III. Supremus christiani iuris fons et custos romanus.

439. Sed pari ratione ita fas est colligere: apud summum pontificem eumque solum fons est atque fastigium iurisdictionis in universam ecclesiam; est porro adpellatio [1]) ab inferiori ad superiorem iudicem provocatio; apud illum ergo eumque solum est supremum causarum negotiorumque vitalium omnium adpellationisque tribunal. Et quod quidem ad hanc attinet, sua semper illum iurisdictione usum esse novimus in omnes hominum ordines pro quovis vitae genere, qua christianum id est: in ordinem sacrum et hierarchicum pro vitae genere clericali, religioso et sacro: pro genere vitae sociali-christiano in ordines humanae societatis tam rectores quam subditos: et pro familiari christianae vitae genere in ordines viri et mulieris, parentum et filiorum, servi et domini.

1. Constans provinciae illius romanus usus.

440. Haec iurisdictio Apostolorum erat, et eandem iurisdictionis amplitudinem praeferunt apostolicae Petri et Pauli litterae; et eandem porro inde ab illis apostolicae romanorum pontificum litterae pariter complectuntur. Scilicet quemadmodum omnibus illis hominum ordinibus pontifices pro omnibus his vitae generibus christiani ordinis ac instituti leges dabant: ita omnibus illis pro istorum omnium casibus ius dicebant. Hinc in decretalibus pontificum *Pro quibus et in quibus illud tribunal?*

1. sancitae leges pro clero, sive is saecularis sive regularis esset, ad vitam instituendam utrique ordini ac statui [2]) debitam: *Pro societate religiosa.*

---

[1]) Cap. Placuit. II. q. 6.

[2]) Speciminis causa cf. Gregor. IX. decreta ap. Denzing. l. c. n. 375. Syricii ep. I. ad Himerium tarraconens. ap. Harduin. t. I. pp. 846. sqq. ubi et

Pro societate civili. 2. monita ac praecepta societatis moderatoribus, sive imperatores sive reges sive principes sive alterius nominis rectores essent; eadem data subditis ad vitam in societate christianam cum pace ac tranquillitate caritatis ducendam:

Pro societate familiari. 3. decreta sua pro coniugatis statuta ad sancte ineundum ducendumque coniugium; sua praescripta pro parentibus ad prolem sancte educandam; et suae normae pro iubentibus et iussis, ut sancte utrimque officia humani christianorum commercii inplerentur.

Romani iudicis partes. 441. Iamvero in quibus negotiis, et quibus personis ad ordinem pacemque christianae vitae stabiliendam leges dare et ordinationes apostolica sedes potest ac tenetur, in iisdem et earundem iura tueri, et perturbationibus obortis sua suprema potestate violatis ac violatoribus ius dicere necessariae iudicis apostolici partes exsistunt. Has autem curas expletas semper fuisse, romanae eiusdem ecclesiae documenta testantur.

In ordinem hierarchicum. 442. Testantur inpensam curam in tuendis hierarchici ordinis [1]) officiis ac iuribus, a quorum exercitio maxime christiana

---

illud animadvertendum, quod saepe etiam regulae pro virginibus et viduis occurrunt. Et illae quidem si sacrae fuerint, religioso statu comprehenduntur: sed et de istis haud infrequens sermo in ecclesiasticis monumentis habetur. Verum huc prae ceteris faciunt damnatae a Pio VI. proposit. pseudo-synod. pistor. 80. sqq. pro reformatione regularium et monialium ap. Denzing. l. c. nn. 1443. sqq.

Alexand. synod. [1]) Nihil ad rem disertius, quam quod ap. Mign. lat. PP. t. 13. pp. 11. sqq. ad Felicem II. episcopi alexandrinae synodi scribunt: „Vestro sancto suggerimus apostolatui, ut nostri more solito sollicitudinem gerere dignemini iuxta vestram prudentissimam sapientiam, quae omnibus luce clarius manifesta est: quia apostolicis vestra beatitudo visceribus commota super tribulatione nostra nos omnes hortata est, ad tuitionem catholicae et apostolicae ecclesiae in unum convenire, et de nostra oppressione canonice et unanimiter tractare, dum constat vos una *II. Cor. XI. 29.* cum beato Paulo Apostolo eadem compossibiliter dicere: Quis infirmatur, et ego non infirmor: Quis scandalizatur et ego non uror? satagentes ne aliqua de his, quae vobis creditae sunt, rationabilibus ovibus a bestiis capiatur. Ideo, Pater beatissime, quia semper antecessores nostri et nos a vestra apostolica sede auxilium hausimus, et nostri vos curam habere agnovimus, praefatam apostolicam et summam expetimus iuxta canonum decreta sedem, ut inde auxilium capiamus, unde praedecessores nostri ordinationes et dogmata atque sublevationes ceperunt. Ad eam quoque quasi matrem recurrimus, ut eius uberibus nutriamur, quoniam non potest mater oblivisci infantem suum. Sic et vos nolite oblivisci nos vobis commissos, quoniam non levibus nos inimici nostri implicaverunt afflictionibus et quotidie facere moliuntur et apprehendere, aut ferris nos apprehendere minantur, nisi eorum consentiamus erroribus: quod nequaquam vobis inconsultis agere praesumimus. Canonibus quippe iubentibus, absque Romano nos de maioribus causis nihil debere decernere pontifice. Ideoque

fidelium vita dependet; curam in tuenda principum auctoritate [1], a quorum officio erga ecclesiam maxime christianus reipublicae color et habitus tum liber iurium usus pendet, quibus in christiana republica ecclesia [2]) debet gaudere, et quae libertatis tutela iure ab *Ecclesiae vera libertas.*

---

ad propositum recurrentes et ad bravium properantes vestrae apostolicae sedis imploramus auxilium: quia, ut credimus, non despexit Deus preces cum lacrymis sibi oblatas servorum suorum, sed ob id vos praedecessoresque vestros, apostolicos videlicet praesules in summitatis arce constituit, omniumque ecclesiarum eis curam habere praecepit, ut nobis succurratis nosque tuentes, cui omne episcoporum iudicium est commissum, liberare ab hostibus nostris non negligatis. *Conc. nicaen. sardic.* Nam scimus in nicaena magna synodo trecentorum octodecim episcoporum ab omnibus concorditer esse roboratum, non debere absque romani pontificis sententia concilia celebrari, nec episcopos damnari, licet haec et alia quam plura necessaria ab haereticis, qui nos quotidie infestant et perdere nituntur, ut facilius nos capere possint, sint synodica capitula incensa nobisque sublata." Sed totam addere epistolam deberemus, si adscribere vellemus, quaecunque aegyptii praesules praeclare ad rem scribunt tam de praerogativis romani pontificis generatim, quam speciatim de episcopos tuendi iure et officio, et tandem nominatim de ordine adpellationum, quibus confirmant, quae supra de sardicensibus canonibus praestituimus.

[1]) Cf. inter decreta Martin. V. damnat. Wiklef. prop. 15. et prop. 30. *Tutela principum.* Huss. coll. profess. fid. ab Innocent. III. propos. Waldensib. de iudicio sanguinis: damnat. an. 1665. ab. Alexand. VII. prop. 28.

[2]) Cf. Innocent. VIII. litteras ad Henricum VII. ap. Harduin t. IX. pp. 1517. sqq. pro libertate clericorum coll. Edwardi IV. regis charta de libertatibus clericorum an. 1463. ap. Harduin. l. c. p. 1469. „Edwardus Dei gratia rex Angliae *Edward. IV.* et Franciae et dominus Hiberniae, universis et singulis archiepiscopis, abbatibus, prioribus, comitibus, iusticiariis, baronibus, vicecomitibus, escaëtoribus, coronatoribus, praepositis, ministris ac omnibus ballivis et fidelibus piis, salutem. Sciatis quod cum inter alias causas multarum et ingentium calamitatum, quibus omnipotens Deus hoc regnum nostrum Angliae, peccatis igentibus, hactenus incessanter *Calamitatis regnorum origo.* affligi sustinuit, ea praecipue et sane veremur, et vere credimus existere indicatum: quod praelati et ministri ecclesiae anglicanae libertatibus, praerogativis ac consuetudinibus ecclesiae universalis, quas violare absque poena multiplicis censurae nemo fidelis potest, non sunt pro se et rebus suis pacifice seu libere iam multis annis gaudere permissi. Ne igitur nos qui iamdudum divina opitulante gratia regiae dignitatis apicem ad nos iure hereditario pertinentem consecuti sumus, iram ipsius Dei adversum nos exasperare videamur, cupientes de cetero, non tam universalis ecclesiae matris nostrae institutis firmiter inhaerere, quam ceteris christianis et catholicis principibus, apud quos canones et decreta sanctorum patrum debite honorantur, iuste ac unanimiter consentire; ad honorem ipsius omnipotentis Dei ac christianae fidei incrementum, et ut populus nobis subditus excommunicationum poenas et ecclesiae censuras cautius in futuro evitare ac *Ecclesiae censurae vitandae.* regnum nostrum Angliae sub iustis legibus amodo prosperare valeant: Nos de gratia nostra speciali et mero motu nostro dedimus et concessimus ac pro nobis, haeredibus et successoribus nostris praesenti charta confirmamus . . . quod de cetero nullus iusticiarius . . . inquirat seu inquiri faciat de excessibus . . . aliisve quibuscumque transgressionibus . . . per aliquem archiepiscopum" et q. s. Quae sunt praeclarum regis documentum, quo sua ecclesiae iura reddidit: unde satis

illis repetitur; curam in adserendo tum iure matrimonii, a quo pendent honesti vitae [1]) mores, tum parentum officio, a quo pendet christiana filiorum institutio et educatio: curam tandem in vindicandis mutuis officiis et iuribus dominorum [2]) ac servientium [3]), quibus conservatio vitae tranquillae in christianis pendet familiis.

Supremum christiani iuris tribunal.

443. Rem decretales pontificum luculenter patefaciunt, allata superius plus semel argumenta comprobant, et confirmat antiquus et continuus adpellationum usus. Sane adpellatum ab episcopis seorsum singulis et etiam coniunctim multis, adpellatum a clericis et monachis, a principibus aeque ac populis christianis, adpellatum a viris et uxoribus, adpellatum in causa servitutis ac libertatis, sed appellatum etiam in causa christianae institutionis atque scholarum. Sed si iugis ille erat et est, itidem necessarius in ecclesiasticis rerum causarumque ordinibus, quos recensuimus, ad romanum pontificem adpellationum recursus [4]) adparet, ut fine

---

Sixtus IV.

et illud constat, quo sensu phrases accipiantur „dedimus, concessimus.„ Quae expressa omnino dixeris ad haec Sixti IV. ex bulla pro libertate clericorum et rerum sacrarum ap. Hard. t. IX. pp. 1496. sq. data an. 1476. „Officii, inquit, pastoralis cura iubente, et sacrorum canonum auctoritate praevia, sicut in iudiciis saecularium personarum illarum iura et privilegia per ecclesiasticas personas turbari nolumus; ita eis praeiudicantibus iuribus ecclesiasticis, quae violare sine indignatione divini iudicii liceat nemini, debita correctione resistere cogimur, uti saeculares ipsa sua sorte contenti pro Dei honore et apostolicae sedis reverentia alterius negotium praeiudicialiter attemptare non praesumant, quod postmodum in aeterna damnatione eos acrius luere conveniat„ et q. s.

[1]) Cf. Nicolai I. responsa ad consulta Bulgaror. ap. Denzing. l. c. n. 263.

[2]) Cf. Wikleff. prop. 17. damnat. a Martin. V.

Servitutis moderatio.

[3]) Huc referri merentur, quae pontificis pro sublevanda servorum conditione egerunt: cf. Alexand. VI. ad Ferdinand. reg. et Elisabeth. regin. an. 1493. bullar. rom. t. I. p. 454. coll. Leon. X. ad Ferdinand. Paul. III. litt. „Pastoral. offic.„ ap. Torquemada „Monarch. indian.„ l. XV. c. 4. de quibus vide sis civilitat. catholic. ser. VI. vol. II. fascic. 364. 1865. et sqq. 1866. J. Margraf. „Kirch. u. Sclaverei.„ Tübing. 1865.

Causa frequentis adpellationis.

[4]) Haec porro adpellationum necessitas eo maior ac frequentior evasit et est, quo rariores apostolici sive vicarii, sive nuncii, sive legati, quoque minores collatae iisdem facultates. Ut enim conquerentibus de adpellationum mediae aetatis usu Germaniae metropolitis l. c. sec. IV. pp. 242. sqq. nn. 107. sqq. Pius VI. pluribus respondet: I. „Si vicariatus (a IX. ad XV. saeculum) rariores evaserunt, coeperunt latius propagari primatiae, illae scilicet legationes, quae iterum iterumque ad Metropolitanos certae cuiusdam sedis delatae, perinde haberi coeptae sunt, ac si ipsis episcoporum sedibus collatae et affixae fuissent, ita ut legationes natae dictitarentur . . . et ita ab arbitrio s. sedis pendebant, ut ab una ad aliam sedem transferrentur, uti saepius factitatum est; ac demum cedere tenebantur legatis de latere missis sive ordinariis sive extraordinariis.„ Allatis porro testimoniis, quibus ostenditur, legationis huius honore distinctas frequenter ecclesias fuisse

Pius VI.

Legatio nata.

controversiis inposito pax et ordo redeat. Atque hinc est, quod ad romanum pontificem adpellare in certis causis casuumque spe-

---

metropolitanas, trevirensem, moguntinam, salisburgensem et coloniensem, tum etiam bremensem in Germania, in Bohemia pragensem, in Gallia lugdunensem, et narbonensem, toletanam in Hispania, in Hibernia armacanam; et episcopos eiusmodi perhonorifice secum a pontifice actum existimasse, nec defuisse „qui apostolica auctoritate uterentur ad mores corrigendos, ad religiosorum virorum coetus amplificandos, ad ecclesiae bonum omni ope curandum„ secus ac metropolitae quatuor ad quos scribit, iam facerent, et secus ac legatorum alii plus semel fecissent, hinc II. pp. 254. sqq. nn. 127. sqq. et sec. V. nn. 132. sqq. pp. 258. sqq. necessitatem patefacit, qua factum paullatim sit „impotens enim aemulandi studium, quod Metropolitanos invaserat, de quo ap. Pet. de Marca l. c. l. VI. c. 29. in causa fuit, cur Pontifices volentes iniuncto sibi Apostolatus munere perfungi, nolentesque amplius indigenis uti, quibus suas, ut antea, vices committerent, ac demandarent, id ceperunt consilii a saec. XV. ad hanc usque nostram aetatem, ut e proprio latere in Germaniam, in Galliam, in Hispaniam, in Lusitaniam, et in alia etiam regna advenas nuncios mitterent, nulli parti addictos, ecclesiastica dignitate ornatos, principibus caros; utque apud catholicas aulas et in urbibus principibus ordinarias nunciaturas instituerent, de quibus modo res est„: refertur illico census eiusmodi nunciaturarum et nominatim series praebetur Vindobonensium nunciorum ab anno 1513, quibus illud oneris inprimis inpositum „ut, quanta possent diligentia, in tridentinarum sanctionum curam et custodiam incumberent„: denique III. praeposteris pluribus Germaniae metropolitarum exceptionibus contra nunciorum praesentium facultates reiectis, probatur pp. 262. sqq. nn. 137. sqq. legatorum olim apostolicorum potestatem maiorem fuisse facultatibus, quae nunc apostolicis nunciis tribui solent; verum cum eiusmodi restrictione cohaerere sua natura necessitatem, frequentius Romam recurrendi adpellandique ad supremum pastorem; quare si restrictio talis grata forte quibusdam accidisset sive episcopis sive fidelibus aliis, eius tamen rei sequelam aliis molestam videri, uti „Petro Mariae Vulcano Cracoviensi in ep. diei 17. Aug. 1591. scripta Card. Sfondrato, qua ob discessum Nuncii a regno Poloniae inter cetera dolet, quod causae in secunda et tertia instantia a sententiis ordinariorum deferri non possent ad nuncium, quodque Romam plurimi confugere nequirent„ . . . Archiv. Vatic. divers. tom. 62. p. 1061.„ Nimirum deficiente onere nunciorum potestatisque eorum, adest et crescit onus semet Romam recipiendi. Vigebat olim in ecclesia disciplina, qua Vicarii legatique romani iurisdictione ampliori instruerentur; restrictior nunciorum potestas ex recentiori disciplina comparet. Et tamen non desunt, qui contra nuntiaturas pontificias „ad antiquam purioremque disciplinam provocent.„ Videlicet 1. praepostere, ut patet: tum vero 2. parum pie; „perinde ac si, ait Pius l. c. sec. V. n. 144. p. 267. ecclesia, dum parumper de antiqua disciplina decessit, ab eodem Dei Spiritu regi ac gubernari desierit„; atque 3. audiant archiep. Mechlin. Guil. de Precissian in ep. past. 12. Octob. 1692. „Habuit ecclesia olim, ex quo corrigi possit hodierna disciplina; sed et iam habet, unde corrigi potuit antiqua, quemadmodum periti temporum ac morum norunt atque testantur.„ Cui consentit M. Flev. de Reval „Catechism. philos.„ Paris. 1777. p. 587. Audi etiam Erasmum in ep. scripta an. 1529. et edit. Colon. an. 1541. „Cum ecclesia, inquit, quemadmodum res ceterae mortalium omnes, habeat rudimenta, progressum et summam; nunc subito

A saec. XV. maxime legati a latere.

Potissimus illorum finis.

Vulcan. Cracov.

Provocatio ad vet. disciplinam.

Precissian. Mechlin.

Erasmus.

ciminibus est lege [1]) praescriptum, tum est omnibus ad eundem adpellare permissum, atque gravissimis in eos poenis animadversum, qui in hoc iure suo prosequendo quempiam inpedierint.

2. A romano tribunali nec inpedire quempiam nec provocare ad aliud licet.

444. Huc sane spectant, quae Alexander decano et capitulo remensi [2]) scripsit pro Theobaldo clerico contra Thomam presbyterum et Joannem archidiaconum, qui in illum „violentas manus

---

Status ecclesiae, hominum vitia. illam ad primordia revocare, nihil est absurdius, quam virum adultum ad cunas et infantiam velle retrahere. Multa secum defert tempus, et rerum status multa commutavit in melius . . . quid multis? Si Paulus hodie viveret, non improbaret, opinor, praesentem ecclesiae statum, in hominum vitia clamaret.„ Vid. Pallavicin. lib. XVII. c. 14. n. 6. ubi rationes adfert, ob quas Patres non revocarint in usum primam ecclesiae disciplinam. In eandem convenit sententiam vetustissimus auctor „De rebaptismate„ ap. cit. lib. „L'episcopato„ c. IV. n. 61. p. 123. et Thomassin. l. I. c. 48. n. 17. qui conatus recedendi a vigenti disciplina pro irritis habet, et insanos adpellat. Doctor autem Ingolstadiensis post relata Erasmi verba *Punctatores emsens.* sic animadvertit: „Sed Paulo sunt perspicaciores nostri quatuor punctatores cum bene loti, bene pasti, bene poti, suos famosos articulos eructant„ Et Paulo doctore gentium perspicacior etiamnum haud unus scientiarum cultor videtur similia prosequens. Verum haec de antiqua ecclesiae primordialique disciplina sapientissima iudicia cum aliis aptata vellem materiis tum inprimis illi, de qua insequenti capite disputatio erit.

Athanas. cum Aegypti episcopis. [1]) Cf. paulo prius adlegatam aegyptiorum episcoporum ad Felicem epistolam, ubi semel et iterum declarant, statutum esse in synodo nicaena et per ecclesiae canones, res contentiosas easque graves ad romanum deferendas esse pontificem: vide ib. p. 13. „Similiter et a supradictis patribus est definitum consonanter, ut si quisquam episcoporum aut metropolitanorum, aut comprovinciales vel iudices suspectos habuerit, vestram sanctam romanam interpellet *Matth. XVI.* sedem, cui ab ipso Domino potestas ligandi ac solvendi speciali est privilegio super alios concessa.„ Absolvunt iis, quae recurrunt in ep. africanorum ad Theodorum papam lecta in concilio lat. sub Martino, quaeque suo superius loco attulimus de ecclesiasticis causis omnibus ex universo orbe ad romanam sedem deferendis. Ita cum Abundantio Demetriadae civitatis episcopo, Theodosio echiniensi, nec non Elpidio, Timotheo episcopis, prout colligitur ex supplicibus libel- *Concil. rom.* lis et litteris in concilio romano III. an. 531. lectis Stephanus in suo ad Bonifacium libello supplici, qui incipit: „Quae antea dixi, Apostolicam sedem, id est vestram Beatitudinem, causas nostrae provinciae et audire convenit, et finire„: et Theodosius episcopus, postquam in eodem concilio lecta fuit epistola trium episcoporum, Elpidii, Stephani, Thimothei: „Constat, exclamavit, quod in toto mundo sedes Apostolica ecclesiarum sibi vindicet principatum, et ad solam in ecclesiasticis causis undique appellare necesse sit.„ Cf. respons. Pii VI. l. c. p. 217.

[2]) Epist. CCLXIV. ap. Martene vett. scriptt. et monument. ampliss. collect. t. II. pp. 840. sqq. Quibus conferri merentur, quae ibidem p. 1234. leguntur de *Otto IV.* promissione data Innocentio ab Ottone IV. „quod appellationes in causis ecclesiasticis ad apostolicam sedem libere fiant.„ Eidem adpellationum potestati ac iuri infensos diu ante orthodoxorum episcoporum hostes fuisse, conqueruntur aegyptii episcopi ep. ad Felicem pontificem, uti superius allata patefaciunt.

ausu diabolico iniecerunt, et eum post factam ad Nos (scilicet Alexandrum) adpellationem carceri manciparunt . . . Unde quoniam id gravissime in ecclesiae romanae redundat iniuriam, nec hoc sicut non debemus, possumus in patientia sustinere, per apostolica vobis scripta praecipiendo mandamus, et in virtute obedientiae iniungimus, quatenus cuiuslibet timore, gratia et amore postposito, rei veritatem diligentius inquiratis, et si ita constiterit, memoratos Thomam et Joannem ab omni officio et beneficio ecclesiastico sublato appellationis remedio suspendatis, et tam eos quam illos qui praefatum Theobaldum et fratrem eius de appellatione non prosequenda fidem coegerunt praestare excommunicatos publice denuntietis et ab omnibus sicut excommunicatos faciatis cautius evitari„ et q. s. Quibus simillima sunt tam quae idem rursum de adpellationum inpedimentis scribit [1]) „quia quidquid contra appellationem ab aliquibus attentatur, nullius debet robur stabilitatis habere„: quam quae de adpellandi modo et usu ad varias quaestiones Henrici remensis archiepiscopi respondet: „Cum sacrosancta romana ecclesia caput et magistra omnium ecclesiarum sit, disponente Deo constituta, et ad eam consultationes de diversis mundi partibus merito referantur, quod eam super variis iuris quaestionibus consulueris gratulamur, et prudentiam tuam non immerito commendamus.„

Alexander III.

445. Profecto res sic propterea habet, quod romanus pontifex solus suprema excellit et universali potestate, cui soli in Petro dictum fuit [2]) „Tibi dabo claves regni coelorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis.„ Sed ideo est, quod ipse solus inadpellabile habet tribunal [3]) quodque nefas proinde est, eius sententiae obsistere; nefas provocare ad potestatem aliam ecclesiasticam et sacram, cuiusmodi foret verbi gratia concilium vel

Matth. XVI.

Adpellatio ad concilium generale.

[1]) Ep. CCLXVIII. ibid. p. 843.

[2]) Matth. XVI. 19. quorum commentarium lib. sup. dedimus et alexandrina synodus ad papam Felicem eregie l. c. complectitur.

[3]) Ita Nicolaus I. ap. Denzing l. c. n. 268. ad consulta Bulgarorum: „Quoniam quum secundum canones ubi est maior auctoritas iudicium inferiorum sit deferendum, ad dissolvendum scilicet vel ad roborandum: patet profecto sedis apostolicae cuius auctoritate maior non est iudicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt, ab illo autem nemo sit appellare permissus:„ coll. Gregor. M. ep. 66. l. c. pp. 850. 858. sqq. Leon. IX. ad Michaelem Cerular. ibid. nn. 291. sq. Pius VI. l. c. c. VIII. sec. II. pp. 187. 191. 217.

Nicolaus I.

Pius II. ipsum generale. Satis est haec Pii secundi [1]) constitutio confirmata deinceps plus semel a Sixto quarto et Julio secundo itidemque recepta [2]) in bullam coenae: „Execrabilis est et pristinis temporibus inauditus tempestate nostra inolevit abusus, ut a romano pontifice Jesu Christi vicario, cui dictum est in persona beati Petri: Pasce oves meas, et: Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis: nonnulli spiritu rebellionis imbuti, non sanioris cupiditate iudicii, sed commissi evasione peccati ad futurum concilium provocare praesumant, quod quantum sacris canonibus adversetur, quantumque reipublicae chri-

Bulla coenae.

Rebellionis spiritus.

Damnatur pragmat. sanctio. Leo X.

[1]) Bulla „Execrabilis. an. 1459. ap. Harduin. t. 9. p. 1441. Quibus consonant, quae damnans pragmaticam sanctionem in regno Fanciae Leo X. an. 1516. his rationibus complectitur: „Propterea nullum robur habere potuerint, cum etiam solum romanum pontificem pro tempore existentem tamquam auctoritatem super omnia concilia habentem, conciliorum iudicandorum, transferendorum ac dissolvendorum plenum ius et potestatem habere, ne dum ex sacrae Scripturae testimonio, dictis sanctorum Patrum, ac aliorum romanorum pontificum praedecessorum nostrorum sacrorumque canonum decretis, sed propria etiam eorumdem conciliorum confessione manifeste constet, quorum aliqua referre placuit, reliqua vero utpote notoria silentio praeterire. In alexandrina enim synodo Athanasio ibidem existente, Felici romano pontifici ab eadem synodo scriptum fuisse legimus, nicaenam synodum statuisse non debere absque romani pontificis auctoritate concilia celebrari. Neque nos latet etiam eumdem Leonem pontificem ephesinam secundam synodum ad Chalcedonem transtulisse. Martinum etiam papam V. praesidentibus suis in concilio senon. potestatem transferendi concilium nulla consensus ipsius concilii mentione habita dedisse. Ephesinam quoque primam synodum Coelestino, ac chalcedonensem eidem Leoni, sextam Agathoni, septimam Hadriano, octavam Nicolao, octavam etiam constantinopolitanam synodum Hadriano pontifici praedecessoribus nostris maximam reverentiam exhibuisse, eorumdemque pontificum institutionibus et mandatis in sacris conciliis per eos editis et factis reverenter et humiliter obtemperasse. Unde Damasus papa et ceteri episcopi Romae congregati scribentes de concilio ariminensi episcopis in Illyrico constitutis praeiudicium aliquod per numerum episcoporum Arimini congregatorum fieri non potuisse testantur, quandoquidem constet, romanum pontificem, cuius ante omnia dicebat spectari decretum, talibus non praebuisse consensum, eumdemque Leonem pontificem universis Siciliae episcopis scribentem idem voluisse apparet, consueveruntque antiquorum conciliorum patres pro eorum, quae in suis conciliis gesta fuerunt, corroboratione a romano pontifice subscriptionem approbationemque humiliter petere et obtinere, prout in nicaena et ephesina et chalcedonensi huiusmodi et sexta constantinopolitana et septima eadem nicaena ac romana sub Symmacho synodis habitis earumque gestis, nec non in Aimari libro de synodis manifeste colligitur, quod etiam novissime constantienses patres fecisse constat. Quam laudabilem consuetudinem si bituricenses et basileenses secuti fuissent, huiusmodi molestia procul dubio careremus.„ Qua probatione Leo confirmat luculenter plurima illa, quibus usi iam superius sumus.

Synod. alex. *Ephesin.* *Senon.* *Chalcedon.* *Concil. VI. VII. VIII.* *Synod. rom.* *Constantiens.*

[2]) Art. II. coll. Martin. V. in constant. conc. de appellat. ad conc. univers

stianae noxium sit, quisquis non ignarus iurium intelligere potest ... Volentes igitur hoc pestiferum virus a Christi ecclesia procul pellere, et ovium nobis commissorum saluti consulere, omnemque materiam scandali ab ovili nostri Salvatoris arcere: de venerabilium fratrum nostrorum sanctae romanae ecclesiae cardinalium cunctorumque praelatorum, ac divini humanique iuris interpretum, curiam sequentium, consilio ac assensu ac certa nostra scientia huiusmodi provocationes, introductiones damnamus et tamquam erroneas ac detestabiles reprobamus: cassantes et penitus annullantes, si quae hactenus taliter interpositae reperiantur: easque tamquam inanes ac pestiferas nullius momenti esse decernimus ac declaramus: praecipientes deinceps ut nemo audiat quovis quaesito colore ab ordinationibus, sententiis sive mandatis quibuscunque nostris ac successorum nostrorum, talem appellationem interponere, aut interpositae per alium adhaerere, seu eis quomodolibet uti. Si quis autem contra fecerit, a die publicationis praesentium in cancellaria apostolica post duos menses cuiuscumque status, gradus, ordinis vel conditionis fuerit, etiamsi imperiali, regali, vel pontificali praefulgeat dignitate, ipso facto sententiam exsecrationis incurrat: a qua nisi per romanum pontificem, et in mortis articulo, absolvi non possit. Universitas vero sive collegium ecclesiastico subiaceat interdicto: et nihilominus tam collegia et universitates, quam praedictae et aliae quaecunque personae, eas poenas ac censuras incurrant, quas rei maiestatis et haereticae pravitatis fautores incurrere dignoscuntur. Tabelliones insuper ac testes, qui huiusmodi actibus interfuerint, et generaliter, qui scienter consilium, auxilium dederint, vel favorem talibus appellantibus, pari poena plectantur."

Excommunicationis sententia.

Interdictum.

446. Quodsi nefas est a iudicio romani episcopi adpellare ad concilium generale, multo nefarium magis est, ab eodem provocare ad concilia particularia sive provinciarum sive totius cuiusdam nationis. Unde Pius sextus gravissime habuit id attentantium pistoriensium [1]) placita de convocando nationali concilio. Neque blandius habuit in sua ad Germaniae metropolitas responsione [2]) conventiculi Emsensis delegatos „utpote quos, inquit pontifex, constat pacto inter se cavisse: d'intraprendere la riforma della disciplina ecclesiastica in tutte le sue parti, e di togliere dalle radici gli abusi, che vi si

Adpellatio ad nationale concilium.

Pius VI.

Conventiculum emsense.

[1]) Cf. prop. 85. ap. Denzing. l. c. nn. 1456. sqq.
[2]) L. c. c. VIII. sec. 1. pp. 178. sqq.

sono [1]) introdotti„; et eo rem deduxisse, ut non semel adfirmarint, cogi concilium sive generale, sive nationale [2]) oportere. Audent illi quidem, pergit Pius, per summam improbitatem has dioecesum corruptelas depromere [3]) ac derivare „dalle oppressioni della Curia Romana„. Sed haec est schismaticorum solita calumniandi ratio, ut quam corruptelam negare non possunt, eam non sine impietate conferant in Apostolicam Sedem, utque reformationem solo imperitos decipiendi animo polliceantur, minime intelligentes, ab se duci oportere reformationis initium. Pergant, ut oportet, nuncii sua iurisdictione libere uti, pergant archiepiscopi eo, quo debent, obsequio primam sedem colere ac venerari, unaque cum nunciis inita consiliorum et animorum societate in usum curent revocandas, ac restituendas providas ecclesiae leges, ac concilii tridentini sanctiones [4]) et tunc sine novi convocatione concilii [5]) omnes e radicibus tollentur abusus, cuncta simul in Vestris archidioecesibus ac dioecesibus cessabunt incommoda, quibus eas hodie premi Vestri consiliarii confitentur. Haec enim incommoda tum maxime importantur, et invalescunt, cum vel absunt nuncii, vel suam exercere iurisdictionem prohibentur, ut nationes [6]) ipsae

Schismaticorum calumnia.

---

[1]) In opusc. Resultato etc. art. XXIII. p. 28. ap. Dalham. p. 665.

[2]) Ib. aa. VII. XV. XXI. XXIII. pp. 22. 25. sqq. ap. Dalham. pp. 660. sqq. Add. Lacrymabilem quatuor Germaniae archidioecesum statum describit opusc. „Riflessioni sul Pro Memoria„ ad conclusion. pp. 225. sqq. Sed his nunc cf. Dr. H. Brück: „Die rationalist. Bestrebung. im kathol. Deutschl.„ Mogunt. 1865.

[3]) Ll. cc.

Theologus Salisburg.

[4]) „Hoc fuit consilium, quod Felicianus Ninguarda theolog. Salisburg. oratione habita die 3. Sept. 1573. in fine concilii Salisb. eiusdem anni sapienter dedit archiepiscopo et praesulibus provinciae, nempe ut pro viribus incumberent, in executionem constitutorum decretorum apostolica auctoritate confirmatorum; iis quae forsan obiici potuissent, sic respondens: Cum nihil videam, quod impedire debeat. An rei gerendae novitas? At nihil vetustius, nihil adhuc ab ineunte ecclesia usque usitatius est ad novitates tollendas abolendasque . . . At cum subditis in gratia esse oportet: Quis bonus ab iis gratiam ineat, qui per suos errores et contumaciam in gratia Dei non sunt? At urgebimur omnium convicio? Quis eorum maledicta magnopere curat, quibus etiam si bene faciat, blandiatur, indulgeat, non tamen efficiat, quin obtrectent? At fugient, abibunt, a nobis secedent: Quis non iure laetetur, provinciam tanta peste, et tanta perditorum hominum colluvione liberari?„ Dalham. p. 569.

[5]) „Solitum hoc est effugium schismaticorum, ut palam fecit Card. Aeneas. ep. apologet. in respons. ad II. par. §. Et primum p. 666.„

Poloniae clerus.

[6]) „Inclytus Poloniae clerus an. 1556. nuncio declaravit, haeresim propterea serpere latius, quod a triginta et amplius annis, quo coeptum est hoc malum, romani pontifices, qui pro tempore fuerunt, excepta Sanctitate sua, cui Deus lon-

testantur.„ Nimirum bonus in ecclesia ordo tum obtinet, et concilii generalis necessitas certa proportione cessat, quum pastoris supremi regimen ubique observatur, et frequentata ab ipso regiminis iurisdictionisque remedia vim habent suam suosque effectus sortiuntur.

Adpellatio ad saecularem potestatem.

447. At vero illud intollerabile plane, si adpellatio fiat non ab episcopali tantum, sed ab ipsius romani pontificis iudicio ad potestatem saecularem atque civilem. Id profecto antiquis iam vetitum fuit conciliorum canonibus atque decretis. Huc enim faciunt [1]) ista antiochenae synodi : „Si quis episcopus aut presbyter aut quilibet regulae subiectus ecclesiae, praeter consilium et litteras episcoporum provinciae et praecipue metropolitani, adierit imperatorem, hunc reprobari et abiici oportere non solum a communione, verum et ab honore cuius particeps videtur existere :„ et [2]) iterum : „Si quis a proprio episcopo presbyter aut diaconus, aut a synodo fuerit episcopus forte damnatus et imperatoris auribus molestus extiterit : oportet ad maius episcoporum converti

Synod. antioch.

---

gissimam vitam concedat, nullum vel legatum, vel nuncium ad hoc regnum misere, qui apud reges instanter sollicitarent, iuxta paternas leges temerarios hos ausus comprimerent, et etiam ecclesiae defensores existerent; proindeque subdebat: primum remedium esse videtur, quod Sancta et Apostolica Sedes hoc in regno, sicut et apud alios principes facit, nuncium continue haberet, vel legatum virum doctum, bonum, et Deum timentem, rerum gerendarum scientia peritum, qui . . . in curia resideret, semperque regis lateri adhaereret, atque eum officii sui admoneret: hic catholicam fidem, atque libertatem ecclesiasticam tueretur, et Sedis Apostolicae obedientiam, et reverentiam in regno conservaret, et ad eum tanquam ad asylum viri boni semper pro iusto patrocinio confugere possent.„ Vid. Marten. coll. vett. scriptt. t. VII. coll. 1452-54.„ Sic illi in regno catholico, in quo homo nequam dormientibus custodibus seminare zizania coepisset: scilicet, non aliunde quam a romanae sedis vigilantia et cura et potestate sibi rebusque suis publicis petebant et exspectabant remedia et auxilia.

Regem nuncius officii admoneat.

[1]) Concil. antioch. can. 11. ap. em. Pitra iur. eccles. graec. t. I. p. 460. *Εἴ τις ἐπίσκοπος ἢ ὅλως τοῦ κανόνος ἄνευ γνώμης καὶ γραμμάτων τῶν ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ ἐπισκόπων, καὶ μάλιστα τοῦ κατὰ τὴν μητρόπολιν, ὁρμήσειε πρὸς βασιλέα ἀπελθεῖν, τοῦτον ἀποκηρύττεσθαι καὶ ἀπόβλητον γίνεσθαι, οὐ μόνον τῆς κοινωνίας, ἀλλὰ καὶ τῆς ἀξίας, ἧς μετέχων τυγχάνει.*

[2]) Ibid. can. 12. *Εἴ τις ὑπὸ τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου καθαιρεθεὶς πρεσβύτερος ἢ διάκονος ἢ καὶ ἐπίσκοπος ὑπὸ συνόδου ἐνοχλῆσαι τολμήσειε τὰς βασιλέως ἀκοὰς, δέον ἐπὶ μείζονα ἐπισκόπων σύνοδον τρέπεσθαι, καὶ ἃ νομίζει δίκαια ἔχειν, προσαναφέρειν πλείοσιν ἐπισκόποις, καὶ τὴν παρ᾽ αὐτῶν ἐξέτασίν τε καὶ ἐπίκρισιν ἐκδέχεσθαι· ὁ δὲ τούτων ὀλιγωρήσας ἐνοχλήσειεν τῷ βασιλεῖ· καὶ τοῦτον μηδὲ μιᾶς συγγνώμης ἀξιοῦσθαι, μηδὲ χώραν ἀπολογίας ἔχειν, μηδὲ ἐλπίδα μελλούσης ἀποκαταστάσεως προσδοκᾷν.*

concilium, et quae putaverint habere iusta, plurimis episcopis suggerant eorumque discussiones ac iudicia praestolentur. Si vero haec parvi pendentes molesti fuerint imperatori, hos nulla venia dignos esse, nec locum satisfactionis habere, nec spem futurae restitutionis penitus opperiri.„

Constantin. imp.

448. Sed piaculum foret, ea silentio praetermittere, quae in causa donatiana Constantinus Augustus [1]) episcopis catholicis de adpellatione ad se in re religiosa et post ecclesiae romanae aeque ac synodale iudicium facta scribit: et inprimis laudata „aeterna et religiosa incomprehensibili pietate Dei nostri, quae nequaquam permittit humanam conditionem diutius in tenebris oberrare„ tum exaltata Dei Omnipotentis erga se benignitate, quum „certo iam neque dici neque enumerari possunt ea, quae coelesti sua in me famulum suum benevolentia concessit:„ celebrando praedicat vere victricem providentiam Christi Salvatoris, ut etiam his consuleret „qui iam desciscentes a veritate, quodammodo adversus ipsam arma inducentes (al. induentes) gentibus se copulaverant.„ Tum conquerendo pergit:

Causa donatiana.

„Sed non profuit apud eos recta diiudicatio, neque in eorum sensus ingressa est divinitas propitia. Revera enim ab his procul abscesserit Christi clementia, in quibus manifesta luce claret huiusmodi esse, ut eos etiam a coelesti provisione exosos cernamus. Quae in ipsos tanta vesania perseverat, cum incredibili arrogantia persuadeant sibi, quae nec dici nec audiri fas est, desciscentes a recto iudicio dato, quo coelesti provisione meum iudicium eos comperi postulare? Quae vis malignitatis in eorumdem pectoribus perseverat? Quoties a me iam ipso improbissimis aditionibus suis sunt condigna responsione [2]) oppressi? qui utique si hoc ante oculos habere voluissent, minime hoc ipsum interposuissent. Meum iudicium postulant, qui ipse iudicium Christi exspecto. Dico enim, ut se veritas habet: sacerdotum iudicium ita debet haberi, ac si ipse Dominus residens iudicet. Nihil enim licet his aliud sentire, vel aliud iudicare, nisi quod Christi magisterio sunt edocti. Quid igitur sentiunt maligni homines, officia (ut vere dixit al. dixistis) diaboli? Perquirunt saecularia, relinquentes coelestia. O rabida furoris audacia! sicut in causis gen-

Sacerdotum iudicio imperator se subdit.

---

[1]) An. 314. ap. Hard. t. I. pp. 268. sqq.

[2]) Nam plus semel donatiana factio a iudicio ecclesiae ad imperatorem provocavit, de quo apud Euseb. h. e. l. X. 6. et ap. Tillemont. t. VI. adnot. 4.

tium fieri solet, appellationem interposuerunt . . . Quid hi detractores legis, qui renuentes coeleste iudicium, meum putaverunt postulandum, sic sentire de Christi Salvatore? Ecce iam proditores, ecce sine ulla acriori disquisitione ipsi per semet prodiderunt facinora sua.„ Quibus ad rem insignius nihil

1. spectata re ac testimonio in se;

2. nihil ad persuasionem pristinae antiquitatis christianae patefaciendam illustrius; nihil

3. dignius magno imperatore christiano, qui propterea

4. episcopis communicat, se iam praefecto Africae competentes dedisse litteras „ut quotquot huius insaniae similes invenerit, statim eos ad comitatum suum (Constantini) dirigat, ne ulterius sub tanta claritate Dei nostri ea ab ipsis fiant, quae maximan iracundiam coelestis providentiae [1]) possint incitare.„

449. Sed praeclarissima licet illa sint, nescio tamen utrum his non vincantur, quae in causa illyrica sub Theodosio et Honorio imperatoribus acta novimus. Ex illyricianis episcopis nonnulli „aegre ferentes, scribit [2]) Balutius, sibi in omnibus causis ecclesiasticis superpositum esse thessalonicensem [3]) episcopum nacti occasionem turbandi, quaerelam istam ad aures Theodosii Augusti detulerunt, simulque suggesserunt, ut constantinopolitanae *Causa illyric.*

---

[1]) Cum hac Constantini sententia de iusto Dei iudicio ac consequente calamitate regnorum, in quibus ecclesiae eiusque ministrorum iura conteruntur, plane consentientem vidimus sanctum Edwardum regem Anglorum; quo pariter haec faciunt, quae in laudata frequenter Pii VI. respons. l. c. p. 221. de Leone Isauro animadversa leguntur: „Schisma Orientalium fluxisse ex controversia inter summos Pontifices et orientalem ecclesiam ob dioeceses malo more usurpatas, et Pontifici Romano per vim ablatas propugnat Petrus De Marca cum Balutio l. I. c. 1. §. 4. nec non Thomassinus l. c. c. 18. haec addens: Verum non minus ille (Leo Isaurus) sibi imperioque intulit damni, quam ecclesiae. Ab eius enim imperio descivit, quidquid in occidente hactenus retinuerat. Certissime enim extenuantur et inanescunt imperia, quibus per ecclesiarum claves robur et incrementum quaeritur.„ Nimirum divini ordinis iura pessumdantes principes fundamentum proprii iuris evertunt. *Scissio Orientis ab ecclesia romana Occidentis scissio ab imperio graeco* *Leo Isaur.*

[2]) Continuat. Pet. de Marca de concord. sacerdot. et imper. l. V. c. 24. n. 10.

[3]) Singularibus episcopum thessalonicensem iurisdictionis privilegiis fuisse per romanam sedem a prioribus iam ecclesiae aetatibus instructum, et legati vicariique apostolici officio distinctum, concilium docet romanum apud Harduin. t. II. pp. 1111. sqq. et pluribus demonstratur in SS. D. N. Pii VI. respons. ad metropolitan. mogunt. trevir. colon. et salisburg. super nunciatur. apost. Rom. 1789. c. VIII. nn. 40. sqq. pp. 202. sqq.

urbis antistiti, qua se veteris Romae praerogativa gaudere gloriabatur, hunc honorem tribueret . . . Theodosius horum invidorum suasionibus permotus legem [1]) edidit votis episcoporum consentaneam." Verum praeposteris eiusmodi episcoporum conatibus et alii semet episcopi opposuerunt, et multo etiam fortius romana sedes data per Bonifacium epistola ad Rufum [2]) qua firmam inmotamque esse iussit vicariatus apostolici auctoritatem „quam minorem facere nova, quae vires habere non possunt, tentamenta non debent. Non est enim eorum cedendum studiis, quos novitas rerum, et indebitae desiderium dignitatis accendit; sed elaborandum est, et Deo nostro favorem praestante certandum, ut quisquis contra licitum nititur, sibi per omnia recognoscat occursum." Et idem rursum alia data epistola [3]) ad universos episcopos per Thessaliam constitutos: „Audio, inquit, episcoporum quosdam apostolico iure contempto, novum quippiam contra Christi proprie praecepta tentare, cum se ab apostolicae sedis communione, et ut dicam verius, potestate separare nituntur, eorum petentes auxilium, quos ecclesiasticarum sanctio regularum maioris esse non dedit potestatis. Legantur enim praecepta maiorum; et quibus in ecclesias iuris aliquid dederint, invenimus. Iam temerator est ecclesiasticae disciplinae quisquis in eius leges, cum sibi nihil debeatur, inrepit; ea sibimet vindicando, quae sibi a Patribus negata videantur. Accipite ergo admonitionem et correptionem nostram, ex quibus unam pontificibus, alteram dissidentibus exhibemus. Nam ideo ait [4]) Apostolus: Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in caritate et spiritu mansuetudinis? Scitis enim, beato Petro, utrumque possibile, id est, in mansuetudine mites, in virga superbos arguere. Ergo servate honorem debitum capiti . . . ideo tenet sedes apostolica principatum, ut querelas omnium licentes acceptet . . . Cesset novella praesumptio. Nemo audeat sperare, quod non licet. Nullus ea quae sunt

Bonifac. Pap.

Temerator disciplinae, quis?

I. Cor. IV. 21.

---

[1]) Datam A. 421. V. Id. Mart. Honorio XIII. et Theodosio X. Augustis coss. quam tamen Lucas Holstenius vatican. biblioth. praefect. primus concilii III. romani e Barberina bibliotheca editor in adnotationibus subiectis latam an. 422. esse ostendit; cf. sup. dicta.

[2]) Cf. conc. rom. l. c. ap. Harduin. p. 1123.

[3]) Ibidem p. 1124. Cf. item Gregor. M. ad Constantin. Aug. epp. l. V. ep. 21. p. 750. l. c. ubi ad rem nostram praeclara leguntur.

[4]) I. Cor. IV. 21.

a Patribus gesta et per tantum temporum custodita, temerare contendat. Ordinationi nostrae pareat, quisquis se episcopum recognoscit. Episcopos per Illyricum citra conscientiam coepiscopi nostri Rufi nullus ordinare praesumat.„ Sic ille, quibus simillima in aliis [1]) ad dilectissimos fratres, Rufum et ceteros episcopos per Macedoniam, Achaiam, Thessaliam, Epirum veterem, Epirum novam, Praevalin, et Daciam constitutos datis litteris Bonifacius repetit et inculcat. Quid porro imperatores? Exstat [2]) insigne „Exemplar epistolae piissimi imperatoris Honorii ad Theodosium Augustum. Omnibus quidem causis, in quibus nostrum postulatur auxilium, intercessionem apud aures tuae clementiae negare non possumus; sed his maiorem necessario curam studiumque debemus, quibus sanctae sedis apostolicae desideria continentur. Nam cum favore divino nostrum semper gubernetur imperium, procul dubio illius urbis ecclesia speciali nobis cultu veneranda est, ex qua et romanum principatum accepimus; et principium sacerdotium. Siquidem nihil aliud a pietate nostra postulaverit missa legatio, nisi quod catholicae fidei disciplinae et aequitati concordet. Petit enim, ut haec privilegia, quae dudum a patribus constituta usque ad tempora nostra servata sunt, inconcussa perdurent. In qua parte perspicit serenitas tua, nihil vetustis decretis, si quae canonum conscripta sint regulis, penitus derogandum; nec tot iam saeculorum reverentiam novellis praeiudiciis sauciandam, Domine. Unde maiestas tua recensitis nostrae pietatis affatibus, christianitatis memor, quam pectoribus nostris misericordia coelestis infundit, universis remotis, quae diversorum subreptionibus per Illyricum impetrari dicuntur, antiquum ordinem praecipiat custodiri: ne sub principibus christianis Romana perdat ecclesia, quod (sub) aliis imperatoribus non amisit.„ Ad quae redditum [3]) hoc „Rescriptum Theodosii Augusti ad Honorium Augustum. Dignum meretur iudicium, quisquis perennis principis

Honorius.

Favore divino gubernatur imperium.

Romana ecclesia ne perdat sub christianis principibus, quod sub aliis non amisit.

Theodosius.

---

[1]) Ibidem pp. 1125. sqq.

[2]) Ibidem pp. 1127. Prior tamen „Constitutio, inquit Holstenius l. c. nescio quorum fraude et malitia non solum in Theodosiano codice remansit, sed in Justinianeum quoque recepta fuit a iuris conditoribus sedi apostolicae aeque ac religioni christianae infensis.„ Id quod Pet. de Marca „De concordia sacerdotii et imperii„ Blondellus „De primatu„ aliique animadvertere debuissent, quum ex priori illo rescripto secundum codices iuris receptos argumenta contra sedis romanae potestatem peterent.

[3]) Ibidem pp. 1127. sq.

affatus ad nostram videtur deferre clementiam, Domine sancte pater, Auguste venerabilis; tam praecipue christianae religionis intuitu . . . Deus enim auctor ideo praesules fecit christianorum principum posteros, ut omni subreptione frustrata, id quod a maioribus nostris constitutum est, reservetur . . . non solum in his quae divina suffragia incorrupta servarunt . . . tum praecipue

Regni sospitatem Urbis nomen servat.

haec res; quia saeculi totiusque regni nostri sospitatem illius inclyti Urbis nomen hactenus servat. Unde . . . statuimus observari, quod prisca apostolica disciplina et canones veteres eloquuntur . . . ne venerabilis ecclesia sanctissima Urbis privilegia a veteribus constituta amittat, quae perenne nobis sui nominis consecravit imperium.„ E quibus utrumque perspicuum est, et summam olim fuisse apud omnes, apud ipsos adeo imperatores, romanae sedis auctoritatem, eamque maxime salutarem ipsique imperio necessariam existimatam, et pernitiosum habitum flagitium, eidem resistere, provocando ad aliam potestatem eidem obniti, factaque provocatione contra pietatem saeculari potestate velle abuti.

IV. Officium obedientiae erga romanum summi pastoris regimen.

450. A quo scelere tantum aberat christiana pia antiquitas, ut potestati romanae non modo nihil de necessario potestatis suae obiecto quidpiam [1]) detractum voluisset, ut ex reverentia erga tantam Vicarii Christi auctoritatem aequissimo eius iudicio etiam ea dirimenda subiiceret, quae ceteroquin ex sese ad forum

Romanae usurpationis exceptio.

alterius ordinis spectarent. Sed haec erat non usurpationis romanae, bene quidem vis persuasionis, qua firmissime tenerent universi fideles, romano episcopo Altissimi Spiritum, nimirum veritatis ac iustitiae, adesse.

1. Romanae obedientiae rationes exponuntur.

451. Quod enimvero cum suprema illa romani pontificis et inadpellabili potestate in universam Christi ecclesiam ex sese et necessario cohaeret, est apud universos ecclesiae fideles officium, iussis sententiisque illius obedientiam praestandi. De hoc inplendo officio una tantum vox est christianae totius societatis. Atque id,

---

[1]) Cf. Gian Antonio Bianchi di Lucca „Della Potestà e della Polizia della Chiesa„ vol. II. l. I. cc. I. sqq. vol. III. l. III. cc. 1. sqq. Torino 1857.

quemadmodum explorata superius monumenta universa contestantur: ita Maiores aetatis omnis idem nunc δογματικῶς repetunt ex principatu romani episcopi in universam ecclesiam; nunc idem ἐξηγητικῶς revocant ad Salvatoris oracalum: „Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit„; atque nunc idipsum tuentur πολεμικῶς propter unitatem, pacem, tranquillitatemque domus Dei, et propter vinculum caritatis, quo fideles omnes in una societate per unum summum rectorem et in uno corpore per unum caput devinciuntur.

E fidei fontibus.

Luc. X. 16.

452. Est porro declarata Salvatoris voluntas, et inde duo sunt declarata fidei dogmata, ut ecclesia Dei sit velut una domus et unum corpus; hinc ut eadem ab uno summo capite ac pastore regatur, qui est alius nullus praeter romanae sedis episcopum. Romano igitur episcopo in suis ad regimen ecclesiae ordinationibus atque decretis obedientiam detrectare, perinde est ac voluntatem Christi violare, statum ecclesiae vinculum perfringere, et ausu nefario ipsa sanctissima fidei capita petere.

Ex indole institutae ecclesiae.

453. Sane, uti [1]) Leo decimus docet „Pastor aeternus gregem suum usque ad consummationem saeculi numquam deserturus ita Apostolo teste obedientiam dilexit, ut pro expiando primi parentis inobedientiae peccato se ipsum humiliaverit, factus obediens usque ad mortem; migraturus vero ex morte ad pacem, in soliditate petrae Petrum eiusque successores vicarios suos instituit, quibus ex libri regum testimonio ita obedire necesse est, ut qui non obedierit morte moriatur, et ut alibi legitur, in ecclesia esse non potest, qui romani pontificis cathedram deserit, quoniam Augustino Gregorioque auctoribus sola obedientia est mater custosque omnium virtutum, sola fidei meritum possidens, sine qua quisque infidelis convincitur, etiamsi fidelis esse videatur.„

Ex obediendi necessitate.

Leo X.

454. Hinc tanta illico rerum perturbatio [2]) ac ingens discrimen, sicubi humana illi temeritas resistat. Sed hinc etiam illa in fidei professionibus, quae in romana unitate [3]) frequentantur,

Ex inobedientiae sequelis.

---

[1]) Damnat. pragmat. sanct. in regno Franciae editae in detrimentum sedis apostol. cs. bullar. magn. rom. t. I. p. 570.

[2]) Vel unus ad rem illustrandam sufficit patriarchatus constantinopolitanus.

[3]) Profess. fid. trident. a Pio IV. per constitut. „Iniunctum nobis„ 18. Novemb. 1564. ex decret. trid. sess. XXIV. c. 13. De reform. et sess. XXV. c. 2. de reform. praescript. cf. Denzing. l. c. nn. 863. sqq. quam etiam emisit conc. Ruthen. Zamosc. ed. Laem. Friburg. 1865. pp. 9. sq.

Fidei professio. quaeque schismaticis, ut unirentur, plus semel [1]) amplectendae proponebantur: „Apostolicae ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector: Sanctam catholicam et apostolicam romanam ecclesiam omnium ecclesiarum matrem *Promissiones ac vota.* et magistram agnosco, romanoque pontifici, beati Petri Apostolorum principis successori, ac Jesu Christi vicario veram obedientiam spondeo ac iuro.„

455. Atque hinc quotusquisque erat, qui germanus ecclesiae matris filius ac verum Christi membrum inveniretur, sive e clericis sive e laicis, sive princeps esset sive subditus, toto pectore *Karolus M.* semper in romani pontificis obsequium ferebatur. Ita Karolus magnus [2]) capitulare generale incipit: „Karolus gratia Dei rex regnique Francorum rector et devotus sanctae ecclesiae defensor atque adiutor in omnibus apostolicae sedis„: et ita Karolus se- *Karolus II.* cundus [3]) capitulo primo: „Ut sancta romana ecclesia, sicut est caput omnium ecclesiarum, ita ab omnibus honoretur et veneretur, neque quisquam contra ius et potestatem ipsius aliquid iniuste agere praesumat: sed liceat ei debitum tenere vigorem et pro universali ecclesia pastoralem exhibere curam atque sacris precibus omnium pro omnibus interpellare auctorem:„ pariter capitulo secundo: „Ut honor domno et spiritali patri nostro Johanni, summo pontifici et universali papae ab omnibus conservetur; et quae secundum sacrum ministerium suum auctoritate apostolica decreverit, cum summa veneratione ab omnibus suscipiantur, et debita illi obedientia in omnibus conservetur:„ et [4]) *Otto IV.* ita quartus Otto promittit domino Innocentio papae et successo-

---

[1]) Cf. ll. s. c. tum e. g. prof. fid. graec. praescript. a Gregorio XIII. per constitut. 51. „Sanctissimus Dominus noster„ item prof. fid. orient. praescript. ab Urbano VIII. et Benedicto XIV. per constitut. 79. „Nuper ad nos„ l. c. nn. 868. 873. sqq. et conc. Ruthen. Zamosc. l. c. pp. 10. sq.

[2]) Vide Pertz monum. germ. hist. t. III. p. 33.

[3]) Vide ibid. p. 530. Quibus cf. quae in respons. Pii VI. l. c. sec. IX. *Card. Aeneas.* n. 14. pp. 306. sq. ex Card. Aeneae ep. apologet. p. 749. leguntur: „Cum aliquando (Carolus) in Apostolicam Sedem, ut quibusdam videbatur, grave assurgere rogaretur, et iugum excutere (ut est in decretis), non arrogantia usus est, neque rebellandum esse ait: sed in memoriam b. Petri Apostoli honoremus, inquit, sanctam Romanam ecclesiam, et apostolicam sedem; nam servanda est cum mansuetudine humilitas; et licet vix ferendum ab illa sede sancta imponatur iugum, tamen feramus, et pia devotione toleremus.„ Ita primus romanus occidentis imperator.

[4]) Martene vett. scriptt. t. II. summar. privilegior. rom. eccles. p. 1234.

ribus suis et ecclesiae romanae omnem [1]) obedientiam, honorificentiam et reverentiam, quam imperatores et reges catholici, praedecessores sui summis pontificibus impenderant." Videlicet haec principum obediens ac morigera voluntas atque promissio non erat simplex eorundem conniventia, uti loqui amant, sed pressa eorum obligatio; neque originem ab praepotente romani praesulis usurpatione ducebat, sed ab eiusdem divino iure; neque ab aetatis praeiudicio, sed a christiani ordinis officio; neque ab arbitraria quadam medii, quod vocant, aevi legumlatione [2]) sed ab ipsa rerum oeconomia, quae per benevolentissimam Dei auctoris voluntatem instituta est: atvero quid de mala fide dicendum, quid de fraudulenta falsorum divulgatione documentorum, a qua tantae apud episcopos romanos potentiae augmentum maxime repetitur?

Praepostera obedientiae illius origo reiicitur.

Exceptio ab Isidori collectione petita depellitur.

456. Non mea, quae nimis videretur exilis, utar opinione, verum satius responsione sexti rursum Pii, quae [3]) ad gemina tum metropolitarum Germaniae obiectamenta reddebatur, quaeque repetitis similibus calumniis iure semper opponitur: „Tempus profecto esset, ut Pontificiae Auctoritatis hostes desinerent aliquando illam calumniis proscindere, perinde ac si una Isidorianarum Decretalium collectione niteretur. Etenim est toties iam illis demonstratum invictis rationum momentis, collectionem huiusmodi non Romae, sed in ecclesiis Gallo-Germanis saeculo nono natam [4])

Pius VI.

Illius patria.

---

[1]) Plura referuntur ac connumerantur illico abusus, quos Otto abolere, et „cetera porro iura, quae ad ecclesiam pertinent" quae idem tueri promisit. Scilicet ut adpareat obedientiae promissionem factam non esse, nisi in ordine et pro habitu rerum ad ecclesiam eiusdemque iura.

[2]) Si quid ibi temporarium, si quid privum mediis aetatibus videris vel dixeris, hoc est inprimis, quod in republica christiana Christi in terris vicario suus daretur locus, quod divina illa obedientiae lex et ecclesiastica norma ipsa christianae quoque reipublicae suprema lex esset, quod spectatis saltem normis principiisque non pio aliquot tantum clericalium, quos vocant, desiderio, sed praeeuntibus vere magnis christianorum populorum in civili ordine moderatoribus iure totius christiani orbis publico obtineret idipsum, quod semper tam antea quam postea proborum principum res et cura, uti par est, fuit et erit, nimirum ut naturalis hominum ordo et societas supernaturali societati et ordini debito pacto attemperaretur, accommodaretur atque etiam subiiceretur. Huc Gregorius l. c. nominatim ep. 20. p. 748. „Imperator veritatis auctori serviat, ut mundo securius dominetur:" eo Gelasius ep. 8. ap. Mign. lat. PP. t. 59. pp. 42. sqq. eo ecclesiae oratio „Pro Rege" in Missal. rom. et rit. episcop. graec. ap. Habert. pp. 508. 511.

Mediae aetatis oeconomia.

[3]) L. c. sec. 4. pp. 236. sqq.

[4]) „Vide Ballerinium collec. can. par. II. c. 7. praesertim nn. 12. et 13.

Eius origo. sancto Nicolao Pontifici prima vice exhibitam fuisse ab Hincmaro episcopo Laudunensi earum controversiarum tempore, quae ipsum inter et Hincmarum archiepiscopum Remensem [1]) exardebant. Porro si in ea continentur falsae Decretales antiquissimorum Pontificum a Clemente primo usque ad Damasum, hae falsitates, quicunque denique illarum auctor fuerit, tam feliciter confingi et credi nequivissent, nisi epistolae ita fuissent concinnatae, ut et priscis monumentis cohaererent, et disciplinam tunc vigentem referrent; secus nullam omnino neque apud doctos, neque apud *Eius usus.* indoctos fecissent fidem, nec illas in suas collectiones recepisset Burchardus episcopus Wormatiensis [2]) et Ivo Carnutensis [3]) egregii sane viri et inter alios aevi sui summa doctrinae laude [4]) celeberrimi. Caeterum Isidori consilium non ad amplificandam Sedis Apostolicae auctoritatem spectasse, sed ad sublevandos episcopos aut spoliatos [5]) aut accusatos, ad stabiliendos Primates, et eos *Eius scopus.* Patriarchis exaequandos, ita perspicue [6]) Decretales ipsae prae

---

ubi auctorem collectionis fuisse coniicit Benedictum Levitam Moguntiae sub ficto nomine Isidori, et opusc. italice versum „Colpo d'occhio„ in dis. praevia c. II. pp. 17. et sqq. Animadvertendum, eadem collectione usum fuisse saec. X. Reginonem abbatem Prumiensem in libro „Ex iussu Domini Metropolitani Ratbodi Trevericae urbis episcopi.„ Quibus quemadmodum cum Zaccaria „de patrimoniis sanctae rom. ecclesiae„ conspirant critici vetustiores; ita ap. Mign. lat. PP. t. 130. c. 1. consentiunt recentiores auctoribus Denzing. „Ecloge et Epicrisis eorum quae a recentioribus criticis de Pseudoisidorianis Decretalibus statuta sunt„ et Hinsch. „Decretales Pseudo-Isidorianae„ Lips. 1863. ubi probatur: „Pro certo habendum esse, neque Romae neque in Italia eas esse confictas. Immo sententia, cui omnes viri docti hodie, nullo fere excepto, adhaerent, in Francia Decretales originem sumpsisse, comprobanda est.„ Neque aliter Civilit. cattol. „De Constantin. donat. secundum Döllinger.„ ser. V. vol. X. fasc. 339. pp. 303. sqq. 7. Mai. 1864. ubi caput aliquod ex fabulosis huius „Papstfabeln„ examini subiicitur: coll. Dr. Hergenroeth. l. c. pp. 29. sq.

[1]) Ap. Harduin. t. V. coll. 1239. et 1405.

[2]) Op. inscr. „Collectarium canonum.„

[3]) In collect. cui titulus „Decretum„ et in alia eidem tributa, quae inscribitur „Panormia.„

[4]) Cf. Ballerin. l. c. par. IV. cc. 12. et 16.

[5]) „Agnovit id ipse Van-Espen commentar. in caus. 2. q. 7. ubi de Gratiano loquens haec ait: Hic rursus adducit varia fragmenta fictarum decretalium, quae praecipue ad eximendos episcopos ab omni criminali iudicio adornatae apparent. Idipsum fatetur Fleurius hist. eccles. l. 44. n. 22. et luculentius in sua „Germanorum historia„ Schmidt ap. „Doctor. Ingolstad.„ colloq. XIII. p. 79.

[6]) „Cs. Ballerin. in s. Leon. t. III. p. 220. n. 10. et Carol. Blasci iurc. Neapolit. commentar. „De collectione canon. Mar. Mercator.„ praesertim cc. VII. VIII. XII. ubi id egregrie ac perdiserte demonstratur.„

se ferunt, ut res argumentatione non egeat. Sed seponamus collectionem huiusmodi, igni etiam, si placet, concremandam. Pontificia sane auctoritas subsidio huiusmodi non indiguit unquam, nec indigebit imposterum; Nosque data opera abstinendum hucusque rati ab ea in praesidium advocanda, demonstravimus Vobis ex Sacris Litteris, ex Traditione, ex Disciplina priorum ecclesiae saeculorum, ex firmis indubiisque monumentis, a Vestromet ipso auctore receptis, Romanum Pontificem esse pastorem pastorum, ordinarium scilicet ordinariorum, et habere plenitudinem potestatis super universas ecclesias.„ Qua suprema potestate ad controversiam aptata de nunciis res hac conclusione ibidem absolvitur: „Nonnisi ergo calumniandi studio possunt hae facultates ab Isidorianis Decretalibus peti, cum iam receptae usu essent iuxta veterem ecclesiae disciplinam multis ante saeculis, quam Isidorianae Decretales prodirent in lucem.„ Sed eadem argumentandi concludendique vis ac ratio universe valet de exposita hucusque romani pastoris suprema auctoritate, cui fideles indiscriminatim omnes obnoxii subiectique exsistunt, suamque adeo obedientiam praestent.

2. **Romanae obedientiae obiectum declaratur.**

457. Praeterea autem colligitur, obediendum decretis et ordinationibus romani episcopi ab omnibus esse, sive ea directe et ex sese ad ritualia ac liturgica, sacra et ecclesiastica referantur, sive alia in ordine ad eadem indirecteque complectantur. Et sane, cum illius dispositionibus et legibus componenda contemperandaque omnis est christianorum vita; ideoque non tantum vitae ratio ac modus clericalis, sed etiam regimen ac legumlatio civilis[1]) ac societatum saecularium, tum norma ac regula vitae domesticae atque familiarum, nec non institutum ac ratio vivendi singuli cuiuscunque fidelis.

---

[1]) Ad rem iterum prorsus faciunt, quae Pius VI. in sua responsione sec. VII. n. 160. pp. 279. sq. scribit: „Loquentibus Nobis (litteris in forma Brevis die 18. Oct. 1786. ad defunctum ep. Frising. datis) de imperii deque imperatorum exemplis, nunquam venit in mentem, ut si constitutiones illorum pugnent cum constitutionibus primae sedis, aliquid Nobis parent obstaculi, veluti Tua fuit, archiepiscope Salisburgensis, sententia (ep. die 24. Nov. 1788. Pontifici scripta). Nemo quippe ignorat, has duas potestates et esse inter se seiunctas, et ita institutas, ut una non pendeat ab altera, ita ut in rebus ecclesiasticis, et in regimine religionis eatenus valeant civiles leges, quatenus legibus cohaerentes ab ecclesiae capite profectis ipsam ecclesiae auctoritatem firment, atque communiant, eo scilicet tutelae, et patrocinii munere, quo catholici principes erga Matrem se fungi *Pius VI.*

458. Ita enimvero tantum neque aliter fieri potest, ut homo totus in se suisque adiunctis et relationibus sit Christi, et Christo totus subsit, a quo totus est salvandus, quemadmodum ut totus redimeretur totus fuit ineffabili mysterio adsumptus. Ita rursum neque aliter fieri potest, ut christianus fidei ordo respondeat christiano ordini vitae, rationi credendi modus agendi. Atqui credimus, dominicum[1]) illud

Joann. XXI. praeceptum „Pasce oves meas, pasce agnos meos„ pertinere ad

Act. XV. romanum episcopum: credentes[2]) scimus, quoniam ab antiquis diebus Deus in romano episcopo elegit per os eius audire gentes verbum evangelii et credere. Quare, ut in ordine fidei credendae-

Anastasius biblioth. que veritatis haec[3]) est Anastasii verissima sententia: „Neque enim fas est, ut absque vicario Dei, absque clavigero coeli, absque curru et auriga spiritualis Israelis, absque universitatis pontifice, absque unico papa, absque singulari pastore, absque speciali patre, absque omnium arbitro aliquid consummetur aut divulgetur: ipse enim claves David, ipse accepit claves scientiae, in arca quippe pectoris eius tabulae testamenti et manna coelestis requiescunt„: ita pro vitae agendique via ac modo

Anselmus. verissima haec est[4]) Anselmi doctrina: „Gaudeo pro vobis, quia ecclesiasticis institutis ad christianae religionis profectum valentibus sine contradictione favetis. Cum enim hoc facitis, non homini sed Deo obeditis, et vos verum et fidelem filium ecclesiae Dei et verum christianum ostenditis: et vos esse de ovibus beato Petro Apostolo commendatis, cui Deus claves dedit regni coelorum, monstratis. Certum quippe est, quoniam qui non obedit romani pontificis ordinationibus, quae fiunt propter religionis

---

Vi destituuntur leges oppositae romanis constitutionibus. gloriantur. Secus enim omni vi destituuntur leges huiusmodi, et extra omnem disceptationem solae suum sibi vindicant locum Romani Pontificis constitutiones et leges, quae imperiali sanctione non indigent. Nihil est inter catholicos hac opinione certius atque exploratius; imo ab imperatoribus ipsis probata est, et praesertim a Theodosio et Valentiniano„ litteris s. c. coll. leg. novell. l. I. tit. 24. de episc. ordinat. post. cod. Theodos. Jac. Gothofred. ed. Lips. t. VI. p. II. p. 67. et Matth. Rader. in „Aula sanct. res gest. Theodos. imp. complexa„ ed. Monach. 1614. pp. 64. sqq. op. „L'episcopato„ c. III. nn. 33. sq. His cf. insignia multa, quae leguntur in colect. decis. Rom. Sed. ed. Rom. 1800. de quibus plura ap. Jul. Morel. „Les cathol. libér.„ Paris, 1864.

[1]) Joann. XXI. 15. sqq.

[2]) Act. XV. 7.

[3]) Ad Nicolaum pontificem praefat. ad vit. Joan. eleemosin.

[4]) Ad Robert. comit. Flandr. ep. 13. ed. Paris. an. 1721. p. 430. col. 2. D—E. de praelatis e manu comitis non recipientibus investituram.

christianae custodiam, inobediens est Apostolo Petro cuius vicarius est, nec est de grege illo, qui ei a Deo commissus est. Quaerat igitur ille alias regni coelorum portas: quia per illas non intrabit, quarum claves Petrus Apostolus portat.„ Sed haec licet ad rem nostram satis sint, obtinere tamen a me nequeo, quin reliqua eiusdem adscribam: „Gaudens itaque, pergit, gratias ago vobis, et oro, ut Deus retribuat vobis, quia bonum exemplum aliis principibus datis, et omnes servos Dei hoc modo ut orent pro vobis invitatis; et Deum ad amorem et auxilium vestrum in vestris negotiis invocatis. Precor, obsecro, moneo, consulo, ut fidelis animae vestrae, mi Domine et ut in Deo vere dilecte, ut numquam aestimetis vestrae celsitudinis minui dignitatem, si sponsae Dei et matris vestrae ecclesiae amatis et defenditis libertatem; nec putetis vos humiliari, si eam exaltatis; nec credatis vos debilitari, si eam roboratis. Videte, circumspicite, exempla sunt in promptu, considerate principes, qui illam impugnant et conculcant, ad quid proficiunt, ad quid deveniunt? Satis patet, non eget dictu. Certe qui illam glorificant, cum illa et in illa glorificabuntur. Inter quos Deus vos et coniugem vestram et prolem vestram in praesenti et in futura vita annumeret. Amen.„

Ecclesiam defendere gloriam parit.

Ecclesiam conculcare parat interitum.

3. Romana obedientia ab exceptionibus adseritur.

459. At inquis, quid si tantae huiusmodi potestatis fieret abusus? quanta inde pericula, quanta inminerent illico detrimenta! Itane sane? addas pariter: Quid si petra ac fundamentum a Christo positum nutaret atque collaberetur, quanta domus ruina! Sed hoc est apprime, quod fide recolendum: Christus illud posuit, Christus illud protegit: confide fili.

460. Sed directe, animadverto equidem, probata semel thesi, qua de veritate illius potestatis divinitus in ecclesiae salutem collatae reapse constet, praeiudicio multiplici istam exceptionem penitus excludi. Excluditur

1. praeiudicio a ratione ac philosophia ducto, quae quemadmodum in quavis perfecta societate supremam aliquam potestatem regiminis flagitat: ita illam arbitrio nullius et minime sane inferioris alicuius nutibus obnoxiam citra timores vult ac patitur. Atqui romani episcopi potestas suprema est in ecclesia Christi, quae quum societate quavis pro suo ordine superior sit, est ea-

A pari.

dem profecto cuiusvis auctoritate [1]) sublimior, et citra timores audienda. Excluditur

A iure. 2. praeiudicio e iure eiusque principiis petito, quod de supremo et inadpellabili causarum tribunali quaestionem de abusu nullatenus fert: suprema namque potestas quae veluti rea accusaretur, iuridice nulla foret. Atqui romani episcopi sedes est supremum causarum tribunal auctore Christo, adeoque nullius est et esse potest mortalis, vel momenti *ἀτόμῳ* institutum Christi facere vel declarare nullum ac inane; ad haec, ne momento quidem temporis vera Christi ecclesia concipi potest destituta ac privata suprema sua eaque divinitus collata potestate. Excluditur

Ab historia. 3. praeiudicio ab historia deprompto, qua teste istiusmodi quaestio olim nunquam audita, et quum primum [2]) audiretur nunquam in ecclesia fuit tollerata. At quaestiones nunquam auditae ac propterea inauditae, quod nunquam tolleratae, moveri ab homine fideli atque cordato non debent. Excluditur

A rei natura. 4. praeiudicio ab ipsius rei natura ac indole desumpto; est enim potestas illa sacri ministerii, est *χαρισματική*, ad aedificandum Christi corpus divinitus tributa, ordinata, temperata; unde quaestio de eiusdem abusu in ipsius Dei iniuriam refunderetur. Tandem excluditur

A consequentiis. 5. praeiudicio ab consequentiis arcessito; si enim merito moveri quaestio posset de abusu supremae pastoralis officii potestatis, iustus daretur darique posset titulus separationis discessionisque ab unitate romana. Atqui talis titulus pugnat cum statuto per Christum salutis ordine.

Chrysostom. [1]) Cf. Epiphan. haer. XXIX. n. 3. coll. Chrysost. de sacerdot. l. III. *Ἡ τοσοῦτον ἀνωτέρω βασιλείας ἕστηκεν, ὅσον πνεύματος καὶ σαρκὸς τὸ μέσον:* „quae tanto regiae praestat, quantum inter spiritum interest et inter carnem.„ *Gregor. naz.* Quorum rationem adducens nazianzenus Gregorius orat. I. t. I. p. 6. scribit: *Ἀνθρώπῳ δὲ χαλεποῦ ὄντος τοῦ εἰδέναι ἄρχεσθαι, κινδυνεύει πόλλῳ χαλεπώτερον εἶναι τὸ εἰδέναι ἄρχειν ἀνθρώπων· καὶ μάλιστα δὲ ἀρχὴν ταύτην τὴν ἡμετέραν τὴν ἐν νόμῳ θείῳ καὶ πρὸς θεὸν ἄγουσαν, ἧς ὅσον τὸ ὕψος καὶ τὸ ἀξίωμα τοσοῦτος καὶ ὁ κίνδυνος τῷ γε νοῦν ἔχοντι:* „Homini cum difficile sit scire obtemperare, tum multo difficilius esse videtur scire hominibus imperare, praesertim tali imperii genere, cuiusmodi est nostrum, quod in lege divina positum est et ad Deum perducit. Cuius imperii quanta est sublimitas et dignitas, tantum etiam periculum est, prudenti utique homini et cordato.„ De quibus aliisque videsis lib. sup. c. 2. Atqui totius huius potestatis tam sublimis fastigium ac summa est in ecclesiae universalis capite, romano pontifice, collocatum.

[2]) Vide de his cl. G. Phillips. iur. eccles. t. III. c. 10. §. 135. de libert gallican. deque appellat. tamquam ab abusu.

V. Romani regiminis tutela ac praesidium.

461. Sed inde, colligis, sequeretur, romanum pontificem infallibilem esse etiam in quovis actu administrationis externae, quae cum fide ac revelatione nihil habet commune? Qui sic inferret, et praepostere logice spectataque illationis forma; et praepostere spectata rei natura considerataque illationis materia inferret.

Summorum tribunalium discrimen.

462. Et quod primum ad illationis formam attinet, nemo ignorat, suprema adpellationum civilium tribunalia, ipsamque regiam sententiam, inerrabilia non esse; et quilibet tamen civis ac subditus iudicio illorum huiusque sententiae stat et stare tum etiam tenetur, quum veritas sibi ac iustitia violata videretur: atque id propter ordinem pacis tranquillitatisque causam, qua summum totius societatis bonum procuratur ac constat. Quam igitur ordo ecclesiae illo perfectior et eiusdem desiderabilior pax et tranquillitas ad suos consequendos fines, eo adparet necessitas maior, obsequium romano pontifici et eius decretis obedientiam subiectionemque praestandi.

463. Verum satis licet responsum hoc videri posset, ut argumento, quod ad hominem vocant, iis inponatur silentium, qui communi humanarum societatum iure utuntur et etiam contra Dei ecclesiam abutuntur, nequit tamen idem pro dignitate excellentiaque ecclesiae eiusdemque potestatis videri sufficiens. Est igitur praemissa superius illatio praepostera etiam spectata re ac materia, circa quam pontificis summa potestas versatur.

1. Tutelae illius tituli ac rationes.

464. Qua in re hoc animadvertatur primum, ecclesiam esse societatem veritatis, iustitiae et salutis aeternae et talem proinde eiusdem esse potestatem. Quare negative comparateque ad humanas temporariasque societates concludendum, quae in his earumque sive regiminibus sive potestatibus imperfecta, quae errore, vitio iniustitiaque sive adfecta sive infecta occurrere, quaeque inde temporalium bonorum damna emergere possint, ea ex aequo ad divinam ecclesiae societatem eiusque ministeria, potestatem et bona aeterna ac spiritualia, transferenda non esse.

Leo IX.

465. Sed hinc sedulo cum utroque Leone sancto, tum nono tum magno [1]) distinguendum inter ministerialis personae merita

[1]) Cf. ser. de nat. ips. II. c. 1. coll. III. (al. II.) c. 1.

Ministerii ac personae discrimen. interque divini ministerii potestatem et auctoritatem. Et ille quidem [1]) sic: „Quicunque sacerdotes etsi dispares sunt merito, pares tamen sunt officio. Nec potest denegari pro merito quod debetur officio. Alioquin non staret sacerdotium, si maius aut minus fieret seu variaretur secundum humanorum varietatem meritorum, essentque pene tot sacerdotia quot homines. Qua de re, fratres, utinam non ad iudicium nostrum dicamus, profecto sumus qualis Petrus, et non sumus qualis Petrus, quia idem sumus officio et non idem merito. Et quotiescunque lac et lanam, scilicet stipendium et honorificentiam, ab ovibus Dei exigimus, nulla meriti nostri ibi fit commemoratio, sed officio nostro quaeritur debita recompensatio. Ac sic meritum Petri non habentes, officium Petri autem exequentes, officio nostro debitos reposcimus honores, Apostolo dicente: Quamdiu [2]) minister ero, ministerium meum honorificabo. Et praemonens oves Christi ad solvendum singulis debita ait: Reddite omnibus debita, cui honorem, honorem. Non quia bonum sit accipientibus, sed quia malum sit non reddentibus. Sic ergo et beatissimus praedecessor noster Gregorius dicit: Nemo nos propter nos in loco Petri despiciat, quia ex cathedra eius [3]) cui auctore Deo, qualescunque praesidemus, debita sibi iura nostrum officium reclamat. Frequenter enim solet evenire quod dicimus, ut persona in hoc mundo potens despectum servum habeat. Cumque per eum suis vel extraneis aliqua mandat, non despicitur persona missi servi, quia in corde servatur reverentia mittentis Domini. Ergone saltem quod Dominus concessit pharisaeis et scribis sedentibus in cathedra Moysis servus denegabit qualibuscunque conservis suis in cathedra Petri? Super cathedram, inquit [4]), Moysis sederunt scribae et pharisaei. Omnia ergo quaecunque dixerint vobis servate et facite. Ita quod male vivimus, nostrum est: quod vero bona dicimus, cathedrae cuius occasione necesse habemus recta praedicare. Unde dicit ille exercitatissimus [5]) Paulus: Dum

---

[1]) Ep. ad Michael. patriarch. adversus eius et Leonis Acridani inauditas praesumptiones et nimias vanitates ap. Mign. lat. PP. t. 143. nn. XXXIV. sq. p. 766.

[2]) Rom. II. coll. XIII.

[3]) Hinc phrasis „Ex cathedra loqui.„

[4]) Matth. XIII.

[5]) Philipp. II.

omnimodis, sive occasione sive invidia Christus annuntietur, et in hoc gaudeo, sed et gaudebo. Ecce Apostolus sic necessarios ducit huiusmodi, ut gaudeat super eis; et vos qui estis, qui negligentiam eorum ad iniuriam apostolicae cathedrae retorquetis? Nos enim quid sumus? Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum, cuius ordinationi resistendo damnationem vobis acquiritis, cum nostra potestas, sicut et omnis, a nullo alio nisi ab ipso sit. Sciendum est, quia falsa iustitia dedignationem, vera autem compassionem habet. Qua utique privamini insultando non compatiendo alienae calamitati. Et forte approbare nequitis, quod obiicere vel calumniari praesumitis: immo constat, vos comprobare non posse. Sed esto. Ecce in coelo iudex noster et conscius noster in excelsis.„ Quae quum causam de qua agitur luculentissime complectantur [1]) referre omnia placuit, ut tota cum suis rationibus veritas habeatur.

466. Sed ante nonum a primo Leone hoc ipsum significatum praeoccupatumque fuit: „Nemo, ita [2]) ille, tam perfectus est pontifex, tam immaculatus antistes, qui placationis hostias pro populi tantum delictis, non etiam pro suis debeat offerre peccatis. Quae conditio si omnes sacerdotes generaliter tenet, quanto magis nos et onerat et obstringit, quibus ipsa suscepti oneris magnitudo creberrima est offensionis occasio. Quamvis enim singuli quique pastores speciali sollicitudine gregibus suis praesint sciantque se pro commissis sibi ovibus reddituros esse rationem, nobis tamen cum omnibus cura communis est; neque cuiusquam administratio non nostri laboris est portio: ut dum ad beati Apostoli Petri sedem ex toto orbe concurritur, et illa universalis ecclesiae a Domino eidem commendata dilectio etiam ex nostra dispensatione deposcitur, tanto amplius nobis instare oneris sentiamus, quanto cunctis maiora debemus. In hac ergo materia trepidationis, quae nobis esset dependendae fiducia servitutis, nisi non dormitaret neque obdormiret qui custodit Israel et qui discipulis

Conclusio adfirmans.

Leo M.

---

[1]) Haec si adcuratius considerarent, ne dicam schismatis sectatores, verum quidam ipsius romanae unitatis filii, intelligerent profecto, nihil de romani pontificis praerogativis derogare, sed sibi unis nocere eos, qui in sui ac fidelium omnium patris naevos infirmitatesque adhaerentes mortalitati chamiticum oculum intendentes exaggerando eosdem non fratribus tantum sed hostibus ipsis propalam explicare haud verentur.

[2]) Ser. V. (al. IV.) cc. 1. sqq.

Matth. XXVIII. 20. suis ait: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi: nisi dignaretur non solum custos ovium, sed ipsorum etiam pastor esse pastorum, qui corporeo quidem intuitu non videtur, sed spiritali corde sentitur; absens carne, qua potuit esse conspicuus, praesens deitate, qua ubique semper est totus.„ Videlicet concludendum est positive et absolute, Deum ac Dominum cum Spiritu sancto non esse tantum cum romano pontifice uti supremo totius ecclesiae doctore; verum esse cum eodem etiam veluti summo totius ecclesiae pastore; et sicuti non patitur, ut ecclesia, quam suo sanguine acquisivit, quamque durare ad omnium salutem vult usque ad consummationem saeculi, detrimentum capiat a magisterio doctoris: ita non sinit, ut eadem patiatur detrimentum a ministerio pastoris. „Adest igitur dilectissimi, pergit [1]) Leo, quod non temere sed fideliter confitemur, in medio credentium Dominus Jesus Christus: et quamvis ad dexteram Dei Patris sedeat, donec ponat inimicos suos scabellum pedum suorum, non deest tamen pontifex summus a suorum congregatione pontificum.„

Pastor pastoru deitate adest romano pastori.

Ps. CIX.

467. Et sane in medio credentium est, dum primo apud centrum credentium est; nec deest a congregatione pontificum, dum principaliter adest capiti, ipsi pontifici maximo. Unde [2]) concludit Leo: „Non est itaque vobis, dilectissimi, praesumptuosa festivitas, qua suscepti sacerdotii diem divini muneris memores honoramus; quandoquidem pie et veraciter confitemur, quod opus ministerii nostri, in omnibus quae recte agimus, Christus exequitur, et non in nobis, qui sine illo nihil possumus, sed in ipso, qui possibilitas nostra est, gloriamur.„ Jamvero pastori, cui adest Christus, quaevis ovis et agnus quilibet semet tuto committere et obedire potest absque timore immo tenetur. Et haec generatim ac universe.

Opus romani ministerii Christus exsequitur.

2. Confirmatur unaque praesidii eiusdem ac tutelae ambitus spectato obiecto determinatur.

468. At instas quaerendo ac interrogare pergis: estne igitur quivis pontificii ministerii administrationisque pontificalis actus tutus et ab errore inmunis? Est quaestio πρακτικῶς vitalis, quaeque in concretis, quos aiunt, casibus rei caput omniumpetit; cui adeo diligens examen, atque responsum debetur ex ordine. Itaque

---

[1]) Ibidem c. 3.
[2]) Ibid. c. 4.

I. generatim ac infinite nulli dubitandum, quin divinum praesidium in ordine quoque actionum ad regimen [1]) ministerium administrationemque ecclesiae pertinentium locum habere suum debeat. Id ex allatis paulo prius plura demonstrant, nec minus colligitur ex Nicolai primi[2]) decretis, quam ex censura haereseos a Pio sexto[3]) inflicta his verbis pistoriensium perversitati: „Propositio affirmans, abusum fore auctoritatis ecclesiae, transferendo illam ultra limites doctrinae ac morum, et eam extendendo ad res exteriores, et per vim exigendo id, quod pendet a persuasione et corde; tum etiam, multo minus ad eam pertinere, exigere per vim exteriorem subiectionem suis decretis: quatenus indeterminatis illis verbis, extendendo ad res exteriores notet velut abusum auctoritatis ecclesiae, usum eius potestatis acceptae a Deo, qua usi sunt et ipsimet Apostoli in disciplina exteriore constituenda et sancienda; haeretica.„ Quibus ecclesiae potestas adseritur statuendi actus disciplinae externae. Sed quaenam est illius vis? Id porro edicitur: „Qua parte insinuat, ecclesiam habere auctoritatem subiectionis suis decretis exigendae aliter quam per media, quae pendent a persuasione; quatenus intendit, ecclesiam non habere collatam sibi a Deo potestatem non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam iubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore iudicio ac salubribus poenis coercendi atque cogendi: et Benedicti decimi quarti in brevi „Ad assiduas„ anni 1755. primatibus, archiepiscopis et episcopis regni polonici. Inducens in systema alias damnatum et haereticum.„ Quare redit usitatum plus semel argumentum: decretoria eiusmodi subiectio praestanda pontificum disciplinaribus decretis ac legibus (quae communiter a romano pontifice emanant) et quidem indicta poena damnationis aeternae, supponit ac postulat, ut legifera potestas ab errore sit libera atque a scelere ac vitio inmunis. Sed iam

Generatim et universe.

Sanctiones pontificum.

Pii VI.

Potestas ecclesiae non una persuasione continetur.

Benedicti XIV.

II. speciatim ac definite: quomodo et ad quaenam actionum obiecta semet infallibilis pontificum potestas extendit? Dixi

Speciatim ac definite.

---

[1]) Cf. Reding. laudatum saepius author. de inextinct. conc. trid. verit. in op. de oecumen. cathed. apost. authorit. art. IV. disquis. 5. de infallibilit. summi pontif. pp. 757. sqq. coll. disertis verbis Leonard. Coquaei l. s. c. Reinerding. l. c. p. 242.

[2]) An. 863. statut. in rom. syn. can. 5. sup. c. His cf. Gregor. M. l. c. ep. 20. pp. 750. sqq.

Nicolai I.

[3]) De potestat. eccles. quoad constituend. exter. disciplin. prop. 4.

primum quomodo semet extendit? Nemo enim ignorat, proprie et ex sese infallibilitatem referri ad ordinem veritatis ac doctrinae, et vocem „infallibilis„ adpositum esse doctoris atque magisterii; ad ordinem vero actionis, quae tamen priorem illum supponat, potissimum spectat prudentia; et servi, dispensatoris ac ministri adpositum est adpellatio „prudentis„ secundum illud Salvatoris [1]) interrogantis Petrum: „Quis putas est fidelis dispensator et pru-

Matth. XXIV. 45. dens?„ itidemque illud instituentis [2]) discipulos in ministerio suo: „Estote ergo prudentes sicut serpentes.„ Iam vero explora-

Matth. X. 16. tum est, rationalem quemvis actum iudicio regi rationis, veritatemque suam ab persuasione ac scientia agentis sive concludere sive praeferre. Consequitur ergo, decretis atque mandatis, quae ad actionem diriguntur, concludi atque praeferri alicuius doctrinam veritatis sive ea rationalis sit sive moralis sive iuridica. Quae quum ita sint, adparet, duo ista, ordinem, inquam, veritatis ordinemque prudentiae pariter considerari oportere in romani pontificis ad oeconomiam actionum spectantibus decretis ac mandatis, quibus veluti pastor supremus ecclesiam administrat, moderatur ac regit. Quemadmodum porro quoad primum quidem infallibilis est, ita inadpellabilis quoad secundum.

Pastoralis actus in ordine ad veritatem.

469. Sane quod ad primum caput suppositae veritatis attinet, decretorii istiusmodi actus pontificum pro sua varietate innituntur vel fidei vel morum vel iuris ordine; ideoque supponunt ac complectuntur vel doctrinam veritatis, quam romana sedes sive credit sive tenet, quamque obsequentes actu ipso amplectuntur unaque profitentur; vel doctrinam morum, quam romana sedes sequitur, quamque obedientes ecclesiae filii ipso actionum exercitio excolunt; vel doctrinam iuris, quod romana sedes statuit, quodque subiectione ipsa sua fideles morigeri ad maiorem gloriam auctoris Christi proclamant. Atqui compertum exploratumque habemus, summum ecclesiae pastorem, romanum pontificem, esse in hoc veritatis atque doctrinae ordine infallibilem. Consequitur ergo

1. decretales supremi pastoris ecclesiam Christi pascentis actus, quatenus supponunt, complectuntur ac praeferunt doctrinam veritatis, sive ea ad ordinem fidei sive morum sive iuris pertineat, inerrantia distingui. Consequitur propterea

---

[1]) Matth. XXIV. 45. coll. XXV. 21. Luc. XII. 42. sqq.

[2]) Matth. X. 16.

2. negative quidem primum, continere illos nihil posse, quod esset contra ecclesiae veritatem et fidem, contra ecclesiae honestatem ac mores, contra ecclesiae auctoritatem et ius. Et sane pastoralis pontificum potestas humano-divina est, eademque data et comparata a Christo, ut ecclesia universalis fide, moribus ac iure aedificaretur; fieri ergo divinitus haud posse dicendum, ut romanus pontifex salutari sua potestate contra christianum veritatis, morum ac iuris ordinem abutendo ecclesiam subvertat. Inde vero consequitur positive

3. non licere tantum tuta conscientia, verum flagitare omnia, ut christianus quilibet semet decretis subiiciat, mandatis et ordinationibus romani episcopi plenam obedientiam perfectumque obsequium exhibeat, idque eo maiori suo merito, quo maiori subiectionis difficultate percellatur: summo, inquam, obedientiae merito, quando licet grave, tamen nihil iubeatur, quod sit contra fidem ac bonos mores et summum ius: quandoquidem ab eo iubetur, qui Christi loco iubet et Petri potestate eminet.

470. Ad rem est [1]) laudati plus semel auctoris de inexstincta tridentini concilii veritate „Conclusio: Ex fidei principiis certum est, quod ecclesia eiusque caput, summus Pontifex, in legibus pro universa ecclesia ferendis quoad formale earundem specificativum errare non possit, licet errori obnoxium esse queat, quod in eiusmodi legibus est materiale quoad singulas circumstantias. Explicatur et probatur ex eo, quod summus Pontifex pro universa ecclesia sanciendo leges semper respiciat ad fidei principia. Et hoc quidem dupliciter, declarando quandoque moralitatem aliquam ceu consentaneam principiis fidei, atque tunc ad ista respicit in actu signato, nec adeo errori potest obnoxius esse in tali procedendi modo. Aliquando vero simpliciter praecipiendo moralitatem Verbo Dei conformem, atque tunc in actu saltem exercito respicit ad fidei principia, quin talem conformabilitatem signate definiat. Quandoquidem igitur utroque isto modo leges pro universa ecclesia sancitae per oecumenicam summi Pastoris authoritatem reducantur in fidei principia, consequens est, talem super ecclesiae, adversus quam portae inferi praevalere non possunt, petra fundatam authoritatem esse infalli- *Pontificia legumlatio.*

---

[1]) Reding. in opere cui titulus: „Oecumenica Cathedrae Apostolicae Authoritas„ art. IV. disquisit. 4. ed. 1689. pp. 751. sq.

bilem, in legibus pro universa ecclesia condendis.„ Et praetermissis probationibus, quas adfert tum ex decretis [1]) statutisque in iure receptis [2]) tum ex Patrum unanimi doctrina [3]) et universali ecclesiae praxi, hanc excepisse iuverit „petitam [4]) ex sequenti ratione theologica: Nam in quibuscunque legibus formale est ipsa rei praeceptae moralitas, qua rectae rationi consentanea. Haec vero licet in agibilibus moralibus sit definita per lumen rationis naturale: ubi tamen istud est divinitus elevatum, et ad sublimioris perfectionis statum [5]) supernaturalem, fidei lumine ac infusis moralibus etiam virtutibus mediantibus, traductum, voluit Deus honestatem naturalis etiam luminis sphaera circumstrictam, sub ipsiusmet divinae suae revelationis fideique principiis nobis esse manifestam. Sic enim decalogi praecepta universa sunt naturali lumine consentanea, ac propterea exspirante licet veteri lege, sub cuius statu scripta extant, etiamnum in nova lege vigent. At vero haec ipsa decalogi praecepta fidei supernaturali lumine illustrata, sunt principia, quibus oportet, ut conformetur quaecunque per summum Pontificem praeceptibilis moralitas. Haec igitur respectu cuiuscunque legis ac praecepti se habens per modum formalis specificativi, quantumvis lumini naturali sit conveniens, vel maxime tamen, quatenus subest ecclesiae authoritati praeceptivae, supernaturalis rationis sphaeram attingenti, ut sic reduci debet ad fidei principia. At in hisce nequit errare ecclesia, eiusque divinitus constituta, in summo Pontifice residens, oecumenica authoritas. Ergo ista nequit etiam in legibus pro universa ecclesia ferendis, quoad harum formale, errori esse obnoxia.„

Ratio theologica.

Decalogi praecepta rationi consentanea.

Pastoralis actus in ordine ad prudentiam.

471. Sed videtur tibi pontifex quandoque, et his ad alterum caput, quod prudentiae diximus, adgredimur, a sese consultus minus minusque aptus, sua quadam agendi ratione omnem violasse ordinem prudentiae, opportunitatis, aequitatis, nullamque propterea

---

[1]) Decret. Gratian. ex causa 24. q. 1. in cap. Haec est fides. Cap. Schisma. Cap. A recta. Cap. Memor sum. In cap. Non decet. dist. 12. Cap. Praeceptis. In cap. Romanorum. dist. 19. et eadem dist. in cap. Sic omnes.

[2]) Hadriani constitut. in Cap. general. 25. q. 1. Paschalis Pap. in Cap. Significasti. Innocentii IV. in cap. Maiores. De baptismo. Lucii III. Canon in cap. Ad absolvendum. etc.

[3]) L. c. disquisit. V. pp. 754. sqq.

[4]) Ibid. disquis. IV. p. 752. coll. pp. 724. sqq.

[5]) Cf. disputata in opere de triplici ordine c. III. coll. thes. theol. de ord. supernat. 1860. tum superius exposita.

subiectionem mereri. Verum equidem huc possem distinctionem referre, qua aliud esse intelligitur, considerare actum obiective et secundum se, et aliud subiective et iuxta agentem eiusdemque adiuncta; aliud, illum uti actum ministerii ac ministerialem, et aliud, eundem considerare uti talis ministri ac personalem; aliud, prae universa ecclesia, et aliud, prae aliquo ecclesiae totius membro: sed his, quae vulgatissima sunt, praetermissis [1]) iuverit ac praestat excepisse responsum, quo romanorum olim crimina obiectantibus graecis occurrit [2]) sanctus Leo nonus: „Nec, inquit, ideo silebimus, si dicimur non esse quales debemus, nec qualis est Petrus. Quod utique agendum esset, si cuiquam commendaremus nosmetipsos. Quia vero, sicut ait [3]) Apostolus, non praedicamus nosmetipsos, sed Dominum Jesum, nos autem servos servorum eius per Jesum; nobis pro minimo est, ut a vobis iudicemur aut ab humano die, quoniam qui iudicat nos Dominus est. Neque enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. Et repellendo temerarium iudicium, dicit alibi: Tu quis es, qui iudicas alienum servum? Suo domino stat aut cadit, potens est enim Deus illum statuere.„ Videlicet exceptio ista

Varia actus illius consideratio.

Calumniis occurritur.

Leo IX.

II. Cor. IV 10.

1. non est nova, sed vel in ipsum Apostolum mota, quin

---

[1]) Ad similia respicit ipse Georg. trapez. ad Cretens. ap. Leon. Allat. graec. orth. t. I. p. 562. *Ἀνάγκη γὰρ ἕπεσθαι ποιμένι τινί. ποιμὴν δὲ πᾶς ἄνθρωπος ἐστὶ σφαλῆναι δυνάμενος. μᾶλλον δὲ καθ᾽ ἡμέραν καὶ αὐτὸς ἁμαρτάνει ὡς ἄνθρωπος . . . Ἀλλὰ περὶ τούτων οὐδεὶς ὑπὲρ τοῦ πάπα δώσει λόγον, ἀλλ᾽ αὐτὸς ὑπὲρ ἑαυτοῦ ἀπολογηθήσεται. Ναί, φασιν, ἀλλὰ δυνατόν ἐστι καὶ αἱρέσει συσχεθῆναι τὸν πάπαν ὡς ἄνθρωπον, αἱρετικῷ δ᾽ ἀκολουθεῖν τὰ κατὰ πίστιν οὐ θεμιτόν. Ἀλλ᾽ εἰ μὲν οὐκ ἐκδώσει τὰ ἐν τῇ ψυχῇ, οὐδὲν πρὸς τὸ ποίμνιον. τῶν γὰρ ἐν τῇ ψυχῇ κεκρυμμένων μόνος ἐστὶ κριτὴς ὁ θεός:* „Namque pastorem aliquem nos sequi necesse est. Pastor vero quicunque homo est, erroribus obnoxius: imo et singulis diebus ipse veluti homo delinquit . . . Verum de his nemo pro papa rationem reddet, sed ipse pro se respondebit. Ita est, inquis, at enim fieri potest, ut papa aeque atque homo in haeresim prolabatur: et in rebus fidei haereticum sequi fas non est. Verum enimvero, si quae ille animo concipit non excluserit, nihil id ad gregem; eorum enim quae animo contecta sunt, solus Deus iudex est.„ Perspicuum est, hisce distinctionem contineri inter pontificem subiective spectatum, ac pro sua humana persona actuque personali, et inter eundem spectatum ministerialiter, ut aiunt, prout ministrum agit divinum et divino suo ministerio fungitur. Labi porro papam posse Georgius concedit considerato sensu priori, considerato autem posteriori negat. Sed de his superius diximus.

Georg. trapezunt.

[2]) Ep. C. ad Michael. et Acrid. l. s. c. n. XXXIII.

[3]) II. Cor. IV. 10. col. I. Cor. IV. Rom. XIV. Haec illis omnino sunt gemina, quae superius ex Leone M. ipsoque nono Leone attulimus.

tamen apostolicae inde praerogativae detrimentum inferretur: est deinde

2. exceptio temeraria, suo illum iudicio subiicere, qui rationem Deo soli reddere tenetur: sed porro

Leo idem.

3. exceptio est non minus iniqua quam praepostera: „Nempe et vos, pergit [1]) Leo, licet quam plurimum tumeatis, quamvis de vobis ultra modum alta sentiatis, non credimus tamen, quod dicere audeatis, vos esse quales debetis, aut qualis Alexander, Joannes Chrysostomus aut Flavianus fuit, sicut nec antiochenus se talem qualis exstitit ipse Petrus, nec alexandrinus parem se Marco vel Athanasio profiteri est ausus, quia sine retractatione a suis punirentur. Idcirco etsi ad hoc vos impellit tumor, tamen retardat timor. Quae quum ita sint, nullius tamen vos detractio reprimit, quin diligenter lac et lanam ab ovibus exigatis; nec veremini ne dicatur non esse vos pares illis antecessoribus vestris magnis. Cur hoc, nisi quia quicunque sacerdotes, etsi dispares sunt merito, pares tamen sunt officio?„ Itaque praepostere ac inmerito detrahitur ob personarum defectus, qui tum ipsis etiam accusatoribus insunt, cum auctoritati, quae non personale meritum sed collatum divinitus munus sequitur atque officium, nullatenus obsunt. Atqui officium romani pontificis non est aliud ab officio Petri; idem ergo in pastorali suo officio Petri irrefragabili auctoritate pollet. Verum hoc spectato capite exceptio evadit

Inpar sacerdotum meritum, par officium.

4. totius ecclesiastici ordinis subversiva: „Ceterum, concludit [2]) Leo, de homine sentite, o homines, quod vultis; unum tamen conscientia respondet nobis, quia omnium ecclesiarum Dei salutem et exaltationem summopere desideramus. Sed ut quicunque quodlibet ex superbia arripiat, et sibi contra nostram apostolicam sedem atque leges eius usurpet, hoc nos tolerare non possumus, quia quisquis romanae ecclesiae auctoritatem vel privilegia evacuare seu imminuere nititur, non hic unius ecclesiae, sed totius christianitatis subversionem et interitum machinatur. Cuius enim compassione vel sustentatione ulterius respirabunt filiae a quovis oppressae, unica illa suffocata matre? Cuius refugium appellabunt? Ad quem confugium habebunt? Ipsa enim

Romanae ecclesiae auctoritatem evacuans totam subvertit christianitatem.

---

[1]) Ibidem n. XXXIV.

[2]) Ibidem XXXVI. col. Nicolai I. ep. ad Michael. imp. ap. Mign. lat. PP. t. 119. p. 774.

Athanasium, ipsa omnes catholicos suscepit, fovit, defendit, et sedibus propriis pulsos restituit." Romanae igitur sedis in legibus decretisque ferendis auctoritas ad communem omnium salutem instituta nullo quaesito titulo a quopiam debet infringi. Sed enimvero talia sunt, quae incaute ac intemperatissime plus semel vel per ipsos fideles [1]) a prudentia nunc et nunc ab opportunitate et nunc ab aliis similibus petita titulis, quos coloratos dixeris, contra vocem supremi pastoris proferuntur. *Roma asylum omnium catholicorum exulum.*

472. Sed quam sint eiusmodi inepta et Christi oeconomiae ac voluntati contraria, vel ipsae rerum naturae patefaciunt. Quaero enim *E rerum naturis.*

1. cuinam nisi ecclesiae capiti, principi, pastori supremo convenit, iure pleno ac proprio discernere, quid universali ecclesiae prosit, quid eidem obsit? Scilicet, quid spectato corpore toto, spectata universa societate, spectato ovili omnique grege factu sit necessarium, opportunum ac prudens iudicare, est penes caput, non penes membra sive singula sive plura; est penes principem, non penes subditum; penes pastorem summum est, non penes oves et agnos. Nam capiti tantum, principi summoque pastori, explorata esse adiuncta possunt, necessitates compertae conditionesque totius corporis, societatis, ovilis; at vero membra, subditi, agni vel oves norunt particularia dumtaxat ac sua, quae limitata sunt et circumscripta. Quare, utrum actus aliquis pro totius ecclesiae salute prudenter opportuneque ponendus sit, iustum iudicium romanae ecclesiae pontifici uni relinquitur, et de posito actu iniquius sentire, nemini licet. Reddet ille actus sui aeterno pastori Christo rationem: „Suo Domino, inquit secundum Paulum [2]) Leo, *Pastor prae grege.*

---

[1]) Huc referas quoque distinctionem inter sedem et sedentem, quae si proprie acciperetur et non figurate, ad significandam, uti prius loco suo diximus, stabilitatem romanorum pontificum iuris et muneris, praepostera foret ex sese rerumque naturis, quasi praerogativis et iuribus sedes excelleret, occupans careret; praepostera ex ecclesiae iure, quum eiusmodi aliquid apud Maiores nuspiam recurrat; et praepostera etiam e iure communi omnium, quum lex et iudicium latori conveniat ac iudici, non locis sellisque iudiciariis. Sed eo etiam pertinet distinctio inter romanam curiam romanamque ecclesiam, quae a regalistis iactata multum ac frequentata, incomperta erat antiquis, et saeculo duodecimo vix est vetustior, ita ut abbas Uspergensis in Ps. 45. fateatur: „Quis enim ante nostram aetatem audivit romanam curiam?" Sed quis etiam aliter eam accepisset, ac cum eodem cumque s. Bernardo in causa ep. eborac. recordando „quid deberet romanae ecclesiae, id est, romanae curiae?" *Distinctio inter sedem et sedentem.* *Curiam inter et romanam ecclesiam.*

[2]) Vide l. s. c.

S. Leo IX. stat aut cadit." Sed ad rem idem Leo[1]) rursus praeclare: „Simus unum corpus et unus spiritus, sicut vocati sumus in una spe[2]) vocationis nostrae. Ipsa corporis compositio et membrorum nos doceat, qualiter et quanta habenda sit ecclesiae unitas." Quod ubi ex Apostolo[3]) adseruit, subdit: „Nunc autem disposuit Deus sicut voluit, corporis membra; singula officio suo apta. Membrum vero suo officio non contentum, sed cupiens praeripere alienum, conturbat corporis ordinem totum; velut si visus voces, auditus colores, gustus odores, olfactus asperas res aut lenes, tactus tentaret discernere sapores, nonne frustra omnes paterentur? Sic singulorum ornamenta seu indumenta non sunt omnibus membris accommoda nec congrua; sed unumquodque requirit sua et abiicit aliena." Quibus iterum illustratis[4]) absolvit: „Si Petrus singulariter figura summi capitis nostri vicariusque eius ac sui successores iam in terris retinent specialem dignitatem terreni coelestisque regni, nolite invidere aut detrahere romanae ecclesiae apici, quem per caritatem totum valetis adipisci et in nobis regnare et ipsi . . . Haec et supra dicta de corporis nostri harmonia si non sentitis in vobis, in corpore non estis, nec in corpore vivitis, et si in corpore Christi, quod est ecclesia, non estis nec de eo vivitis, iam videte, ubi et quid sitis. Abcissi estis, putrescitis, et velut palmes praecisus de vite foras missi estis et arescitis, ut in ignem mittamini et ardeatis, quod divina pietas longe faciat a vobis." Sic ille graviter aeque ac luculenter, ut obedientiae romano praestandae pontifici non convenientia modo, sed innotescat necessitas, nec illius decreta ac mandata subiiciantur prudentiae carnis examinanda ad mortem[5]), sed accipiantur prudentia spiritus, quae est vita et pax. Hinc quaero porro

Caput prae corpore et membris.

Summus Christi vicarius prae christianis.

2. quum citra progressionem, quam in infinitum adpellant, supremae cuiusdam auctoritati standum sit: cuinam semet aequius et iustius subiicerent fideles, quam illi, qui ipsius Christi Dei nostri, cui profecto stare debent omnes, personam in terris auctoritatemque sic praefert, ut eius vicarius dicatur et sit? Ita statuit Nicolaus ad Michaelem imperatorem[6]) scribens: „Quanto

Nicolaus I.

---

[1]) Ibid. n. XXXVII.
[2]) Ephes. IV.
[3]) I. Cor. XII.
[4]) Ibid. nn. XXXVIII. sq.
[5]) Rom. VIII. 6.
[6]) An. 865. ap. Denzing. enchir. symb. n. 266.

magis ad potioris auctoritatis iudicium tenditur quaerimonia, tanto adhuc amplius maius culmen petendum est, quousque gradatim perveniatur ad eam sedem, cuius causa aut a se, negotiorum meritis exigentibus, in melius commutatur, aut solius Dei sine quaestione reservatur arbitrio.„ Idemque docet[1]) Bernardus: „Si res magnas, inquit, a magnis considerari oportet, cui aeque ut romano antistiti id studii competit, qui parem super terram non habet? Sed ipse secundum scientiam et potestatem datam sibi desuper faciet de hoc. Non est nostrae humilitatis, dictare eidem sic vel sic debet fieri quidquam; sufficit intimasse, oportet aliquid fieri, unde et ecclesia consoletur et obstruatur os loquentium molesta.„ *Bernard.* *Pontifici quid agendum dictare nemini fas est.*

473. At vero his nonne absolutissima continetur tyrannis, nonne iugum inponitur, quod ab humanis ferri humeris nequeat? En eo tandem res logica eaque necessaria consequentia devolvitur: videlicet in discrimen adducitur iustitia et aequitas constitutae divinitus oeconomiae, qua omnes Christus regi voluit a Papa, qui[2]) „est veluti ecclesiae imperator et rex.„ Unde antiqua redit quaestio, utrum obediendum Deo et constitutae a Deo potestati sit? potestati, inquam, divinitus institutae non quovis modo; sed singulari illi romanae, quae est proprie verissimeque humano-divina, et iure divino divinam ipsam Christi personam auctoritatemque inter homines repraesentat. Estne igitur intolerabile iugum, Deo servire eique sine mora ulla ac tergiversatione obedire? Num a Deo timetur iniquum tyrannidis arbitrium? „Iustus est Dominus et sanctus in omnibus operibus suis.„ Ipse est absolutissimus omnium Dominus: ipsius est absolutissimus ordo et absolutissima lex; lex eius per infinitam suae naturae perfectionem ad absolutissimam summae rationis ac sapientiae normam exigitur: ipsius adeo ordo et lex absolutam subiectionem postulare a quovis potest et debet: „O homo tu quis es[3]), qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit: quid me fecisti sic?„ *Abest tyrannis.* *Rom. IX. 20.*

---

[1]) De considerat. ad Eugen. l. II. c. 1.

[2]) Ita Georg. trapezunt. l. s. c. ap. Leo. Allat. p. 560. *Ὁ δὲ πάπας ὡς αὐτοκράτωρ καὶ βασιλεὺς τῆς ἐκκλησίας ἐστίν.* *Georg. trapez.*

[3]) Rom. IX. 20. *Μενοῦγε, ὦ ἄνθρωπε! σὺ τίς ει, ὁ ἀνταποκρινόμενος τῷ θεῷ; Μὴ ἐρεῖ τὸ πλάσμα τῷ πλάσαντι· Τί με ἐποίησας οὕτως*; De quo testimonio disputata vide in thes. theol. de praedestinat. c. II. §. 2. Hinc Leo M. de Petri loquentis severitate conqueri vetat ser. IV. al. III. c. 3. *Leo M.*

Atqui placuit Deo, vicariam sui auctoritatem in terris constituere; tum placuit, huic plenam regiminis conferre potestatem; voluit Chri- *Superbia renitens.* stus ab ea ecclesiasticam societatem omnem et in omnibus dependere omnesque eidem obedire; sed voluit itidem ipse eidem suo adesse iugi praesidio, ne illa in transversum unquam abripi posset: quaeso iam, sit nec ne figmentum malitiae iste romanae tyrannidis timor apud hominem sincere credentem? sit nec ne vanus hominis praetextus, qui sui suaeque superbiae [1]) inpos obedire nec scit nec dis- *I. Pet. V.* cere satagit? „Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, scribit [2]) princeps Apostolorum Petrus, ut vos exaltet in tempore visitationis.„

Romanum illud imperium legale. 474. Comparato sic animo et ad sentiendi modestiam humilitatemque adcommodato, quae est conditio non salutis tantum operandae, sed etiam rite concipiendi recteque intelligendi ordinis salutaris: ad rem paulo contemplandam adcuratius via patet atque aditus. Itaque de supremo pontificis sacerdotio idem *Gregor. nazianz.* profecto valet, quod theologus nazianzenus de sacerdotio [3]) universe adfirmat, falli qui illud esse „iudicent non munus referendis rationibus obnoxium, sed imperium ab omni censura immune.„ Est enimvero imperium non exlex, ut aiunt, sed summe rationale, aeternaeque rationis ac rectitudinis amplissima quaedam participatio: potestas tributa pontifici est collata in ordine ad authenticum et supremum ecclesiae magisterium et regimen. Quum vero illud regatur veritate, hoc potissimum iustitia ac prudentia, adparet pontificem obligari in exercitio supremi sui ministerii normis [4]) veritatis, iustitiae, prudentiae. Atqui ne idem eversis neglectisque normis illis in detrimentum atque ruinam totius ecclesiae ab officio excidat, summo ipsi doctori et pastori docenti ecclesiam pascentique adest Christus Dominus et Spiritus eius; sed hoc idem valet ac

---

S. Leo IX. [1]) Huc spectant Gelas. ep. 8. l. c. p. 46. Leonis IX. ep. ad Michael. l. c. n. XXXVIII. „Quia vero ante omnia pestilens mater superbia eiusque crudelissimae filiae, invida scilicet ac inanis gloria, passim obstinata rabie corpus Christi moliuntur eviscerare et dilacerare„ Gal. V. et q. s.

[2]) I. ep. V. 6. *Ταπεινώθητε οὖν ὑπὸ τὴν κραταιὰν χεῖρα τοῦ θεοῦ, ἵνα υμᾶς ὑψώσῃ ἐν καίρῳ* (add. al. *ἐπισκοπῆς*).

[3]) Gregor. nazianz. or. II. opp. ed. Paris. 1842. t. I. p. 15. D. *Οὐδὲ (νομίζοντες) λειτουργίαν ὑπεύθυνον, ἀλλ' ἀρχὴν ἀνεξέταστον.*

Georg. trapez. [4]) Ad rem ibid. p. 563. Georg. trapezunt. *Ἤδη γὰρ φθάσαντες εἰρήκαμεν, ως βασιλέα εἶναι αὐτὸν τῆς ἐκκλησίας. ὁ δὲ βασιλεὺς οὐ τυραννικῶς, ἀλλὰ κατὰ τοὺς τεθέντας κοινῇ νόμους πάντα ποιεῖ:* „Nam supra diximus, ipsum uti regem

fieri nunquam posse, ut romanae sedis principatus in tyrannidem intolerabilem iniustumque dominatum demigret.

3. Via ac ratio, qua romanum regimen divinitus protectum exercetur.

475. His praestitutis sedulo nonnulla animadvertenda subiiciendaque iudico, quibus, ni penitus fallar, ideae atque conceptus expositae rei adcuratius nonnihil illustrabuntur, et aliquot forte difficultates, quae semet prima fronte sistunt, facilius tollentur. Scilicet

Nova revelatione Roma non utitur.

I. quandoquidem constet, summi pontificis ministerium ex sese [1]) communique ordine novis revelationibus non regi neque inspirationibus divinis; verum in sui muneris exercitio regi potius

Sed illuminata desursum ratione.

II. lumine rationis sanae eiusque per fidem illuminatae secundum normas ac regulas theoreticas et practicas, quas divina revelatio tam naturalis quam supernaturalis complectitur ac suppeditat; ad haec autem

Communiter dato praesidio.

III. communiri ac temperari superno praesidio divini adsistentis Spiritus, ne legum illarum vel cura penitus neglecta vel usu praepostero adhibito detrimentum Christi ecclesia patiatur; hinc adparet

Conditionum varietas.

IV. adsistentis Spiritus sancti, quod vocatur, charisma ad magisterium et regimen ecclesiae factum, apud summum doctorem et pastorem in exercitio humano-divini sui ministerii pro varietate causarum varias requirere explendas conditiones, variumque campum relinquere partibus humanis, neque pro diversissimis rerum adiunctis constanter uniusmodi videri et idem. Profecto

1. quum causae cognitio, definitio et solutio non habeatur per inmediatam revelationem, ea comparanda [2]) est adhibito studio et opera. Porro quum aliae causae reales et aliae sint personales, aliae universalis ecclesiae et perpetuae, aliae vero ecclesiarum particularium et temporariae, aliae necessariae et

Sententiae firmitas.

---

ecclesiae praeesse. Rex vero non more tyrannorum, sed norma ac legibus communi calculo confirmatis praescripta cuncta peragit.„ Id animadvertendum graecis fuisset episcopis in edita 1848. adversus Pii IX. litteras encyclica, de cuius huc spectante calumnia vide sis J. P. Secchi op. et l. c. pp. 327. sq.

[1]) Nostrum non est, rationem nunc eorum habere, quae ex accidente, ut aiunt, contingere atque singulari quodam casu locum habere possint.

[2]) Cf. quae superius distinguenda diximus ad infallibilitatis rem notionem rationesque adcurate percipiendas.

aliae accidentales, et singulae rursum variae ac multiplices: nemo non videt, quam sint diversa, quae expendere et explere necesse sit, ut illae et rite cognoscantur, et cognitae rite terminentur. Terminum causis suo iudicio inponere, penes episcopi romani tribunal est infallibile quoad ordinem veritatis, inadpellabile quoad ordinem actionis; penes ipsum proinde est pariter iudicare, utrum et quando necessariae ac sufficientes ad ultimam sententiam conditiones expletae sint: conditiones explendi ipsas, via et modus est pro diversitate rerum et adiunctorum diversus, dum nunc adhibenda organa ac media communia et ordinaria [1]) nunc singularia etiam [2]) et extraordinaria, uti suo superius loco expositum fuit. Eo porro spectat divinae providentiae modo suavior modo fortior de rebus ac personis suo loco et tempore dispositio [3]), ut, quamvis rei definiendae conditiones viderentur adesse, definitio tamen inpediatur, si eam vel rei ipsius vel ecclesiae causa non ferat; et e contrario, ut, quum ad ecclesiae salutem et incrementum aliquam causam Spiritus, qui in veritatem omnem inducit, terminatam velit, item necessariae ac sufficientes conditiones certissime expleantur. Hinc, ne in exitium ecclesiae, quae est columna et firmamentum veritatis, contingat, ut contra ac ferat conditionum vis, causa terminetur; neque ea terminata videatur iure necessaria ac sufficiens illarum ratio defuisse: divino apud summum ecclesiae doctorem et pastorem praesidio efficitur. Ubi tamen id diligenter

Varia adhibenda remedia.

Varius divinae ordo providentiae.

---

[1]) Eiusmodi sunt stabilitae in Urbe congregationes, tum eminentissimorum consilia principum, vel insuper episcoporum suffragia et vota. Quo faciunt haec Georg. trapezunt. l. c. p. 560. *Ὥστε ὅταν περί τινος τῶν θεολογικῶν ἢ καὶ κατ᾽ οἰκονομίαν πρὸς σωτηρίαν ἀναγκαίων ζητεῖται, οὐκ αὐτὸν κρίνειν, ἀλλὰ τῇ τῶν πλειόνων ἀρχιερέων ἀκολουθοῦντα γνώμην φέρειν τὴν ψῆφον:* „Quapropter cum de aliqua re theologica sive de iis administrandis, quae ad salutem necessaria sunt, quaestio inciderit, non ipse (supple solus) iudicat, sed plurium praesulum sententiae insistens calculum addit.„ Huc refer Garner. in Mar. Mercator. l. c. pp. 76. 339. sqq. de adhibito a pontifice episcopali consilio.

Georg. trapez.

[2]) Talia prae reliquis sunt concilia, quae a pontifice quandoque sive necessaria sive opportuna valde haberi possunt ad causas ecclesiae salubrius componendas; hinc ab ipso pendet eorum convocatio, et ab ipso valor et auctoritas decisionum eorum, et ipse est, qui praeeunte synodo chalcedonensi per concilium definit ac decernit. Sed de his non pauca supra statuimus huc pariter spectantia.

[3]) Hac autem divinae providentiae dispositione non continetur tantum ecclesiasticus ordo; sed etiam, qui Christo eiusque ecclesiae servit, ordo societatis humanae universus, uti superius expositum habes.

considerandum, eo ipso quod revelationibus Dei omniscii pontifex in suis iudiciis non regatur, verum iuxta data, ut aiunt, et allegata sententiam ferat, fieri apprime posse factumque reapse esse, ut eius iudicium revocaretur, non quod illud secundum causam expositam falsum fuisset spectato veritatis ordine, vel adpellandum ad aliud fuisset tribunal; sed quod mutata causae et hypothesis, ut in iudiciis loquuntur, expositione, alia ab eodem iudice ferretur sententia. Hac facta necessaria animadversione, quemadmodum non paucae e multis contra sanctam sedem excitatae detrectationes depelluntur: ita ad aliud observandum adducimur, quod ad humanas partes exercendi ministerii humano-divini pertinet. Videlicet *Sententiae mutatio.*

2. quum pro duplici iudiciorum genere romanus iudex superno excellat praesidio, quod divinum supponit et exigit charisma cavens, ne ille in multiplici doctoris et pastoris ecclesiastici cura ac studio aberret, et quidem ne in docendo aberret a necessaria ecclesiae veritate et iustitia, tum ne in pascendo a necessaria ecclesiae sapientia ac prudentia recedat: nemo est, qui facile non intelligat, quam lata inde provincia individuo ac singulari personarum characteri pateat. Sane, si vel ipsum inspirationis charisma, quod tamen ad specialem suum obtinendum effectum[1]) efficacissimum est, personam eiusque partes non extinguit: quid ni censebimus de dote hac, cuius effectus, plane diversus et ad pontificii ministerii sollicitudines attingens, primum prope ac potissimum excludens adparet et negans? Hinc scilicet fit, ut obtinente licet constanter eodem ministerii illo apud sedem romanam genere, tot tamen variae variarum perfectionum personalium variorumque perfectionum earundem graduum manifestationes exsistant, quibus in pontificum serie alii prae aliis sive sapientia sive zelo sive fortitudine animi ac magnitudine distinguuntur. Nimirum coeleste apostolici ministerii praesidium apud magistros ac pastores latitudines patitur suas. Nihil ad rem illustrius, quam quod Paulus[2]) de sua a Petro discrepantia scribit: erant illi ambo Apostoli, ambo infallibiles, ambo inpeccabiles: neque tamen illico occurrente casus specimine in idipsum ferebantur: non, quid verum ac credendum, sed quid prudenter agendum, *Personalis pontificum character.* *Divini praesidii latitudo.* *Gal. II. 11.*

---

[1]) Vide quae alibi thes. theol. de instrument. p. I. c. II. §. 2. statuimus.
[2]) Galat. II. 11. sqq.

quaerebatur? habebat suas uterque probabiles rationes: sed visa Pauli probanda: et Pauli ratione atque Petri adprobatione via ac modus agendi citra quodvis apostolici privilegii detrimentum definitus. Inde autem norma patet, multiplicem ac variam rationem agendi pontificum citra damnum conciliandi cum apostolicae sedis romanae dotibus ac praerogativis. Praeterea vero animadvertendum accedit

Petri et Pauli dissensio.

Causarum diversitas.

3. quod a diversis causarum generibus et adiunctis repetendum est. Quemadmodum enim aliae sunt, quae in indivisibili, ut aiunt, continentur, et totae simulque vel adfirmari vel negari debent; aliae vero, quae complexae sunt et gradus admittunt: ita illae semel pro semper, ut loqui mos est, dirimuntur; hae vero pro suis veluti partibus ac per gradus prope suos definiri terminarique prudenter possunt atque etiam solent, quin ullus inde contra divinam ministerii romani dotem inferri defectus[1]) sive possit sive debeat. Sed rursum, quum idem ministerium ad universale totius ecclesiae bonum divinitus datum sit et referatur: nemo non perspicit, fieri posse, ut supremum illius exercitium et validus summae huius potestatis effectus haud adpareat[2]) bonis commodisque particularium sive personarum sive ecclesiarum favere, in quas ἀμέσως convertitur; et ut idem nihilominus servato vel ipso debito ὑποτάξεως ordine, tam in singulare illarum quam in commune totius ecclesiae bonum cedat.

Potestatis usus semper iustus.

Potestatis usus ecclesiae semper salutaris.

4. Colligitur plena fidelium subiectio.

Nicolaus I.

476. Quare ut ad thesim redeamus, obedientia vera et perfecta subiectio romano divinitus protecto capiti, a quo, ut Nicolaus papa[3]) auctor est „universitas credentium . . . doctrinam exquirit, integritatem fidei deposcit, criminum solutionem, qui digni sunt, et gratia Dei redempti exorant . . . Constat enim sanctam roma-

---

[1]) Ecquis propterea falsitatis argueret concilia, quod divinissimae Trinitatis et incarnationis dogmata definierint non tota simul, sed datis occasionibus paulatim ac per vices? Aliud sane est, dicere falsum, et aliud non dicere totum simul et omni modo, quod verum, sed dumtaxat tantum, quantum nunc sufficit.

[2]) Sed aliud est quod adparet, et aliud quod reapse est; hinc quum futura, quae sunt conditione adfecta, solus Deus sciat: frequenter accidit, ut quod incommodum esse adparet, id plus semel certissime maximum beneficium reapse exstiterit.

[3]) Ad Phot. conc. constant. IV. ap. Harduin. t. V. pp. 812. sqq.

nam ecclesiam per beatum Petrum principem Apostolorum, qui dominico ore primatum ecclesiarum suscipere promeruit, omnium ecclesiarum caput esse, et ab ea rectitudinem atque ordinem in cunctis civitatibus et ecclesiasticis institutionibus, quas secundum canonicas et synodicas sanctorumque Patrum sanctiones inviolabiliter, atque irrefragabiliter retineret, requirere et sectari. Et ideo consequens est, ut quod ab huius sedis rectoribus plena auctoritate sancitur, nullius consuetudinis praepediente occasione, proprias tantum sequendo voluntates removeatur; sed firmius atque inconcusse teneatur.„ *Romanorum Patrum sanctio inviolabilis et irrefragabilis.*

477. Id quod obortis iam in Gallia dissidiis[1]) vel ipsa tum praestantissima Sorbonae facultas publice solemniterque profiteri solebat, quum „laudabilis[2]) in academia parisiensi vigeret consuetudo, qua baccalaurei de quaestionibus theologicis solenniter responsuri protestationes praemittunt, se nolle quidquam contra decreta sanctae Matris ecclesiae, nec non sanctae sedis apostolicae et romanae asserere, aut defendere, et si quid in aestu disputationis adversus eiusmodi decreta illis exciderit, vel ignorantiae vel immemoriae vel linguae praecipitio attribuendum velle.„ *Sorbonae professio.* *Contra rom. sedis decreta non disputandum.*

478. Sed quam alte menti animoque fidelium inpressa illa persuasio esset, nihil evidentius patefacit, quam quod ad Ludovicum undecimum senatus ipse parisiensis per Joannem Lozellier inquisitionum, quem vocant, camerae praesidem[3]) edicere iussit: „Protestatur curia vestrae Maiestati, se nullo modo, propter quaecunque inferius dicenda, velle excellenti sanctitati, dignitati, honori et authoritati nostri sancti Patris Papae, sanctaeque sedis apostolicae derogare; sed contra ei honorem, reverentiam et obedientiam, quam omnes boni fideles catho- *Senatus parisiensis.*

---

[1]) Oborta inter Alexandrum Papam et Regem christianissimum discordia 1663. iam mense Maio prodiit decretum cui titulus: „Declarationes sacrae facultatis apud Regem christianissimum super quibusdam propositionibus, quas nonnulli ipsi voluerunt adscribere„: tum art. V. „Doctrinam facultatis non esse, quod summus Pontifex sit supra concilium„: et art. VI. „Non esse doctrinam vel dogma facultatis, quod summus Pontifex nullo accedente ecclesiae consensu sit infallibilis„ Enimvero nemo non videt, unde mutatio sententiae et quae dissensionis origo post unanimem praevertentem consensionem. Sed de hac gallicana quaestione cf. praecl. periodic. cui tit. „Der Katholik„ fascic. mens. April. Mai. Jun. 1865. Jan. sqq. 1866. Mogunt. ap. Kirchheim.

[2]) Apud Andr. Duval. l. s. c.

[3]) Cf. Pet. Putean. in tractat. de libertatibus ecclesiae gallicanae art. 20. ap. author. de oecum. cathed. apost. authorit. l. c. n. 30.

lici supremo ecclesiae pastori praestare tenentur, sicut veros filios ecclesiae Matri sanctissimae reddere et exhibere: protestans insuper, si quid dictum factumque a se fuerit, quod correctione egeat, illud totum velle se omnino ecclesiae sanctae apostolicae et romanae determinationi submittere, quae errare[1]) non potest iuxta canonem, A recta. 24. q. 1.„

5. Concluditur.

479. Quae omnia quum ita sint, haec aperte colliguntur:

I. quatenus romanus principatus est divinus, eius constitutiones omnes et sententias sive speculativas, ut aiunt, sive practicas, plena esse reverentia et obedientia amplectendas; et quatenus idem habetur veluti causa vitae, ordinis, felicitatis, pleno has esse amore prosequendas, studio promovendas, tuendas;

II. regimen romanum, iura eius, leges, decreta vero nullius societatis bono obesse posse;

III. opposita illi cuiusvis societatis iura, leges, praescripta vero hominum bono obesse, adeoque iuxta divinas humanasque normas esse ac fieri nulla debere; tum

IV. a romana sede eaque sola unitatem socialemque caritatem determinari universalis ecclesiae; determinari unitatem fidei et professionis, tum actionis vitae totius christianae; et eam determinari infallibili et inadpellabili illius iudicio. Sicuti vero talis unitas christiana sola est, quae sit sancta a fide et vita, catholica ab universali societate ac communione, et apostolica ab apostolicis sui principii originibus et dotibus: ita proprie nominatimque romana est, quo specificum characterem suum suamque singularem formam nanciscitur.

Romana unitatis catholicae forma.

Transitus.

480. At vero sedes et ecclesia adeo exsors, a qua fidelium universorum dependet ratio cogitandi ac sentiendi, loquendi et scribendi, agendi ac vivendi; quaeque singularis et exsors est in ordine suae veritatis, et singularis et exsors in ordine suae actionis omnisque vitae: ea pariter singularis et exsors sit in ordine suae exsistentiae. Unde haec prodit eiusdem ratio: nimirum habeatur illa et sit

I. inmunis a principatu erroris ac falsitatis: hinc infallibilis;

Justinian.

1) Iuxta illa ipsius Justiniani imperat. con. monophysit. ap. Mai scriptt. vett. nov. coll. par. I. p. 304. *Οἱ γὰρ ἱερεῖς τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης τῇ ἀποστολικῇ διὰ πάντων ἀκολουθήσαντες παραδόσει, οὐδέποτε παρ᾽ ἀλλήλους διεφώνησαν, ἀλλὰ τὴν ὀρθὴν καὶ ἀληθεινὴν μέχρι σήμερον διεφύλαξαν δόξαν.* Quibus cf. tum supra abundantius prolata tum Gregor. M. epp. l. III. ep. 66. pp. 850. sqq.

II. inmunis a principatu iniustitiae ac inprudentiae: hinc inadpellabilis; et

III. inmunis a principatu terrestris potestatis ac dominii: hinc independens.

Priora duo probata satis arbitramur: ad postremum ostendendum iam adgredimur.

CAPUT VII.

De romani pontificis inmunitate ab imperio saeculari
sive
De sedis romanae independentia in exsistendo.

481. Ratio ac conditio romani episcopi, qua est et dici infallibilis debet, inmunem eum constituit a quavis alia sub Deo auctoritate quoad ordinem cogitandi christianaeque veritatis; ea rursum illius ratio ac conditio, qua est dicique inadpellabilis debet, inmunem eundem facit a quavis alia sub Deo auctoritate quoad ordinem volendi christianaeque vitae; ea demum ratio ac conditio, qua esse dicique debet independens, reddit eum inmunem a quavis alia sub Deo auctoritate quoad ordinem exsistendi christianaeque societatis. *Ingressio.*

I. Trium praesidiorum nexus ac concentus.

482. Sed hoc apprime est, quod quaeritur, utrum independens, uti loqui solemus, reapse esse statuique romana sedes debeat? Quod priusquam expendendum accipiatur, id observatu dignum videtur, quam perfectus veluti concentus et intimus sit nexus, qui inter tria illa, infallibilem inter et inadpellabilem interque independentem ecclesiam romanam intercedat: concentus, inquam, et nexus tam historicus quam logicus atque polemicus, isque rursum tam ratione negante quam adfirmante manifestus.

483. Sane quousque historia teste hominum societas pagana et a Christo eiusque ecclesia aversa divinas capitis romani praerogativas incompertas haberet, nullasque esse vellet; eo etiam usque humanam socialemque eiusdem capitis exsistentiam absconditam faciebat [1]) vel, ut nulla ea esset, adnitebatur: contra vix *Historicus.*

---

[1]) Huc spectant romanorum episcoporum tum abdita in antris, speluncis et catacumbis vita, tum subcessiva eorundem prioribus saeculis martyria.

hominum societas evadebat christiana et subdita ecclesiae, vix erat caput eius exploratum et pro divina sua potestate agnitum: ac idem liberum fieret, inmune, et a potestate saeculari independens constitui inciperet. Duce ergo historia docemur nexum, quo tria illa sic vincta exsisterent, ut apud christianam societatem pari prope passu vel abesse vel adesse deprehendantur. Qui quidem nexus inde etiam illustrius patefieret, si, quod historia teste ostendi haud aegre potest, particulatim confirmaretur, pro ratione, qua hominum societas variis aetatibus aut christianum aut paganum et a Christo alienum praeferret colorem, eadem Christi quoque vicarii, romani inquam pontificis, tum spiritualem tum temporalem potestatem vel auctam crevisse vel inminutam decrevisse.

Logicus. 484. Neque aliter habere rem posse, logicus propemodum inter eadem illa nexus docet. Sicut enim qui pontificem romanum negat infallibilem, adfirmare eundem inadpellabilem rite nequit: ita qui eum fallibilem et adeo etiam adpellationi ad superiorem potestatem obnoxium vult, eundem in communem tandem cum aliis censum conditionemque redigit, neque proinde habet, cur exsortem illum ac in sua sociali exsistentia minime obnoxium potestati civili sive possit sive debeat velle. Sed vicissim, qui illi omnimodis exsistentiam vindicant inmunem, ii, si sibi constent, non alia ratione ducuntur, quam quod potestate excellit ab alia in terris penitus inmuni; atqui talis non est nisi infallibilis et inadpellabilis eiusdem auctoritas.

Polemicus. 485. Profecto idipsum confirmant illa, quae contra sedem romanam acta iugiter novimus. Qui enim acerrimi hostes primatus essent et sunt, iidem temporale eiusdem dominium pariter inpetere iugiter satagebant et satagunt; quique illum maxime defenderent et defendunt, iidem huius vindiciis ex aequo consulere studebant et student.

II. Gravitas et necessitas quaestionis de romano inmunis exsistentiae praesidio.

486. Ex his autem brevi animadversione praestitutis liquet abunde, quaestionem de romanae sedis inmunitate libertateque, quod ad socialem eiusdem exsistentiam attinet, nihil esse minus quam *ἀδιάφορον*, indifferentem, atque parvi admodum momenti; sed esse illam adparet plane necessariam atque vitalem. Uti enim sedes romana

pro normali sanoque rerum statu et ordine[1]) vitam suam, actionem suam suamque supremam potestatem in universam ecclesiam, ut par est, explicare nequit, nisi sententiae eius infallibiles habeantur, et inadpellabilia eius iudicia: ita suam illa vitam pariter, ut oportet, explicare nequit, nisi eiusdem exsistentia socialis sit libera ac independens; et quemadmodum ordinem christianum pervertunt, qui romanae sedis sententias infallibiles et inadpellabiles negant: ita eundem christianum ordinem pessumdant, qui eiusdem sedis exsistentiam inmunem nolunt ac independentem. Sed huius adfirmationis forma ac vis perspicue ostendit, ad statum ecclesiae Christi adserendum incolumem, eiusdemque in hominum societate locum tuendum, satis videri nullatenus debere, sive generatim aliquem sui capitis vindicare primatum, sive speciatim hanc vel illam tueri primatus praerogativam: bellum est in ipsam romani capitis exsistentiam et vitam; et haec, quae normalis saltem sit, ab omnibus pendet vitae exsistentiaeque suae conditionibus et causis. Atqui, ut causa princeps vitae illius spiritalis est praesidium divinum, quo infallibile habetur ac inadpellabile caput: ita speciatim necessaria vitae huius suae in hoc reali, et ne dicam physico, sed sociali hominum ordine, explicandae conditio est vera illius ac realis et socialis exsistentia eaque inmunis ac independens.

De capitis romani exsistentia agitur et vita.

487. Quare nominatim tractanda sunt: quaestio, quae non historica tantum, sed ontologica est; quaestio non modo facti atque pendens a temporum vicissitudinibus, sed iuris ac pendens a necessaria rei, qua de agitur, natura. Hinc ad eam rite habendam non sufficit, historicis uti dumtaxat argumentis, et iis adhibitis rationibus iuris, quae ab illis vel unice vel maxime pendent; sed rationes potissimum ex necessario et constanti rerum ordine atque normali eius, non infirmo statu petendae, ad cuius inmutabiles normas ac leges iudicium tandem ipsum historico-iuridicum revocatur.

488. Hinc adparet denique, neque nostrum nunc neque satis esse, quemvis historicum independentis romanae sedis statum adserere; sed esse potius, ontologicum illius fundamentum, et prodeuntem inde perpetuam necessitatem verae plenaeque inmunitatis ab alio quovis imperio auctoritateque terrestri comprobare.

---

[1]) Is tantum spectari ordo debet, quem pro lege ac iure institutum novimus, quemque Deus communibus viribus mediisque regit et administrat; nullatenus vero ordo, qui hinc singularis ac miraculorum, et inde alienus sit et martyriorum.

III. Rationum momenta, quibus romana a saeculari potestate inmunitas probatur.

Absoluta illius necessitas.

489. Omissis itaque praeter alia consueta ac pro suo scopo valida [1]) contra inpios sceleratosque raptores argumenta, quae hinc ex historicis patrimonii sancti Petri originibus titulisque [2]) et inde tam ex iure naturali quam civili et ecclesiastico, ex iure sociali publico et gentium [3]) petuntur: ut ea romanae sedis exsistentia, quam independentem diximus atque prorsus inmunem, pro normali humanae rei conditione absolute, non relative tantum, censeatur necessaria ac temporum vicissitudinibus superior, efficitur

1. argumento externo et ab auctoritate petito,

Consensio.

quod antiquus et sequens usque fidelium sensus ac consensus, christiana saeculorum continua persuasio ac conspiratio suppeditat. Quemadmodum enim, ubi primum imperii romani princeps christianae

---

Tituli historico-iuridici.

[1]) Cf. Giusep. Brunengo d. C. d. G. „Le origini della Sovranità temporale dei Papi„ Roma, 1862. coll. Dr. Fr. A. Scharpff „Die Entstehung d. Kirchenstaates.„ Friburg. 1860. Dr. Hergenroether. „Neue Studien„ etc. Wirceburg. 1864. alios passim.

Orbis episcopi.

[2]) Eo spectant collecti Romae episcopi in suis ad Papam Pium IX. perlatis votis atque suffragiis die 8. Junii 1862. quibus post alia haec dicunt: „Tuum ac Sanctae Sedis principatum, ex quo praeclara quaeque in civilem societatem veluti ex suo fonte dimanarunt, labefactare ac funditus evertere connituntur. Nam neque perennia saeculorum iura, neque diuturna regiminis pacifica possessio, neque tandem foedera totius Europae auctoritate sancita et confirmata impedire potuerunt, quominus omnia sus deque verterentur; spretis legibus omnibus, quibus hactenus suffulta stabant imperia.„

Concil. provinc. Colocens.

[3]) Haec praeclare complectitur concilium provinciae colocensis celebratum 1863. in quo sic tit. II. c. 1. p. 71. statutum legitur: „Quare concilium hoc provinciale non sufficit cum Beatissimo Patre satis ingemiscere, super illatis recentissimo tempore s. Sedi apostolicae ipsique in Petri Successore universae Ecclesiae irrogatis gravissimis iniuriis, quibus contra ius naturae, quod suum cuique relinquere praecipit, contra ius gentium, quod regna aliena invadere vetat, contra ius ecclesiasticum, quod bona Ecclesiae rapere prohibet, et contra ius sacrum et divinum, quo rem Deo dicatam profanare sacrilegum est, nefando scelere insurgitur. Contra huiusmodi ausus concordia pastorum omnium suffragia, cunctarum Ecclesiarum decreta, atque universorum Christi fidelium mens et sententia clamant. Damnat proin Synodus haec in Spiritu s. congregata nefarium sacrilegium, quo capiti Ecclesiae ea subrepta sunt, quae ad maiorem Dei gloriam consecrata, absque immani scelere gravissimoque crimine rapi, raptaque retineri nequeunt; una attamen orat, ut sit omnipotens Deus misericors atque propitius infelicibus sanctae Matris Ecclesiae filiis„ et q. s.

eidemque romanae unitati semet addiceret, romanum episcopum liberum inmunemque a sua potestate in urbe romana constituere satagebat, et constitutum porro princeps ac imperator insequens quisque catholicus relinquebat: ita christiana[1]) erat constanter persuasio, principem, qui imperaret pontifici, Romae consistere nullum debere. Sed quis tam parum fuerit modestus et adeo temerarius, ut christiani aevi et orbis conscientiam, quam vocant, persuasionemque non vereatur, ut eam illegitimam habuerit, atque fallacem dixerit, maxime illam, cuius onera ac pondera a potentissimis saeculi imperatoribus sponte veluti ac citra tergiversationem ferrentur? Sane id ipsum confirmatur

2. **argumento morali, ex decentia ac convenientia ducto,**

qua christianae pietati minime consentaneum ac plane incongruum visum semper est et adparet, ut suprema in terris potestas inferiori subdatur: ut persona vicarii ipsius Christi directe inmediateque subiiciatur humano imperio: et plena ac viva omnium Domini repraesentatio, qualis in romano exprimitur episcopo, in christiana societate inferioris dominio ordinis obnoxia sit. Quod ne fiat, requiritur illius perfecta in sociali ordine inmunitas, ac modus exsistendi plane independens. Hinc autem res ostenditur *Indecentia.*

3. **argumento e metaphysica rerum contemplatione deprompto,**

qua illius cultores axiomatis instar hoc sanciunt, quod exsistendi, ὑπάρξεως, modus sequitur modum τοῦ εἶναι sive essendi; idemque usum habet in re morali et iuris, quando ratum sit, pro conditione ac statu convenire unicuique congrua vivendi exsistendique commoda. Atqui spectata ratione ac modo essendi, natura ac indole romani episcopi, quae eiusdem potestate et auctoritate constituitur, is est omnino inmunis et exsors; talis ergo pariter sit modus eiusdem ac ratio exsistendi. Est illa ex sese nulli humanae saeculariqne potestati obnoxia; nulli ergo haec humanae potestati imperioque saeculari subiecta exsistat. Sed hinc idem corroboratur *Axioma.*

4. **argumento comparativo,**

scilicet e collatione, ne dicam cum simplicibus reliquis fidelibus, sed cum particularibus instituta ecclesiarum praesulibus. *Particularium exsistentia episcoporum.*

---

[1]) Hanc veteres rationem passim reddunt, ob quam Constantinus Roma relicta Constantinopolim selegerit; hanc, ob quam deinceps imperatores Mediolani alibique sedem fixerint suam, sed non Romae; eandem, ob quam porro graeci impera-

Quemadmodum enim obnoxia et subiecta eorundem potestas illam omnimodam suae exsistentiae libertatem socialem inmunitatemque minime exigit; sed relativam tantum pro ordine suo: ita suprema et exsors romani episcopi praerogativa exsistendi modum a particularium istorum diversum omnino requirit, adeoque omnimodam illam flagitat. Et sane hoc comprobatur

5. Argumento ontologico,

Natura pontificia. quod ex rei natura eiusque analysi perspicue accipitur. Est enim episcopi romani potestas non divini tantum ordinis, sed in eo ordine etiam totius potestatis fons; ipsa sola tota est origine inmediate divina, dignitate omnium suprema, auctoritate omnibus plane hominibus necessaria; sola ipsa spatio et loco universalis, duratione et tempore iugis ac indefectibilis; est forma, fine et mediis una semper et eadem, irreformabilis in suis iudiciis, actibus denique inadpellabilis. Sed quaeso, estne haec potestatis natura ac indoles talis, quae imperio subiici valeat potestatis, cuius natura ac indoles tota non inferioris tantum ordinis est, sed cuius proprietates omnes ab illis excellentiis omnino deficiunt? Deficit enimvero imperii humani naturalisque ordinis ratio ab ea dignitate, qua tam origo propria quam fons sit supremus particularium eiusdem ordinis imperiorum; deficit ab universitate subiecti obnoxii et spatii occupati; deficit in thronis suis a constantia et perennitate; deficit ab unitate identitateque formae, finium mediorumque selectorum; et deficit tandem ab ipsa stabilitate suarum constitutionum. Iamvero hac considerata rerum proprietatumque inaequalitate, ontologicus rerum ordo, harmonia, concentus non sinit, ut exsors illa summitas communibus istius adstringatur limitibus, et ab eiusdem reddatur rationibus dependens. Non convenit profecto nec consonum est nec ferendum, ut constantiae firmitatisque institutum, ipsumque huius stabilimentum ac *στήριγμα* inconstantiae mutationisque institutis et organis subiiciatur: res exigunt, ut haec ad illud aptentur et adcommodentur; adeoque

---

tores ex aliis civitatibus regnum suum in Italia tenuerint, sed non ex arce romana; atque hanc, ob quam postea a Pipino et Carolo magno aliisque imperii occidentalis principibus in romana urbe romaná sedes custodita inmunis semper sit et libera. Quam profecto libertatem porro tum fideles, contra invasores reclamantes ac restitutionem postulantes, tum a Leone III. ad Pium usque IX. ad 167. pontifices sancientes ac vindicantes, uti necessariam plane habuere et adseruere.

flagitant, ut ubi *στήριγμα* illud et caput exsistit vitamque explicat suam, vitam, inquam, independenti suae respondentem ac inmutabili naturae, ibi independens idem summumque exsistat: flagitant, ut sibi attemperet humanum mutabilium rerum ordinem divini ac inmutabilis ordinis rector: neque sinunt eaedem, ut quod absolutum est, illius adstringatur modulo, quod est relativum, cuius imperio facta subiectione contemperetur. Sane ut unum hoc significem, quod superius innui: nimirum, quod imperio auctoritatique naturalis eiusque civilis societatis subdantur in illius iusto ordine episcopi, quorum potestas particularis est obnoxia supremo capiti, ab ipso capite inmediate derivata, et per illud etiam in ordinis sui iuribus a violatione defensa et adserta: id cum eorum conditione ac indole componi probe intelligitur; sed quod caput fidelium et episcoporum universorum supremum, inmediate sub uno Deo constitutum, a quo directe suam repetit ac tuetur praerogativam, obnoxium fiat ac inferioris imperio ordinis subiiciatur, hoc a proprietate ac natura sua abhorret: caput eminet supra cuncta membra: fons inmunis est a sorte rivorum ac fluminum: et conditio columnarum, quae ipsius domus etiam superioris compagini insertae indeque etiam nexae consistunt, convenire ipsi domus totius basi ac fundamento nullatenus potest. Sed hic est habitus, haec vis ac ratio romanae sedis tum ad episcopos tum ad genus hominum sive seorsum sive in societate invicem coniunctum: est illa ex divinis decretis pro universa humanitate fundamentum salutis verae, est pacis et ordinis basis. Suae ergo naturae ac indoli convenit exsistentia inmunis plane ac libera a sorte ac conditione aliorum omnium communi, a subiectionis nexibus et vinculis cum alieno imperio. Sed hinc ad aliud ducimur, quo idipsum declaratur: nimirum

6. argumento relativo,

Pontificia, est hegemonica potestas.

quod ab relatione dependet, qua ad universum hominum genus pro eiusdem omnibus adiunctis suprema illa ecclesiae potestas refertur. Haec enim non est in suo ordine seorsum et prope solitaria, neque etiam in divino[1]) suo ordine est e parallelo coor-

[1]) Pervertunt ergo penitus rerum ordines, qui in componenda sapientia politica cum philosophica et utraque cum theologica, homini politico philosophicum et huic cedere faciunt virum theologum; enimvero cedat politica illa sanae philosophiae, cui innititur, et haec theologiae, cuius doctor supremus est romanus ipse pontifex.

dinata humano ordini communi; sed sicut ipsa ad dirigendum et ducendum genus, et ad idem beneficiis sui ordinis erigendum pascendumque destinata fuit: ita naturalis iste conformandus aptandusque superno illius ordini, cuius supremus ἡγεμὼν est romanae sedis episcopus; a quo adeo tota compago veluti ab arce nexa et vincta dependet. Ecquis vero cum summi huius et universalis ἡγεμόνος charactere componi posse arbitretur, ut is inferiorum compaginis ordinum imperiis vinctus adstrictusque exsistat? Id quod confirmatur

7. argumento historico,

Pontifex aut rex est, si societas sana; aut afflictus et oppressus, si est infirma.

quod ex annalibus pontificum, ex catacumbis actisque Martyrum, luce clarius prodit, quibus constat evidenter, pro duplici exsistentiae suae conditione ac stadio, in quo romani pontifices ad hunc diem usque considerari generatim possunt, nunquam eosdem ex communi ratione et ordine civium vel subditorum imperii regnive alicuius habitos sive a regnantibus ac imperantibus sive ab fidelibus ac credentibus sive a semetipsis fuisse; verum fuisse illos aut a communi civilis societatis vita eiusque beneficiis penitus exclusos, delituisse in antris et cavernis, sociali iure privatos fuisse ac veluti mortuos: atque hoc erat stadium, quo paganum imperium et principes essent gentiles; aut eosdem fuisse, quum signum crucis in frontibus principes gerere, et alte in animis vitaque sociali Christus regnare coepissent, communi ipsa conditione ac lege superiores, beneficiis civium non caruisse, sed civilium munerum inmunitate excelluisse, privilegiis ac commodis capitum emicuisse, locum in Urbe principem tenuisse, et paulatim crescente pietate ac religione christiana principatus ipsorum firmitatem augmenta ab extensione ac intensione maiora semper accepisse: variis quidem vicibus attentatum a variis, incrementum utrumque, nam ab altero alterum avellere vix possis, extenuare ac infringere; et utrumque vario successu perpetratum et obtentum: atvero ut pontifices in ordinem redigerentur civilem sub imperium et iurisdictionem regnantium simpliciter communem, id effectum nunquam est et nuspiam: aut erant illi ut reges et principes, aut extorres erant, profugi et exules, latentes et abditi, catenis carceribusque detenti et martyres. Ex duobus igitur alterutrum. Hinc signum regnantis apud hominum societatem apostasiae, spiritus pagani atque gentilis nullum evidentius, quam publici manifestique cona-

tus, romanum episcopum vicariumque Christi suo exuendi principatu et regno. Scilicet, quod supra pluribus ostendimus, ut Dei Salvatoris regnum in terris satanas everteret, Romam penetrare nitebatur per haeresim oppositam infallibili pontificis cathedrae; sed portae inferi praevalere non valebant: rursum penetrare eodem satagebat per schisma oppositum regimini pontificis inadpellabili; sed portae inferi non valebant praevalere: iam conatur illuc penetrare per violentiam ac vim oppositam inmuni pontificis exsistentiae; num portae inferi praevalebunt? Contra regnum Christi et eius caput non praevalebunt! Sed enimvero hoc est inter illa discrimen: nequit pontificis doctrina cum errore componi ullatenus; nequit eius regimen cum iustitiae ac iudicii perversitate componi; sed eius independentia, quam vocant, componi cum detrimento potest: nimirum mens idest cathedra supremi doctoris est inerrabilis; voluntas id est tribunal supremi pastoris est inadpellabilis; sed corpus idest independens sanctissimi principis exsistentia non est inpassibile: atque ita per romanum suum caput ecclesia Christi visibiliter repraesentat cuius corpus sit, in quo nimirum perenniter vivit Christus, aptans illud sibi sibique simile reddens „adversus quem [1]) summi sacerdotes, et omne concilium quaerebant testimonium, ut eum morti traderent, nec inveniebant„; in quo romanus ipse iudex „nihil mali„ reperiebat: „corpus autem [2]) aptatum sibi gerebat, cuius oblatione sanctificati sumus.„ Viam Salvatoris obstruere diabolus non poterat, non poterat negare Veritatem eius: decrevit itaque, tollere illi Vitam; sed non praevaluit: „Surrexit [3]) sicut dixit.„ „Vae autem homini illi [4]) per quem Filius hominis tradetur.„ Sed iuverit idem stabilire

Portae inferi contra pontificem doctorem, pastorem, regem.

Marc. XIV.

8. argumento iuridico et ethico,

quod a iure et officio prodit, quo romanus pontifex cum christiana immo cum humana universa familia vincitur. Ipse enim omnibus tam magnis quam parvis, regibus ac subditis normam figit irreformabilem et inadpellabilem legem dicit, cui repugnare ac resistere nefas censetur. Sed quis non videt, tale munus exigere

Pontifex omnium, etiam principum legislator.

---

[1]) Marc. XIV. 55.
[2]) Hebr. X. V. sqq.
[3]) Marc. XVI. 6. sq.
[4]) Marc. XIV. 21.

exsistentiam ab eorum dominio ac imperio liberam atque solutam, in quos licet invitos exerceri illud debeat, ne vis eius vincta inpediatur, et ne funesta potestatum collisione ordo iurium officiorumque pervertatur? Hinc autem idem clarescit

9. argumento dynamico,

Pontificia actio sit libera. ab actione collecto, qua idem praesul romanus in omnem totius humanae familiae vitam privatam et publicam tenetur influere, ut eadem e christiana fidei morumque regula, quemadmodum oportet, tum ab illius capitibus cum ab eiusdem membris instituatur. Sed quomodo, ut par est, in capita imperantia singula et omnia, quomodo in universae familiae membra influeret, si et ipse familiae capiti cuidam particulari subiectus particularibus membrorum vinculis adstringeretur? Idque clarius etiam patet

10. argumento hypothetico,

Pontificia auctoritas subverteretur. quodque a contrario infertur. Fac enim contempleris ac cogites paulisper cuiuspiam imperio regiminis romanum episcopum subiectum: scilicet universalis pontifex externa privatur universalis auctoritatis persona et in communem cum episcopis particularibus ordinem ac conditionem externam redigitur; similiter ac reliqui fideles censu subditorum venit, similique cum ipsis civili sorte obligatur. Verum difficile non est perspicere, quanta inde in supremam illius potestatem detrimenta redundarent: quantopere eius infringeretur vis, ne dicam in subditum sibi fidelem sive eiusdem sive diversae civitatis, societatis et gentis; sed in ipsos ecclesiarum dispersarum episcopos, publicaeque rei principes omnes, tam illum cui obnoxius esset, quam illos qui alibi regnarent. Verum quid, si idem is cui pontifex esset subiectus, sive iure sive iniuria, hostis evaderet unius alteriusve ex aliis istis? quam esset difficultatum ac inpedimentorum complicatus nodus, exercendi pastoralis muneris in inimicos populos et reges, et forte in proprium ipsius principem, nemo est qui non adsequatur? Sed quid si regimen cui subiectus esset pontifex, evaderet in ipsam ecclesiam minus benevolum, obsequiosum minus, vel etiam minus gratam pontificis haberet personam? quid, si aliorum etiam episcoporum faveret vel duceretur contrariis consiliis? et quid tandem, si quandam gratissimam sibi dumtaxat

vellet in Petri cathedram selectam personam neque aliam permitteret? Quanta inde incommoda supremi ecclesiae regiminis iugiter exsisterent? quanta inde continuo timenda pericula, quae inminerent et ab inconstantia et mobilitate et vicissitudinibus humanarum rerum et personarum, quibus nulla inerrantiae firmitatisque facta promissio? Quis, quaeso, censuerit voluisse Deum, ut salutis ordo ab eiusmodi miseriarum casibus penderet, in quibus continuis perturbationum et ipsius ruinae periculis constanter foret obnoxius? Et sane, nemo nescit, ecclesiae potestatem, quae suprema inest et universalis summo et universali fidelium doctori et pastori, romano pontifici, fere referri revocarique ad potestatem docendi, iudicandi, exsequendi, leges ferendi, puniendique: atqui nemo pariter nescit, quanta mala in particularibus ecclesiis oborta semper fuerint et etiamnum oboriantur, sicubi ex variis illis potestatibus vel unius exercitium a civili regimine inpediatur; mala, inquam, magna sed particularia; verum universalia forent illico ac caput romanum in alicuius illarum usu retardaretur, disturbaretur, comprimeretur; detrimentum universa Christi societas violatis functionibus capitis pateretur, et restincta vitali potentia in discrimen vitae paulatim extinguendae ipsum Christi corpus adduceretur. Noluit porro Deus ecclesiam gubernatam conservatamque constanti fere miraculorum ordine. Constans ergo atque normalis conditio exsistendique ratio romani pontificis illa neque potest neque esse debet, qua sit alii cuipiam principatui obnoxius; sed ea sit eius conditio qua ipse princeps exsistat. Atque haec supremis tantum lineis attigisse quam explicasse satius est, quando aliorum curis iisque gravissimis etiam pastorum ecclesiae sententiis perfectius exposita praeoccupataque fuerint. Id vero, quod speciatim considerasse iuverit, eo continetur, quod significant rursum quaerentes: quid si universalem supremi pastoris vim potestatemque imperans ille, ne dicam inpedierit, sed non sustinuerit, non iuverit, non fulserit, ut semet, quemadmodum par ac necesse foret, in ordine ecclesiastico exserere et explicare posset? Indiget enimvero ad satisfaciendum pastorali suo muneri pontifex humanis mediis; et indiget iis multiplicibus atque diversis tam ordine quam copia. Atqui humana eiusmodi et terrestria omnia regimini subessent civili atque reipublicae. Quid igitur, si illa non praestarentur pro nutu pontificis, nec pro opportunitate necessitate-

Ecclesiae universalis detrimenta.

Humanis pontifex indiget mediis.

que praestarentur in causa, cuius arbiter est unus supremus hierarcha? Atqui id liquet, penes quem est mediorum ius et officium; et iterum, penes quem est, arbitrari de apto eorundem usu et necessario; penes quem est ipse illorum usus, et is in re ac causa plane necessaria, qualis est causa regiminis ecclesiastici et ordo salutis: eum habere oportere liberam inmunemque potestatem, de illis pro arbitrio disponendi; scilicet secundum voluntatem illius, qui et ecclesiam salutisque ordinem instituit, et propterea instituit rectorem summum, cui ius et officium, auctoritatem et curam docendi pascendique omnes homines commisit. Qui enim finem voluit, voluisse ad eum consequendum remedia dicendus; et idem conditionem ratam habuisse, qui instituit, quod sine illa perfecte ordinateque esse non possit. Ex his autem clare patet tum quid significatum phrasi velimus, inmunis minimeque dependentis exsistentiae, tum quae sit huius necessitas? quis iuris ad illam irrecusabilis titulus et fons? Atvero socialem dixi exsistentiam pontificis inmunem esse oportere. Id quod exposuisse iuverit

Liber sit usus mediorum ad finem.

Pontificiae libertatis necessitas ex instituto ordine petitur.

11. argumento ecclesiastico,

quod ab ecclesiae indole infertur. Etenim liquet perspicue, quum ecclesia societas quidem divina sed conflata ex hominibus sit, quae a societate eorum humana separari nec possit nec debeat: potestatem quoque illius regiminis socialem esse, nec separandam, nec separabilem ab humana societate, sed cum humana societate copulatam et nexam. Atqui ex praestitutis romanus catholicae ecclesiae princeps pro sua normali conditione et statu subesse civili societatis imperio non debet; verum ut suo fungi, quemadmodum oportet, munere possit, exsistentia gaudere inmuni et libera. Haec ergo pontificis libera exsistentia oportet socialis sit, adeoque non tantum in sociali aliqua hominum coniunctione et cum ea, sed supra eam ille exsistat, eiusdemque ipse princeps sit ac dominus. Quae quidem praeclare declarantur primum argumento a subiecto, tum ex consideratione habitus utriusque societatis, ecclesiasticae et civilis, petito. Subiectum enim societatis civilis est homo; sed homo est necessario ac naturaliter religiosus, et quidem in ordine historico divinitusque instituto sit necessario oportet christianus itemque romano pastori obnoxius. Tale igitur subiectum illud est, circa quod versatur in societa-

Ad ecclesiae principem princeps imperii respiciat in regendo oportet.

tibus christianis principum cura. Sed hinc colligitur, principes in suo regimine rationem habere inprimis debere illius subditorum characteris, quo iidem necessario pendent a supremo omnium moderatore, romano pontifice. Atqui nemo non videt, quam sit inconveniens atque incongruum, ut alicui sit subditus is, ad quem uti normam ille rector et gubernator necessario debet habere rationem. Romanus ergo episcopus a saeculari regimine inmunis exsistat oportet. Id quod praeterea colligitur

12. argumento analogico,

Analogia θεανθρώπου.

quod ratio [1]) *θεανθρώπου* suppeditat: consociatio commerciumque utriusque illius ordinis expressa *ἀναλόγως* sit ad deitatis humanitatisque coniunctionem in Christo Domino nostro. At vero in ineffabili hac copulatione, penitissima licet naturarum obtineat hinc *περιχώρησις*, et inde perfecta non divinae tantum verum humanae etiam naturae libertas: nemo tamen negat, penes Verbi hypostasim esse *τὸ ἡγεμονικὸν*, et nemo adfirmat, *τὸ ἡγεμονικὸν* Verbi esse naturae humanae imperiis obnoxium. Possent haec, quemadmodum incarnationis divinae contemplatoribus constat, aliis institutis collationibus in rem omnino quadrantibus praeterea diduci; sed innuisse hoc satis est, ut progrediendo idipsum porro illustremus

13. argumento christologico,

Verbi habitus ad singularem adsumptam naturam et ad humanitatem totam.

quod praebet rursum Christus ipse Salvator, cuius vicarius Petrus cum suis successoribus exsistit. Quemadmodum enim Verbum Dei, quum in nobis habitaret, ut universae humanitati deperditae auctor salutis exsisteret, neque universalem ad se traxit hominum substantiam neque se etiam in forma servi ab humana alia persona pendentem secundum exsistendi modum et formam fecit; sed omnino unam tantum singularemque ex illibata Virgine adsumpsit naturam, quam totam suam reddidit, et cuius ipse Dei Filius dominus et possessor esset: ita *κατ' ἀναλογίαν*, vicarius Christi visibiliter in societate hominum exsistens, ut totam eam salutis doctrina et moribus inbuat ac perfundat et ad ultimum

---

[1]) De analogia hac cs. sis quae praestituimus lib. sup. cap. II. n. XII. 7. p. 41.

beatitatis finem adducat, neque totam humanam rempublicam civili suo subiectam dominio sibi devincit; verum enim vero neque ipse particulari ulli eiusdem potestati subiectus exsistat, sed unam ac singularem quandam illius partem habeat oportet uti suam, cui praesit uti dominus ac princeps ad totam hominum societatem spiritaliter regendam. At haec ubi et quaenam sit, secundum historicas, iuridicas, normales ordinariasque rerum rationes, non est profecto diu quaerendum et determinandum amplius; sed facto illa Petri [1]) secreta primum, aucta aliis porro factis amplificataque fuit: romanae, inquam, est felicissimae ecclesiae cum territorio suo possessio, ditio atque dominium, cuius relativam et historicam amplitudinem positiva humana iura divinaque omnia tuentur, cuius quantitatem absolutam, radicalem, quam vocant, ac fundamentalem ipsa rerum necessitas definit. Verum priusquam ad alia veniamus, lubet idem exponere

14. argumento theologico et exemplari,

Christus rex principum terrae. quod denuo ab oeconomia ipsius Christi Domini depromitur. Quis enim, si Christum visibilem ipsum ecclesiae suae in terris [2]) agnosceret rectorem, obnoxium eidem ullum in orbe christiano locum adsignaret adsignandumque censeret? Sed quis e regibus christianis illum sibi obnoxium regere praesumeret, qui est [3]) diciturque „et princeps regum terrae„?
Apoc. I. 5. Atqui visibilem Christi ipsius pastoris et rectoris personam in terris praefert Petrus eiusque in sede romana successor. Quisquis ergo hunc a persona, quam gerit, agnoverit, is si pietate christiana ac fide animetur, eidem adserat oportet exsistentiam exsortem, et tam a sua quam ab aliena hominum subiectione

---

[1]) Cf. lib. sup. c. III. n. V. pp. 109. sqq.

Perversio iudaica. [2]) Quum aliquando iudaei Christum uti Messiam agnovisse sibi viderentur, attentabant eum in regem rapere. Scilicet perverso rerum ordine *τὰ πνευματικὰ* rapiebant ad *σαρκικὰ*, quum e contrario *τὰ σαρκικὰ* rapere ad *πνευματικὰ*, ad haec ordinare illa et conformare debuissent. Huc spectat Suar. de leg. l. IV. cc. 9. 10.

[3]) Apocal. I. 5. *Καὶ ὁ ἄρχων τῶν βασιλέων τῆς γῆς.* Quam vero inepte opponatur sive spiritalis ecclesiae potestas sive Christi verbum „Regnum meum non est de hoc mundo„ cum alibi tum lib. sup. patefecimus, de quibus similiter conferri merentur A. Reding. auct. op. anonym. „De oecumen. apost. cathed. author.„ a. I. disq. I. prob. IV. „In qua fit retorsio quarti adversariorum argumenti desump. ex C. D. verbis Joan. XVIII. pronuntiantis, Regnum meum„ et q. s. coll. J. A. Bianchi de Lucca ed. Taurin. 1859. vol. III. „Dell' esterior. polit. d. chiesa„ l. III. c. VI. §. 14. pp. 1370. sqq.

inmunem. Hoc animo fuisse, et hac permotos causa primos illos fideles dixeris, ut sua bona ad Apostolorum principis pedes deposita[1]) vellent. Non me fugit primitivus illorum zelus, rem consilii Petro monente probe deprehendo; hinc video communem semper omnium illam et ordinariam oeconomiam ubique esse neque debuisse neque potuisse; sed et illud intelligo, eam a fidelibus in apostolica nominatim Petri persona agnitam auctoritatem fuisse, quae non contemperanda terrestri, sed cui terrestria ipsa coaptanda contemperandaque[2]) essent. At quis non videt, eiusmodi habitu rationem ac viam exsistendi inmunem minimeque ab inferiorum imperio dependentem apud christianos flagitari? Sed haec rei necessitate hinc, et inde spectatis historiae factis, quibus eidem necessitati satisfieret, illustrantur

Actt. IV. V.

15. argumento apostolico,

novisque viribus augentur, si ratio habeatur legis a Paulo secundum divinam ordinationem instar axiomatis statutae omnibus comperti: „Quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt, edunt: et qui altari deserviunt, cum altari participant. Ita et Dominus ordinavit iis, qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere„: id est, Dei ministro necessaria ad fungendum suo ministerio suppeditanda sunt. Atqui servus servorum Dei, romanus episcopus, servit altari totius humanitatis finaliter ac intentione, sed proxime actuque societati saltem universali christianae. Huius ergo est, vitam illius exsistentiamque, et eam quidem suo characteri, officio ac muneri convenientem, aptam, necessariam, procurare atque tueri; idque eo maiori amore ac sollicitudine, quo pretiosior ac capitalior illius servitus, vita et exsistentia est pro communi omnium hominum vita et salute. Atque hoc persensisse christianam vere vereque Christo et eius vicario devotam Maiorum nostrorum antiquitatem, inde a Petri aetate ac deinceps collata in pontificem temporalia demonstrant beneficia, quibus pii ecclesiae filii non consulerent utcunque tantum eiusdem indigentiis; sed liberrimae illius inmunisque exsisten-

Necessariae ministerii conditiones explendae.

I. Cor. IX. 13. 14.

---

[1]) Actt. IV. 34. sqq. V.
[2]) Cf. lib. sup. c. III. n. V. pp. 109. sqq.

tiae commodis [1]) affluenter cumulateque prospicerent. Quare quousque Pauli verba in fidelium societate resonant et audiuntur; quousque societas hominum non nomine tantum tenus, sed etiam re, christiana est: eousque respondentem suo capiti exsistendi conditionem, ac nativa illi decora inviolabiliter conservabit. Unde pronum est, idipsum evincendo perficere

16. **hoc argumento finali,**

Necessitas finalis. quod brevi forma eiusmodi sit: conditiones exsistendi necessariae consequendo fini, ad quem Petrus eiusque successores missi divinitus sunt, expleri profecto a credentibus debent, nec citra inpietatem possunt perverti. Sed quemadmodum finem illi suae missionis historia teste citra exsortem Dei providentiam non consequuntur [2]) et docente rerum natura consequi communi ordine ac via nequeunt, nisi romanum ecclesiae caput, quod ab habitudine ad visibilem hominum societatem socialemque eorum vitam et ipsum visibile et sociale est, sociali gaudeat exsistentia prorsus inmuni: ita dominio excellat independente ac inmuni principatu in eiusmodi possessionis temporalis vim, quae tantis suis excellentiis ac praerogativis sit digna, et tantae suae actioni in universum orbem large et abunde sufficiens. Ex hac sane radice natae continuae donationes romano factae episcopo; hinc obortum Petri temporale patrimonium: nimirum repleti in christiano orbe fideles populi tam principes quam subditi spiritu Christi, christianae societatis conditiones inplendas intellexerunt, expletasque porro sic Deo inpellente voluerunt, ut pontificem coelesti romanae unitatis regimine insignem terrestri quoque romanae ditionis romanarumque provinciarum regno [3]) dotarent.

---

[1]) Quanta inde bona religionis, scientiae, artis in humanitatem positive derivata; quanta negative ab eadem humanitate mala exclusa, ingruentia ab hostibus pericula tam interna quam externa depulsa: historia docet profana et ecclesiastica generatim; sed speciatim docent romanae ecclesiae annales. Huc animadversio facit de communicatis a pontificibus scientiarum thesauris ap. F. A. Staudenmaier. in suo J. Scoto Erig. par. I. pp. 86. sqq. Sed de his paulo post.

[2]) Hoc inde a Petri temporibus usque modo persequutiones et oppressiones in romanam sedem exercitae demonstrant.

[3]) In hac donatione occurrunt adiuncta gemina ac in aliis ordinis supernaturalis sive rerum sive personarum casibus et actibus occurrunt: est enim illa rei temporalis oblatio et consecratio liberrime Deo et Christo eius in suo vicario, est ecclesiae in eius capite facta et tradita; donatio tamen et oblatio generatim

490. Quae quidem ad praeclaram rursum analogiae harmoniaeque rationem expressa deprehenduntur. Uti enim supernaturalia, ut esse possint, naturalia supponunt; et ordo supernaturalis, ut semet explicet, naturalem postulat, et eum etiam suo modo [1]) vult ac proportione explicatum: ita supernaturalis coelestisque regni regimen penes eius rectorem regnum naturale seu temporale supponit et exigit; et sicuti naturalibus illis perversis supernaturalia evertis: ita regno isto everso vel perverso, supernaturale illud perturbas penitus atque pessumdas. Verum contra, illa conditione sic expleta, ut exsorti romano-catholicae societatis regimini exsors respondeat romano-civilis societatis dominium: romanus episcopus valet pro normali rerum conditione ac statu finibus iis satisfacere, propter quos inter homines divinitus tanquam petra ac fundamentum constitutus fuit. *Analogia.* *Postulata conditio.*

491. Conditio porro ad finem divinitus intentum hinc necessaria et inde sufficiens expleri a probis Christi fidelibus debet, nec nisi per nefastum scelus excluditur, vel etiam quantum fieri a maligno possit extenuatur. Et re quidem vera, spiritualis illa potestas per regiam hanc terrestrem induit veluti corpus sibi conveniens, regium [2]) scilicet ac sociale, quo tum homogenea *Temporali dominio veluti corpore induitur romana potestas.*

---

spectato fine est plane necessaria, ut vicario Christi bene sit, et vitam is explicare suam debite possit; atque hinc in 2. sent. divus Thomas apud Suarem de leg. l. IV. c. 10. n. 4. „speciali Dei providentia factum esse affirmat, quod summus Pontifex simul etiam Rex est temporalis in suis terris, quarum est dominus.„ Quodsi igitur donatio sive ea Constantiniana vocetur sive Pipiniana sive Carolingiana, facta nondum esset, facere illam princeps ad id par omnino deberet, siquidem uti christianus vere ac catholicus sentire ac videri desideraret. At donata illi ac possessa eripere, integram quandam nefariorum scelerum summam complectitur, de qua supra diximus. Vide sis J. A. Bianchi l. c. vol. II. l. I. c. 7. pp. 590. sqq. „Dell' acquisto e dell'uso che faceva la chiesa ne' primi tre secoli de' beni temporali.„ Hnc faciunt praeclare Leonis IX. ad Michael. imp. ep. C. nn. 12. sqq. *S. Thomas.*

[1]) Inde iure infertur quod historia confirmat: scilicet, ut supernaturalibus homines inbui possint, et vitam vivant supernaturalem, expoliri eosdem expoliendosque naturali eademque omnium potissima ac nobilissima cultura, rationis inquam ac spiritus. E quibus innotescit, christiana religione populos necessario e barbarie expediri sua, singulariter excoli cultosque servari; et naturalem hanc mortalium culturam illius non esse quidem fructum supremum et finem principalem ac proprium; sed esse insitam eius conditionem hinc et inde veluti spontaneum eiusdem effectum ac secundarium. Unde sua natura constat et experientia novimus, hac eversa illam perverti, et inhumana hominum barbariei tempora redire. *Cultura et religio.*

[2]) Hac excellentia continuatur analogia quam Christum inter interque principem apostolicum romanum supra innuimus. Verbum enim accepit humanitatem ex regia Davidis stirpe et „formam servi (servus dicitur Christus non spectata humanitatis suae origine ex tali matre, quae erat familiae regiae, nec *Philipp. II. 6.*

adpareat hominum familiis ac societatibus, regnis ac gentibus, ad quas in unitatem colligendas in eaque continendas illa destinatur; tum quo semet in humano ordine exserat, suamque vim et actionem in illas influendo efficaciter explicet.

Per illud eadem semet explicat.

492. Sic enimvero auctus pontifex auctoritate externa par est, ad conciliandum sibi liberiorem ad hominum societates eorumque potestates accessum facilioremque auditum; par est ad tuenda efficacius ecclesiae eiusque pastorum ac ministrorum iura; par ad unionis ac communionis cum ecclesiarum fidelibus atque pastoribus media certius obtinenda ac tutius conservanda; par ad dandam omnibus ecclesiae filiis, ovibus et agnis, principibus et subditis, regnis et provinciis, legem, ad poenam inmorigeris cum apostolica libertate dicendam, et exsequutionem utriusque cum maiori vi ac fructu urgendam; ut brevi dicam, corpore externo suo non oppresso nec inpedito, membris eius non ligatis, nec constrictis artubus illius, par est spiritualis suprema potestas ad iuris sui normas figendas et quaquaversum diffundendas, quo totius ecclesiae unitati ac vitae, ut oportet, consulatur. Quae continuando collustrasse porro iuverit

17. argumento sociali.

Societatis religiosae exemplar.

493. Expleta namque conditione eiusmodi, sedes romana non tantum par redditur ad suam in alios actionem explicandam; sed par quoque exsistit ad eam in se speciem ac formam exprimendam, quae augustissimis suis praerogativis respondeat. Est enim-

---

spectata proinde sociali conditione ac iure, sed servus dicitur spectata suae humanitatis creatione „factus ex muliere„ et suo quod obire decrevit ministerio „venit filius hominis ministrare„: ita κατ' ἀναλογίαν romanus pontifex a suo ministerio dicitur „servus servorum„ et sua adsumptione vocatur creatus; verum spectata adsumptione ad talem ecclesiam et considerata eiusdem conditione ac iure romanus illius primatus sit pariter ac dicatur regius oportet) accipiens teste Paulo Philipp. II. 7. in similitudinem hominum (ad quod missus erat) factus et habitu inventus ut homo.„ Ipse porro novae oeconomiae auctor nunc invisibilis rex familiarum, populorum ac gentium selegit Apostolos, et inter eos tanquam patriarcham principem omniumque credentium filiorum patrem ipsum Petrum; hinc eius suorumque successorum potestas quippe quae ex sese ordinata ad unitatem socialem superni ordinis est, sua etiam spectata natura socialis exsistit, quandoquidem ad suum obtinendum finem directa non ad humanum individuum, sed ad humanas familias, ad gentes fuerit, uti est apud Matth. XXVIII. 19. hinc socialis quoque sit sua spectata conditione. Ubi et illud animadvertere liceat, quam sit Christi spiritui contrarium, homines singulos, eorum societates et familias ab invicem avulsas considerare et velle et constituere, quum a Salvatore gentium populorumque unitas et efferatur iugiter, et quam maxima quaerenda praescribatur, et salutari suo spiritu reapse efficiatur. cf. Joan. XVII.

Homo ad societatem: hominum societates ad coniunctionem et unitatem factae.

vero romana ecclesia totius catholicae fidelium unitatis norma; et exemplar exsistit tam ecclesiasticae fidei ac liturgiae, quam christianorum morum ac iurium. Ita vero romanae illi ecclesiae character inest universalis, qui remotus a localibus particularium ecclesiarum adfectionibus vel etiam defectibus aliquod veluti temperamentum ac prope remedium continet, quo ecclesiae particulares omnes ad harmoniam coeant: fulget tanquam forma genuina et exemplar [1]) ad quod eaedem semet exigentes a nocivis hinc et inde excessibus vel praeserventur vel revocentur. Iamvero consideratis rebus humanis, ut sunt, nemo negabit

Universalis character romanae ecclesiae.

1. hunc necessarium romanae ecclesiae characterem et finem haud remotissimo exponi periculo, si supremus eiusdem hierarcha cuidam particularis regiminis potestati subiiceretur. Quod argumentum crescit, spectato eodem charactere et fine non quidem in se, sed ex habitu ad vitam externam ipsamque societatem civilem. Nam

Postulat ille αὐτόνομον universitatis pontificem.

2. sicuti sua natura fieri nequit, quin ordo et lex professionis, cultus, iuris et morum christianorum transfundatur in vitam quoque eorum externam ac civilem: ita iure suo transfundi in eam eamque penetrare totam destinatur. Atqui nemo non intelligit, characteris illius atque formae romanae manifestationem expressionemque in vitae externae relationumque socialium institutis inpediri et etiam perverti, si ecclesia romana angustiis particularis cuiusdam potestatis obnoxia fieret. Proprius ergo ipse romanae sedis character et finis plenam perfectamque suam in ordine quoque sociali *αὐτονομίαν* flagitant, et eam de tanto Petri patrimonio, quo summus ecclesiae hierarcha par omnino sit ad tuendas suas rationes et commode promovendas. Verum his ille facere nequit satis, nisi dominio potiatur temporali a necessitudine subiectionis soluto, in quo *αὐτόνομον* semet habere, et se gerere possit tanquam hierarcha universalis; in quo ordinare rem ac disponere possit *ἱεροπρεπῶς*, convenienter ad sacrosanctum universalis pastoris officium ac munus; in quo pro sapientia ac nutu (agitur enim de summa rei, quae non utilis est sed necessaria, idque non uni vel alteri sed toti humanitati) decernere ac

---

[1]) De hoc romanae ecclesiae munere ac fine, tum excellentia ac praerogativa diximus superius, et passim egregie disserit H. Hagemann in laudato superius opere „Die römische Kirche und ihr Einfluss auf Disciplin und Dogma„ cf. pp. 555. sqq. 691. sqq.

constituere possit, quae non referuntur tantum ad commodum particularis cuiusdam potestatis ac regiminis alicuius temporalis, sed [1]) ad regimen universalis ecclesiae salutare; in quo adeo ea parare et instituere possit, quae adcommodata iudicat ad explendas conditiones inmediate vel etiam mediate necessarias, ut et ordinarium romani doctoris et pastoris munus exerceri rite valeat, et perlatae iugiter causae quaestionesque religiosae omnes tum fidei et cultus, tum iuris et morum, ad sententiam exitumque perducantur et porro expediantur.

Emolumenta in ordines reliquos.

494. Sed si ex his hisque similibus manifestum fit, principatum temporalem convenire tribuendumque romano pontifici esse, ut idem par sit ad principatum ecclesiasticum, quemadmodum oportet, servandum, vi cuius romana sedes praeferat necesse est formam totius christianae unitatis normalem; vicissim ob nexum rerum ordinumque, ex supernaturali hac romanae ecclesiae constitutione eaque, uti diximus, finali ac normali, pronum est colligere, in naturales conditiones romanae societatis, cuius princeps ipse est pontifex, singulare rectitudinis temperamentum redundare oportere inprimis in ordinem litterarum scientiarumque et earum maxime, quae potius cum ordine revelationis ac fidei cohaerent, in theologiam inquam et philosophiam: redundare in ordinem practicum morum et iuris: et in habitum redundare totius socialis vitae et externae. Illorum namque, a quibus summa rei propemodum pendet, institutionem ac μέθοδον, curas et studia, quantum ea publica sunt ac moderamini auctoritatis obnoxia, pontifex una et princeps hinc temperare sic valet [2]) ut ab iisdem spiritus in religionem ecclesiaeque instituta hostilis excludatur; inde autem sic ordinare, ut et necessaria sua divino

In scientiarum ordinem.

[1]) Hinc apud Bianchi l. c. t. II. l. I. c. 7. §. 2. n. IV. pp. 590. t. III. pp. 1370. sqq. haec proponitur thesis: „Ricchezze della chiesa romana servono a beneficio comune: partecipate da tutti gli stranieri:„ coll. Muzzarelli op. 12. „Richess. d. clergé.„

Leo XII.

Studiorum methodus ordinatur.

[2]) Quis, ut specimine utamur aliquo, Leonis XII. constitutionem ignorat, qua die 28. Aug. 1824. Bullar. rom. t. 16. pp. 85. sqq. „Ordinatur methodus studiorum cum pietate coniuncta in ditione Pontificia.„ Verum uti pontifex rem apostolici sui esse muneris ducit: ita linea ac norma, quam sequendam praestituit, ob oculos haberi ab omnibus deberet, penes quos eiusdem summa rei est. Ita porro statuit: „Quod divina sapientia omnes docet, omnibusque in salutis via procedentibus his verbis proponit: „Veritatem meditabitur guttur meum, et labia mea detestabuntur impium„ prae oculis Nos habentes apostolici Nostri muneris esse dignoscimus omnem in id curam impendere, ut hoc ipsum nedum sacrae doctrinae, sed et humanarum scientiarum, ac liberalium artium magistri, studiosaeque

Proverb. VIII. 7.

illi ac praestantissimo fidei, morum atque iuris ordini, servitia [1]) praestent, et ad harmoniam cum eo concentumque referantur atque reducantur. Sed intelligitur non minus, quantopere pontificis inmunitas in educationem redundare debeat universamque populi sui institutionem: in totam denique legis lationem civilem omnesque gubernandi administrandique partes, quae ad humanae societatis regimen pertinent, necessario ita redundat, ut in omnibus hisce ordinibus disponendis primum ac potissimum spectetur, quod a quovis catholico rege, sed maxime a rege, qui item catholicorum omnium pontifex est, profecto exigitur, ut contra Christum eiusque legem feratur sanciaturque nihil, e contrario omnia, uti ratio christiani spiritus vel flagitat vel patitur, scite ponderata apte statuantur.

In ordinem educationis popularis.

In legis lationem civilem.

---

iuventutis institutores continuo teneant, atque adimpleant, inque auditorum animis insculpere satagant. Hinc enim et religionis profectus, et salus pendet reipublicae. Cumque ad id plurimum conferat recte ordinata studiorum ratio, omni pariter sedulitate adnitendum per Nos esse censemus, ut tradendarum doctrinarum, ac disciplinarum methodus in temporali Nostra ditione magis magisque, quoad fieri poterit, perficiatur. Quod et praedecessores Nostri pro temporum vicissitudine curare non destiterunt.„ En, quod christianis omnibus temporalium ditionum dominis incumbit, id omnium christianorum verus propriusque magister non exposuit modo, sed instituendum in sua ditione procuravit, uti pro temporum vicissitudinibus melius posset: quo quidem publicae rei gubernatoribus non veluti θεωρητικὸν tantum, sed uti πρακτικὸν quoque exemplar et antecessor exsistit. Atqui efficacissima haec et supra quam dici potest in hac societatis humanae universali perturbatione rerumque perversitate salutaris actio, quam summus magister et pastor in gregem exercuit, omnino ab eius inmunitate libertateque a superiori potestate dependebat. Et ita aliae pariter dependebant, cuiusmodi est ibid. p. 40. „Ordinatio seminarii Romani, illiusque unio cum collegio Germanico„ dat. die 9. Aprilis 1824. Similia repeti de variis Pii IX. ordinationibus posse, quisque intelligit.

[1]) Profecto, quod ad litteras scientiasque attinet, auctore duodecimo Leone l. s. c. „scite ac prudenter Sixtus V. animadvertit, videlicet: Literarum cognitionem, liberalesque doctrinas, et disciplinas, quibus iuventus in publicis gymnasiis instruitur, eruditur, magnam christianae reipublicae, si cum pietate coniungantur, afferre utilitatem, tunc enim civitates, et regna optime administrantur, cum sapientes atque intelligentes gubernacula possident.„ Haec autem sapientia et intelligentia non aliunde quam a Deo petatur. Quam „professoribus et auditoribus veram et altissimam scientiarum, nec non liberalium artium originem„ ut Leo „indicaret et pro viribus commendaret, haec sancti Augustini Ecclesiae doctoris monita in epistola ad Volusianum nunquam satis meditanda hic inseruit: Quae disputationes, quae literae quorumlibet philosophorum, quae leges quarumlibet civitatum, duobus praeceptis, ex quibus Christus dicit totam legem prophetasque pendere, ullo modo sint comparandae: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et diliges proximum tuum tamquam teipsum? Hic physica, quoniam omnes omnium naturarum causae in Deo creatore sunt; hic ethica, quoniam vita bona, et honesta non aliunde forma-

Sixtus V.

Litterarum in rempublicam vis.

Augustinus.

Scientiarum fundamentum.

Exemplar societatis civilis.

495. Enimvero haec est iusta et aequa recti ordinis regula, ut inferiora, humana, terrestria supernis, divinis, coelestibus non opponantur; sed ut illa ad haec suo proportionis habitu disponantur. Unde duplex rectitudo flagitatur, tum veritatis tum ordinationis: illa est excludens et negans erroris ac vitii oppositi sive theoreticis sive practicis religionis christianae institutis; haec autem positiva est et adfirmans lineae ac directionis, qua totus homo humanaque omnia ad Christum θεάνθρωπον christianamque regulam ac legem ordinantur. Atqui uti prior illa rectitudo ad infallibile romani doctoris officium spectat: ita haec altera ad authenticum romani pastoris maxime munus refertur. Unde illud praeclarum

---

tur quam cum ea quae diligenda sunt diliguntur, hoc est Deus et proximus: hic logica quoniam veritas lumenque animae rationalis nonnisi Deus est; hic etiam laudabilis reipublicae salus, neque enim conditur, et custoditur optime civitas nisi fundamento et vinculo fidei firmaeque concordiae, cum bonum commune diligitur quod summum ac verissimum Deus est, atque in illo invicem sincerissime se diligunt homines cum propter illum se diligunt cui quo animo diligant, occultare non possunt.„ Haec est christiana scientiarum contemplatio ac forma, dispositio et unitas, e qua, uti suo superius loco expositum est, scientiarum ordinatissima encyclopaedia efflorescit, quae in generalibus studiorum collegiis sive scientiarum universitatibus docenda tradendaque est. Illam itaque fixam sibi ob oculos ponens supremus in societate christiana doctor ac magister, Leo romanus pontifex, ad ordinandam studiorum in scientiarum universitatibus methodum pro suis tum temporis adiunctis accessit: idque inmediate quidem in suae ditionis maximam utilitatem ac commodum, mediate vero in totius christiani orbis, qui illuc convertere oculos pie in omnibus ad salutem tenetur. Et ne illa praefixa norma putetur vulnus inflictum scientiae, quae vere eiusmodi sit, ea subiicit Leo, quae prodesse etiamnum infensis vere catholicae itemque romanae scientiarum ideae disciplinarumque συστήματος hominibus possint: „Profecto, inquit, non eo spectat clarissimum Ecclesiae lumen Augustinus, ut naturales disciplinas e scholis humanisque palaestris amandet, non refugit exercitationes liberalium artium, quarum omnium magna et uberrima copia illi fuit, sed et magistros et auditores admonere iure meritoque voluit, haec omnia a Deo exordium habere, si recta sint, rationique et religioni congrua, quin etiam Deo bonarum artium principio et fini omnino referenda esse. Ac proinde ulterius docet, quorumdam pseudo-philosophorum et prudentiam carnis sequentium (quorum numerus calamitosis hisce temporibus, sc. Leonis XII. sed multo idem hisce nunc nostris diebus amplius valet, nimio opere excrevit) obstinatissimas contradictiones esse spernendas: „qui propterea putant, vel putari volunt christianam doctrinam utilitati non convenire reipublicae, quia nolunt stare rempublicam firmitate virtutum, sed impunitate vitiorum.„ Plane, inquam, ad rem, ac penitus facta ad eam temporum rationem conditionemque describendam et definiendam, qua non scientiarum tantum novi profectus, sed novi etiam iuris morumque novum fundamentum a licentiosa quadam rebellione contra iustas normas legitimasque auctoritates repetitur et perfecta hominum felicitas omnino in inpunitate vitiorum reponitur.

Catholicum scientiarum σύστημα.

Naturales disciplinae non excluduntur.

Rempublicam stare volunt inpunitate vitiorum.

colligitur, quod si romanus doctor et pastor in sua romanae societatis ditione princeps exsistat inmunis nullique obnoxius saeculari potestati, constans in illa et per illam veluti normalis habetur societas, quam si christiani in explicandis promovendisque vitae societatisque humanae ac terrestris rationibus ac commodis sequuti fuerint, in contrarios christiano spiritui excessus non prolabentur. Excurrant, licet, proficiant ac progrediantur; sed tanquam filii ad paternam respiciant recurrantque constitutionem illam romanam, ut sit modus in rebus et sint certe denique fines, ne a recto iustoque tramite abrepti ordinem rerum sus deque vertant, quae ima sunt veluti suprema, quae autem summa vere et salutaria aeternum sunt, ea vel ultimo vel nullo loco constituant.

496. Scilicet, quum eo spectet eoque tendat ac pertrahere moliatur spiritus antichristi, princeps huius mundi, ut perversionis illo suo principio vita hominum tam seorsum singulorum quam coniunctim ac in societate collectorum regatur: profecto humanae debilitati ad illusiones adeo pronae nullum adcommodatius beneficium et salubrius donum fieri potest, quam oculis obiectum iuge veluti exemplar societatis, quae vicario Christi obnoxia in spiritu Christi regatur; quae pro nativo suo charactere et typo primas partes, ut par est, deferat necessariae omnibus saluti: in qua propterea iusto ordine princeps cura atque suprema aeternis hominum bonis et coelestibus inpendatur, temporalibus vero ita pro facultate consultum sit, ut dum ea quaeruntur ac possidentur, non amittantur [1]) aeterna. Sed hinc fieri facile intelligitur, ut societates aliae, iunioris ad instar leviorisque propemodum spiritus, praecurrant et praevertant studio rerum terrestrium ordinisque inferioris, quibus socialem, quam vocant, hominibus felicitatem procurent: contra vero, ut maximis intenta bonis paterna illa ac vere patriarchalis, antiquum inmutabilemque semper Christi spiritum praeferens non quovis vento abripiatur, sed ex sese

Societas normalis.

Societas fidelium patriarchalis et societates filiae.

---

[1]) Apostolici namque domini regimen nequit non esse expressum ad hanc quam dominica tertia post Pentecosten dicendam orationem apostolica ipsa sedes praescribit: „Protector in te sperantium Deus, sine quo nihil est validum, nihil sanctum, multiplica super nos misericordiam tuam, ut te rectore, te duce sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus aeterna.„ Huc faciunt ex iis non pauca, quae a Suare disputantur de legib. l. IV. c. 10. n. 4. quibus „ostenditur, civilem et ecclesiasticam potestatem esse posse in eodem ex usu ecclesiae„; coll. Bellarmin. de Rom. Pontif. l. V. cc. 9. sq.

Oratio liturg.

Suares.

constantior et stabilior, tum consiliis prudens ac sapiens, christianis illis ac suis veluti societatibus filiabus sit, uti esse vere debet, opportuno moderamini ac iusto etiam temperamento, ne iidem in prosequendis bonis externis contingat, quod filiis olim Dei, quum viderent filios hominum. Unde libet tandem rem absolvere

18. argumento a consectariis Romae obnoxiae desumpto.

Hostis in Christum irae.

497. Propterea enim tantae irae principis huius mundi in sedem romanam et nominatim nunc in temporalem eiusdem principatum, quem attentat pervertere et evertere: quo facto, intelligit sibique iste blanditur, supremum societatis e Christi rectae spiritu exemplar, et cum eo etiam vel ipsum ultimum illius vestigium fore deletum. Attentat porro illam pervertere, dum nomine mendacium reformationum romanam ditionem ac statum, quem ecclesiasticum dicunt, suis subiicere regendi principiis studet, quae non sunt alia, quam quae principia vocant novi iuris, principia huius id est hodierni recentiorisque temporis: attentat eundem prorsus tandem evertere, dum romanum pontificem spoliari quavis possessione terrestri adgressus est. Quae quidem attentatio atrox illi ἀναλόγως[1]) respondere dicenda est, qua transfixa natura terrestri sua Christus e medio fuit sublatus. Sed hinc de sceleris gravitate e consequentiis argumentari licet.

Roma reformanda?

Novi principia iuris.

Christus societatis christianae vere rex.

498. Et sane, ut alia praestituta omittamus, e medio sublato Christi vicario uti principe ac rege, in societate christiana

a) deest viva repraesentatio Christi regis, cui obedire non singuli tantum christiani homines, verum christianae quoque societates tenentur:

b) deest exemplaris illa in orbe christiano ditio, quae[2]) quanta est, tota propter Christum et ad suae ecclesiae bonum sit:

c) deest sacrum hoc itidemque sociale christiani orbis vinculum, quo societates christianae per vicarium regis omnium caritate ac pace in Christo copulentur et dissidiis obortis ad pacem, ut expedit, revocentur:

---

[1]) Cf. quae de analogia hac superius praestituimus.

Suares.

[2]) Ad rem Suares l. c. n. 5. „Princeps autem ecclesiasticus non ad hunc (id est temporalem) finem accipit temporalem principatum, sed ut Ecclesiae utilitati et fidelium commodis magis inserviat: et ideo illud temporale non est saeculare omnino, sed aliquo modo sacrum.„

d) deest christianarum societatum veluti corona sua atque species, quam quousque ad salutares coelestesque fines ordinatam profitentur, nec profanam nec mere mundanam sed sacram habent societates demonstrant profecto, quod Christi adhuc spiritu aluntur ac reguntur. Abiecta vero illa, iudicium argumentumque adest, societates aliquando christianas uti tales a christiano principio defecisse et apostasiae crimine semet commaculasse.

499. Neque satis: etenim deiecto pontifice a throno principatus sui, romana ecclesia deficit *Unitatis romanae divisio.*

a) conspicua esse norma, veluti civitas in monte posita, quae vita ipsa sua instar regulae consistat universalis, ubi apostolica resonet [1]) praedicatio ac doctrina, ubi intueri liceat apostolica instituta, ubi apostolicam ordinandi totius christiani cultus ac disciplinae, instituendae morum et iuris vitae tam publicae quam privatae rectitudiem discere quilibet ac inbibere possit: deficit

b) eadem esse universale catholicorum centrum, quod omnium sit et communis veluti universorum ecclesiae filiorum patria, ad quam non liber tantum utcunque pateat accessus, sed ad quam sive pietate sive officio acta undique membra festinent, ut cum visibili capite suo necessitudinem contrahant atque adstringant:

c) tutum deficit tribunal ecclesiae universalis, ad quod christiani per orbem citra praeiudicia ac formidinem alienae potestatis pressionisque perfugere valeant, ut in gravissimis suae conscientiae causis, ad religionem ac fidem, ad ius et mores, omnemque ipsorum vitam pertinentibus sententiam referant veritatis, iustitiae ac pacis:

d) sed multo tandem magis deficit supremum oppressorum asylum, ubi cum alii tum maxime, qui propter nomen Jesu persecutionem patiuntur et e patria suisque e sedibus eiecti circumferuntur et nuspiam tranquillitatis portum inveniunt, paterna benevolentia [2]) colligantur. Scilicet adempta sedi romanae libera ac inmuni patrimonii principatusque temporalis sui exsistentia, filiis ecclesiae propria ac conveniens adimitur cum communi omnium

---

[1]) Tertullian. l. praescriptt. c. 36. de quibus cf. lib. sup. pp. 84. sq.
[2]) Cf. Thomassin. V. et N. eccles. disciplin. t. I. l. III. c. 40. coll. s. Leon. IX. l. c. n. 36.

Patre necessitudo, vitale inpeditur ac tollitur commercium, itemque inter eiusdem corporis caput et membra plane necessarium.

IV. Ratio et qualitas necessitatis aeque ac veritatis, qua sedi romanae temporalis ditio atque potestas adseritur.

500. Quodsi ex omnibus his sociale adparet delictum, quod in caput ecclesiasticae societatis medias inter societates christianas a christianis ipsis societatibus committitur, illi *ἀνάλογον*, quod in caput singulare illud et coelestem iudaeorum regem medium inter populum suum ab ipsius synagogae ministris fuit commissum: adparet profecto etiam, qualis sit necessitas, qualis veritas adserti vindicatique sedi romanae principatus et temporalis sui patrimonii.

1. Quae quantaque sit necessitas ac convenientia temporalis pontificum dominii.

Necessitas ordinis physici. 501. Et quod ad necessitatem spectat, ea ad illius necessitatis ordinem rationemque pertinet, quam physicam adpellant quaeque adeo absoluta censeri debet. Ut enim res secundum communem Dei providentiam nunc sunt, adeoque in praesenti ordine historico societatis, quae christiana itidemque probe romana sit oportet, principatus temporalis romanus est romani principatus spiritalis plane conditio, ut aiunt, sine qua non, sine qua videlicet hic idem pro sua natura ac indole exseri, ut par est, suosque fines consequi nequit. Eum enimvero deprimere ac plus minusve inminuere nihil est aliud, quam ecclesiam in suo capite persequutioni, et ei adeo proprie capitali, subiicere. Quare facta comparatione cum homine, cuius vitae rationalis et ethicae conditio est vita ipsa physica, quemadmodum negata romani episcopi infallibilitate ac inadpellabilitate vis supremi doctoris et pastoris theoretica et practica excluditur quoad ordinem vitamque supernaturalem: ita exclusa sociali illa exsistentia romani pontificis vel ipsa physica eiusdem doctoris et pastoris vis ac potestas exstinguitur quoad ordinem vitamque naturalem. Naturalem exstingue corporis vel capitis vim et supernaturalem operationem actionemque restinguis.

Tutelae necessitas. 502. Hinc liquet cohaerentia, consequentia logica et totum prope systema belli universalis, quo antichristi, qui nunc multi

in mundo sunt, contra Christum omnesque christianae veritatis ordines utuntur. Nam, ut subvertant ordinem superrationalem, pervertunt eius conditionem in veritatibus rationalibus sitam: ut supernaturalem evertant ethicum ordinem atque iuridicum, pessumdant rerum ipsam conditionem illius, ius ac mores naturae: ut vero deleant hyperphysicum capitis ordinem ontologicum et dynamicum, ipsum eius destruunt velut ordinem physicum, socialem eius vitam, quae prioris illius vitae similiter conditio est. Quare quum talis et tanta romani huius principatus necessitas exsistat, mirum esse nulli debet, hinc quidem ad eum tollendum vi ac fraude omnia ab ecclesiae callidissimo inimico tentari [1]) rato si illum fregerit, hoc est, si naturalem capitis ac physicum vigorem ac vitale eius cum toto corpore commercium sustulerit, eiusdem certo influendi potestatem fractam, illius omnem ad regendum moderandumque corpus vim actionemque iacere: sed inde neque mirum esse potest, nihil a supremo pastore subiectisque eidem ecclesiae rectoribus praetermissum fuisse, ut ius suum suaque possessio gladio utroque defenderetur atque sarta custodiretur et tecta.

503. At vero eadem haec necessitas urget non patres tantum ecclesiae universos, doctores inquam et pastores, sed pro sua singulos ratione omnes pariter ecclesiae filios, ad tuendum vindicandumque communi omnium ac supremo patri paternum suum locum paternamque suam conditionem in ordine ad regendam universam filiorum suorum familiam. Non agitur sane, uti inimicus homo mentitur, de fasto romano neque de romano dominatu; sed agitur de romano ministerio deque servitio romano: de ministerio ac servitio non ab hominibus inposito, sed a Deo: de ministerio ac servitio omnium principe ac plane necessario, eoque divinitus commisso primo ministrorum ac servorum Dei principi, qui adeo est et dicitur servus servorum Dei. *Urgentur omnes.*

504. Enimvero conditio naturalis itemque ontologica quam prius physicam vocavimus, ut suum ille ministerium servitiumque ordine comprehensum supernaturali eoque dynamico inplere possit, ab hominibus praestari debet, non secus ac natura atque ratio prae- *Societatis christianae officium.*

---

[1]) Vide quae prologo ad lib. I. significata fuere.

stare conditiones debent logicas, ethicas, iuridicas ad hoc ut divinae fidei, divinorum morum et iurium officia obtinere et expleri [1]) valeant. Atqui naturalis conditio inplendi illius servitii ac ministerii, uti praestituimus, est principatus temporalis; hic ergo illi ab hominibus praestandus: ab hominibus certe ad id comparatis, quales sane christiani sunt. Sed quum socialis illa conditio sit, inpleri eadem a christianis societatibus debet, uti reapse ab aetatibus societatis factae probe christianae inpleta continuo constanterque fuit.

Exceptio tollitur.

505. Scilicet christianus cogitandi sentiendique modus secum fert, ut Dei servorum servus sit una itemque princeps inter homines: et probe intelligitur, eo pacto nullatenus divinum principatum trahi ad terrena terrenumque dominatum; sed e contrario terrena ipsa terrenumque principatum trahi satius ad divina divinumque principatum: probeque tandem intelligitur, regnum Christi, quod neque origine, neque fine neque congenitis spectatis mediis de hoc mundo est, propterea coelestem suum minime exuere characterem [2]) quod visibilis eius princeps, qui cum subditis suis in hoc mundo versatur necessariis sibi mundi conditionibus utatur, ut avocare illos a mundanis eosque ad coelestia adducere ac dirigere, tum vero etiam, quo ordinatius potuerit, regnum Christi in terris disponere atque administrare valeat. Hinc divinus romani pontificis principatus non ad ima detrahitur, sed principatus illius temporalis ad summa atque divina attrahitur.

Divinae providentiae ordo.

506. Quodsi porro temporalis hic principatus non concederetur, proindeque divini illius ordinis conditio ab humana familia non praestaretur, indicium, ut iam innuimus, perspicuum foret, Christum μυστικῶς in propria venientem iterum a suis non recipi, mysticum eius corpus ad mortem quaeri, eo quod naturalibus vitae actionisque subsidiis venerandum caput privetur: argumentum foret manifestum, humanam societatem in inpietatem relabi gentilem. Iam vero si homines suis non steterint officiis, neque

---

[1]) Cf. thes. theol. de vi rationis ante fidem deque triplici ordine, nat. praeternat. supernat.

[2]) Praeclare de hoc argumento deque temporali pontificis dominio universe pertractat Muzzarelli opusc. XIV. quod integrum non modo a clericis sed a laicis quoque legi meretur: coll. Suar. l. c. et Leop. Galeotti: „Della sovranitá e del governo temporale de' papi.„

per causas secundas secundum ordinatas vires ac normas divinus benevolentiae finis obtineatur: suis tamen Deus promissis stat, et per principalem suam potentiam via et ordine singulari, quemadmodum aliquando ecclesiae eiusque visibili capiti inter continuas persecutiones providit, eidem funestioribus etiam obnoxio calamitatibus consulere pro nutu sic valet, ut supremos gloriae suae fines infallibiliter consequatur. Manet enim, quod in libro sacramentorum ecclesiae romanae [1]) legitur „Vere dignum. Qui inter errorum caligines mundanorum luminaria multiplicis beatique martyrii coruscare tribuisti, ut in conspectu generis humani mirabilis appareret in eorum agone mutatio, qua praevalendo deficiunt persequentes, et deficiendo praevalent interempti: quo illorum saevientium memoria ac potestas evanuit, horum obeuntium mors ubique pretiosa fulget et nomen; illorum nulla supersunt regiae potestatis insignia, istorum virtutem monstrat effectus; et quid de utrisque geratur, non solum fide cernitur, sed etiam visibiliter approbatur.„

Sacramentar. roman.

Deficiunt persequentes — praevalent interempti.

2. Qua specie qualique veritatis ratione tenenda temporalis pontificum dominii necessitas sit.

507. Quum autem tanta necessitudo sit, quae inter utrumque pontificis romani principatum intercedit: haud aegre colligitur, ad quem veritatum ordinem ac censum ea pertineat, qua de utriusque illius copulatione existimatur. Atqui veritas est, quae intime nectitur cum veritate revelata de instituto divinitus universalis ecclesiae principe, doctore ac pastore. Quare licet ipsum istius iudicii obiectum ex sese ad ordinem pertineat naturalem atque humanum: nihilominus idem de hoc obiecto iudicium non ad forum modo humanae rationis, sed ad ecclesiasticum quoque magisterium pertinet, quod de eodem authentice ac infallibiliter pronuntiare possit. Cuius profecto rei ratio clara ex superiobus est. Nam authenticum ac infallibile ecclesiae magisterium, uti docuimus, ad omnes semet divinae revelationis ordines vinctasque cum iisdem sive sequelas sive conditiones extendit. Quare quemadmodum illud ad divinum tuendum fidei, morum et iuris ordinem, semet ad humanae quoque rationis, ethices iurisque ordinem

Declarari authentice potest.

---

[1]) In nat. Ap. Petri et Pauli praefat. miss. ap. Mign. lat. PP. t. 55. p. 54. XV.

extendit, qui illius est naturalis conditio: ita ad supernum romani principatus divinique eius ministerii ordinem tuendum, idem semet ad principatum temporalem eiusque necessitatem declarandam protendit, quem similiter physicam veluti ac naturalem prioris conditionem esse comperimus.

Declarata res authentice est.

508. Itaque simul ac iudicium eiusmodi ab authentico ecclesiae ac infallibili magisterio prolatum est, stare eidem tenetur quicunque adnumerari ecclesiae filiis amaverit. Atqui iudicium ab authentico ac infallibili iudice de hac causa prolatum neque semel neque uno dumtaxat pacto fuit; sed prolatum fuit tum generatim in eos, qui [1]) possessiones temporales cum statu clericali componi posse universe negarent: tum speciatim prolatum fuit in illos, qui [2]) temporalem principatum peccatoribus sive laicis sive clericis detrahendum esse adfirmarent: et nominatim [3]) prolatum in eos fuit, qui vitio verterent tam principibus quam pontificibus romanis, quod sedes apostolica principatu temporali insigniretur. Quare sententiis contradictoriis tenendum, neque cum sacerdotali pontificis statu pugnare possessiones temporales, neque eiusdem principatum temporalem pugnare cum conditione sacerdotis etiam peccatoris, neque ipsum tandem principatum supremi doctoris ac pastoris temporalem spectatum in se ipso censendum esse vitiosum.

Olim.

Nunc.

509. At iudicium solemnius ac illustrius eo, quod nunc ab ecclesiae magisterio emanavit, desiderari nullum potest. Quum enim constantius, fraudulentius atque bellum violentius nunquam contra sedis romanae principatum, idest in vicarii Christi socialem vitam, gestum fuerit, quam huius epochae temporibus: numine

---

[1]) Cf. ap. Denzing. enchir. symbol. ed. 4. n. 373. Huc faciunt disputata a ven. Bellarmino de pot. pont. l. V. c. 1. cont. Waldens. Arnald. de Bresc. Marsil. a. Pad., Calvin., Pet. Mart., Brent., centuriat. magdeburg., et contra Jannon. a J. A. Bianchi di Lucca ed. Taurin. 1857. voll. II. „Dell' esterior politia della chiesa„ l. II. c. 5. §. 2. pp. 1412. sqq. coll. Suar. l. c.

[2]) Vide Denzing. ibid. nn. 486. 492. sqq.

Wiklef. damnat.

[3]) Ib. nn. 509. sqq. inter damn. per conc. constant. aa. Wiklef. art. 33. „Sylvester Papa et Constantinus imperator errarunt, Ecclesiam dotando„: art. 36. „Papa cum omnibus clericis suis possessionem habentibus sunt haeretici, eo quod possessiones habent, et consentientes eis, omnes videlicet domini saeculares et caeteri laici„: art. 39. „Imperator et domini saeculares sunt seducti a diabolo, ut Ecclesiam ditarent bonis temporalibus.„ Sed huc facit Leon. IX. ep. C. ad Michael. imp. l. c.

adsistentis Spiritus factum est, ut huc etiam usque nunquam propositionibus frequentioribus, disertioribus, expressioribus declarationum formulis, argumentis magis decretoriis, poenis gravius indictis, adserta temporalis dominii omnimoda necessitas, propugnata, communita fuerit, idque tum iudicio repetito[1]) supremi magistri tum accessione luculentissima totius episcopatus, quibus multitudo christiani nominis ex animo, uti oportet, et adsensionem praestitit et subiectionem. Quisquis igitur iudicium hoc spernendo non audiverit, Christum spernit: ecclesiam non audit: et se reum illius sententiae facit: „Sit tibi sicut ethnicus et publicanus.„

510. Et sane[2]) a Pio Nono„ maioris Excommunicationis poena infligitur invasoribus et usurpatoribus aliquot Provinciarum Pontificiae ditionis„: tum vero reiiciuntur propositiones: „Sacri Ecclesiae ministri Romanusque Pontifex ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi: De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianae et catholicae ecclesiae filii: Abrogatio civilis imperii, quo Apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiae libertatem felicitatemque vel maxime conduceret.„ Enimvero abrogato illo romanae sedis imperio apprime de libertate, de ordine ac pace regiminis apud unitatem romanam actum esset; atque id ore infallibili declaratum est. *Pius IX.*

511. Fixum ergo ratumque manet, ab omnibus, qui ad unitatem pertinent romanam, tenendum firmiter esse, ad regimen universalis ecclesiae, supremum eius rectorem temporali indigere et humanis imperiis minime obnoxio principatu, cuiusmodi eidem a pietate, largitate, fidelitate et iustitia christiani orbis et exhibitus et servatus protectusque semper fuit, sive portae inferi ad eum turbandum uterentur perverso rebellionis spiritu, sive gentili principum caesarumve oppressione; et licet proxime, inmediate *Ultima rei formula.*

---

[1]) Vide sis Allocutionem Pii IX. die 9. Jun. 1862. ubi de temporalis s. Petri patrimonii necessitate, utilitate ac fine: cf. opuscula quibus titulus „Papa atque recentiores ideae, Der Papst u. d. modern. Ideen.„ Vindobon. 1865. ubi spectantia huc documenta omnia collecta habentur. Huc etiam facit Pii VII. bul. excommunicat. invasor. stat. pontif. coll. conc. trid. sess. XXII. de ref. c. 11.

[2]) Vide Breve Apostol. „Cum catholica Ecclesia„ ed. 26. Mart. 1860. Quibus conferenda sunt tum quae praecedentibus tum quae sequentibus apostolicis Pii allocutionibus pronuntiata fuerunt, quaeque tandem syllabi propos. XXVII. col. prop. XXVI. tum propositt. LXXV. sq. damnata ac proscipta leguntur.

itemque *ἔξωθεν* temporalis illius dominii origo et exsistentia sit historica et videatur politica: remote tamen, mediate et *ἔσωθεν* causam eius religiosam omnino esse et spiritualem; et porro, quemadmodum eiusdem dominii exsistentia inmediate et directe quidem postulatum ac conditio instituti divinitus revelatique providentiae ordinis est: ita veritatem, qua illius defenditur necessitas ac tenetur, mediate ac indirecte dici revelatam posse, sed facta a pontifice declaratione dici infallibilem debere.

3. Concluditur.

Unitas prodit romana.

512. Post quae concludere licet, romanum pontificem pro debito sui inplendi muneris atque officii infallibilem doctorem ac magistrum, pastorem ac iudicem inadpellabilem, et principem esse inmunem. Ita autem constitutus idem vere est petra ecclesiae, contra quam portae inferi non praevalebunt; centrum quod sua actione omnes continet; auctoritas expedita ac par, qua societas christianorum in unitate veritatis, iustitiae ac pacis regatur.

513. Atqui talis est visibilis unitas, quae suo spectato visibili principio, a quo efficitur ac pendet, est vereque dicitur romana. Enimvero a principio, quod romanum est, habet catholica societas, ut sit unius capitis; ab illo proinde habet, ut sit unum corpus; ab eodem, ut sit unius mentis ac sententiae; ab eo, ut sit unius voluntatis ac moris; ab illo, ut sit eiusdem actionis, eiusdem labii ac linguae; ut sit societas ordinatissima, una et sola unius Dei, unius et Mediatoris [1]) Dei et hominum, hominis Christi Jesu; ab eo tandem solo, qui perennis est, ecclesia habet, ut perenniter illud [2]) Irenaei verum maneat, suam fidem ab „Ecclesia et quidem in universum mundum disseminata diligenter custodiri, quasi unam domum inhabitante: et similiter, subiicit, credit iis, videlicet quasi unam animam habens, et unum cor, et consonanter haec praedicat, et docet, et tradit, quasi unum [3])

Irenaeus.

---

[1]) I. Tim. II. 5.

[2]) Cont. haer. l. I. c. 10. ed. Feu. c. 11. *Ταύτην τὴν πίστιν, ὡς προέφαμεν, ἡ ἐκκλησία, καίπερ ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ διεσπαρμένη, ἐπιμελῶς φυλάσσει, ὡς ἕνα οἶκον οἰκοῦσα· καὶ ὁμοίως πιστεύει τούτοις, ὡς μίαν ψυχὴν καὶ τὴν αὐτὴν ἔχουσα καρδίαν, καὶ συμφώνως ταῦτα κηρύσσει, καὶ διδάσκει, καὶ παραδίδωσιν, ὡς ἓν στόμα κεκτημένη.*

Oris unitas.

[3]) Haec oris unitas, eo sane plenior esse videtur ac consummatior, quando

possidens os„: unum sane propterea omnium fidelium et cor et os, quod [1]) Deus romanam „Sedem regimen ecclesiae totius efficeret, ut quod haec praedicasset, ostenderet ubique servandum„: „nec aliter, scribit [2]) Pelagius secundus, unam solamque Dei confitemur Ecclesiam, nisi omnes ad petram super quam fundata est fides catholica construamur.„ Est ergo fides catholica vere romana; et omnium ad petram constructio nonnisi romana; et inde

Sacramentar. roman.

Pelagius II.

Romana ecclesiae constructio.

---

non οὐσιωδῆς modo et a sententia, verum φωνητικῇ etiam et a lingua sit; atque talis illa in universo occidente ab antiquissimis ad postremam usque aetatem fere erat, itidemque romana, dum in negotiis ecclesiasticis omnibus nulla frequentaretur lingua, nisi latina. Erat illa generatim apud eruditos saltem occidentales prope omnes in usu; et quanta ex tali suorum communicatione bonorum commoda in scientiarum profectum redundarint, nemo est qui non intelligat, etiamsi Leibnitianorum conatus ignoret, ad unam omnibus populis linguam inveniendam procurandamque: at enimvero ad romanam servandam tuendamque unitatem romana lingua utilis est et opportuna quam quod maxime; et si quando teste s. J. Chrysostomo adv. oppugnat. vit. monast. l. III. n. 5. l. c. opp. t. I. p. 84. D—E. τὴν Ἰταλῶν γλῶσσαν ἐκπαιδευθεὶς, latina lingua eruditum esse, apud ipsos orientales honori duceretur ac institutionis elegantioris: profecto apud plagam occidentalem usus romanae eiusdem linguae ad romanum dogma, cultum, regimen fovendum saluberrimus, immo inter pastores et doctores, theologos Deique sacros ministros necessarius plane est, ut socialis fidei caritatisque vinculum facilius habeatur et omnino custodiatur; nisi, quod absit, venerando et ecclesiastico romanae sedis labio subrogari forte velit profanum aliquod ac civile particularis cuiusdam gentis vivum adhuc idioma. Hinc autem multis nominibus desiderandum foret, ut in re sacra sive ore sive scripto tradenda maximeque pro ratione scientiae exponenda linguae latinae itemque romanae sua restitueretur praerogativa, quam illi in negotiis tractandis ecclesiasticis servatam voluit Pius VI. in sua ad quatuor Germaniae metropolitanos l. c. c. VIII. sec. VI. n. 145. pp. 275. sq. scribens: „Illud interim dixisse sufficiat, non alia de causa in Curiis Ecclesiasticis antiquum morem, ad haec usque nostra tempora servatum, invaluisse conficiendi et exscribendi actus omnes latina lingua (dum laicae Curiae lingua germanica utuntur), nisi quia in Causis Ecclesiasticis poterant partes suo lubitu aut ad Metropolitanum, aut ad sanctam Sedem, aut ad Nuncium provocare. Quamobrem decuit quam maxime, ut in Actis exercendis is sermo adhiberetur, qui esset cum omni Natione communis, quemque Apostolica Sedes Nunciique illi callerent, veluti Bohemerus testatur, Jur. univ. cath. et protest. tit. de Offic. Vicar. §. 6.„ Quibus hoc insigne subiicitur: „Ob haec aliaque Ecclesiastica et Religionis negocia, quae Aula Imperialis eiusque Tribunalia agere identidem debent cum S. Sede, pollicetur etiam Imperator in Capitulatione art. XXIII. §. 3. „De ne nous servir d'autres langues en notre Cour Imperiale dans les écrits et Negociations regardants l'Empire, que de l'Allemande, et de La Latine . . . usitées en notre Conseil Aulique de L'Empire.„ B. De Spon p. 407.

Lingua latina.

Chrysostomus.

Pius VI.

Pollicitatio imperialis.

[1]) Lib. sacrament. eccles. rom. opp. Leon. M. t. II. p. 56. ap. Mign. lat. PP. t. 55. in natal. Apost. Pet. et Paul. XX. praefat.

[2]) Ep. VII. „Dilectissimo fratri Aunario„ Antissiodor. ap. Mign. lat. PP. t. 72. p. 744.

credentium omnium ad salutem unitas verissime proprieque romana; romanum caritatis vinculum, quo universalis credentium societas ad visibilem illam ordinatamque unitatem adstringitur; romana tandem ipsius eius exsistentiae conditio. Ecclesia proinde *Petrus.* vere [1]) electa: „ista quam felix [2]) ecclesia: ecclesia [3]) misericor- *Tertullian.* diam consecuta in magnificentia Patris altissimi et Jesu Christi, filii eius unici; ecclesia dilecta et illuminata voluntate eius, qui *Ignat. M.* vult omnia, quae sunt secundum charitatem Jesu Christi, Dei nostri; quae etiam praesidet in loco regionis Romanorum, digna Deo, digna decore, digna quae beata praedicetur, digna laude, digna quae voti compos fiat, digne casta, universo coetui caritatis praesidens, Christi et Patris nomine insignita, quam et saluto (ita cum Ignatio martyre quilibet repetat Christi fidelis) in nomine Jesu Christi, filii Patris.„

DISPUTATIONIS EPILOGUS.

514. Redivimus unde profecti sumus: gyrum confecimus: unitatem fidelium, quam Salvator praevalere inter homines voluit, quamque a principiis suis *θεωρητικῶς* primum descripsimus, eandem pro sua actione et vita nunc *πραγματικῶς* explicatam exhibuimus. Quare facto tantum discrimine inter Augustini causam, eius gravitatem ac perspicuitatem, et inter causam romani, quam defendimus, pontificis, summum eiusdem momentum et declaratam evidentiam; tum substituto in locum Augustini nomine summi pontificis fas est, *S. Prosper.* cum Prospero aquitano suam pro Augustino actionem concludente [4]) similiter librum hunc absolvere: „Sufficienter, ut arbitror, demonstratum est, reprehensores summi pontificis et vana obiicere et recta impugnare et prava defendere, peremptorumque armis intestinum bellum moventes dictis divinis atque humanis consti-

---

[1]) I. Pet. V. 13. *Ἡ ἐν Βαβυλῶνι συνεκλεκτή.* Ad haec cf. J. P. Secchi „La Cattedra Aless.„ p. IV. c. 1. pp. 213. sq.

[2]) Tertull. l. de praescriptt. c. XXXVI.

[3]) Ignat. M. ep. ad. Roman. *Ἰγνάτιος, ὁ καὶ θεοφόρος, τῇ ἐλεημένῃ ἐν μεγαλαιότητι πατρὸς ὑψίστου καὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ μόνου υἱοῦ αὐτοῦ ἐκκλησίᾳ ἠγαπημένῃ καὶ πεφωτισμένῃ ἐν θελήματι τοῦ θελήσαντος τὰ πάντα, ἅ ἐστιν κατὰ ἀγάπην Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ θεοῦ ἡμῶν, ἥτις καὶ προκάθηται ἐν τόπῳ χωρίου Ῥωμαίων, ἀξιόθεος, ἀξιοπρεπὴς, ἀξιομακάριστος, ἀξιέπαινος, ἀξιεπίτευκτος, ἀξίαγνος, καὶ προκαθημένη τῆς ἀγάπης χριστώνυμος, πατρώνυμος, ἣν καὶ ἀσπάζομαι ἐν ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ, υἱοῦ πατρός.*

[4]) Lib. con. collator. c. XXII. n. 61. int. opp. Aug. t. X. append. p. 198.

tutionibus rebellare. Quorum tamen, dum adhuc non sunt a fraterna societate divisi, toleranda magis est intentio quam desperanda correctio: ut donec Dominus per ecclesiae principes et legitimos iudiciorum suorum ministros, haec quae per paucorum superbiam et quorumdam imperitiam sunt turbata, componat; nobis Deo adiuvante sit studium, quieta modestaque patientia odiis dilectionem reddere; et ineptorum vitare conflictus, veritatem non deserere, nec cum falsitate certare, semperque a Deo petere, ut in omnibus cogitationibus, in omnibus voluntatibus, in omnibus sermonibus atque actionibus nostris ipse teneat primatum qui dixit, se esse principium. Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia, ipsi gloria in saecula. Amen.„

515. „Vos autem omnes, id lubet insuper pro modulo tamen nostrisque rationibus cum sancto Epiphanio [1]) flagitare, qui communem hunc mecum laborem capessitis, et hanc nostram lucubrationem patienter evolvere studetis, rogo plurimum et exhortor, et ut digni sitis postulo fructum istinc aliquem et utilitatem capere, atque haereseon molestiam ac perniciem ab animis vestris longissime removere (add. veritates contra expositas penitissime animis inbibere). Non enim illas cuiusquam ad fraudem exitiumque patefecimus, sed ad utilitatem atque cautionem, ne ad commemoratas illas haereses (add. falsitatesque) illecebris ullis (add. veritate potius ad romanam doctrinam, sentiendi rationem, societatisque unitatem) pertrahatur. Porro ubi totum istud *S. Epiphanius.*

---

[1]) Adv. haer. l. III. t. II. Exposit. fid. n. XX. ap. Mign. gr. PP. t. 42. pp. 821. sq. *Πάντες τοίνυν οἱ τῷ πονήματι ἡμῶν συμπονοῦντες, καὶ σπουδάσματι ἐντυγχάνειν μακροθυμοῦντες, διερχόμενοί τε, παρακλήθητε καὶ ἀξιώθητε τὴν ὠφέλειαν ἐπικερδῆσαι, τὰ δὲ ἀηδῆ τῶν αἱρέσεων ἀπὸ τοῦ νοὸς ἀποτρέψαι. Οὐ γὰρ εἰς βλάβην ἀπεκαλύψαμεν, ἀλλ' εἰς ὠφέλειαν καὶ παρατήρησιν τοῦ μὴ ἐμπεσεῖν εἰς ἐπαγωγὴν τῶν προειρημένων. Διελθόντες δὲ τὸν πάντα κάματον ἢ καὶ μέρη, ὑπὲρ ἡμῶν εὔξασθε καὶ καταξιώσατε ἵνα ὁ θεὸς δώῃ μέρος ἡμῖν ἐν τῇ ἁγίᾳ καὶ μόνῃ καθολικῇ καὶ ἀποστολικῇ ἐκκλησίᾳ καὶ ἀληθινῇ καὶ ζωτικῇ καὶ σωτηριώδει, καὶ ῥύσηται ἡμᾶς ἀπὸ πάσης αἱρέσεως· καὶ εἴ τι ὡς ἄνθρωποι μὴ δυνάμενοι ἐπὶ τὸ πέρας ἀποτεινόμενοι τῆς ἀκαταλήπτου καὶ ἀνεκδιηγήτου θεότητος, ἀλλ' ὡς στενοχωρούμενοι εἰς ἀπολογίαν, ὑπὲρ θεοῦ διηγήσασθαι ἀνθρωπίνως ἠναγκασμένοι τόλμῃ ἠνέχθημεν, συγγνωμονοῦντος τοῦ θεοῦ καὶ ὑμεῖς αὐτοὶ συγγνωμονήσατε. Καὶ πάλιν ὑπερεύχεσθε, ἵνα ὁ κύριος ἣν ᾐτησάμεθα μερίδα ἡμῖν δώῃ ἐν τῇ ἁγίᾳ αὐτοῦ πίστει καὶ μόνῃ ἀπηλλαγμένῃ πάσης ἐναντιότητος, καὶ τῶν ἰδίων ἁμαρτημάτων πολλῶν ὄντων συγχώρησιν ποιήσηται ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν· δι' οὗ καὶ μεθ' οὗ δόξα τῷ Πατρὶ σὺν ἁγίῳ Πνεύματι εἰς αἰῶνας. Ἀμήν.*

opus, eiusque partem aliquam legendo percurreritis, Deum pro nobis obsecratote, et illud impetrare studetote, nobis ut ille locum aliquem in sancta solaque catholica et apostolica (id est romana) Ecclesia, eademque vera, vivifica, salutarique aliquem tribuat, tum ut nos ab haeresis omnis contagione liberet. Quod si quidpiam, utpote homines, qui incomprehensibilem et inexplicabilem illam divinitatem (add. eiusque magnifica opera) penitus assequi et ad extremum usque penetrare non possumus, sed in angustias eas coniecti, ut divini numinis (add. eiusque divini operis) propugnandi gratia quaedam pro humano captu disserere coacti simus; si quid, inquam, paulo audacius (add. nostraque inbecillitate) fecimus, condonante Deo (add. et inplorata a summo magistro romano cum omni docilitate animique submissione venia) vos et istud mihi condonare velitis. Ac rursum illud mea causa petite, uti Dominus, quam ab eo sortem conditionemque precati sumus, in sanctissima sua religione (id est, in Unitate Romana), quae sola ab omni contradictione libera est, concedere non gravetur, ac peccatorum meorum, quae bene multa sunt, gratiam facere, in Christo Jesu Domino nostro: per quem et cum quo gloria Patri cum Spiritu sancto in saecula. Amen.„



INDEX RERUM SYNOPTICUS.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT II.

Πολιτεία unitatisque habitus plurium invicem ecclesiarum particularium.

CAPUT III.

Romanus sedium episcopalium ἱεραρχίας apex et vertex.

CAPUT IV.

Vindobonae. Typis Ludovici Mayer.

INDEX.

LOCORUM SACRAE SCRIPTURAE.

QUI IN TOMIS I. ET II. HUIUS LIBRI CONTINENTUR.

T. Tomum, p. paginam designat.

Acta Apostolorum.

Epistola ad Romanos.

Epistola I. ad Corinthios.

Epistola II. ad Corinthios.

Epistola ad Galatas.

Epistola ad Ephesios.

Epistola ad Philippenses.

Epistola ad Colossenses.

Epistola I. ad Thessalonicenses.

Epistola II. ad Thessalonienses.

Epistola I. ad Timotheum.

Epistola II. ad Timotheum.

Epistola ad Titum.

Epistola ad Hebraeos.

Epistola S. Jacobi.

Epistola I. Petri.

Epistola II. Petri.

Epistola I. S. Joannis.

Apocalypsis.

INDEX.

NOMINUM, QUAE IN TOMIS I. ET II. HUIUS LIBRI CONTINENTUR.

T. Tomum. p. Paginam designat.

INDEX RERUM.

QUAE IN TOMIS I. ET II. HUJUS LIBRI CONTINENTUR.

T. Tomum p. Paginam designat.

Ecclesia Catholica.

Ecclesia Romana

Ecclesiae

Emsenses punctationes

Encratitae

Episcopalis, e

Episcopatus.

Episcopatus.

Ἐπισκοπή.

Episcopi.

Episcopus.

Iudex.

Iudicare.

Iudicium.

Iuramentum.

Iurisdictio.

Ius

Iuventus

Legati.

Legatio

Legationes.

Legationes.

Lex

Libertas.

Libri.

Limina.

Litterae formatae

Liturgia.

Liturgiae.

Obedientia.

Oecumenicus

Officia

Officium

Οἰκονομία.

Ordines

Optatus milevitanus.

Ordo.

Oriens.

Orientales.

Orientales.

Pallium.

Παμβασιλεία.

Parochia (*Παροικία*)

Pastor.

Pastoratus

Patres

Patriarcha.

Patriarchae

Patriarchalis

Romanus, a, um.

Romanus, a, um.

Sacerdos.

Sacerdotium.

Sacramentarium.

Saeculare

Salus.

Sanctio

Satyrus

Schisma.

Schola.

Scientia.

Scripturae.

Sedes.

Sedes.

Servitus

Simon.

Socialis.

Societas.

Sorbonae

Studia.

Subditi.

Subiectio.

Syllabus

Symbola.

Symbolum

Synodalis.

Synodus.

Veritas.

Via

Vicarii.

Vinculum

Vita.




Viennae. Typis Ludovici Mayer.

CLEMENTIS SCHRADER S. J.

DE UNITATE ROMANA

COMMENTARIUS.

LIBER II. πραγματικός.



VINDOBONAE.
SUMPTIBUS MAYER & SOC.
MDCCCLXVI.